TOMUS I.
ΣΥΝΤΑΓΜΑ
DE FAMILIIS, QVAE IN MONARCHIIS TRIBVS PRIORIBVS

Rerum potitæ sunt: Tertiæ Alexandri ijs subiectis regnis, in quæ illa successorum bellis particulatim discerpta fuit.

Quæ ceu εἰσαγωγὴ poterit esse uberrima ad lectionem tam sacrorum Bibliorum, quàm aliorum bonorum in utraque lingua scriptorum.

ADDITA EST APPENDIX DE ILLVSTRIBVS ALIquot Græciæ regnis, hoc est, Argiuo, Mycenæo, Spartano, Messeniaco, Thebano, Arcadico.

ITEM,

ALTERA DE HISTORIA GENTIS AEACIdarum & Regum Atheniensium.

TOMVS II.

CONTINENS HISTORIAM QVADRIGEMINAM.

DE FAMILIIS DVORVM AEGYPTI REGNORVM, BATTIADARVM CYRENAEORVM,

& Dynastarum, Regum ac Pontificum Israëliticorum.

AVCTORE,

REINERO REINECCIO STEINHEMIO.

Cum Gratia & Priuilegio Cæs. Maiest.

[illegible] EX OFFICINA
[illegible]

IN FAMILIAS,

MONARCHIARVM TRIVM

PRIORVM, AD

ILLVSTRISSIMVM

Principem & Dominum D. AVGV-
STVM, DVCEM SAXONIAE, S.
ROMANI IMPERII ELECTOREM VII
VIRVM ET ARCHIMARSCHALLVM, LANDGRAVIVM
Thuringiæ, Marchionem Mysniæ, Burggrauium
Magdeburgensem: Princ. Clementiss. &
studiorum Patronum Bene-
ficentiss.

Proœmium.

FLORVERVNT in omnibus gentibus, quæ uel ab Imperijs, seu rebus bello gestis, uel doctrinarum, disciplinæ, legum studijs celebrantur, insigniores aliquæ familiæ, Quarum uirtute aut imperia fuêre condita, defensa, conseruata, aut doctrinæ instauratæ, illustratæ, propagatæ. Nec sanè caruit ea res prouidentiæ bonitatisque diuinæ argumento manifesto, uel potiùs utriusque in primis maximum extitit. Quæ enim absque imperijs conseruari inter homines societas potest? quæ futura absque doctrinis uita esset? Quippe quæ nec gentibus efferis, & institutis moribusque barbaris, planè ignotæ fuerint, uel etiamnum sint: qua de re singulariter notissima de Saracenis & Turcis exempla recentia: Quorum illi etiã Academias percelebres habuêre: Vnde nominis illustris Medici Arabes prodierunt, hi ludos suos adhuc habent, & quia militarem præcipuè affectant laudem, diligenter historias lectitant. Et pertinet eòdem, nec mirari equidemi-

 deo

deo minùs licet, quòd uirtutum semina etiam hęreant in sobole. Vndè est Venusini Poëtæ illud:

Fortes creantur fortibus & bonis:
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Quòd tametsi fallere sæpenumerò solet, & ita fallere, ut etiam prouerbio locum dederit, Heroum filij noxæ, tamen euenire plærunque cernimus. Hinc enim Aristoteli Nobilitas est, seu uirtus generis, hinc artiū possessio hęreditaria: Quam usurpatam ab Arabibus & sacerdotibus Aegyptijs, ASCLEPIADAE itidem ex Aegypto oriundi, retinuere multis seculis de arte Medica in Græcia. Nec obscurum est, quantum Persæ Achęmenidis suis detulerint, Parthi Arsacidis, Græci Heraclidis. Cùm quidem Spartani regnare apud se paterentur neminem, nisi Eurytionidarū & Agiadarum (ea assumsère nomina fratrum Eurysthenis & Proclis, qui ab HERCVLE & Hyllo per Cleodæum & Aristomachum genus deducerent, posteri) satu editum, & adulterini sanguinis suspectos DEMARATVM & Leotychidem, Agidis I. F. dignitate ista per contumeliam spoliârint. Constat & mulctatum ab ijsdem Archidamum regem, quòd staturæ breuioris uxore ducta, stirpis generositatem, quam corporum etiam robur ingens atq; dignitas condecoraret, ceu adulterando imminuturus esset. Vt ne id iam referam, quòd coniugia externa regibus suis interdixêre, & uxores eorum publicè custodiri uoluêre ab Ephoris, quò pro uiribus caueretur, ne ex alio genere quàm Heraclidarum Rex gigneretur, ut scripsit Plato. Enimuerò & de conditoribus familiarum eiusmodi retinuit appellationem Græca lingua illustrem, ἥρως. Quā etsi Grammaticorum deriuationes deduxêre ab alia ἥρα, quà significatur Iuno, nobis tamen potior eorum uidetur opinio, qui utranque Ebraicæ notionis faciunt, ab Her, ut intelligas uirtute: dignitate, & potentia conspicuum. Eadem enim & Germanica uox: nihil prorsus mutata, tum à capite, tum deriuatis suis complectitur: cùm Latina, quæ istuc alludit, significato angustior sit. Et sanè de ueterum Saxonum nobilitate illa

primaria, hanc reperimus retentam dignitatis denominationem solam, reliquis discriminibus primùm externo Francorum dominatu inuectis.

Est aũt dignũ liberalibus ingenijs, dignum, qui Reipub. tractant gubernacula, in familiarũ illustriũ cognitione operã ponere. Nã ne explanando id iã attingã, quòd iucũdissima uoluptate legentis inde animus explet, quot, quamq; uariorũ exemplorũ documenta, unde quot imitere tibi, capias, unde fœdum incæptu, fœdũ exitu, quod uites, intueri hîc licet? Quare in Valentiniano Cæsare prædicat Victor, quòd uti in alijs plurimis, ita etiã in ueteribus familijs inquirendis & cognoscendis Ingeniosissimo & Doctissimo Imperatori Adriano proximus fuerit. Et nota è nostris Imp. præstita hac parte diligentiæ laudatissimæ opera MAXIMILIANI I. Qui cùm historiarum studia, profunda barbarie antea obruta, iterum in Germania excitasset, auctor etiam fuit Ladislao Sunthemio & Stabio, ut uetustatem familiarum Germaniæ, quarum nôrat fuisse antiquitus incorruptam nobilitatem, nullius illegitimæ commixtionis uitio adulteratam, explorarent ac describerent: eamq; in rem sumptus magnos fecit. Nec sanè institui absq; hac ceu γενεαλογία, historiarum tractatio feliciter potest. Quia enim pars harum præcipua circa personas occupata est, quid hisce uel confusis, uel minus accuratè distinctis, de negotijs rectè percipietur? Vt historias ἀπὸ μιᾶς συνόψεως ἄγειν καὶ σωματοποιεῖν, ut uerbis Polybij utar, quempiam posse existimabimus? Et quis omnium tam est uel oscitans, uel ignauè socors, ut cũ in Regis uel Principis, fama & factis inclyti, mẽtionẽ incidit, non protinus uel maiores uel posteros scire ipsius expetat, et ideo expetat, quòd similes ei fuisse utriq; credãtur? A Quintiliano quidẽ annotatũ est, etiã Liuiũ sæpe de persona dubitare, & esse hinc, quòd alij ab historicis alijs dissentiãt. Accedit huc, quod tradidit idem Polybius, auctor grauissimus, in historiarũ partibus præcipuè delectare τὸ γενεαλογικόν.

Quapropter neq; à ueteribus scriptorib. hanc prætermissam explicationẽ inuenimus. Nominat enim Suidæ & Hecatæi genealogias Stephanus: & meminit de eodem argumenti genere librorũ suorum Hyginus lib. 2. de signis cœlestibus.

Addidit de Acusilai studio mirifico Suidas, ex Aeneis tabulis genealogias eum conscripsisse. Quippe quae ueritatis indicia scriptis ipsis lōgè certiora duceret, & alibi à Simonide Melicerte genealogiarum libros tres cōscriptos, ait. Apud Romanos, familias illustriores magno labore, cura, fide collegisse accepimus T. Pomponiū Atticū, Ciceronis familiarem, qui etiā tradita lib. 9. epistolarū famil. ad Papiriū Pætum de gente Papiria, inde trāsscripsisse credit: Vt facilè assentiar ijs, qui & de Portijs Catonibus Gellij expositionē desumptā inde opinant. In Iudęis attētionis prouidę collata huc opera & diligētia ea fuit, ut ἀρχεῖα in fano Hierosolymitano reposita custodirent. Quę cōsuetudo religioso instituto diu cōseruata, Herodis regis scelere cessauit. Is enim cōscius sibi ignobilitatis suę, ne propterea Iudæis despectui esset, monumēta illa aboleuit. Vnde cùm multarū familiarū propago & memoria interijsset, credibile est, exortas inde quæstionum disputationumq; nugas, quas infinitarum genealogiarum mētione taxat Paulus Apostolus. Nam alterum genus illud, quod historiarū & aliorum bonorum scriptorum seruit explicationi, ab eo reiectum, credere tā ridiculum quàm profanum fuerit. Quippe quæ eruditæ doctrinæ pars nequaquā postrema sint: A qua quàm & ipse fuerit instructus pręclarissimè, epistolarum docent monumēta eius. Neq; impugnat nos ludicra Horatij ad Telephum Oda lib. 3. carm. Cùm alibi editum regibus atauis prædicet Mecænatem, & Aetium Lamiam nobilē à Lamo uetusto nuncupet. Etsi omnino quæ iure culpes, occurrunt etiā in ueteribus plurima. Nam ut omittā Græcorum futilitatē plus quàm puerilē, qui uiros magnos quorū ignoraretur generis origo, satos Dijs uoluerunt, quoties uel adulandi studio, uel scriptorum temeritate, accidisse credemus, quòd è Clodio quodā retulit de Cōmentarijs Romanis Plutarchus: Veteres nimirum in Gallica urbis calamitate interijsse: eos aūt qui tunc extarent, cōpositos fuisse ab alijs, qui in gratiam certorum uirorum, genera eorū in præcipuas familias, maximeq; insignes, sed nulla omnino ratione ad eas pertinētes, ingesserint. Vt minus mirari scriptorum nostrorum ineptias liceat: è quibus aliqui Merouingis Francis (ut hos nunc solos

lòs nominē)Troianam affingere originem à PRIAMO ausi fuêre. Quanquàm Heduos, quos & ipsos deductos è Germania colonos certū est, à Troiana stirpe etiā ueteres propagēt. Vnde esse potuit, quòd Romanorū uideri cōsanguinei & fratres uoluêre, ut meminêre in cæteris Cęsar & Cicero ad Atticum: & scribit in Annalibus Tacitus, ob id fraternitatis nōmen primos Gallorū ius senatorum impetrasse à Claudio.

Vtinā uerò ut alia pleraq; eruditæ antiquitatis, ita huius etiā generis monumenta peruenire ad nos potuissent. Certè iacturā hoc quasi naufragio, res literaria ingentē fecit: quam gemere deplorando ideò iustius licet, quò reparari eam, ob auctores itidē plurimos amissos, difficilius fuerit. Fecit tamē in Romanis familijs explicandis operæpreciū illustris Baro, Richardus Streinius, & in expectatione summa omnium est de ijsdem opus eruditissimūm Iohānis Glandorpij, quem in ludo Hannouerensi & Goslariensi adolescētuli audiuimus. Neq; in Imperatorū historia fraudandus sua laude est Onuphrius Panuinius Italus. Græcæ ferè solæ hactenus incultæ mansere, cùm quidē usus harum in ueterum auctorū lectione precipuus sit. Idem affirmare de Germanicis nostris, & recentioribus exterarum gētium alijs possumus. Nam cui præcipuè debeamus, omnib: numeris absolutissimū D. CASPARI PEVCERI Chronicon est. Cætera quæ de his hactenus pleriq; edidere, quàm uel à diligentię & eruditionis, uel iudicij accuratioris lima destituant, ab alijs iudicari, quā à me indicari satius fuerit. Et omnino cognosci ē patriæ nostræ hac parte fatum quoddā iniquius: nec rarò operā eandē in historijs peregrinis desideres. Etsi autē ego, quod ille ait, meo me metiens modulo & pede, ingenij perspiciebam mei tenuitatē, perspiciebā cognitionis & lectionis, quę hîc requireretur, copiā & uarietatem, conando tamen potius studijs cōmunibus patrięq; commodare, quàm cessando eadem deserta esse uolui. Cumq; à priuatis ueluti progymnasmatis initiò facto, publicassem cōmentarium de Mysis & Nobilitate, neq; uel hunc, uel quas mox subijcerem diuersorum regnorum familias, adeò improbarēt uiri Clariss. Camerarius, Peucerus, Fabricius, præceptores mei obseruandiss. ut potiùs hortando pergere iuberent, equidem ut hoc de me iudicium nō potui

non præclarum & honorificum ducere, ſic progrediendum in hoc mihi ſcriptionis genere ita cenſui, ut quandoquidem de quarta Romanorum monarchia extaret cõmentatio Panuinij, ego tres priores coniũgerem, inſertis nempe pro tertia ijs regnis, in quæ illa diſcerpta fuit. Atq; ut conſulerẽ antiquitatis Græcę ſtudioſis, repetere de regnis gentis eius illuſtrioribus expoſitiones noſtras, & ueluti per appendicẽ ſubiungere, uiſum fuit. Quibus deinceps attexemus paulatim ſi uita ſuppetet, neq; à ſubſidio uel otij uel opis neceſſariæ deſeri nos continget, etiam regna, tyrannides & dynaſtias cæteras, quæ in monarchias ſingulas incidêre: ita ut pergamus ab his tandem ad familias Germanicas & peregrinas, atq; quod ad ἐγκύκλιον παιδείαν abſoluendam defuiſſe uideri hactenus poterat, qualicunq; ſtudio noſtro compleamus. Neq; ſpe nulla tenemur, nauatũ iri huic inſtituto noſtro beneuolentiæ propenſionem prolixiorem, quò explicationum id genus neceſſarium magis eruditæ doctrinæ amantes intelligunt. Negari enim non poteſt, uſum eius in omnes ſe diſciplinas extendere. Et quia ἱστορία συμφέρει δὲ σοφία, ut ſcripſit elegãtiſsimè Naſſianſenus, ſeu, ut æquè præclarè locutus eſt Halicarnaſſeus: ἀρχὴ φρονήσεώς τε καὶ σοφίας, certè ieiuna etiam ut ſacrarũ literarum atq; legũ, ita in primis Philoſophiæ profeſsio ſit, neceſſe eſt, cum qua non hæc coniuncta eſt cognitio. Cùm quidem Lucianus & in Medicis eam ita requirat, ut peculiare & proprium his eſſe dicat, hiſtoriam cõdere. Addo his, quod eſt apud Polybium, hiſtoriam ἀληθινωτάτην εἶναι παιδείαν καὶ γυμνασίαν πρὸς τὰς πολιτικὰς πράξεις, ſeu, ut exprimere uoluiſſe uidetur Cicero, magiſtram uitæ. Ideo incubuere in eam omnium ætatum uiri præſtantiſsimi, incubuere reges & principes ſapientiſsimi ac potentiſsimi. In quibus alij hiſtorias ipſi conſcripſêre, nempe DARIVS Hyſtaſpis, Ptolemæus Soter, Ptolemæus Euergetes, Antipater Macedo, Aratus Sicyonius, Annibal Pænus, Artuaſdes Armenius, Herodes Iudęus, Iuba iunior (quo quidẽ Plutarchus neminem hiſtoriarũ fuiſſe peritiorẽ, ait) Sylla, Cęſar Dictator (huius commentarij doctiſsimi hodie etiam num extant) Auguſtus, Tiberius, Claudius, Adrianus, Antoninus, Seuerus, Iulianus Apoſtata &c. alij impediti negotiorum & occupationum mole, qui idem pręſtarent liberaliter

alúere,

aluere, ut Xerxes, Darij F. Alexander Magnus, Antigonus, Ptolemæus Philadelphus, Lyſander, Alphonſus Hiſpanus, Matthias Huniades, Vngarus. Ac fecimus ſuprà exempli memorabilis mentionẽ è noſtræ gentis Imp. de MAXIMILIANO I. Cui adijciunt alij, etiam ſuas res geſtas explicare ſcribendo aliquando aggreſſum fuiſſe. Nec minus prædicatur ætate paulò ſuperior SIGISMVNDVS Cæſar, prædicatur itẽ poſterior CAROLVS V. quorũ ille omnium primus Arrianum transferri in Latinũ ſermonem curauit, hic ſcriptorem ſapientiſſ. Thucydidem, Gallicè redditum, nunquã non in manibus habuit, &, quod colligere ex hiſtoria huius poſſumus, familiariſsimè Iouium complexus eſt. Quid? quod de L. Lucullo prodit Plutarchus, eum ſola hiſtoriarũ lectione, rei bellicæ, cuius antea rudis eſſet, peritiſsimum euaſiſſe. Et notum ALEXANDRI Mammeæ Imp. in hiſtoricos ſtudiũ: quippe qui & in deliberationib. adhibere eos ſoleret. Quod ita imitatum accepimus PHILIPPVM Palatinũ Elect. ut & ipſe in cõſultationibus antiquitatis exempla recitari libenter, & cum uoluptate audierit, & conſcribi ſibi à Capnione hiſtoriarum epitomen uoluerit.

Adiunxi autem huic operæ & ſcriptionis noſtræ cõmentario, tanquam præfando, Illuſtriſſ. Excelſ. T. Patrocinium & nomẽ, AVGVSTE PRINC. ELECTOR, Domine Clementiſs. quòd uti diſciplinas cæteras uoluntate ampliſsima amplecteretur, foueret, coleret: ita neq; ab hoc ſtudiorũ genere, cui in doctrinæ liberalis partibus locus nequáquam poſtremus debetur, abhorrere, ſed potiùs ubi à Reip. negotijs licet, multã ad id curam, multã aſsiduitatẽ cõnferre ſoleret. Cùm enim uita omnis exemplis conſtet & regulis, has quidem uti ſcholæ tradunt & Philoſophorum doctrinę, ita illa ex hiſtoriarũ monumentis petantur, neceſſe eſt. Quarũ hiſtoriarum quàm exiſtat lectio difficilis, quàm infructuoſa, niſi eiuſmodi ſubleuetur tãquam εἰσαγωγῆς, pluribus hic cõmemorando ut exponatur, opus non eſt. Et quid delectare magis Illuſtriſs. generis ſatu editũ poteſt, quàm illuſtres itẽ familias, quæ orbis terrarũ imperia & regna rexerunt, ordine habere cognitas? Hæc enim uera illa ſunt atria, in quibus clarorũ uirorũ imagines re-

nes reponuntur, hæc ceu tablina, codicibus & rerũ gestarum monumentis impleri solita. De qua Romana consuetudine, & imaginibus è cera asseruatis, præteriri à nobis haud debuit Q. Maximi & P. Scipionis consideratio sapiens, quam retulit in historia sua Salustius: Contestari nempe de se consueuisse, cùm maiorum imagines intuerentur, uehementissimè sibi animum ad uirtutem accendi: scilicet non ceram illã neque figuram tantã uim in se habere: sed memoria rerũ gestarum, eam flãmam egregijs uiris in pectore crescere: neq; prius sedari, quàm uirtus eorum famã atq; gloriam adæquauerit. Ergò hanc subiectiss. obseruantiæ significationem nostram Illustriss. Excellſ. T. uoluntate clemẽtissima accipiat, quo debeo subiectiss. animi studio oro. Equidem studiorum idẽ hoc genus ad eũ modũ, ijsq; de causis, quas antea exposui, pertexere cuperẽ. At pertexere ut rectè feliciterq; possim, si discessero à Deo Opt. Max. præstari à sola Excellſ. T. benignitate poterit. Quam clementissima propensione clausam in me nolit, & hanc perennis laudis memoria prædicandã à me opẽ in studia cõmunia conferat, itidẽ qua par est subiectione rogo. Videmus ad Illustriss. Excellſ. T. ceu ad cõmune studiorũ patriæque perfugiũ & præsidium respicere doctos Germaniæ nostræ omnes: Respicere itẽ exterarũ nationũ homines. Hoc tectũ me etiam clementissimè patietur, & ita patietur, ut recipiat subiectione humilima subditũ, quẽ à patria eadẽ, omni laude cumulatissimi, & rerũ gestarũ fama, meritis in Remp. amplitudine & uirtute celebratissimi, maiores ciuẽ habent. Notum enim horũ in Angriuarijs imperium uetus, notũ in Saxonibus utrisque, Vuestualis & Ostualis (ita enim annales antiqui, & in his Benedictini monachi Ludouici Pij συγχρόνω, à Visurgi fl. medio interlabente, distinguunt) regnum nobile.

Quod superest, quæso ab æterno Deo, Illustriss. Excellſ. T. seruet Ecclesiæ, patriæ studijs diu florentem & incolumem, ad nominis sui immortale gloriam, & publicum omnium commodum & decus.

IOA.

[illegible]

[illegible]

SAL. D. Ludouicus filius meus attulit mihi abs te traditum sibi librum iam comprehendentem successionum in diuersis populis atque regnis historias, cum essent separatim nonnullæ prius editæ. Atque ostendit mihi cupere te, ut illo, quoad per ualetudinem & alia negotia concederetur, pellecto, demonstrarem & de opere ipso & de consilio hoc ita ista proferendi tuo, iudicij mei sententiam. Ego uerò, mi Reinere, optarim non solum licuisse librum tuum totum à me legendo cognosci, sed diligenter etiam illo perscripta considerari: Id quod & delectatione non caruisset in tanta uarietate narrationum, & mihi aliquid utilitatis potuisset afferre, qui sæpe hæsitaui in ijs locis scriptorum ueterum, ubi exponuntur ea, quæ notitiam generis & familiarum quasi enucleationem desiderant: Quorum exquisitio cum sit admodum negotiosa, neque solum ingenij acumen, sed temporis quoque longitudinem, & industriæ laborem requirat, qui isto studio occuparentur, ex animo, quemadmodum dicitur, nostra quidem ætate, haud scio an non facile reperturus aliquis sit, & constat hac in parte multos doctos uiros per ignorantiam à ueritate aberrasse. Memini summum uirum & amicum meum Philip. Mel. non raro de quibusdam eiusmodi mecum colloqui, & tum suam sententiam indicare, tum meam exquirere. Inprimisq; recordor in sobole Herculana, & Temenidarum potissimùm, quæ est Macedonica, ut priscè loquamur, prosapia, uestigandа deprehendendaq; multum nobis esse negotij facessitum. Etsi autem fieri nequit, in hac nostræ ætatis integrorum scriptorum ueterum egestate, ut omnia planè, & certo & liquido explicentur, cum quasi mendicando de diuersis, qui extant, libris, nonnullis neque satis emendatis, & admodum mutilis, colligenda ista sint. Mea tamen opinione, & est in his abs te strenuè elaboratum, & hoc nomine debetur uigilijs lucubrationibusq; tuis gratia maxima, & ea ab omnibus liberalis doctrinæ amatoribus studiose habebitur. Quod affirmare sic quoque posse uideor, cum aduersa ualetudo & quædam molestiæ oblatæ aliunde, inspicere tantummodo ac percurrere mihi librum tuū permiserint. Atq; magnopere abs teq; peto, te hortor, operam des & annitaris, ut quamprimū hic liber tuus prodeat in lucem.

in quo

In quo si quid à me poterit auxilij aut adiumenti afferri; in illo tibi uelim persuadeas, à me in promptu parataque futura esse omnia. Etsi autem quasi tempestate quadam afflicta studia bonarum literarum & artium incipiunt ualde debilitari; Tamen non est tanta adhuc calamitas, ut penitùs extincta sit cupiditas legendi cognoscendique scripta ueterum, inprimis ea, quibus res olim gestæ enarrantur, & temporum, hominum, locorum, rationes explicantur, & in quibuscunque alijs, fiunt de his mentiones. Adhuc aliqui sunt eruditionis amantes, & Musarum, id est, humanitatis & doctrinæ liberalis cultores, neque uniuersorum ad alia consilia conuersi animi, siue quæstuum emolumenta, siue uulgarium honorum præstantiam appetendi. Quocirca statues abs te in istas enarrationes operam utiliter esse datam, quę mihi quidem uidetur præclarè esse collocata, & non dubito quin eadem dę his omnium eruditione doctrinæ percultorum existimatio sit futura. Aliorum iudicia nimirùm contemnenda sunt, & ad hoc uetus illud inferendum est: οὐ φροντὶς ἱπποκλείδῃ. Fac ualeas & exercere atque colere quasi Musarum istum fundum, ne defatigeris. Vale. Scripsi hæc, ut potui, sanè infirmus. Quæ boni consules: Domi nostræ die IX. Mense Maij. Anno Christi CIↃ. IↃ. LXXIII. Quorum annorum minimus numerus est ætatis meæ.

CARMEN.

CARMEN,
MICHAELIS BARTH ANNÆBERGENSIS, PHILOS. ET MEDICINAE DOCTORIS.

In σωύταγμα de Monarchiarum trium Familijs. M. REINERI REINECCII STEINHEMII.

Conditus ad uitam iustè ac prudenter agendã,
In idq; multa præditus ratione Homo:
Non ulla melius diuinæ mentis acumen
Quàm lectione rerum gestarum instruit,
Iusti, atq; iniusti, stolidi, & prudentis, ubiq;
Fortisq; in his exempla, & ignaui emicant.
Historia est oculus mundi, uitæq; magistra,
Ex hac peti, haud aliunde, potest prudentia.
Nullum numen abest, ubi adest prudentia, mundi
Omnes tenebras lumen hoc illuminat.
Tempora præcipuè memori sub mente reponit
Regum ordo plana pictus in tabellula.
Et genus, & proaui, & uasti successio regni, &
Notata quæ sub hoc, sub illo, euenerint.
Hæc cùm ex multorum sparsis amplissima libris,
Comprenderit breui, ac uelut depinxerit,
Reinerus longo studio, multoq; labore,
Et nunc benignè cum omnibus communicet:
Quid, Lector bone, deberi huic, quid quæso fateris?
Ego hæc ei deberi censeo præmia:
Omnibus à doctis grates, laudes, & honores,
A regibus preciosa & regia munera.
Quæ cùm defuncti non possint soluere, uiui
Fouerant uirum, expectentq; de ipso etiã optima.
Quæ tibi nec Samius, nec sancti charta Solonis
Cumq; Stagirita maximus ille Plato
Informans, oculis tam clara in luce uidenda
Proponet, medio candidiora die.
Temporis hæc testis, nascentia secula mundi,
Regnorumq; uices, fataq; mira refert.
Et quo relligio sit nata propaginis ortu,
Et qua condiderit lumina nocte latens.
Hæc ueri lux, incerto mortalia casu,
Et fluitare uaga semina mole negat.
Omnia sed meritis cura distincta sagacis,
Demonstrat metas ritè tenere suas.
Ordinis usq; adeò custos Deus, ordinis autor
Digerit in numerum singula lege regens.
Præscriptosq; iubet fines seruare profundum,
Libratumq; pari pondere stare solum.
Et iubar alternis Phœbi concedere nocti,
Et mutare stato tempora iure uices.
Quid memorem uindex abolentis ut omnia leti,
Non sinat in cineres nomen abire rogi:
Inclita uicturis intexens facta libellis,
Et uitam reddens post sua fata uiris?
Historiæ meritis uiuit post funera uirtus,
Et tituli famam, qui bene gessit, habet.
Sic memori rex Persarum celebratur ab æuo,
Sic Macedûm fertur laude Monarcha potens.
Parua loquor: uitæ non hæc incauta Magistra,
Quod iuuet, alterius nos docet ipsa malo.
Instruit exemplis orientia tempora priscis,
Nec puerorum instar nos sinit esse rudes.
Gnaraq; præteriti, casus præsaga futuri
Consilijs arcet tristia damna suis.
Auertit clades, & dira pericula pellit,
Siue parata domi, seu metuenda foris.
Supplicijq; metu culpam, facinusq; recidit,
Pectoris & motus imperiosa premit.
Fortunæq; iubet memores, quæ tollit in altum
Obscuros, celebres attenuatq; uiros,
Iras atq; minas spirantem ponere uultum,
Et iactare animis uerba minora suis.
Adde uetustatis quòd nuncia, prodit in auras
Nocte sepulta mala quæ latuere diu.
Omnia Cecropiæ promens secreta senectæ,
Quicquid & abstrusum Roma uetusta tenet.
Et mores hominum ductos meliore metallo,
Et ueterum ritus, iuraq; sancta docens.

DE DIGNITATE AC PRAEstantia historiæ.

Carmen ἐγκωμιαστικὸν Gregorij Bersmani Annæbergẽsis, Professoris Poëticæ in celeberr. Academia Lipsensi, scriptum ad

Opt. Artium Magistrum Reinerũ Reineccium V. Doctiss. atq; antiquitatis scriptorumq; Veterum literatè peritum, amicum S.

Florida Phæacum laudet Pomaria regis,
Hesperidumq; hortos fama loquatur anus.
Sed neq; Pelusij tempe, ditissima terra,
Quam saturans reflua Nilus inundat aqua:
Nec thus sudanti pinguis Panchaia ligno,
Nec generosa uehens amne metalla Tagus,
Laudibus historiæ certent: non India gemmis
Prodiga, non raro uellere Sera tumens.
Sine scis, hæc est orbis commune theatrum,
Exemplis monstrans fasq; nefasq; suis.

Quæ si diuitijs Arabum quis cognita mutet,
Iudice me, Glauco non magis ille sapit,
Aurea qui mutans æratis arma, recepit
Centenos pendens, ter tribus emta, boues.
Quæ laus ergo tuo tribuetur digna labore,
Quæ, REINERE, tuis gratia digna libris?
Qui prima antiquos deducis origine reges,
Atq; nitere facis stemmata fœda situ.
Squalida quæ genitrix annorum infecerat ætas,
Dentibus arrodens triuerat atq; dies,
In quibus &, texens sublimis aranea telam,
Ipsa suum textrix inuida nerat opus.
Assyrios tu pandis auos, modò redditus orbi
Ingenio uiuit Medus, Arabsq; tuo.
Inq; tuis relegit fastis primordia stirpis
Persa suæ, Parthus discit & ipse genus.
Singula quid memorem? tu regna illustria condis
Scriptor, & Aeacidæ ducis in arma stylo.
Iam minus inuideo Romæ, minus inquit Athenis,
Nostra uoluminibus gens celebrata tuis.
Perge precor, REINERE, tui uictura feretur
Fama operis, stellas dum uehet axe polus.

GEORGIVS OSTRACIVS RAconensis, M. Reinero Reineccio Steinhemio, V. Cl. & antiquitatis literatæq; peritiss. amico suo opt. S. P. D.

FRigida Chironis Phaëton per signa meabat,
Et propè lux gelidi prima Decembris erat,
Cùm procul à patria Musarum castra sequentem
Me Phylira lenis uidit Elister aquis.
Vidit, & irrorans uenienti frigidus ora,
Leniter ac rauco murmure lapsus, ait:
Gallia feruenti quem seditione negauit,
Nostra tuis studijs Lipsia portus erit.
Lipsia, quam Pietas, & Mars, & doctus Apollo
Mysniacis celebrem constituêre plagis.
Blanda mihi tacitum penetrabant gaudia pectus,
Lipsia cùm uultu clara notata meo est.
Seu quòd amicorum ueteri tangebar amore,
Seu quòd erat studijs anchora iacta meis.
Inter & hic doctos, ueneror quos gratus, amicos,
Tu, Camerariadum gloria, primus agis.
Proximus es, Reinere, sacri laus maxima Pindi,
Rerum Historiæ cognitione potens.
Historiæ, Assyrijs, Persis, Danaisq; Monarchis,
Gestaq; sub Latijs, quæ memoranda refert.
Namq; fatebor enim, dum nos cultissima quondam
Ad rapidas Oegræ Zaca tenebat aquas:
Te ueterum monumenta graui euoluendo labore
Historicis memini texere rebus opus.
Salanæ pariter, pariter Phylireus Elister,
Leucorides & idem commeminêre Deæ.
O quoties digesta suis hæc scripta libellis
Optaui uario gratus in orbe legi.
Optaui, passim doctis optantibus, illa
Vota sed euentu tunc caruêre suo.
At modò Lipsiacam uolitat rata fama per urbem,
O desiderij nuncia fama mei.
Libera compositos tibi magnis rebus & arte,
Aura quòd aspiciet, te cupiente, libros.
Saluete ô libri, cedroq; & nomine digni,
Inter & ingenuas secla uidete manus.
Vos libri saluete mihi, salue inclyta rerum
Summarum mundi totius Historia.
Vos Charitesq;, nouemq; Deæ, uos Pallas, & amplis
Vos Clarius donis auxit Apollo suis.
Vos hederis, mirtoq; simul, lauruq; decoros
Aeterni Genius temporis esse dedit.
O suaues libros, ô plenos Numine, quanta
Est cultus uestri gratia? quantus honor?
Ite igitur, per & ora uirûm bene docta uolate,
Qui uel agunt uitæ tempora, qui uel agent.
Non uos liuor iners, libri, non sera uetustas,
Barbara non docto tollet ab orbe cohors.
Donec erit fons Pegaseus, iuga laurea donec,
Vestra teret uitam gloria, uester honor.
At te, qui tantos perfers, Reinere, labores,
Debita cum merito præmia fine manent.
Præmia, quæ gemmas Arabum, quæ robur & auri,
Et superant fluxas totius orbis opes.
Ecce Heliconiades iam texunt Laurea Diuæ
Serta tuas iam nunc implicitura Comas.
Hinc tua se doctas diffundet fama per oras,
Cumq; tuis uiues clarus in orbe libris.
Sic Antenorides uiuit, sic uiuit Homerus,
Et uiui, donec Roma manebit, erunt.
Iam te, iam præsens, te postera diliget ætas,
Atq; tuum grato nomen in ore feret.
Et prius Assyriæ, Graiæq; & Persidis ora
Insolita nunquam conspicientur humo,
Ingeniosa tui quàm non monumenta laboris
Ingenua fuerint sollicitata manu.
Fortunate tuo nimium, Reinere, labore,
Grate Deo, Patriæ commode, chare tuis.
Felix, qui similes potis est uulgare libellos,
Historicumq; bonis texere rebus opus.
Non pereunt, quando pereunt, sed uiuida fama
Secla terunt, doctos qui genuêre libros.
Interea, oro, tuis fac quarta Monarchia scriptis
Viuat, & ut possit uiuere, uiue diu.

FINIS.

AVCTO-

AVCTORES, E QVORVM MONVMENTIS SVBIECTAM GENEALOGIARVM EXPLICAtionem contexuimus.

ACRON, interpres Horatij
Aelianus
Aemilius Probus
Aeschines
Aeschylus
Ammianus Marcellinus
Antigonus
Antoninus de uita sua
Antoninus Liberalis
Aphthonius
Apollodorus
Apollonius
Appianus
Apuleius
Archilochus
Aristophanes
Aristoteles
Arrianus
Asconius Pedianus
Asinius Pollio
Athenæus
Augustinus
Aurelius Victor
Ausonius.

B

Bartholomæus Georgeuicius
Basilius Magnus
Beatus Rhenanus
Berosus
Biblia
Boccatius.

C

Cælius
Cæsar
Calaber
Capitolinus
Casparus Peucerus
Cassiodorus
Cato de originibus
Catullus
Cedrenus
Chronica Saxonica
Chronologia Funccij
Cicero
Claudianus
Clemens Alexandrinus
Crancius
Ctesias
Curtius.

D

Dares
Demosthenes
Dictys
Diodorus Siculus
Diomedes Grsmmaticus
Dion
Dionysius Alexandrinus
Dionysius Halicarnasseus
Donatus Grammaticus.

E

Egnatius
Epiphanius
Epistolæ Philippi Regis
Erasmus Roterodamus.
Euripides
Eusebius
Eustathius
Eutropius.

F

Fsbius Pictor
Florus
Franciscus Fabricius
Fulgentius.

G

Gellius
Georgius Fabricius
Georgius Gemistus

H

Hayto Armenius
Hegesippus
Herodianus
Herodotus
Hesiodus
Hesychius
Hieronymus
Hirtius

AVCTORE.

ELEN-

ELENCHVS, COMPRAEHENDENS OMNES INSCRIPTIONES SEV TITVLOS FAMILIARVM AC STEMMATVM, QVAE IN

Tabulis trium priorum Monarchiarum continentur, secundùm ordinem Alphabeti.

Finis Elenchi inscriptionum Tabularum.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

QVAM sit operosa tabularum expreßio, dici hic à nobis opus non est: & ferè ipsarum operarum diligentia in laboribus eiusmodi ceu hebescere consueuit. Itaque cùm ab iterata lectione σφάλματα quedam tam characterum quàm ramorum in linearum ductibus deprębendissemus, indicandum id censuimus, & indicauimus quidem libentiùs, quo incommodo huic occurri facilius posse, cernebamus. Præstat enim hoc ipsum σύνταγμα, in quo familiarum propagines explanantur diligentißimè: Cùm easdem tabulas huius tanquam σύνοψιν auctor esse noluisset. Restat, lector opt. hanc tot scriptorum & antiquitatis omnis καὶ εἰσαγωγὴν καὶ ἐπιτομὴν in partem bonam accipias, & beneuola fruitione in eliciendis ijs, quæ de cæteris regnis auctor meditatur, studium eius tum confirmes, tum excuses. Vale.

INDEX

INDEX OMNIVM

proprioriorum nominum, Regum, Familiarum, Regnorum, quæ in hoc opere continentur: ubi hoc obseruandum est, quòd prior numerus folium, posterior Tabulam denotet.

alexan-

dri

ariaspes

E

I

iberiæ

lynceu-

mithrada-

N

Pacorus

P

philip-

de Pyrrhi-

sisygam-

telema-

timeas

FINIS INDICIS
huius operis.

PRIMA MONARCHIA, QVÆ EST REGNVM CHALDAEORVM ET ASSYRIORVM.

DE CHALDÆORVM ET ASSYRIORVM ORIGINE: DE MONARchiæ initio & poſſeſſoribus primis: quæ familiarum in hac propagatio, interitus, conſuetudines.

QVIA monarchia prima Aſſyriorum & Chaldæorum cenſetur imperio, neque alia illi diſtincta regna tenuerunt, de utriſque ſimul explicandum hoc loco duximus. Atque originem gentium iſtarum primùm ut explanemus, retulit de nomine Chaldæorum Stephanus fabulas diuerſas. Quibus omiſsis, deducimus nos cum Ioſepho propaginem eorum ab ARPHAXAD, filio Sem. Inde enim & denominatio prima, ARPHAXADÆI, extitit, ut meminit idem Ioſephus. Etſi à quo altera & noua, CHALDÆI, manârit principio, non adijcit. Sunt autem de ea noſtri temporis hominum doctorum coniecturæ exquiſitæ, qui faciunt Ebræum Chaſdim, & interpretãtur depopulatores, nempe à prædandi & latrociniorum conſuetudine, quam inuectam à Nemrodi ſocijs Titanibus & Gigantibus, & ipſi fortè deinde retinuêre. Nam huius rei argumentum non obſcurum præbet hiſtoria Iobi cap. 1. Nec deſunt de denominationibus eiuſmodi exempla hiſtoriarum ſimilia de Quadis Germanis, Pæonibus Græcis, Velicis Henetis. ASSYRIOS aliqui à Syris nõ diſtinguunt. Id quod ut de nomine facilè conceſſerim, ſic de origine inficior prorſus. Quam & ipſam fabuloſè traditam à Græcis, referimus cum Ioſepho & Euſebio, ſequentibus nimirùm ſanctæ ſcripturæ auctoritatem, ad ASSVR, filium Sem. Neque enim nominis enunciatio, quam Euſtathius ἄσσυρις fecit, quicquã diſcrepat: & quod Dion addit, Aſſyriam à barbaris Attyriam nuncupatam, à dialectis ortum opinamur, qua de re exemplis à nobis alibi pluribus explicatũ. Quanquam Strabo Aſſyriam tantùm prouinciam Aſſyriæ uideri uelit. Et Solinus tam Aſſyrios, quàm Meſopotamios etiam Babylonios nominauit. Quod nimis licenter dictum, relinquimus: nam propriè nomen id ad Chaldæos pertinet.

MONARCHIÆ initium extitit in Chaldæis, auctore alienigena NEMRODO. Qua de re additã ab alijs expoſitionẽ quandã, de-

lectis in Sennaara à posteris Nohæ, quem uixisse tùm adhuc uolunt, principibus, IECTANE, PENACHO, NEMRODO: & arrepta ab hoc inde occasione, ut prioribus duobus cum gentilibus suis, post infelicem turris Babylonicæ extructionẽ, & linguarum inde natam confusionem, in terras alias dilapsis, Babylone manserit, & potestatem illam auctã urserit uehementius, omitto. Hoc constat, uirum illum, qui ut ingenio ferox, ita imperij honorumq́ue cupidissimus esset, artibus haud obscuris isthuc contendisse. Cumq́ue adeò de inflatu ipsius turris Babylonica exædificata sit, credibile est, etiam munitione aliqua καὶ ὁρμητηρίῳ eadem uti ipsum sategisse. Eum enim animum suum inde satis detexit, quòd sequi gentiles in coloniam noluit, & manum facere apertè cœpit: cùm isti fortè instituto suo prætexerit, studium reprimendi facinorosos, qui contempta parentum & seniorum auctoritate, grassari iam passim cœperunt. Neq́ue prætermissum ab homine callidè ambitioso uidetur decretum diuinum, quod à
» diluuio promulgatum ad Noham fuerat: Qui fuderit sanguinem hu-
» manum, eius sanguis fundetur ab homine. Hoc enim præcipuè magistratum institui, muniri, confirmari, certum est: Cùm antea pœna summa fuisset exclusio à sacris & familia. Habet igitur imperiũ hoc monarcham primum NEMRODVM. Cuius socij atq́ue commilitones significari creduntur appellationibus ueteribus, Gigantum & Titanum. Enimuerò de θεομαχίᾳ Gigantum impiã fabulam, quos congestis montibus ascendere in cœlum, & inde Deos deturbare conatos, fulminibus confecerit Iupiter, ab extructione turris Babylonicæ profectam, dubium nullum est. Neq́ue significato, sed linguis differunt eædẽ appellationes, Titanes & Gigantes, quarum illa est ab Ebræo Tit, terra, hæc Græcum γηγενεῖς, id est, de terra geniti. Vt augurari liceat, allusum ad primam generis humani originẽ, cuius autor Adamus de terræ limo conditus fuit. Inuenias tamen hac Assyriacæ historiæ parte auctorum discrepantiam multiplicem, adeoq́ue quoddam intricatiss. opinionum ueluti pelagus. Ac solus quidem in profanis scriptoribus Berosus, quem sequuntur Archilochus & Metasthenes, monarchiam orditur à NEMRODO, quem & Saturnum Babylonicum uocat: sed simul mansisse, eandem posteris censet, qua de re eiusmodi ex-
» tat Nini epitaphium apud Xenophontem de Æquiuocis: Mihi pater
» Iupiter Belus, auus Saturnus Babylonicus, proauus Chus, Saturnus
» Æthiops, abauus Saturnus Ægyptius, atauus Cœlus Phœnix Ogy-
» ges, &c. Alij regem primum nominârunt BELVM: cuius originem retulisse Augustinus uidetur ad Sem: Cæteri enim, tametsi de gente & loco, ubi imperauit, dissidentes, quidam Babylone, quidã in Assyrijs regnasse uelint, filiũ tamen & ipsi Ninum ei attribuunt, indeq́ue

successo-

ſucceſſores usq; ad Sardanapalum propagant. Alij deniq;, ut de gente, hoc eſt, Aſſyrijs, conueniunt, ita Ninum faciunt Aſſur, filium Sem, & regni ab eo initium ſumunt, ſed bifariam: Aliqui enim etiam ante ipſum regnatum affirmant, ſed reges illos indigenas nuncupant: aliqui regiam poteſtatem omnium primum uſurpaſſe, contraq; auitum gentium morem bella intuliſſe finitimis, tradunt. Quò pertinet quod ſcripſit his uerbis Velleius: Aſſyrij principes omnium gentiũ rerum " potiti ſunt. Sed hæc ad fundamentorum illorum reuocata euiden" tiam, quæ in ſacrarum literarum fontibus traditur, dijudicare difficile non fuerit. Cum quibus quia conuenit planiſsimè de Nemrodi imperio Beroſus, diſcedendum ab eius ſententia non eſt. De cæteris potior tot auctorum exiſtimanda auctoritas: Qui tamen cùm & ipſi tantopere inter ſe diſcrepẽt, primum de ſucceſſore Nemrodi, B E L O, probabiliter hoc credi poſſe cẽſemus, genus eius eſſe à Sem, &, ſi quid dandum coniecturis, rectè A R P H A X A D V S, gentis Chaldææ princeps, accipitur. Is enim fortè tantæ audaciæ, alieniq; imperij inſolens, bello hoc à Nemrodo recuperauit. Certè regiã ipſum Babylonem retinuiſſe, conſtat: & meminit Beroſus inſidiarum Beli in Saturnum, ſeu Nemrodum. Qua de re opinio ea noſtra eſt, ut, quia Saturnus etiam Titanibus accenſetur, ſeu potius his atque Gigantibus militibus uſus eſt, & Belus Iouis cognomento celebratur, extitiſſe inde figmentum crediderim, de Iouis bello contra patrem Saturnum & Titanas. Sicuti fabulæ alteri de Saturni in Cœlum patrem facinore, cui falce uirilia præſecuerit, Chamę (is Nemrodum nepotem habuit) in Noham patrem impietas ſcelerata, præbuiſſe originem uidetur. Cætero quin denominatio Belus, tantùm dignitatis extitit. Vnde eſt quòd & Ægypti regi cuidam tribuitur, cum quo quidem Seruius Aſſyrij huius hiſtoriam ineptè confundit, ita ut etiam D I D O N E M ab eo, ſed generis ijs gradibus, quos uel temporis ratio ſuſpectos reddit, propaget. Et apparet hinc Diodori natum errorem, qui à Belo Ægyptio cõditos Magos, cenſet. Addidit præterea Theophilus Antiochenus, eadem eſſe nomina Bel & Baal, quæ exprimuntur Latinis dominus, princeps. Id quod argumento eſt, quanta regum orientalium fuerit arrogantia: quippe qui numinis, quod in præcipuis primum colerent, hoc eſt, Martis, ut tradidit Suidas, ſibi uſurpare nomẽ auderẽt. Vt minus iam regum Perſicorum adorationis inſtitutum, & affectata ab Alexandro originis diuinæ eminentia, uideri mira poſsit. Ac nota ueterum Adadorum in Syria uanitas ex Macrobio, nota item Arſacidarum è Marcellino: quorum illi à Deo Adad, quem interpretatione nominis Vnum, ſummum maximumq; uenerarentur, hi præter inſolentiſs. regis regum titulum fratres Solis & Lunæ dici uoluerunt. Etſi

neq; id negârim, gentium iſtarum linguas atque idiomata, locutiones eiuſmodi admiſiſſe, ita ut nomen Baal ſignificato communius extiterit, & uiris etiã illuſtribus tributũ fuerit. Huc enim Suidæ de THVRA narrationem, de qua pôſt agemus, pertinere arbitror. Cùm quidem & literæ ſacræ à munere diuino magiſtratui Dei nomen communicent. Quod ad oracula ſua transferendo malignus ille ſpiritus, primum Lycurgum Laconem, pôſt Ptolemæum Lagi Deum ſalutauit. Sunt tamen, qui & nomen, & cultum Iouis Beli uel Baal ad Ninum retulêre auctorem, nempe ab erecta patri ſtatua, cui diuinos honores tribuerit. Sed hoc argumentis ueris nullis nititur. Atque ad Ninum expoſitio iam noſtra ut pergat, omninò in eorum malo ire ſententiam, quibus Ninus Aſſur eſt. Cur enim à ſacrarum literarum auctoritate manifeſta diſcederemus? In quibus quod relictũ è circumſtantijs quibuſdam omiſsis, uideri poterat dubium, ſuſtulit interpretãdo
» Ioſephus. Et Suidas inter cætera inquit: Aſſyrij dicuntur ab Aſſur, fi-
» lio Sem, nepote Nohæ, qui Aſſur primus urbem magnam, Niniuen
» poſtea dictam, condidit. Accedit huc, quod Xenophon in Aequiuocis proprium Nino nomen, Aſſyrius, cognomẽtum Ninus fuiſſe, ait. Vt ratione hinc probabili conijcere liceat, non minus propinquitatẽ quàm uirtutem Nino commendaſſe Semiramidem. Amplectimur enim quod aliqui aſtruunt, genitam hanc patre Sem. Nam præterquã quòd nomen ipſum iſthuc alludit, etiã Diodorus alumnũ eius SIMMIDAM facit, quod eſt deprauatum nomen Sem. In bellis Nini idem Diodorus etiam Babylonicum memorat: Id nos de Belo accipimus, & hac ipſa occaſione monarchiam à Chaldæis ad Aſſyrios tranſlatam, cenſemus. Nec dubiũ eſt, hanc condendæ Nini regem illũ cauſam arripuiſſe, cùm forte in terra hoſtili regiam Babylonem dedignaretur. Nam quòd Semiramis iterũ Babylonem prætulit, camq; inſtauratam amplificauit, ad id quadam gloriæ æmulatione accenſa uidetur. Neq; ſi huc ſpectemus, perperam ſenſiſſe illi cognoſcuntur, qui primum mortalium regnaſſe in Aſſyrijs Ninum uolunt: Fuit enim prima in Aſſyriorum regibus Nini familia. Etſi quod de Monarchiæ initio & Aſia omni ab eo ſubacta, attexitur, repudiamus. Rectius enim Suidas ἀσσυρία: Aſſyria, inquit, uetuſtum imperium, quod ad fabuloſa tempora refertur, exiguam Aſiæ partem tenuit, &c. Nec fides Iuſtino debetur, qui ante Ninum Aſiam Scythis uectigalem fuiſſe, ait. Id uerò obſeruatu cum primis dignum eſt, quod legimus apud Oroſium, ſcriptores & Græcos & Latinos, ſcribendi initium feciſſe à Nino. Nam hoc ita confirmat Macrobius, ut nihil præclarum ante cum in literas relatum, dicat. Nec ſanè de hiſtoria eius reliqua diſcrepantium opinionum pugna ulla occurrit. Tantùm de morte uariat Plutarchus,

& à

& à coniuge Semiramide, cui potentiam nimiam permiſiſſet, cæſum, narrat. Quæ eadem attigit ex Athenienſibus ſcriptorib. Diodorus, & meminêre Ælianus ex Dinone Hyginus fab. 240. Sed hæc ſuis merito relinquũtur probanda auctoribus: neq; parricidio uel fraude (nam & hoc aliqui tradidêre) ſed legato regnum Semiramidem adijſſe, credimus. De cuius origine & nomine, ut expoſitæ paulò antè à nobis ſententiæ, ſubijciamus iam mentionem figmenti de columbis altricibus, & ipſa in animal idem mutata, uidetur ſpectare id ad hiſtoriam diluuij. In huius enim memoriam & columba fortè inſigni ipſa uſa eſt, & uſurpandum item ſucceſſoribus reliquit. Quò referunt aliqui locum Ieremiæ: Fugite à facie gladij columbæ. Etſi Diodorus etiam no- « men Semiramis è lingua Aſſyriaca columbam interpretatur. Neque omnino de rebus geſtis eius conuenit cum cæteris ſcriptoribus Suidas, quæ omitto. Certè de Babylone cautiùs differentes, Euſebius, Auguſtinus, Oroſius inſtauratam tantummodò ab ea uolunt. Addidit de morte Hyginus, eam in Babylonia, equo amiſſo, in pyram ſe conieciſſe. Cæterùm redit poſt Semiramidem regnum ad filium NINYAN. Cuius poſteritatem perpetua ſucceſsionis poſſeſsione uſque ad Sardanapalum id retinuiſſe, Strabo, Diodorus, Iuſtinus, Suidas auctores ſunt. Et pertinet huc, quod ſcripſit Velleius, natũ SARDANAPALVM à Nino & Semiramide loco tertio & triceſimo, ita ut ſemper ſucceſſor regni paterni eſſet filius. Quod tam diſerta mentione alibi nuſquã traditũ, non poteſt non antiquitatis ſtudioſis gratiſsimum eſſe. Cùm quidem is regum numerus conueniat cum Metaſthene & Euſebio. Nam Beroſi expoſitio in Aſcatade deſinit, & qui hũc excipit Manetho, reges aliquot omittit. Ac meminit Diodorus, à Cteſia poſt Ninyã regũ nomina pręterita, quòd memoria dignũ nihil geſſerint. Quod quàm abſq; ratione dicatur, Oroſij teſtimonio planũ fit, qui nunquã ferè inde uſq; ad Sardanapalũ, uel inferẽdis, uel excipiendis bellis, eos ceſſaſſe, ait. Nec minus idẽ Diodorus in eo hallucinatus eſt, quòd Teutanem fecit à Nino uiceſimũ, Sardanapalum triceſimum. Vt dubitare etiam meritò liceat de Orbaco, quem cum Sardanapalo Strabo nominat. Etſi ego potius nomen hoc temerè ab indocto librario adiectum, opinor. Floruit autem in Nini poſteritate poſtremus Sardanapalus: nam euerſo ipſo, ceſsit Aſſyriorum imperium Phulbelocho. Et explicauit de regis illius hiſtoria omnium diligentiſsimè è Cteſia Diodorus. Ariſtoteles enim & Iuſtinus uariant: & diſcrepant inter ſe & ab alijs expoſitiones Duris, Ariſtobuli, Clitarchi, quæ extant apud Athenæum.

Eſt ergò ſecunda in regno Aſſyriorum familia, ſtirps atque progenies PHVLBELOCHI. De cuius hiſtoria ideò minus labo-

ramus, quòd diligenter prætractetur in sanctæ scripturæ libris, unde fide optima repetijt Iosephus. Et perspicitur hinc euidentissimè Diodori & Cedreni error, quorũ ille solam Babyloniã permissam Phulbelocho, hic Assyriorũ reges inde ab Arbacis tẽporibus Medis paruisse, tradunt. Etenim tam ipse, quàm è posteris successores cæteri perpetuò Assyriæ reges nominantur, & ita nominãtur, ut potẽtia ipsorum haud paulò illustrior indicetur. Quãquã fortè imponere Diodoro potuit, quòd Phulbelochus Chaldæus fuerit: Quò referatur, quod scripsit Eusebius, post necẽ Sardanapali præualuisse Chaldæos. Nec minus labendo impegit Orosius, qui ut Phulbelochi non meminit, ita Babylonios defectione ab Arbace partem imperij retinuisse, asserit. Sed notabilis omnium maximè est Eusebij incogitantia, quippe qui Salmanassaris & Sennacheribi historiam ita cõfuderit, ut reges duos pro uno accipiat. Finit autem Phulbelochi familiam A S S A R-H A D D O N: Is enim ciuilibus fratrum bellis exhaustus, ceu exanguis tandem à Merodacho opprimitur.

Regnat igitur in hac serie numero tertia familia M E R O D A-C H I, sed in prouincia & natione diuersa. Quia enim patria ille atq; origine Chaldæus erat, Babylonẽ regni sedem retinuit: ut ceu postliminio ad gentẽ & urbem redijsse imperiũ uideatur. Estq; inde, quòd Reges hi nuncupantur in literis sacris Babylonici: Cùm quidẽ Ninũ etiam haud multò pòst funditus deleuerint Medi. Variatur autẽ de Merodachi posteris & successoribus actorũ sententijs mirificè. Nam alij ut Benmerodachum & Nabochodonosora I. prorsus omittunt, ita Nabochodonosora Magnũ à familia hac excludunt, & plebeiũ faciunt. Alij errore adhuc fœdiore eundem Nabochodonosora M. Salmanassari, quem etiã Sardanapalũ uocant, filiũ affingunt. Sed hęc longè falsissima, neq; argumẽto ullo nitentia, impugnamus ex Beroso & Metasthene, quorum illius de Nabochodonosore I. testimonia geminа recitantur à Iosepho lib. 10. Ant. cap. 11. & cõtra Apionem lib. 1. etsi hoc posteriore loco nominat Nabulassarum. Sanè exigit eam genealogiam atq; successionem uel ipsa tẽporis ratio: de qua quia exquisitę extant Funccij obseruationes, nos quicquam ut adijciamus, opus nõ est. Et credimus cum eodem Funccio, M A N A S S E M regẽ potius à Benmerodacho, quàm à patre Merodacho, qua in sentẽtia Suidas est, interceptũ. Neq; enim paternæ amicitiæ memoria tam citò excidisse huic uidetur. Quandoquidẽ renouatã eam cum Iudaicis regibus fœderibus firmioribus I O S I Æ historia arguat. Quòd uerò rursus ex Beroso Iosephus qui cum cõueniunt Alexander Polyhistor & Alphæus apud Eusebium lib. 9. de præparat: Euang. cap. ult. Euilmerodachi successorem facit N I R I G L I S S O R O O R E M,

sororis

ſororis maritũ, quo genitũ Laboroſardochum, ueneno'que necatũ, exceperit Nabonidus quidam, à Cyro Babylone deditione captus, & in Carmaniã relegatus, id ceu ex diametro cum ſacrarũ literarũ ueritate pugnãs, meritò reijcitur. Quippe à quo ipſe etiã opinione duplici diſſentiens, alibi Euilmerodacho Nigliſarem progenitũ atteſtetur: & filium huic itidem Laboſardachum tribuat, pronepotẽ Balſaarẽ: alibi uerò Iudæos Nabochodonoſori & poſteris, non tamẽ obſeruatis de hiſce generis gradibus, annos 70. ſeruiuiſſe, dicat. Cum'que futurũ prædixerit Ieremias cap. 27. ut Iudæi ſeruirent regi Babylonis eius'que filio, filij'que filio: nos ex eodem Ieremia & libris regum, Nabochodonoſori filium Euilmerodachũ ſucceſſorem ſubiungimus, & liberos Euilmerodachi at'que ſucceſſores cum Metaſthene facimus, Regaſſarẽ, Labaſſardochum & Baltaſſarem. Ne'que cum hac ſententia etiam Herodotũ conciliare difficile fuerit. Etenim Labyniti nomen, quod de Baltaſſare ille retinuit, cognomentũ acceſsiſſe ipſi uidetur. Niſi fortè quis ad Labaſſardochum alluſum eo malit: quomodo & in eo ſcriptor hic ſatis craſſè labendo impegit, quòd & patrem Baltaſſaris Labynitũ appellauit. Etſi quod de coniuge Nitocri addidit, ei facilè locũ damus. Extinguitur autẽ Merodachi poſteritas, & finitur monarchia in BALTASSARE. Hoc enim perempto, ceſsit Babylon Medis & Perſis. Cæterùm de Chronologia familiarum harum non debuimus non id adhuc unum commemorare, ſequi nos omnino Funccium. Ac de Nini quidem ſtirpe tantum biennio diſcrepant Euſebius & Auguſtinus. Alij ſententijs alijs uariant, in quibus Herodotus de familia illa collegit annos tantummodo 500. Diodorus 1360. Iuſtinus 1300. Oroſius 1160. Paterculus 1070. Neque immerito de Phulbelochi familiæ regno fides Metaſtheni derogatur: eſt'que quod item hac parte de Merodachi poſteritate at'que Chronologia in Ioſephi hiſtoria deſideretur, quod alibi explicatum hîc prætermitto.

CONSVETVDINES monarcharum horũ ſunt obſcuriores. Docent ſacra biblia, ſalutari reges magnos uoluiſſe: qua de re nota ex Eſaia, Ezechiele exẽpla de Sennacheribo & Nabochodonoſore: & retulit idem de Nino Oroſius. Regia primos, Nemrodum & Belum, Babylone uſos legimus. Sed Ninus, condita urbe ὁμωνύμῳ, ut magis ea coleretur, & ipſe domicilium ibi habuit. Ac tametſi iterum Babylone conſedit Semiramis, & in matris fortè honorem remanſit ibi aliquandiu Ninyas F. pòſt tamen Ninum repetijt: & uertunt idem in exemplum poſteri. Vndè cùm iam creuiſſet illa mirificè, neque Phulbelochi familia eam regni ſedem dedignata eſt, uſ'que ad Aſarhaddonem. Nam qui hunc expulit Merodachus, ſeu patriæ amore quodam, ſeu quòd minus Aſſyrijs fideret, Babylonem prætulit. Eſt'que

hinc, quod è Nini & Phulbelochi prosapia reges, Assyrij: Merodachi uerò successores, Babylonij nuncupentur: etsi & Phulbelochum gente Chaldæum fuisse, constat. Sepulturam Assyrios reges aliquot ad Babylonem habuisse, docet Arrianus lib. 7.

FAMILIÆ MONARCHARVM CHALDAEORVM ET ASSYRIORVM.

¶ NEMRODVS, filius Chus, nepos Chamę, pronepos Nohæ: primus mortalium imperium & potentiam regiam affectat. Ad quam ut facinore aliquo illustri sibi pararet aditum, turris illius Babylonicæ altissimæ, qua euitari in posterũ diluuij pericula possent, condendæ auctor fit, eaq; re cœlesti numine offenso grauiter, horribilẽ illã linguarũ confusionẽ introducit. Nec minus in suo urgendo instituto perseuerans, patris societatẽ in colonia deducenda detrectat: Babylonem in Chaldęis exædificat: Cumq; crescente licentia, spernerẽtur iam paterna imperia, per uiros fortes, quos Gigantum & Titanum nomine celebrat antiquitas, ui obedientiã extorquet, & bella pro imperio amplificando ea animi magnitudine, prudẽtia, cõsilio gerit, ut FORTIS VENATORIS CORAM DOMINO nomẽ tulerit. Genes. 10. Iosephus, Eusebius, Augustinus, Orosius. Ab Archilocho & Beroso Saturnus Babylonicus nominatur, de cuius nominis usu plura Xenophon de Æquiuocis. Suidas hæc de eo tradita habet:
„ Nebrod seu Nebrodes, nomen eius, à quo Gigantes ortũ habent, &c. In uaticinio Micheæ Babylonia de hoc rege Nemrodica terra dicitur. De Gigantibus & Titanibus, Nemrodi cõmilitonibus, plura annotauimus in cõment. de origine Nobilitat. Tribuũtur ei imperij an. 56.

¶ BELVS, alio nomine, quæ nostra sententia est, ARPHAXADVS, Nohę, è filio Sem, nepos, tenet monarchiã post NEMRODVM: Babylonẽ arce munit: excolit syderalem scientiã: atq; ut plerique tradidêre, post obitum Deus ab Assyrijs nominatur. Moritur anno regni 62. qui fuit annus ætatis THARÆ, geniti ab eo loco octauo, uicesimus octauus, seu ut habent alij 65. & Babylone tumulatur. Archilochus, Eusebius, Plinius, Solinus, Marcellinus, Augustinus. Ab Orosio regnasse obscurè dicitur. Plinius templum eius, quod præclarè ab Herodoto describitur, etiam suo tẽpore, superfuisse, memorat. Et censet Curtius, ipsam Babylonem ab eo conditam: quod ita intelligatur, ut Græci idem de Semiramide affirmant. Lactantius annos 322. bello Troiano antiquiorem facit. Quomodo sepulchrum eius aperuerit XERXES, idq; illi calamitates pòst in Græcia accepta

ptas

ptas portenderit, Ælianus tradidit uariæ histor. lib. 13. cap. 3. Strabo
eadem de re hæc annotauit: Horti, inquit, super flumine sunt, ubi e- «
tiam Beli sepultura est, nunc eruta, quam Xerxes eruit, ut fertur: Ea py- «
ramis quędam erat quadrata, ex latere coctili structa, stadij altitudine, «
cuius quodque latus stadium obtinebat. Hanc Alexander reparare uo- «
luit: sed cùm multi laboris esset, & multi tẽporis (nã solùm ad expur- «
gandam terrã 1000. hominũ duobus mensibus opus erat) quod ince- «
perat perficere nõ ualuit. Ilico enim morbus & mors cõsecuta est, &c. «

FAMILIA NINI, QVÆ IN AS-SYRIIS MONARCHIAM TENVIT ANN. M. CXCVII.

I. A S S V R, cognomento N I N V S, æmulatur Nemrodi glò-
riam & fortitudinem bellicam: copias conscribit è suorum fortissimis:
eripit imperium Chaldæis: & Babylonem regiam aspernatus, N I-
N V M seu Niniuen de suo nomine exędificat. Cumque ex eo successu
etiam uicinas prouincias cęteras animo complexus esset: regem Ara-
bum fœdere sibi adiũgit: Armenios facere imperata cogit: expugnat
Medos: & uictoriarũ cursu felicissimo Asiã usque ad Bactrianos subiu-
gat. In quos post modo expeditione infelici prouectus, audẽtius eam
renouat, & cum Z O R O A S T R E rege uictos, S E M I R A-
M I D I S uirtute in potestatẽ redigit. Ideò amore exinde hanc incre-
dibili amat, & abductã à marito Menòne cõiugẽ ducit. Perijt in urbis
cuiusdã oppugnatione ex ictu sagittæ, & regnũ Semiramidi relinquit:
cùm imperasset annos 52. Berosus, Diodorus, Strabo, Eusebius, Sui-
das, Eustathius, Fabius Pictor, Iustinus, Marcellinus, Augustinus, Cas-
siodorus. Orosio & Plutarcho Rex Magnus dicitur: & ille quidẽ nu-
merat ab Adamo usque ad imperiũ ipsius annos 3184. Quam Chrono-
logiam falsissimã discutiendam alijs relinquo. Addit idem ex Eusebio
regni eius annò 43. natum Abrahamum (Augustinus habet 40.) & a-
libi à se ipso dissentiens, regni annos 50. ei attribuit. Ninus urbs ὁμώνυ-
μος in sanctæ scripturæ libris nominatur Niniue, quam interpretan-
tur aliqui Nini domum: ut sit compositionis deriuatio ea, quam obser-
uare in lingua Germanica licet, à uoce Haus. Eadem tamen Stepha-
no & Suidæ Ninoẽ est: etsi hic quidem perperam eam in Cariam col-
locat. Sunt qui & nomen Ninus reddant significatione patris: cùm
Xenophon ex Assyriorum lingua Iouem exponat. Meminit è Ctesia
Diodorus, fuisse in exercitu Nini, quo oppugnârit Z O R O A-
S T R E M, peditum 1700000. equitum 200000.

C O N I V G E S Nino Diodorus duas attribuit: primã ἀνώνυμον,
è qua

è qua filiam nominat Sosanen: alteram SEMIRAMIDEM, quæ filium edidit NINYAM. Etsi de hoc ita uariat Orosius, ut conceptum flagitiosè, expositum impiè, cognitum incestè dicat: quod omitto. Cæterùm quia uirtus Semiramidis insignis fuit, eaq; regnum Assyriorum fama nominis illustri administrârit, præteriri hîc à nobis historia eius non debuit.

¶ SEMIRAMIS, fœmina uirtute & forma præcellenti, nubit Menoni, præfecto Nini: & liberos ei Iapetem & Idaspem enixa, ad bellum Bactrianum comes asciscitur. Quo tempore cùm audendo fortiter Bactrorum expugnandorum fecisset initium, ita Regi se commendat, ut coniux ab eo posceretur, & marito Menone quadam amoris impatientia spontè uitam abrumpente, ducta proximus fit. Neque desinit deinde tantam fortunam factis dignis condecorare, seu prudentiæ uirilis seu pudicitiæ matronalis laudem spectes: & Regem ijs obsequijs demeretur, ut regnum ab eo legatum acceperit. In hoc primum illud memorabile egit, quòd Babylonem instauratam tum amplificauit, tum muniuit atq; ornauit: conditis arcibus duabus pulcherrimis, & muro magnificentia tanta circumducto, ut inter septem orbis spectacula locum promeruerit. Quanquam alij hoc ad Obeliscum transtulêre, quem lapidem fuisse accepimus longitudine pedum 150. latitudine 24. Hinc Mediam & Persiam perlustrat: uastat Ægyptũ, Æthiopiam & Libyam: & adito ibi Ammonis oraculo, è Bactris Indiam tentat, collecto ad id bellum exercitu peditum 1300000. equitum 500000. Cumq; prælio nauali in Indo flumine facta superior, terra etiam fortunam tentasset, strage ingenti profligatur, & fuga in regnum reuersa, seu uulneribus bello eodem acceptis, seu filij scelere occumbit: anno regni 42. ætatis 62. Berosus, Archilochus, Diodorus, Strabo, Plutarchus, Arrianns, Eusebius, Suidas, Iustinus, Curtius, Augustinus, Orosius, Cassiodorus. A' mariti obitu uixisse incontinentiorem legimus, utpote quæ ad concubitum uiros in castris forma & decore præstantissimos legere solita sit, ac deinde necârit: nec desunt qui iugulatam à filio existiment, quia hunc etiam ad flagitium idem solicitare ausa esset. Quibus addidit Orosius, edicto nefario præcepisse, ut inter parentes & filios, nulla delata naturæ reuerentia, de coniugijs appetendis, ut cuique libitum esset, liberum fieret. Cùm sepulchrum
„ sibi condidisset, inscribi hæc iussit: Quicunque rex indiguerit pecu-
„ nijs, aperto sepulcro, quantum opus est, capiat. Aperuit autẽ primus Darius, & pecunias quidem non inuenit, sed in huiusmodi scripta in-
„ cidit: Nisi uir malus esses, & pecuniarũ inexplebili desiderio flagrares,
„ haud sanè mortuorũ loculos cõmouisses, ut auctor est Stobæus. Nã Herodotus eadẽ de NITOCRI tradidit. Suidas inter Ethnica numina

Rheæ

Rheæ nomine cultā censet: & memorat aggeres ipsius ab Herodoto descriptos, spectasse cū admiratione Traianū. Qua celeritate Babyloniorū defectionē represserit, Valerius narrat lib. 9. cap. 3. Habet simile quiddam Polyænus lib. 8. qui & Rhodogunen nominat, & reges Parthorum imagine eius, disiectos habēte capillos, usos insigni, ait. Apud Marcellinum legimus, Semiramidem primum Eunuchos fecisse, de qua eadem re Claudianus in Eutropium lib. 1. Celebratur à Propertio lib. 3. De Derceto Dea (aliis est Atergatis & Dercetis) quę Semiramidi genitrix in fabulis tribuitur, Lucianus de Dea Syria, Diodorus, Strabo, Athenæus, Ouidius.

S O S A N E, Nini filia, offertur pro Semiramide coniux Menoni. Diod.

II. N I N Y A S, educatur à matre mollius, & Ammonis oraculo ei insidiator prædicitur. Hoc in scelere pōst deprehensus, indulgentia eius & uitam, & regni successionē retinet. Ac parto imperio cōtentus, belli studiū deponit, & totus uoluptatib. obscœnis immergitur. Qua ex re ne uel ipsius contēptus aliquis, uel rebellio nasceretur, quotannis militem nouū prouinciis imperat, & nationi cuiq; ducē ex iis, quos secum haberet, prudentissimū præficit. Moritur anno regni 38. Berosus, Diodorus, Eusebius, Iustinus, Augustinus, Cassiodorus. Sunt qui à Mose Gen. 14. nominari A M R A P H E L existiment. Vbi cum regnū ipsi Senaar, hoc est, Babylonia tribuatur, etiam Babylone aliquandiu regia usum, apparet. Athenæus lib. 12, cap. 12. è Ctesia deliciarū notat atq; mollicici, quiq; à nemine, nisi ab Eunuchis & mulieribus se conspici passus fuerit. Idē Phœnicis Poëtæ in eum Iambos acerbos recitat cap. seq. inter quos & ille memorat: ἄριστος ἐδίων καὶ πίνων, τὰ δ' ἄλλα κατὰ πετρῶν ὦθει. Aliis Ninus, aliis Ninius, aliis Zameis Nanias dicit. Quę de parricidio in matrē nōnulli memorāt, suprà exposuimus.

N A S C I T V R Ninya filius Arius, cui ab Eustathio fabulosè additur Cappadox, autor nominis Cappadocum. Neq; enim ad tantam Assyriaci imperii fines excreuisse amplitudinem, constat. Estq; dè Cappadocum denominatione haud minus culpandus Plinius, qui à fluuio Cappadoce eam propagauit.

III. A R I V S, regn. annos 30. Compescuit rebellantes Bactrianos, & Caspios uictos uectigales fecit. Berosus, Metasthenes, Eusebius, Augustinus, Cassiodorus. Suidæ T H V R A S esse uidetur, ut antecessor Ninyas, Ninus. Quē locū tametsi ob Caucasi fabulā nōnihil suspectū, tamen præclarè de uirtute eius testificantē, subiicio. Thuras (inquit) post Ninū in Assyria regnauit, cui nomē planetę Martis indiderūt. Homo fuit acerrimus: belloq; Caucaso tyrāno illato, ex Iapeti stirpe oriundo, eū sustulit. Hūc Assyrii ut Deū adorārūt, & sua lingua Baal,

Baal,id est,Martem appellârunt,bellorum prçsidem,cuius etiam Daniel Propheta meminit.

IV. ARALIVS, regn. annos 40. Vixit in otio & luxu: & muliebres pompas atque delicias animo muliebri auxit. Berosus, Metasthenes, Eusebius, Casiodorus.

V. BALEVS. I. regn. annos 30. Claruit rei bellicæ studijs: & armis incumbendo, gentes quàm plurimas edomuit. Vnde per cognomentum appellatus est Xerxes, hoc est, Victor & Triũphator. Berosus, Metasthenes, Eusebius, Augustinus, Casiodorus.

VI. ARMATRITES, regn. annos 38. Addictus fuit otiò & uoluptatibus, quæꝗ isthuc pertinerent & inuenit multa, & inuenta auxit. Berosus, Metasthenes, Eusebius, Augustinus. Casiodorus Armametrē uocat. Conuenit cum moribus eius, quod de HORO, regē Assyriorũ, tradidit Plinius lib. 30. cap. 15. nimirũ hoc ab ipso contra ebrietatem excogitatum remedium, ut hirundinis rostri cinis cum myrrha tereretur, & in uino quod bibendũ esset, inspergeretur. Quocirca nomine isto, quod forte per arrogantiam cognomenti loco assumpsit. (Est enim Ebræum Or, lumen, ac si dicas ἐπιφανής) accipiendum censemus.

VII. BELOCHVS. I. regn. annos 35. Studuit augurìorum & diuinationum disciplinæ: & à Beli sacerdotio nomen id inuenit. Berosus, Eusebius, Augustinus, Casiodorus. Metasthenes Priscum nominat. Meminit Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 24. regis Assyriorum Delbois, qui per legatos simulacrum Iouis Heliopolitani ex Ægypto adduci curauerit. Hunc Belochum fuisse crediderim, corrupto uidelicet aliquantũ nomine, id quod de barbaro & peregrino mirũ non est.

IIX. BALEVS. II. regn. annos 52. Habuit alteram à Semiramide laudem industriæ & fortitudinis militaris: ideoꝗ in multorũ scriptorũ peruenisse monumenta traditur. Berosus, Metasthenes, Eusebius, Augustinus, Casiodorus. Cæterùm monumenta hæc, quæ Balei historiam complexa sint, rectè Chaldæorum sapientum accipi libri uidentur. De his enim Iosephus tradidit, Babylonicam eos historiam conscripsisse.

IX. ALTADAS, regn. ann. 32. Secutus est otiũ & uitæ tranquillitatem, quòd stultum esse duceret, multis defatigari laboribus, & uarijs implicari curis, amplificandi regni causa, quoniam ea res ad nullam

lam hominum salutem & utilitatem, sed ad detrimẽtum potius & seruitutem pertineret. Berosus, Metasthenes, Eusebius, Casiodorus.

X. MAMITVS, regn. ann. 30. Excitauit iterum apud suos belli studium: nec interim delicias & unguentorum omisit luxum. Berosus, Metasthenes, Eusebius, Augustinus, Casiodorus.

XI. MANCALEVS, regn. ann. 30. Berosus, Metasthenes, Eusebius. Casiodoro est Machaleus.

XII. SPHERVS, seu Saphrus, ann. 20. Berosus, Metasthenes, Eusebius, Casiodorus.

XIII. MAMELVS, ann. 30. Berosus, Metasthenes. Eusebio Mamylas dicitur, Casiodoro Mamylus.

XIV. SPARETVS, Casiodoro Sputaethus, ann. 40. Berosus, Metasthenes, Eusebius.

XV. ASCATADES, seu Ascades, ann. 40. Vicit bello Syros: & desinit in hoc rege historia Berosi, quam usq; ad Eupalem pertexuit Manetho. Reliqui successores adduntur à Metasthene, qui cum conuenit Eusebius, & habet aliquos Casiodorus, nempe usq; ad Mitraeum. In sacra Iudicum historia nominatur rex Mesopotamiae Chusanrasathaim, qui Iosepho est Chusartes, rex Assyriorum. Hunc Ascatadem fuisse auguror, ut Syrorum nomen etiã ad Israëlitas pertineat. Qui cum seruitutem regi illi aliquandiu asperrimam seruiuissent, liberantur ab Othoniele.

XVI. AMYNTAS, ann. 45.

XVII. BELOCHVS. II. ann. 25.

XIIX. BELLOPARES, ann. 30.

ACTOSA, cognomento SEMIRAMIS, regnat cum patre ann. 7. Eusebius.

XIX. LAMPRIDES. ann. 32.

XX. SOSARES. ann. 20.

XXI. LAMPARES. ann. 30.

XXII. PANNIAS. ann.45.

XXIII. SOSARMVS. ann.19.

XXIV. MITRÆVS. ann.27.

XXV. TAVTANES. ann.32. Incidit in belli Troiani tempora. Ac sollicitatus de auxilijs per TITHONVM à Priamo rege, MEMNONEM ducem cum copijs ualidis amandat: quem fortiter bellantem, opprimunt per insidias Thessali. Diodorus, Eusebius, quorum ille ex regum annalibus ista se excerpsisse memorat. Etsi quod addit, Priamum Assyrijs uectigalem fuisse, non uideo quam mereatur fidem. Cùm tradiderit Philostratus, nullum unquam inter Troianos & Assyrios bellum gestum. Idem nomen hoc scribit Theutamus, Metasthenes Teutanius.

XXVI. TEVTEVS, Eusebio Tanteus, ann. 40. Videtur Apollod. lib. 3. dici Thoas: Quanquam locus ille totus tantùm fabulas pertractet, neque γνήσια sunt CINYRÆ & Thanaces filiæ nomina.

XXVII. TYMEVS. ann.30.

XXIIX. DERCILVS. ann.40.

XXIX. EVPALES. ann.38.

XXX. LAOSTHENES. ann.45.

XXXI. PYRITHYDIAS, Eusebio Piriciades, annos 30.

XXXII. OPHRATEVS. ann.20.

XXXIII. OPHRAGANEVS, Eusebio Ophratanes, ann.50.

XXXIV. ASCRAZAPES, ann.42. Eusebius Ocrazapen nominat, & tribuit ei ann.41. Arriano, Straboni & Suidæ est Anacyndaraxes, Stephano Cyndaraxes, Athenæo Anabaxares.

XXXV. TONOSCONCOLEROS, Græcis SARDANAPALVS, annos 20. Condidit uno tempore Tarsum & Anchialen Ciliciæ: eaq; re ferè sola gloriæ nonnihil ad posteritatem

tatem promeruit. Cætera enim nefarium fuisse reperimus, &, ut quidam scripsit, muliere corruptiorem. Etenim in gynaceo inter Eunuchos & scortorum greges desidens, uirorum conspectum fugiebat, lanam & colum tractabat, & indutus ueste muliebri, etiam uocem fœmineam loquendo imitabatur. Quæ flagitia primùm à fama enunciata, post coràm spectantur ab A R A B A C E, qui Eunucho muneribus expugnato, aditum ad Regem impetrasset. Ideò & huius & P H V L-B E L O C H I conspiratione bello oppugnatus, prælijs tribus rebelles cædit. Cumq; è tanto successu tum insolentior, tum negligẽtior factus, ad uoluptates suas redijsset, & regis exemplum imitaretur miles, ex improuiso ab hoste de nocte opprimitur, nec multò post exercitus duos cum duce S A L A M E N O, uxoris fratre, amittit. Vnà de prouincijs iam passim deficientibus, nondum tamẽ se deserit, & liberis quinq;, in quibus tres filij essent, ad Colyn Paphlagoniæ Satrapam cum magno auri argentiq; pondere missis, Ninum commeatu egregiè instructam accuratè munit. Hìc obsessus biennium integrum, tandem Euphratis inundatione, qua muri magna pars conciderat, ad desperationem adigitur. Eam enim ex oraculi cuiusdam responso fatalem existimans, pyram ingentem in regia extruit, & mulieribus Eunuchisq; & gaza omni in medio conclusis, cremandum se unà cum his in ignẽ conijcit. Diodorus, Athenæus, Eusebius, Suidas, Eustathius, Zetes, Ouidius in Ibin, Orosius. Memorat Strabo monumentum eius in urbe Anchiale, & statuã lapideam, dexteræ manus digitos committentem, & quasi complectentem, cui Assyrijs literis epigramma in hanc sententiam insculptum esset: Sardanapalus, Anacyndaraxis filius, Anchialen & Tarsum una die condidit. Tu uerò, ô hospes, ede, bibe, lude,

Cùm te mortalem nôris, præsentibus exple
Delicijs animum, post mortem nulla uoluptas.
Namq; ego sum puluis, qui nuper tanta tenebam.
Hæc habeo quæ edi, quæq; exaturata libido
Hausit, at illa manent multa, & præclara relicta.
Hoc sapiens uitæ mortalibus est documentum.

De eadem re Cicero lib. 2. de Finibus, & S. Tuscul. Stephanus ἀγχιάλη, Arrianus lib. 2. Plutarchus de fortuna Alexandri, Suidas ἐχεῖνο & Σαρδανάπαλος, ubi ab adulatoribus eius, & crapulæ ac libidinũ ministris, monumentum simile Nini extructum, ait. Meminit Herodotus lib. 2. Nomen Sardanapalus componunt aliqui à tribus Ebraicis dictionibus, Sar, Dan, Niphil, hoc est, excelsus, dominus, euersor. Et credibile est, cognomenti uel tituli loco id regem hunc assumpsisse: sicuti A T-T I L A, Hunus, nominari uoluit Flagellum Dei: M A H O M E-T E S Othomanus, Terror orbis, & alij reges titulis alijs atque nominibus gauisi sunt.

FAMILIA PHVLBELOCHI, QVÆ ET IPSA IN ASSYRIIS IMPERAVIT ANN. XCIIX.

I. PHVLBELOCHVS, gente & professione Chaldæus, præfuit Babyloni sub Sardanapalo. Ac per eam consuetudinem, qua duces ad sistendas prouinciales copias Ninum quotannis ibant, Arbaci amicitia iunctus, occultè eum è Rege alienat, & ad rebellionem, promisso & artis suæ fide regno, inflammat. Id quod cùm homini generoso præcipuè turpitudinis insectatione persuasisset, Babylonios armat, & rebus ad Ninum infeliciter cedentibus, inde socios territos & de fuga cogitantes confirmat, itaq; durando amplissimæ uictoriæ auctor fit. Ideò cùm honore eximio colitur, tum Assyriam & Babyloniam retinere cum imperio permittitur: cumq; etiam egisse fraudulentè deprehensus esset, ob piorum beneficiorum memoriam, ueniam facilè ab Arbace impetrat. Nec regnum deinde uel ornare legibus, uel amplificare potentia destitit, & inuitatus regum Israeliticorum intestinis discordijs, bellum facit cõtra MANAHEMVM, & suppliciter pacem petentem talentis mille mulctat. Regnauit ann. 48. 4. Reg. 15. 1. Paral. 5. Metasthenes, Diodorus, Iosephus. Sunt qui sub Phulbelocho IONAM uatem Ninum aduenisse, existimant. Cuius minis Rex territus, & cilicio ipse induitur, & indicto tam hominibus, quàm iumentis ieiunio, edicto credi uati imperat: itaq; cum ciuitate uniuersa delictorum ueniam atq; salutem à Deo impetrat. A' Diodoro Belesis, à Zonara Phua, à Zetze Belesyus, uocatur, quorum illud deflexum uidetur à Phul, quod sacra scriptura & Iosephus habent: ut Belochus sit cognomentum à sacerdotio & cultu Baal. Floruit enim, ut antea monuimus, inter Chaldæos, de qua nuncupatione Cicero expli-
„ cans: Chaldæi, inquit, non ex artis, sed ex gentis uocabulo nominati,
„ syderum scientiam putantur effecisse. Retulit etiam nomen Belesis de Syriæ quodam Prætore Xenophon lib. 1. ἀναβάσεως.

II. PHVLASSAR, cognomento Theglat, regn. an. 23. Renouauit patris contra Israelitas & regem PHACEIAM bellum, & occupata Galilæa, tribum Nephthalensem in Assyriam transfert. Iterũ euocatus ab ACHAZO, rege Iudæorum, reges socios, Phaceiam & Razinem, soluere Hierosolymæ obsidionem cogit: captaq; Damasco, & ipso rege Razine cæso, populum Cyrenen deportat, & alios colonos ex Assyrijs substituit. A' qua tam illustri uictoria, cùm ad exercitum reficiendum Damasci aliquandiu substitisset, ab Achazo & salutatur honorificè, & pro nauata opera muneribus amplissi-

mis

mis donatur. 4. Reg. 15. 16. 1. Paral. 5. 2. Paral. 28. Metaſthenes, Ioſephus, Suidas. Cognomentum Theglat, à debellata Galilæa uſurpaſſe creditur. Eſt enim conſuetudo peruulgaris, ut à prouincijs gentibusúe deuictis denominationes aſſumantur. Qua de re ſingulariter notiſsima Romanorum ducum & Impp. exempla. In ſacris Biblijs tamen & à Ioſepho & Cedreno Theglat Phalaſſar, cognomento cum nomine compoſito, appellatur: à qua ſcriptura iterum diſcedens Zonaras, Theglapharaſſar nuncupat. Pertinet fortè ad hunc regem fabula de Tilgamo apud Ælianum lib. 12. de animalibus cap. 21. Nam eo nomine dici corruptè uidetur. Etſi Sacchoras, quem Sennacheribum intelligi crediderim, perperam ei auus tribuitur.

III. SALMANASSAR, regn. ann. 10. Aggreditur & ipſe bello truculento Iſraëlitas: & OSEAM regem ſubactum, uectigalem reddit. Quem poſtmodo rebus nouis ſtudere edoctus, compræhenſum in carcerem conijcit: regnum ipſum cæde & incendijs uaſtat: & Samaria triennali obſidione occupata, Iſraëlitas in Aſſyriam transfert, & agris in Media donat. Hinc Tyriorum regem ELVLÆVM per legatos oppugnat, & poſt pacificationem inſtitutam ad arma redire auſum, expeditione gemina infeſtat. 4. Reg. 17. Metaſthenes, Ioſephus, libro 9. cap. 13. & ſeq. Zonaras. Habuit in honore TOBIAM, patrem, & fidum expertus, talentis ſeptem donat. In deſolatas Iſraëlitarum ſedes colonos ex Aſſyria & Perſia nouos deduxit: Qui cùm uexati à leonibus, ac propterea Iſraëlitarum Deùm colere iuſsi, patrios tamen Deos interim retinerent, infeſtiſsimos inde Iudæos habuêre: ita ut nomen quoque ipſorum conuicij eſſet, itaque etiam in hiſtoria Euangelica uſurpetur. Apparet autem & cum Medis ipſum belligeraſſe, ac uictos imperio ſuo ſubdidiſſe. Nam, ut antea oſtendimus, Iſraëlitis in finibus eorum domicilium attribuit. Etſi id imperium mox obitu ipſius ceſſauit: Medis libertatem armis repetentibus. Vnde bella ea contra Sennacheribum nata arbitror, quę attingit Tobias cap. 1. Oſeas uates cap. 10. his uerbis meminit. Exiſtet in popu- «
lo tuo tumultus, omnes tuæ munitiones uaſtabuntur, ut uaſtauit Sal- «
man Betharbel, cùm quidem tantum fuit bellum, ut mater colliſa ſit «
cum filijs. Ptol. μεγαλ. συντάξεως lib. 3. cap. 8. & Cedrenus Nabonoſſora «
uocat, & numerat à regni eius initio uſq; ad mortẽ Alexandri an. 424.

IV. SENNACHERIBVS, regn. annos 7. Belligerauit cum Medis rebellibus: & ut maiorum contra populum Dei, hoc eſt, Iudæos & Beniamitas urgeret fortunam, Iudæam cum infeſtis copijs inuadit. EZECHIAM regem, muneribus pacem ſuppliciter petentem, barbarico faſtu eludit, & in Deo ſpem reponentem irridet im-

piè. Cumq; arma per Iudaici nominis urbes impunè circumferendo, iamq; Ægyptum etiam territando, de THARACÆ Æthiopis contra se expeditione edoctus, legatione noua Ezechiam fatigasset, & conuicia in Deum iterasset, una nocte 185000. hominum amittit. Hanc tantam cladem cœlestis numinis uiolati pœnam, ut erat, agnoscens, neque in hostili terra consistere amplius ausus, ignobili fuga regnum trepidus repetit, atque tum in exules Israëlitas cæteros supplicijs sęuit immanibus, tum TOBIAM, patris procuratorem, facultatibus exutum, exilio mulctat. Nec multo pòst stulta Abrahami, ut fertur, imitatione, Deum filiorum immolatione placaturus, in æde Nisrochi de-astri ab his de uita tollitur. 4. Reg. 18. 19. 2. Paralip. 32. Esaias cap. 36. 37. Tobias cap. 1. Siracides cap. 48. Iosephus lib. 10. Ant. cap. 1. & 2. Eusebius, Zonaras, Cedrenus. Herodotus Sanacheribum uocat, & uidentur expositiones eius de Sethone Ægyptio, & liberatione huius mirificà, ad Ezechiæ historiam alludere. Ab Esaia etiam Sargon appellatur cap. 2

NOMINANTVR Sennacheribi filij, Adramelechus, Sarassar, ASSARHADDON.

ADRAMELECHVS & SARASSAR, destinantur à patre in sacrificio uictimæ: de quo periculo suo præmoniti, & illum parricidio tollunt, & eiecti populari tumultu, Assarhaddonem ex Armenia bello oppugnant. 4. Reg. 19. Esaiæ 37. Iosephus, qui alterum Sarassara Selennara nominat.

V. ASSARHADDON, surrogatur patri in imperio ob innocentiam, cui præest ann. 10. Atq; oppugnatus propterea fratrum àrmis, in Babylonia etiam hostem nouum accipit MERODACHVM: cum quo infeliciter congressus, & familiam & Assyriorum regnum interitu suo finit. 4. Reg. 19. Esaiæ 37. Metasthenes, Iosephus. Meminit Esdras cap. 4. Zonaræ Nachordan est.

FAMILIA MERODACHI, QVÆ BABYLONE CHALDAEORVM REGNAVIT ANN. CLXXXIII.

I. MERODACHVS Baladan, Baladanis F. administrat Babyloniæ præfecturam sub regibus Sennacheribo & Assarhaddone: cumq; illo turpiter è Iudæa eiecto, nec multo pòst obtruncato à filijs, hic eorundem parricidarum fratrum bello oppugnaretur, eoq; uires omnium consumptę essent, rebus nouis studere incipit, & conuersus in Assarhaddonem, prælio uictum regno deturbat, idq; Assyrijs ereptum rursus Babylonijs conciliat. Quo tempore edoctus à Chal-

dæis

dæis sapientibus de solis regressu mirifico, EZECHIAM Regem, ceu eximiè Deo carum, muneribus amplissimis honorat, deq; eo ostento per literas interrogatum, amicum ambit. 4. Reg. 20. 2. Paral. 32. Esaiæ 39. Iosephus, Cedrenus. A' Zonara Baladas uocatur. Nominat Metasthenes annos imperij ipsius 52. Berosus apud Iosephum 29. Sed quæ de regum horum chronologia nostra sit sententia, suprà exposuimus. Sequimur enim rationes Funccij, qui ab expulsione Assarhaddonis ann. 40. regnasse regem hūc ait. Ptolemæo Mardocempades esse uidetur, Suidæ Marodachus: & sunt qui nomen Merodachus faciunt Ebræum Mardochæus. Apud Ieremiam uatem cap. 50. de regni & idolorum Merodachi euersione hoc uaticinium legimus: Capta est Babylon, turpificatus Bel: Merodachus obtritus, turpificatæ eius statuæ, obtrita infanda simulacra, &c.

II. BENMERODACHVS, regn. ann. 21. Deseruit patris cum Iudæis amicitiam, uindicante nimirum MANASSIS regis scelera, diuina iustitia. Quem prædatorijs copijs uexatum, atq; in agro oppressum, uiuum intercipit, & aliquandiu in uinculis habitum, ex misericordiæ diuinæ cooperante clementia dimittit humaniter, & fœdus paternum cum eo renouat. 2. Paral. 33. Iosephus, Metasthenes. Suidas Manassis captiuitatem ad Merodachi imperium refert: Quam narrationem argumēto nullo confirmatam, cùm alia, tum subiuncta fabula de statua ferrea, in qua Manasses asseruatus sit, suspectam reddunt. Et quia neque scriptura sacra, neque Iosephus, regem, qui in isto tempore Babylonem tenuerit, nominârunt, satius fuerit, è temporum accurata supputatione collectas coniecturas sequi.

III. NABOCHODONOSOR. I. regn. ann. 35. Perseuerauit in Iudæorum amicitia: & bella gessit cum Phœnicibus & Ægyptijs. Cumq; in ipso senectæ eius limine, maiori apparatu ad arma rediJsset NECAO, & transitum ipsi denegantē IOSIAM Regem prælio uictum peremisset, Nabochodonosora ipsi filium cum copijs opponit, nec multo pòst fato suo fungitur. Iosephus Ant. lib. 10. cap. 11. & contra Apionem lib. 1. ubi Nabulassarum nominat.

IV. NABOCHODONOSOR. II. cognomento Magnus, regn. ann. 43. Accipit à patre administrationem belli contra NECAONEM, regem Ægypti: In quem magno animo profectus, uictum ad Euphratem fugat, & fortunam urgendo mulctat prouincijs omnibus, quas in Asia ille acquisiuisset. Eodem tempore patrem morbo & senecta amittit: cui absens surrogatus; IOACHIMO, Iudæorum regi, tributum indicit: idq; post triennium denegan-

tem, primum per latrunculos Chaldæos, Syros, Moabitas, Ammonitas uexat, deinde spe ueniæ in urbem se accersentem, contra fidem datam in uincula conijcit, & iugulatum sepulturæ honore priuat. Nec filio IECONIÆ, quem successorē nominârat, fidere ausus, post tempus trimestre cum florentissima populi parte captiuum abducit, regno SEDECHIÆ permisso. Quem inito cum Ægyptijs fœdere defectionem moliri edoctus, Iudæam expeditione noua aggreditur: fundit Ægyptios auxiliarios: Hierosolymam mensibus 18. pertinaci obsidione fatigat, ac fame potius & pestilentia, quàm ui expugnatam cum fano ipso cremat: regem è fuga retractum, & neces suorum spectare coactum, excæcat: uasa sacra exportari Babylonem iubet: & humaniter conseruato IEREMIA uate, atque è plebe tenui cum eo relictis, qui uineas agrumque colerent, reliquam multitudinem in Chaldæam abducit. Cumque exinde belli pericula nōnihil pertæsus, ad pacem se conuertisset, & delectos pueros captiuos institui ad regia ministeria præclarè curat, & Babylonem regiam ædificijs splendidis exornat; conditis etiam in uxoris Persicæ gratiam hortis pensilibus. Quorum posterius ut regiæ datum fuit magnificentiæ, ita alterum non caruit fructu utilitatis manifestæ. Audijt enim ea occasione omnium primus uaticinium illud mirificum, de quatuor summis imperijs, explanato ista de re diuinitus ipsi collossi imagine immisso somnio, à DANIELE. Cuius memoriam cùm etiam ad posteritatem durare, & pro tam propitia uoluntate Deo se gratum ostendere satageret, gentili superstitione colossum aurum, ei quem per quietem uiderat, similem, erigit, eumque coli honoribus diuinis præcipit. Hanc idolatriam communi reliquarum gentium subditarum assensu approbatam, detrectare præfectos Iudæos, Ananiam, Misaëlem & Azariam ausos, in flagrantis ignis fornacem conijcit. Vbi homines pios conseruatos conspicatus diuinitùs, religione inde tangitur: cœlesti Iudææ gentis Deo maledici edicto prohibet, & ipsos uiros diuinos auctos in maiore deinde honore habet. Nec tamen uel hic casus, uel somnio nouo, quod interpretatus iterum Daniel fuerat, denunciatæ pœnæ horrificæ, adimere ipsi insolentis animi fastum, è superiori rerum successu conceptum, potuêre. Quapropter cùm in regijs aliquando hortis deambulans, suam iactaret potentiam, eamque tam stultè, quàm impiè suę arrogaret sapientiæ, subitò mente alienatur, & grassatus belluina feritate, etiam ad feras in agros & syluas expellitur: herbis boum instar pascitur, & pili ei ut leonibus, ungues ut alitibus increscunt. In qua miseria septennium uersatus, ad mentem redit: & reuocatus in regnum, ac dignitate auctus, Deo publicè gratias agit, eiusque in se iustitiam, clementiam, misericordiam edicto prædicat. 4. Reg. 24. & seq. 2. Paral. 36.

Ieremias

Ieremias cap.53. Daniel cap.1.2.4. Iosephus, Clemens, Eusebius, Suidas, Zonaras, Cedrenus. Meminit Strabo li.15. & Nabocodrosorum uocat, uictoriarumque eius limitem columnas Herculis falsò astruit. Idem retulit ex Alphæo quodam Eusebius lib.9. de præparat: Euang. cap. ult. De expeditione eius in Tyrios uaticinatur Ezechiel cap. 26. etsi cap.29. tentatam hanc ab eo frustra ait, minaturque ibidem & cap. seq. per eundem hunc regem Ægyptijs. Eadem habet Ieremias cap.43. Quanta potentia fuerit, ex Daniele planum fit, ubi comparatur arbori quæ ad cœlum usque pertingat, quæ totum orbem terrarum uelut obumbret, cuius folia sint longè pulcherrima, & fructus omnium uberrimus, quo saginetur & pinguescat, quicquid est animalium, cuius in frondibus atque ramis omne uolucrum genus nidificet atque quiescat. A' Ptolemæo Nabopollassar dici existimatur.

V. EVILMERODACHVS, regn.ann.30. Sub imperij initium curauit è carcere extrahendum IECONIAM, regem Iudææ, quem comiter tractando, collocauit in solio cæterorum regum, quos Babylone habebat, solijs altiore, mutatis eius carceris uestimẽtis: eũque per omnem uitam conuictorem habuit, & quotidiano demenso ex regio penu aluit, quamdiu uixit. Hæc res, & erga Iudaicam gentem proẽsiò pia, cùm proceres regni, & animos uulgi, patrias negligi religiones indignantis, alienasset, fortè & nomen ipsi immutauit, quod interpretãtur aliqui stultũ uel iuniorem Merodach. 4. Reg.25. Iere. cap.ult. Iosephus, Eusebius. Herodoto Labynitus est, Zonaræ Euilad Merodach, Cedreno Vlemerodachus. Addit Herodotus pacem fecisse inter Cyaxarem & Halyattem, & cõiugem ei attribuit Nitocrin, de quâ plura lib.1. Significare Xenophon uidetur, occubuisse ipsum in prælio contra Cyrum & Cyaxarem, cùm bellum id à filio motum, ipse suscepisset. Sed de eo loco iudicium penes lectorem esto.

Procreat autem è Nitocri Euilmerodachus, iuxta Metasthenem, liberos, Regassara, Labassardachum, & Baltassarem. Nam Daniel & Baruchus uates, itemque secutus hosce Suidas, patrem Baltassaris Nabochodonosora faciunt, sicuti Eusebius, Zonaras, Cedrenus, Euilmerodachi fratrem. Quod dictum Ebraica scripturæ cõsuetudine, quomodo est autor D. Hieronymus, uti nihil nos oppugnat, ita uberiores de eo aliorum explicationes quærere item alibi satius fuerit.

VI REGASSAR, & VII. LABASSARDACHVS, regnant post patrem annos 9. Metasthenes: Iosepho Regassar Niglisar est, Labassardachus Labossordachus, & illum quidẽ annos 40. hunc, quem etiam genitum Niglisare censet, menses 9. regnasse, ait. A' quibus omnibus nos hac parte discedimus.

IIX. BAL-

IIX. BALTHASAR, regn.ann.5. Defecit ad Ethnicam maiorum religionẽ: Iudæos odio infesto prosequitur, & Danielem optimè meritum ex aula dimittit. Hinc temerè Medos lacessit, & prælio uictus fugatusq́, maiori apparatu bellum renouat: CROESVM fœdere sibi adiũgit. Cumq́ Babylone à CYRO obsessus, munitionẽ fiducia, hostilem impetum facilè tum eluderet, tum contemneret, etiam Deo insultare audet, uasis sacris fani Hierosolymitani per ludibrium temulento conuiuio adhibitis. Quod scelus uindicante diuina Adrastia, subitò cælestem manum in aduerso palatij pariete scribentem conspicatur, deq́ scriptura ista, interitum ipsius nunciante, edoctus à Daniele, quem consultis frustrà Chaldæis, matris hortatu trepidus reuocauerat, eadem nocte, urbe à Cyro capta, confoditur, & monarchię primę interitu ipsius finis imponitur. Baruch cap.1. Daniel cap.5.7.8. Xenophon, Iosephus Antiq.lib.10.cap.12. Eusebius. Ad historiam captæ Babylonis inter regis huius comessationes retulit uaticinium Esaię ex cap.21. Hieronymus, cuius uerba sunt: Adornatur mensa, speculante speculatore: estur, potatur: surgite principes, polite clypeos, &c. Herodotus de ipso nomen Labynitus retinuit, & meminit Iosephus, à Babylonijs Naboandelem appellatum. Variant etiam modicè literæ sacræ, & Belsazer nuncupant. De quibus nominibus nostra coniectura est, tantùm primum ei proprium fuisse: è reliquis duobus alterum fortè uulgi adulantis studium ei attribuit, alterum ipse assumpsit, repetitum à BELO, gentis Chaldaicæ conditore. Cùm scilicet id quęreret, ut fieret populo uenerabilior: pro quo potius alterum euenit, quod accidere adeò plerunque consueuit, ut nempe nomine, qui è Chaldæis primùm Babylone regnârat, ipse è regibus illis postremus conueniret. Quanquam fortè neq́ religioni datum nihil fuit. Etenim inter idolatrica orientalium gentium numina cultum præcipuè Belum cõstat. Quo eodem exemplo & DIOCLETIANVS, ab Christiani nominis odio Iouium se nominauit. Et IVLIANVS cùm itidem è religione mutata populi captaret applausum, in numismate symbolum fecit, Iouem diadema ipsi imponentem, Palladem circumdantem chlamydem, Mercurium tribuentem sceptrum.

SECVNDA

SECVNDA MONARCHIA, QVÆ COMPLECTITVR REGNA MEDORVM ET PERSARVM.

REGNVM MEDORVM, QVOD MONARCHAM PRODVXIT DARIVM MEDVM, seu CYAXAREM II.

DE MEDIÆ LIMITIBVS ET NOMINE: DE GENTIBVS, QVAS IN EA SCRIPTORES COLLOCARVNT: QVAE ME*dorum origo, imperia, familia regia, & quæ huius propagatio, interitus, consuetudines.*

QVI Mediam regionem terminârint limites, explicatum diligenter est à Polybio, Strabone, Ptolemæo, Plinio, Solino. Quod discrepante sententia oppugnantem Orosium, qui nomine isto, quadam sacrarum literarum usurpatione etiam Aracosiam, Parthiam, Assyriam, Persidē, uenire ait, conciliare ita licet, si referamus ad imperium, quod in prouincias hasce Medi obtinuere. Ita enim & Parthiæ pòst inclusas fuisse, idem Orosius tradidit. Addit de nominis enunciatione mutata Sex. Rufus, suo tempore Mediam Medenam appellatam. Etsi ego id tantum de parte altera accipio: quæ partitio sub Macedonibus cœpta, fortè obseruata deinde ita fuit, ut maior Medena cognominaretur, sicuti minori ab ATROPATO, qui regnū ibi nouum condidit, Atropatenes tributa denominatio.

GENTES Medorum à diuersis etiam diuersæ memorantur. Et præter MAGOS immiscent Herodotus, Diodorus, Plinius, HENETOS & SARMATAS. In ijs quas celebrant Strabo & Ptolemæus, præcipui sunt MARDI, CADVSII, TAPVRI. Sed de his singulatim omnia persequi, loci huius & propositi nostri non est. Atque undè Magorum nomen in eam excreuerit amplitudinem, edisserit exquisitus Ammianus lib. 22. Nam alij Medorum & Persarum sapientibus proprium accommodant. Qui cùm & religioni & doctrinarum studijs tractandis & gubernandis præessent, instituto nempe haud dissimili, quo fuêre in populo Israëlitico Sacerdotes & Prophetæ, in Ægypto sacerdotes, in Gallijs DRVIDES, & ingenij curiositate, superstitiosa multa adiungerent, infamis & professio & appellatio esse cœpit. Id quod exempli similis usu obseruare licet de uocabulo Mathematicus in iuris disciplina. Neque de Henetis

& Sar-

& Sarmatis, rem penitius introspiciẽdo & reuocando ad fontes, Medos hi conditores, sed Rhiphęos habuêre, qui sunt à Riphat, filio Gomer. Cùm quidem alij sententiã propemodũ contraria MÆDOS (ita enim scribũt litera unica uariata) Sarmaticis gentibus accenseant: à quibus Mædis denominationem existimatur retinuisse in Saxonibus urbs Madeburga, quam è Germanicæ enunciationis sono Parthenopen quidã Albensem uocare malunt. E reliquis MARDOS uerè indigenas crediderim: uidenturq; eos indomita potius feritas, quàm uirtus bellica celebres reddidisse. Idem sentio de CADVSIIS, sicuti eadem feritas regnum his & dedit & conseruauit. TAPVROS è Scythia, quæ cis Imaum est, propago. Nominat enim ibi Tapuros montes Ptolemæus, cùm Polybius hos cum Media ipsa coniungat. Estq; huic affine nomen TATARI seu Tartari (hoc enim posterius scriptores retinuêre, pro quo alterum uicinis, tum nostris etiam gentibus in usu est) quorum terribilis in Asiam & Europam irruptiones, recentiores annotatas referũt historię. Quanquam de primordijs gentis huius magis eorum probârim coniecturã, qui à Moglis, quod nomen alludit ad Magolenos, celebratos à Ptolemæo, Tartaros deducunt, ut intelligas posteros Magog. Quippe uicinę sunt appellationes, MOGLI & Magog, & refero ad eandem deriuationẽ nomen MOGORES, quod Persas hodie etiamnum de Turcis retinere, aiunt: Cùm antiquitus gentis Persidis proprium esset, ut docet Ptolemæus. Vnde id simul euidens fit, Tartaros & Turcos ab uno propagatos conditore Magog, quod idem præter Ezechielis uaticinium, etiam Apocalypsis testimonijs confirmatur.

IAM ad originem Medorum explanandam ut pergamus, prodidit fabulosè Herodotus, initiò Medos Arios appellatos, sed à Medo, Medeæ Colchicæ & Ægei Atheniensis filio, nomen id nouum assumpsisse. Habent eadem Diodorus, Strabo, Pausanias. Atque inuenias è recentioribus, qui inde Germanicam gentem, ARIOS, prosapiam & denominationem traxisse uolunt, ut ab Almanis seu Albanis uicinis, MANIMOS, prima nimirum syllaba κατ' ἀφαίρεσιν detractã. Sed hæc temerè sineq; ratione conficta repudiamus: estq; de Arijs & Manimis coniectura ut petita longius, ita infirma: tametsi id non inficiarer, gentem, quæ nomine hoc Asiam incoluit, Medos conditores habuisse, ita tamen, ut ipsi, non Medis nomen mutatum fuerit. Et quid adeò de re per se manifesta recurrere ad fabulas opus erat? Etenim utrique, Manimi & Arij, Sueuis accensentur, quos Sueuos Germanorum, qui propago sunt Thogormæ, gentem maximam extitisse, Cæsar & Tacitus auctores sunt. Subscribimus autem de Medorum origine Iosepho, qui hanc ad MADAI (ipse Madum Græca inflexione uo-

ne uocat)filium Iaphet, refert. Cui præter Danielis loca aliquot consentiunt uaticinia Esaię cap.13. Ieremiæ cap.51. ubi per Madai Medi intelliguntur; atque redduntur ab interpretibus. Confirmat idem grauissimum Hieronymi testimonium in cap. 13. Esaiæ. Ac tametsi in Actis, utpote Græcè scriptis, etiam usitata Græcis nominis illius enunciatio retinetur, Persæ tamen Elamitæ dicuntur, ab Elam, fratre Madai, à quo Elam etiam gentem Persidis Elymęos nuncupatam cognatio ostendit & soni affinitas.

Imperatum in Media reperimus mox à prima gentis in eam migratione. Quod est tempus confusionis illius mirificæ linguarum, & dominatus NEMRODI. Hic enim cùm nouus esset atque uiolentus, consentire gentes, & metu iugi externi suis se munire imperijs, coëgit. A' Lactantio antiquissimus Medis rex tribuitur HYDASPES, auctor nominis fluuij Hydaspis, cuius meminit Virgilius lib.4. Geor. HYDASPES, inquit, fuit Medorum rex antiquissimus, à quo amnis nomen etiam accepit, qui nunc Hydaspes dicitur, admirabilis omnium sub interpretatione uaticinantis pueri ad memoriã posteris tradidit, sublatum iri ex orbe imperium, nomenq́ Romanum, multò antè præfatus, quàm illa Troiana gens conderetur. Et iterum: Hydaspes descripta iniquitate seculi huius extremi, pios ac fideles à nocentibus segregatos, ait, cum fletu & gemitu extensuros esse ad cœlum manus, & imploraturos fidem Iouis: Iouem respecturum ad terram, & auditurum uoces hominũ, atq; impios extincturũ. Hactenus Lactantius. Quęneq; asseuerare, neq; refellere, in animo est: Cùm præsertim aliqui lectionẽ, quam deprauatam existimant, ita immutẽt, ut pro Medis Indos substituãt. Etenim & India Hydaspem fluuiũ habet, altero Medię haud paulò celebriorem. Certè uera fluminum nomina, quę à regibus deducta sint, rariora inuenias: quippe quæ plerũq; extiterint uel à gentibus accolis, uel à fluxu, qui nunc ad loca ipsa, nunc ad res alias comparando referretur: qua de re singulariter notissima Germanię nostrę exempla. Fortè autem Hydaspes Athenæo HYSTASPES est, de cuius fratre ZARIADRI, eiusq́ amore mirifico seu historia seu fabula legatur apud eundem lib.13. cap.12. Ad NINI imperium retulit è Medorum regibus Diodorus PHARNVM. Is bellum Assyrij impotentissimum defensurus, clade miserabili cæditur, & captus cum uxore septemq́ filijs, in crucem agitur. Neq; audet deinde quicquam pro libertate, destitutus duce commodo, adeoq́ metu planè consternatus populus, atque Assyriorum se subdere potestati coactus, his uectigalis fit, regiturq́ exinde per Præfectos. Quæ extitit apud Medos sub imperio alieno seruitus prima: uti ob nouitatem habita durior, ita præfectorum erga reges fide, & in officio diligentia, facta diuturnior.

Numerantur enim à Nino usq; ad SARDANAPALI interitum anni circiter 1238. In quo tanto tempore rebellionis motus in Medis nulli extiterunt, ut uerisimile fiat, eos πολαρχίᾳ ista sua præfectos etiam indigenas meruisse. Id enim de Arbace expressa mentione prodidit Athenæus. Ac sanè spes ab hoc principio libertatis recuperandę Medis prima accessit. De qua re auctorum discrepantes opiniones geminas reperimus. Nam alij ut de causa & initio sumptorum à Medis armorum conueniunt, ita liberos exinde, & absq; regum imperio usq; ad Deiocem uixisse uolunt. Alij cum libertate regium simul nomen repetitum censent, idq; primum tribuunt ARBACI, quo auctore ab Assyrijs defectio cœperat. Priorem sententiam tuentur Herodotus & Orosius, sed uariatis regum cùm nominibus tum successione. Sic enim digerit Herodotus.

DEIOCES.	regnauit annos.	53.
Phraortes.		22.
Cyaxares.		40.
Astyages.		35.

Et conuenit Halicarnasseus, qui in rege quarto defecisse Medorum regnum, ait. Orosius hanc instituit seriem,

Phraortes, regnauit annos 22.
Diocles.
Astyages.

Altera sententia præter Athenęum, Suidam, Iustinum, auctores habet Metasthenem, Diodorum, Eusebium, qui tamē & ipsi nouis opinionibus dissentiunt. A' Metasthene hi nominantur reges & anni.

ARBACES, in Media & Perside.	regnauit annos.	28.
Mandanes.		50.
Sosarmon.		30.
Articarmin.		50.
Arbianes.		22.
Arteus.		40.
Attines.		22.
Astybarus cum Apanda F.		20.
Apanda Solus.		30.
Darius cum Cyro.		36.
	Summa.	318.

Diodorus è Ctesia Cnidio, quem regum annales secutum, ait, nomina & annos regum hos tradidit.

ARBA-

ARBACES.	regnauit annos.	28.
Mandanes.		50.
Sarſomenes.		30.
Artecarmis.		50.
Arbianes.		22.
Artæus.		40.
Artynes.		22.
Artabanus.		40.
Aſtybara.		
Aſtyages.		

Euſebius ſeriem contexuit eiuſmodi:

ARBACES.	regnauit annos.	28.
Soſarmus.		30.
Medidus.		40.
Cardiceas.		13.
Diocles.		54.
Phraortes.		24.
Cyaxares.		32.
Aſtyages.		38.
	Summa.	259.

Etſi autē in tanta diuerſitate,deꝗ re tam denſis immerſa tenebris, uerum elicere atꝗ diſpicere,difficile eſt, malumus tamen cum ijs nos facere,qui Medorum regnū cum libertate ipſa ordiuntur.Nam reſpub. in gentibus iſtis rariores fuêre, ſicuti è contrario regij nominis ueneratio ingens. Et pertinet huc quod cecinit Lucanus, Medos ſemper ſub regibus fuiſſe:

Felices Arabes, Mediꝗ, Eoaꝗ tellus,
Quām ſub perpetuis tenuerunt fata Tyrannis.

Id quod intelligatur tā de externis, quàm de indigenis imperijs. Nec dubitationē de eo ullam habeo,Herodotū in errorem inductū, quòd gens initiò libertate gauderet ampliore. Quæ res, cùm licentiā uulgi cū ferocitate accendiſſet,Deioces legibus & inſtitutis ſapientib. modeſtiam,& erga reges obſeruantiā,reuocauit,tum malo eidem in tempus reliquū cauēdo occurſurus, aſtrictioris imperij formulam primus introduxit: ut tum deniꝗ reges cum dignitate nominis huius etiam potentiā iuſtam poſsidere cœperint. Sicuti in regno Gallico Francorū, LVDOVICVM. XI. gloriari ſolitū ferunt,ſe primum rege ex ephebis Francicos reges exceſsiſſe: Quia amplificarat regiā poteſtatē in immenſum,principibus partim ſublatis,partim in ordinē redactis. Acceſsit his fortè illud etiā,quòd conſuetudo uetus,qua populi in rege nouo creando aduocabatur auctoritas,nec excludebātur ſuffragia,

ab hoc tempore abolita cessârit. Isthuc enim refero, quod scripsit Eustathius, à Medis reges eos assumptos, qui fortissimi essent. Tametsi Strabo id tantummodo de montanis accipiat.

Proinde hoc Medi regnum habuère alterum, priore illo, quod nominauimus è Lactantio & Diodoro, haud paulò illustrius. Cuius auctor atque conditor ARBACES etiam familiae id conseruauit. Sic e-
„ nim Iustinus: Post multos, inquit, deinde reges per ordinē successio-
„ nis regnum ad Astyagem descendit. A' quo uariantes aliorū opiniones multiplices, & ipso numero confusissimæ, discutientur ita rectissimè, si sequamur Eusebium. Is enim & Metasthenem cum Diodoro, & utrunque cum Herodoto conciliare uoluisse uidetur, & conciliare potuit facilius, quò bonorum auctorum copia tum maior suppetebat. Quanquā etiam à Metasthene traditā seriem suspectam reddit, quòd Arbaci Persidem quoque subijcit, & CYRVM Magnum Darij fratrem facit. Nam loqui ipsum de Cyro hoc Persa, inde patet, quòd filiū huius Cambysem nominat, & patrui mortem in Scythis (Massagetis) uindicatam ab ARTAXERXE Prisco, cui attribuit Patrem Darium, ait: cùm paulò antè à Cyro in Scythas susceptam expeditionem, affirmet. Vnde mirari oscitantiam eorum libet, qui inde Cyrum Medum finxêre, eumque interfectum à Massagetis, uolūt. Addo his, quod idem Metasthenes Persicos reges à Dario Medo propagat, & nepotem huius è filio Artaxerxe Prisco nuncupat Artaxerxem Longimanum. Sed hæc nobis attingenda in præsenti, non disquirendo explicanda fuerunt, & dabimus de omnibus suo loco pleniora. De Diodoro tamen prætereundum id adhuc unicum silentio non erat, quòd nempe magis nominibus, quàm personis uariare uidetur: de quibus nominibus ideò mirum id minus censeri debet, quòd sæpè ea, quæ dignitatum uel officiorum essent, pro proprijs obrepsêre. Neque rarò filios in regni consortionem reges sumpsêre, & regnare secum æquali potestate permisêre. Vnde fieri potuit utrunque, ut tū imperij anni confunderentur, tum è filijs in regū serie retinerentur, qui tamen interdū ante parentes obijssent. Quod idem in nostris gentibus usu ita inualuisse scimus, ut reges ferè non à successionis principio, sed ab electione uel inauguratione, imperij tempus supputent. Quare nomina plura Diodorus habet, quòd deflectere sententiam Ctesiæ (is enim eius narrationis auctor est, neque consuetudinis illius ignarus esse potuit) nollet: pauciora Eusebius, quòd ad Græcæ gentis & Romanorum instituta omnia reuocaret. Neque improbarem cōiecturam, si quis binomios reges hosce fuisse contenderet: quod itidem de regibus Iudaicis annotauit Philo. Ac refero huc, quòd aliqui opinantur, nomē Arbaces à familiæ conditore successoribus omnibus cōmune fuisse, ut Par-

thicis

thicis ab Arſace, Arſacis, Ægyptijs à Ptolemæo, Ptolemæorum, & apud alias gentes alia in uſu fuere: qua de re alibi à nobis explicatum pluribus. Tametſi hoc nonniſi de poſtremo, de quo poſt dicendum nobis erit, reperiatur, ut equidem ad reliqua tria, & præcipue ad dignitates & officia reſpicere hîc malim. Siquidem neq; in noſtra lingua exempla de nominibus ſimilibus deſunt, in quibus ſunt: Cæſar, Papa, magnus Turca, magnus Can, magnus dux, pro Romanorum Imperatore, Pontifice Romano & regibus Turcarum, Tartarorum, Moſchorum. Memoranturq; ita in hiſtorijs, Saracenica, Calipha, Sultanus, Amiras: Græcum, Deſpota: Henetum, Cralis: Vngaricũ, Banus. Quin & nomina ipſa ſæpenumero enunciatione uariata atq; corrupta inuenias. Vnde ex Ebræo Arphaxad Græci fecêre Arbaces: quod rurſus ita immutatũ eſt, ut alijs Arbactus, alijs Abraces, alijs Pharnaces, alijs Arbatus, dicatur. Interim tamen hoc conſtat, eſtq; adeo pro certo tenendum, de regibus primis conuenire Diodorum & Euſebium ſententijs propius, habetq; ſuam itidem laudem Metaſthenes. Eſt enim diſcrimen tantum in nominum enunciatione & collocatione: nec diſcerno Medidum à Mandane, ut neq; Sarſomenem à Soſarmo, Cardiceam ab Artecarmi, quod nomen poſterius quomodo ex altero immutatum fuerit, in ſequentibus docebimus. Cętera dehinc diſcrepant prorſus, è quibus Euſebiana uel ideo potius retinenda, quo poſteriorum quatuor hiſtoria ex Herodoto notior, eaq; retineri à pluribus aſſolet. Et congruit CYAXARIS. I. contra Ninum ſeu Niniuen bellum cum Nahumi Prophetæ uaticinio. Quanquam in illa ipſa Herodoti hiſtoria, dubia plurima relinquantur: quod idem recurrendo ad Arbacem, tum de hoc, tum de reliqua eius poſteritate affirmare licet. Nam prodidit Diodorus, Aſſyriorum monarchiam uniuerſam ab Arbace occupatam, ſola Babylonia PHVLBELOCHO conceſſa. Nec diſſentit Oroſius, & euìte Arbace in Medos, regni partem Chaldæos penes ſe retinuiſſe, & Babylonem aduerſus Medos uindicaſſe, ait. Quæ cum literis ſacris pugnantia nos etiam reijcimus. Addit Duris apud Athenæum, Sardanapalum ab Arbace, cui tam perditi mores, & uita mollicieſq; profligatiſsima, uehementem indignationem accendiſſent, mox in gynæceo obtruncatũ. Sed negat hoc apud eundem Cteſias, negant etiam Diodorus & Iuſtinus, qui tamen poſterior de bello nonnihil uariat, id quod hoc loco ceu retexendo explanetur, opus non eſt. Ac Herodotus, ut regni ipſius initium facit in DEIOCE, ita & Ecbatana condita ab eo autumat: quod nos cum Diodoro referimus ad Arbacem. Attexuntur dehinc à Diodoro bellum Caduſiorum contra Artæum, & motus SACARVM. Quæ tametſi non negem, tamen de regibus dubito, in quorum ætatem iſta

 incidere:

incidêre. Enimuerò ut de Cadusijs rem uerisimiliorem facit, quòd &
Persicæ monarchię tempore reges suos habuere, ita de Sacis testimo-
nium gratius nobis esse debet, quòd opinio doctorum constans sit,
propagatos ab his SAXONES Germaniæ. Nam & Ptolemæus
in orie͂tali ora illa gentes sedibus uicinas nominat: SASSONES,
SVEVOS, SVOBENOS, CHATAS, quę sunt magis tri-
ta nomina Saxones, Sueui, Chatti uel HASSI. Et exploditur meritò
Crancij error, qui Saxones Chattos esse censet: sicuti fœdius lapsi illi,
qui Alexandri exercitus reliquias fecêre. Nec reginæ ZARINÆ
nomen distinguo à Germanico Herinne, domina, uel Scharinne, exer
cituum ductrix. Cuius cùm uirtus ingens fuerit, placuit hîc adijcere,
» quæ idem Diodorus de ea tradidit: Sacarum, inquit, tum regina erat
» mulier, Zarina nomine, bellorum appetens: audacia quoq; & rebus
» gestis cæteris fœminis inter Sacas longè præstantior. Habet ea regio
» mulieres robustas, quæ uiros appetunt pręsertim belli gloria illustres.
» Fertur hæc tum pulchritudine, tùm consilio prudentiaq; mirabilis ex-
» titisse, propinquasq; gẽtes barbaras superbia elatas, ac Sacis imperan
» tes expugnasse, maioremq; eius regionis partem ad mitiorem tradu-
» xisse uitam. Multas insuper condidisse urbes, quas reddiderit cæteris
» uicinis gentibus feliciores. Post eius obitum, memores beneficiorum
» eius uirtutisq; subditi, sepulcrum ei construxère, omnium quæ apud
» ipsos erant magnificentissimum. Pyramis ea fuit triangularis, cuius la
» tus quodq; tribus stadijs prote͂debatur: altitudo stadij erat unius, uer
» tice in arctum constricto. Addiderunt sepulcro auream statuam in-
» star colossi, honores insuper heroicos: aliaq; ad sepulcri magnificen-
» tiam impenderunt, quæ suis maioribus consueuerunt largiri. Hacte-
nus Diodorus. Reliqua est pugnantium opinionum discrepantia de
Astyage, à quo usurpatæ in Cyrum & Harpagi filium crudelitatis de-
cantatam ab Herodoto fabulam, quam sequuntur è Latinis Iustinus
& Valerius, planè reijcimus. Neq; hæc nostra asseueratio incogitan-
tiæ audaciæue temerariæ, seu quod Græci dicunt, ἄλογος uideri debet.
Facit enim disertè nobiscum Zonaras Tom. 1. Et Seneca lib. 3. de Ira
cap. 13. nõ ob Cyrum conseruatum, sed quòd regi aliquid suasisset, quo
is offensus esset, epulandos liberos Harpagum accepisse, refert. Vt se-
cutum Herodotum appareat, communem hac de re in Ionica gente fa
mam, undecunq; sanè illa extiterit. Et quid ueteres, atq; in his Cicero,
in eò desiderârint, tum quomodo ipse sępè ea, quæ ueritati minus con
sentanea uideri poterant, excuset, obscurum non est. Cæteroquin e-
tiam peruulgare est, ut heroicorum uirorum, quos inter Cyrus nulli
secundus fuit, historijs fabulosa multa admisceantur, quod doce͂t ex-
positiones de Alexandro, & in nostra gente, de THEODORI-

 COVe-

CO Veronensi, HENRICO Leone, FRIDERICO. I I. &c. Etsi interim hoc facilè concesserim, crudelitate Astyagem non caruisse. Neque à uero alienum est, Persas ipsos talia primum diuulgasse, cùm hoc quærerent, ut Cyri uirtus redderetur illustrior. Par huic censeri debet, quod de bello Cyri contra Astyagem, & regni Medorum in hoc interitu, traditum est. Qua de re cùm luculentæ habeantur sacrarum literarum narrationes, minus etiam hac nos parte dubitare conuenit: & fuere sanè eædem etiam de præcedentibus nobis, quam maximè sequeremur, norma. Quia enim à Daniele socius Dario Cyrus adiungitur, quomodo Astyagi hostis esse potuit? quo Astyage genitum Dariũ, Iosephus affirmat, & nomine à Græcis alio, quod è Xenophonte & Zonara Cyaxares esse censemus, uocari asserit. Vnde & hoc iterum, quod suprà de nominum diuersitate monuimus, planum fit. Etenim in literis sacris Dario genitor attribuitur Assuerus, cùm eundem Apandam nuncupet è Ctesia Diodorus. Ac regnũ in Astyage adeò sublatum non est, ut & in Dario, seu Cyaxare, multò cœperit esse potentius. Nam adiecit is Chaldæorum monarchiam, ut scripsit Daniel cap. 9. hancq́ in Medis ipse alteram inchoauit. Quò spectant uaticinia Esaiæ cap. 31. Ieremiæ cap. 51. ubi regnum Babyloniců à Medis destructum iri, prædicitur. Nec dubitârim eodem allusisse Iustini & Herodoti de Harpago & Sybari expositiones. Vterq́ enim Medus nominatur, uterq́ Cyro socius additur. Verùm quantum commodauit Medorum regno Cyaxaris felicitas, tantũ nocuit orbitas. De qua re tota amplectimur ea, quæ habent Xenophon & Zonaras, quòd nempe cùm masculam sobolem rex ille legitimam nullam suscepisset, Cyrum generum atq́ nepotem, hæredem instituerit. Ideo ab hoc primum tempore Media iterum sub alieno Persarum dominatu esse cœpit, non ui coacta, sed sponte ob ius successionis Cyro se submittens. Tametsi ab ista potentiæ fama nomen Medorum fuerit etiam sequentibus temporibus, quàm Persarum, aliquandiu illustrius. Vnde est, quòd Persæ, qui in Marathone pugnârunt, Medi uocantur ab Herodoto, & bellum Xerxis, Medicum. Legimus tamen apud Aristotelem, Medos & Babylonios sæpius à Persarũ regibus bello repressos, propterea quòd cùm antea imperium obtinuissent, iugi alieni insolentes essent. Quo moueor, ut neq́ ab ĳs refragando discedam, qui Arphaxadum seu Arbacem Medum (est enim nomen idem) quem celebrat Iudithæ historia, ad CAMBYSIS tempora referunt, hůncq́ nomine Nabogdonosoris significari existimant. Fortè enim illum è pellice Cyaxari natum, multitudo rebellis contra Persas regem assumpsit, & Arbacis nomine honorauit, quòd successum parem, quem habuerat Arbaces I. de eo sibi despondere. Quanquam alioqui etiam,

ut ostendimus in præcedentibus, id regibus commune esset. Et pertinet huc expositio Xenophontis lib. 3. ἀναβάσεως de erepto Medis à Persarum rege imperio, & Media regis Medorum uxore profuga, in Mespila urbe obsessa. Neque enim uerisimile est, eum in παιδείᾳ tradita retractare ibi uoluisse, & ut maximè retractârit (sicuti & Plato & Cicero de ea affirmant, non esse ad historiæ ueritatem scriptam, quod equidem neq; ipse de posterioribus negârim) sufficit tamen nobis sacrarum literarum indubitata ueritas, cum quibus, ut prætercam cætera, de Babylone capta ita auctor is conuenit, ut ex ipsis Persicorum regum annalibus, quorum apud Cyrum iuniorem habere copiam potuit, contexuisse eam uideatur. Vt ne iam referam, Zonarã nihil prorsus à Xenophontijs discedere. Compescitur tamen hic Medorum motus cladibus grauibus: cumq; post iteratam defectionem primum à Dario Hystaspis, deinde à DARIO Notho subacti essent, seruitutẽ Persis cõtinuam, maximeq; acerbam seruiant, usq; ad Alexandri Magni monarchiam, & successorum regna, in quibus post crebras & uarias mutationes tandem Mediam maiorem retinuêre SELEVCIDÆ. Nam minor per Atropatum regnum esse cœpit, de quo post separatim agemus. Adiunxit tamen Diodorus Arbacis familię regno, alterum itidem in Media Cadusiorum, de quibus suprà à nobis explicatum, idq; exorditur in PARSODE. Sed hoc ut obscurius hîc præterimus. Et meminit idem Diodorus à Cyro Cadusios Persis subditos. Quod accipiatur tantùm de tributis, quæ ab eis exacta fuêre: nam reges nunquam amisêre: Quippe quibus cum bella difficilia gesserint ARTAXERXES Mnemon & successor OCHVS, testibus Plutarcho & Diodoro. Atque extendit hoc gentis regnum Trebellius usq; ad Valeriani imperium. Nominat enim in historia huius Cadusiorum regem Balerum: Qui cùm SAPORI Persæ amicissimus esset, de fastu, & in Valerianum usurpata barbarica sæuitia, epistola ipsum graui obiurgauit. De annis regum Mediæ id breuiter repeto, sequi & hîc nos Eusebium, à quo quomodo dissentiat Metasthenes, & ab utroq; Diodorus, suprà exposuimus. Neq; audiendus Iustinus, qui ab Arbace regum Mediæ annos numerat 350. E Metasthene tamen biennij tempus, quod tribuitur Dario retinemus, sed ita ut cum Cyri annis coniungamus. Quærunt alij Chronologias alias, quas omitto. Neq; enim resecari omnia, amisis ferè auctoribus præcipuis, ad uiuum possunt, & sufficere in tam fluctuantibus opinionibus diligenti lectori poterit, si aliquid uerisimiliter definitum, quod sequatur, habeat.

CONSVETVDINES regum Mediæ easdem fuisse, reperimus, quas de Persicis scriptores prodidêre. Sic enim Strabo lib. 11.

Quæ nunc, inquit, Persica schola dicitur, & equitandi & sagittandi stu "
dium, & cultus, & ornatus, & religiosa à subditis in reges ueneratio, à "
Medis profecta est. Idq́ uerum esse uestibus declarat. Nam tiara & ci- "
daris, & pileus, & manicatę tunicæ, & anaxyrides, in frigidis & borea- "
libus locis, quales sunt Medici, apta gestamina uidētur: in australibus "
uerò nequaquam, &c. Iccirco differere de his plura supersedeo, atq; "
ad suum & debitum locum ista reseruo. Solinus auctor est, fluuij Eulæi (est is Danieli Vlai) bibere ipsos aquam solitos. Populi erga eos obseruantiam, & subiectiss. uenerationē, depingit Virg. lib. 4. Georg. Quò pertinet quod scripsit Daniel cap. 6. Medorum institutū fuisse, ut regum decreta atq; statuta omnia rata essent atq; immutabilia.

FAMILIA ARBACIS, QVÆ REGNAVIT IN MEDIA ANNOS CCLXI.

I. ARBACES. I. gente Medus, claruit dignitate, uirtute & rerum gestarum amplitudine inter duces SARDANAPALI, regis Assyriorum. A' quo per speciem honoris in patriam ablegatus præfectus, re uerò ipsa uitæ eius impurissimæ spectandæ formidatus atq; amotus censor, absens flagitia domini atq; turpitudinem cognoscit. Ideo ad rem istam totā certius explorandam, sub prætextu sistendarum copiarum, quę à Medis quotannis ad regem mittebantur, Ninum (est hæc in literis sacris Niniue) regressus, & cum uix tandem admissus esset, fingi rumoribus nihil edoctus; ira uehementi de tanta indignitate incandescit: de defectione consilia init: & pertracto in partes PHVLBELOCHO, bellum apertè mouet, ac cum regijs copijs prelijs tribus decertat. In quibus cùm conatu infausto semper discessisset inferior, ad extremum negligentiores inde cum rege hostes factos de nocte adoritur, & clade ea prosternit, ut regem intra Ninum reiectum, & biennali obsidione defatigatum, ex desperatione ad mortem uoluntariam, quam pyra in regia extructa, seq; & diuitijs mulieribusq; in incendium immissis, sibi intulit, compulerit. Ergò regio nomine acclamatione omniū honoratus, prouincias componit, & Mediam sibi retenta, Babyloniam & Assyriam PHVLBELOCHO, ausorum socio, permittit. Fuit in imperio annos 28. Diodorus, Athenæus, Zetzes, Velleius, Iustinus, Orosius. Variatur de nominis scriptura diuersis diuersorum sententijs. Nam alij Arbactum, alij Abracem, alij Pharnacem, alij Arbatum uocant. Suidas hæc de Arbace habet: ARBACES, rex Medorum tempore Sardanapali, uir & mo- "
destia uitæ, & rebus gerendis præstans, in uenationibus & bellis uer- "
satus,

„ ſatus, qui cùm & antè res magnas geſsiſſet, & maiores animo conce„piſſet, audita uita & moribus regis: cum animo ſuo reputans, Aſiæ im„perium in hoc eſſe ſtatu, quod uiro ſtrenuo careret, conſilium de toto „principatu init.

II. SOSARMVS, retinet ſucceſsione patris imperium annos 30. Sed fama nominis obſcura: & credibile eſt, populum ipſum grauiſsimi belli periculis ſub Arbace contra Aſſyrios defunctum, ad pacem ſe conuertiſſe, armis depoſitis.

III. MEDIDVS, regnat & ipſe absque claritate annos 40. præualeſcente fortè tum PHVLBELOCHI familiæ in Aſſyria potentia. Incidit enim imperium eius in SALMANASSARIS tempora, quem Salmanaſſara genti Iſraëliticæ domicilium in Media attribuiſſe, literarum ſacrarum nos docet ueritas. Quocirca uel ſubiecta, uel, quod potius reor, uectigalis hæc tum Aſſyrijs fuerit, neceſſe eſt. Enimuerò bella interuicina iſta regna extitiſſe creberrimè, argumenta multa oſtendunt, ſed quę initio ea moderatione gererentur, ut mulcta & tributis pax facilè conciliaretur. Quanquam neque id fortè non habere hîc locum poteſt, quod ſuprà retulimus ex Oroſio, nimirum Mediæ nomine in ſcripturæ ſanctæ libris & Aracoſiam & Parthiam & Aſſyriam & Perſidem uenire. Quæ lectoris iudicio æſtimanda relinquimus. Cùm quidem hiſtoria Tobiæ cap. 1. meminerit, regnante SENNACHERIBO Mediæ uias, propter bella, quæ illis in finibus eſſent, intercluſas fuiſſe.

IV. CARDICEAS, tenuit regnum annos 13. in quo pàtris auique experitur fortunam, nec quicquam memoria dignum peragit. Etſi uirtus ei non defuiſſe uidetur: unde equidem & nomen ipſi immutatum, ſuſpicor. Nam, quod habent Metaſthenes & Diodorus, Artecarmis, ex hoc proprio Cardiceas, unico tantum elemento uariato, & appellatione Arta, qua ſeu dignitatem ſeu uirtutem bellicam denotante, principium accreuit, compoſitum cenſeo. Vt ſignificatione ſit magnus Cardiceas. Ita enim Arta in Perſico Artaxerxes (habuiſſe autem Perſas cum Medis linguam eandem, ex Strabone certum eſt) interpretatur Herodotus. Vnde mirari minus conuenit, quòd eidem ſcriptori rex hic Phraortes dicitur. Hoc enim nomine Deiocis patrē refert: cùm quidem ſuprà è Iuſtino oſtenderimus, ad Arbacis familiā Deiocem pertinere: & Cardiceā anteceſſorem ei præmittat Euſebius.

V. DEIOCES, reſtituit familiæ dignitatem ueterem, & populum ad obſequium promptum pellicit, non uiolentiæ & armorum

terrore,

terrore, sed iure & legibus, quas uel à maioribus latas reuocauit, uel nouas ipse condidit. Quippe qui prudentia & iustitia eximia esset. Cumq; iudicijs æquissimè constitutis, ad regni firmandi curam se conuertisset, hoc præsidijs munit, regibus satellitum adiungit, ad eosq; uenerandos populum humanitate & rationibus honestis inuitat. Fuit in regno annos 54. Herodotus, Eusebius. Repetit Deiocis ex Herodoto historiam Plutarchus pro Nobilitate, ubi generis obscuritatem cum uirtutibus ipsius comparās: Enimuerò, inquit, Deioces ille tuus " quid quæso Nobilitati detrahit? quid enim Nobilitati honorificen- " tius, quàm à diuina illa æquiboni disceptatione, æquitate, iustitiaq; o- " riginem sumsisse? Et iterum: Nec negabo, nobilitatem generis initia " duxisse à uirtute, eadem fulciri, eiusdem radijs illustrari, &c. Polyænus " Dioclem uocat, quod idem nomen retinet Orosius, & uariat nonnihil de historia eius uterq;.

VI. PHRAORTES, regnat annos 24. Affectauit bellicæ fortitudinis gloriam: cuius studium cùm & in regni proceribus accendisset, contra Persas expeditionem suscipit: infestat Asiam: & adortus Assyrios & Niniuitas, cum parte exercitus perit. Herodotus. Meminit Pausanias in Messeniacis, uariato modicè nomine (Aphraortem enim uocat) & ARISTOMENEM Messenium, transmittere ad ipsum, post infelix cum Lacedæmonijs bellum cogitasse, ait.

VII. CYAXARES. I. componit & emendat à patre seu reuocatam seu conditam militarem disciplinam: distinguit regnum in prouincias, idq; prosperrimo uictoriarū cursu ad Halym usq; fluuiū, quo limite utebantur Lydi, propagat. Nam & hunc transgredi, atque HALYATTEM regem bello oppugnare, ausus, etsi prælia multa secunda faceret, frangitur tamē mora: ac territus deniq; solis deliquio, quod anno expeditionis huius sexto, exercitu utroq; in acie stante, atque armis depugnante, acciderat, de pace agi permittit. Inde contra Assyrios & Ninum patris bellum renouat, hancq; obsidione graui fatigat. Quo tēpore infestatus à Scythis, qui persequendo CIMMERIOS, populabundi in Asiam penetrārant, infelix cum ijs prælium init, & clade affectus maxima, annis multis hostes eos graues habet, amissis interea regni prouincijs omnibus. Ideò de armis spem abijcit, & ad dolos conuertitur: principes illorum amicitiæ & hospitij iungendi prætextu ad conuiuium inuitat: hisq; inter scyphos cæsis, reliquam deinde multitudinem non magnò negotio debellatam, iterum Asia eijcit: ac recuperatis hac ratione quæ amiserat, ad Nini quoq; obsidionem regreditur, quam ui expugnatam solo æquat. Moritur anno regni 32. Herodotus. Eusebius lib. 9. de præparat. Euang. cap. ult. Sti-

barem

barem nominare ex Alexandro Polyhiſtore uidetur, & ſocium facit NABOCHODONOSORIS Magni. Idem alibi bellum cum Halyatte ad Aſtyagem ſucceſſorem transfert: ac Plinius & Solinus deliquium Solis ſub eodem accidiſſe, uolunt. De pacificatione cum Lydis inſtituta, eaq́ꝫ liberorum confirmata cõiugio, hoc ceu ἐπιφώνημα additum habet Herodotus: „ Conuentiones ſine uehementi neceſsitudi- „ ne ſtabiles iniri non queunt. Nini excidiũ prædicit NAHVMVS uates, & cauſas addit idolatriam καὶ ὕβριν ἄκοσμον καὶ νόμων καὶ δίκης αἰσχρὰν καταφρόνησιν. Nam in hæc uitia mox poſt IONÆ tempora iterum ciuitas iſta prolapſa fuerat, ſed ex diuinæ clementię gratia iam facta cum ſecura ferocitate deterior. Per SCYTHAS à Cyaxare oppugnatos, Germanici nominis & originis gẽtes, hoc eſt, GERMANOS, ALANOS, SVEVOS, DAHAS ſeu DACOS, GETAS, SACAS, accipit uir clariſſ. D. Caſparus Peucerus: nec diſcernẽdi à Cimmerijs CIMBRI. Quæ antiquitatis cognitio & perſcrutatio non debet non omnibus eſſe gratiſsima. Cœpit enim ab hoc initio Germanica noſtra primum habitari. Nam CIMMERII (ſunt hi poſteritas Gomer, propago uidelicet Galatarum, quod nomen origine idem cum alteris duobus, CELTÆ & GALLI, primum omnium atq́ꝫ antiquiſsimum noſtrę gentes commune habuêre) eiecti tum ex Aſia ab Halyatte, cũ ſocijs Aſcanijs, à quibus ſunt TVISCONES uel TEVTONES, & Caycis, migraſſe in Europam, ac conſediſſe in Germania, credũtur. Horum ueſtigia proximè tenuere GERMANI, gens nimirum peculiaris à THOGORMA: Qui cùm premerẽtur ab accolis orientalibus, cupidis earum ſedium, quæ ſperabantur commodiores in Europa, itaq́ꝫ ipſi rurſus urgerent atq́ꝫ infeſtarent Cimbros, credibile eſt, ſuſceptas ab his terribiles iſtas in Romanorum prouincias expeditiones. Etenim & hîc eis TEVTONES adiunguntur. Vnde factum, ut nomen Germanorũ cœperit in hac ora celebrius eſſe, & Romani tum Germaniam ipſam, tum gentes Germanicę linguæ atq́ꝫ ſtirpis parte maxima, ab ijs denominârint. Neq́ꝫ enim, quæ peruulgata plurimorum opinio eſt, in omnes id ſe extendit, excluſis ſcilicet Gallis ſeu Galatis in Italia, Gallia & Aſia, & præter alios ad Iſtrum, Getis, Dacis & Alanis, è quibus Getæ & Daci Thracibus, hi ueterrimorum Gręcorum imitatione Scythis accenſentur. Quanquam uti Germanorum, ita & Scytharum nomen, gentis principiò unius proprium fuit. Quæ quòd Græcis propior eſſet atq́ꝫ notior, reliquis inde denominationem peperit, ſicuti è contrario à Sacarum uicinitate Perſæ eoſdem Sacas nominârunt: & Henetæ gentes à Sarmatis uicinioribus, Germanicæ à Germanis, apud Gręcos & Romanos Sarmatarum & Germanorum nomen inuenêre. Interpretor

autem

autem SCYTHAS è Saxonica dialecto iaculatores, ſagittarios Schutten, Græca enunciatione nihil prorſus uariante. Et pertinet huc Suidæ teſtimonium, qui Athenienſium magiſtratuum miniſtros ab armatura Scythica τοξότας & Scythas nuncupatos, ait. Hodiè ſupereſt à Scythis gens Scotorum in Britannia: quod præter nominis cognationem, quod tantummodo dialecto uariatum eſt, morum feritas uetus oſtendit. Nam à Græcis tributam Scythis ἀνθρωποφαγίαν, narrat etiam de Scotis D. Hieronymus in epiſtolis.

IIX. ASTYAGES, accipit à patre regnante coniugem Aryenin Lydam, à morituro regni ſucceſsionem, quod regnum tenuit annos 38. Bellum unicum geſsit contra Armenios, ut innuit Xenophon, & paulo antè mortem Babyloniorum irruptionem repreſsit: reliquo imperij tempore tranquillo, & turbarum motibus uacuo uſus. Cumq; amicitiam cum Perſis confirmaturus, CAMBYSI regi filiam Mandanen collocaſſet, genitum inde CYRVM Magnum habet liberaliter, & ob id indolem heroicam, amore & beneuolentia eximia complectitur. Nam quod ſuprà indicauimus, facimus nos cũ Xenophonte, à quo Herodotus diſſentiens, Aſtyagem in nepotẽ crudelitatis nefariæ accuſat, uſurpatæ primùm erga natum ex Magorum reſponſo: quippe quem exponi iuſſerit: & iterum ob agnitum erga HARPAGVM. Neq; exul & captiuus obijt, quod itidem uult Herodotus, ſed domi in pace ſumma, & filio poſsidendum regnum reliquit. Daniel Aſſuerum uocat, Diodorus è Cteſia Apandam, Cedrenus & Darium & Artaxerxem & Nabogiadum, atq; hiſtoriam ipſius cum Cyaxaris filij rebus geſtis permiſcendo, à Cyro interfectum, ait.

NATI Aſtyagi ex Aryeni coniuge liberi, CYAXARES & MANDANE. Quibus Cteſias addidit filiam alteram Amytin, quæ Cyro nupſerit. Sed hæc fabula etiam à Xenophonte refutata, reijcitur iuſtius, quòd auctor idem Cyrum ab Aſtyagis familia alienum facit. Neq; audiendus Cedrenus, qui Aſtyagi etiam Eſtheram collocauit: quippe qui ipſe id alibi retractans, ad Artaxerxem Longimanum referat.

IX. CYAXARES. II. pręſtitit fortem patri operam contra depopulatores Babylonios: & defuncti regnum hæreditate adit. Qua occaſione bellum cum Crœſo Lydo renouantem BALTASSAREM regem (ſequimur enim hìc ſanctæ ſcripturæ ueſtigia, Ioſephum & Herodotum) & nouum ipſius imperium deſpicantem, apparatu contrario terret, & prælio uictum cum CYRO ſocio urget: recipit feliciter Armeniam: Babylonẽ obſidione infeſta premit, hacq; tandem per Cyrum in poteſtatem redacta, & Baltaſſare ipſo cęſo, mo-

d narchiæ

narchiæ secundæ initium facit, potitus ea laudatiss. uirtutum gloria ad biennium. Nam præter illustria facinora edita alia, etiã IVDÆOS exules conseruauit humaniter: & motus fortè pietatis & sapientiæ fama, quæ de Daniele prædicatur, atque, ut censet D. Hieronymus, aucta recens fuerat uaticinio de Baltasaris interitu, accersitum ad se inter regni principes legit, & cœlestem ab eo doctrinam addiscit. Quod indignè ferentes cæteros principes, etsi persuasus & circũuentus per calumniam, sæuire in uatem sanctissimum permisit, studium tamen erga illum suum non deposuit: atque in leonum fouea conseruatum conspicatus diuinitus, deque eo gauisus sibi, gratulatus illi plurimum, tum locum ei pristinũ restituit, tum calumniatores principes pœnis grauissimis afficit, & Deum uerum coli edicto iubet. Regnum moriens CYRO genero reliquit: & cessat hoc exinde in Medis usque ad ALEXANDRI monarchiam. Nam ARBACEM. II. è regum legitimorum numero excludimus. Et quod sub Alexandri monarchia cœpit ibi per ATROPATVM regnũ, solam Mediam minorem complexum est. De quo in sequentibus separatim explicabimus. Daniel, Xenophon, Iosephus, Zonaras, è quibus Iosephus cum Daniele Darium uocat, cùm Hieronymus id ex quorundam sententia etiam de Astyage intelligi uelit, itaque etiam, ut ostendimus, Cedrenus usurpet. A' Zetze ignauiæ notatur & stoliditatis: censetque idem auctor peruenisse ea occasione summam potentiam ad Cyrum.

MANDANE, collocatur à patre CAMBYSI, regi Persarum: neque in Cyrum filium, tyrannum ipsum, sed maximè beneuolum experitur, ut scripsêre Xenophon, Suidas, Zonaras, Zetzes. De patris somnio, & in filium usurpata sæuitia fabulosa, Herod. lib. 1. Iustinus lib. 1. Valerius lib. 1. cap. 7.

CYAXARIS. II. matrimonium ignoratur: sed Xenophon ei filiam unicam attribuit, quæ Suidæ BARDANE est. Et addimus nos ex eodem Suida Arphaxadũ, seu ARBACEM nothum.

BARDANE, collocatur à patre CYRO Magno, & regni hæres cum eo instituitur. Quem ob imminens à CROESO bellum angore uehementi cruciari conspicata, per DANIELEM uatem confirmat. Suidas.

ARBACES. II. constituitur rex per seditionem contra CAMBYSEM, regem Persarum. A' quo imminentis belli periculo maturè occursurus, munit, uel potius instaurat Ecbatana: ac contendere deinde cum eo prælio ausus, & strage ingenti superatus, atque in fuga iaculis confixus, tum genti suæ seruitutem acerbam relinquit, tum uicinis cæteris, qui uel muneribus ab eo corrupti, uel studio erga imperium Medorum uetus illecti, Cambysi auxilia denegarant, peri-

culum

culum graue conflat. Iuditha cap.1. Eusebius, Suidas ἀλοφέρνης. Nam alibi auctor hic historiam istam ad Xerxis tempora refert, & Nabochodonosorem Cambysis filium uocat. Variant etiam de eadem ita Philo & Zonaras, ut ille per Nabochodonosora, Assuerum, quem Darium Hystaspis interpretantur (alij enim ipsum Cambysem accipiūt) hic Chaldæum illum, qui regnum Iudaicum destruxit, intelligant. Nec desūnt deniq́ è recentioribus quibus Arphaxad Deioces est. Quæ omnia absq́ rationum probabilium indicio tradita, ratione etiam eadem meritò reijciuntur atq́ improbantur.

REGNVM PERSARVM: QVOD MONARCHAM PRIMVM HABVIT CYRVM MAGNVM.

DE PERSIÆ LIMITIBVS, PROVINCIIS, GENTIBVS: DE HARVM ITEM ORIGINE, IMPERIIS, STIRPE REGIA: *& quæ huius propagatio, interitus, consuetudines.*

PERSIAM Ammianus definiuit Asiæ superioris prouincijs octodecim. Quem tractum, ut suprà ostendimus, Orosius etiam Parthiã nominauit, & ex sanctæ scripturæ auctoritate eidem nomen Media accommodat. Sed hæc descriptio nō Geographica, sed usurpationis ciuilis est, profecta inde, quòd Medi, Persæ, Parthi, imperiorum successione propemodum continua ibi dominati fuerint. Etenim Medos Persæ excepere: quibus à Macedonibus oppressis, effloruit non multo pòst Parthorum potentia. Hanc sequitur nouum Persarum regnum, usq́ ad Saracenica tempora. Tum enim iterum Parthi potentes esse cœperunt: quos etsi excussere ASSYMBEII Turci, tamen patrum nostrorum memoria repetijt dominatum HISMAEL SOPHVS, à ueteri regum stirpe, quæ GEMPSÆ est, oriundus. Estq́ ex his tot mutationibus & nominum consecuta confusio aliqua. Ac sicuti Persæ sæpè à Græcis Medi nominantur, ita rursus Persæ cum Parthis miscentur. Sic enim Solinus. Persis translata in Parthicum nomen. Et Plinius lib. 6. cap. 13. « Persarum regna, quæ nunc Parthorum intelligimus. Nec sanè desunt « huius generis in auctorum monumentis exempla alia plurima, quæ à studioso lectore obseruando conquiri, quàm expositione operosiore nostra inculcari, satius fuerit. Atq́ inuenias etiam de regionū aliquot

nominibus usurpationes similes: in quibus è ueteribus notum exemplum de Syria apud Plinium: & hodie tota Asia minor Turcis magna TVRCIA est.

Ergo Persidis limites ut è Geographorum annotatis constituamus iam exquisitiùs, nominauit hos Ptolemaeus Mediam, Susianam, Carmaniam, & sinum Persicum. Nam Strabo dissentiens, Susianam, Persidis partem fecit. Cui alias duas adijcit Iosephus, CHVTAM & ELAM. Ex illa, Israëlitarum euerso regno, colonos in Samariam deduxit SALMANASSAR Assyrius. Qui cùm Israëliticae gentis religionem regijs edictis amplecti iussi, nihilominus tamē patrios quoq; colerent Deos, infestissimos in Iudaeos habuêre, ita ut nomen ipsorum etiam in historia Euangelica conuicij sit, eo nimirum modo, quo Ethnici Christianos per contumeliam Galilaeos nuncupabant, & hodie appellatio Gyaur, à Georgianis, gente Asiatica Christiana in ueteri Iberia, Turcis in usu est. ELAM nomen à conditore gentis retinuit, qua de re pòst explicabimus. Et habent idem Esaias cap. 11. 21. 22. & Ieremias cap. 25. & 49. Quem eundem Ieremiæ locum Hieronymus „ explicans: Elam, inquit, regio Persidis, unde Elamitae. Plinius tamen „ Elymaidem nominauit, Aelianus Elymaeam.

GENTES Persicae complures & diuersae memorantur: in quibus, quas habent Herodotus & Strabo, praecipuę sunt: ELYMAEI, PERSAE, MOGORES, GERMANI, DAII. Harum aliqui propaginem communem fecêre, sed sententiarum pugna mirifica. Etenim fabulatores Graeci, ut se non explicant, ita etiam nomina alia effinxêre, & principiò lingua patria & ab accolis ARTAEOS, à Graecis Cephenas appellatos, scribunt. Suidas alibi ab Assur, alibi cum Cedreno à MAGOG deducit, & in sua lingua Magusaeos uocatos, ait. Sed haec partim contra historiae fidem, partim indiscretiùs tradita, suis meritò relinquuntur confirmanda auctoribus. Etsi nomen Artęi ad PARTHOS alludit, principio κατ' ἀφαίρεσιν litera P. mutilato: Quos Parthos ad Persas pertinere, suo loco fusius explicabimus. Atque ut appellationem MAGVSAEI Persis non adimo. (Tametsi Eusebius lib. 6. de praeparat: Euāng. cap. 8. ad Magos sapientes transtulisse propriè uidetur.) sic originem gentis illam à stirpe una nego. De qua, meo iudicio, explicari ita cōmodissimè poterit, si gentes ipsae discernantur: Quippe quas re & ueritate, generis satu planè diuerso editas, tantùm migrationes initiò coniunxissent. Quapropter de Elymaeis & Persis primùm ut agamus, equidem facilè ijs assentior, qui utrosq; à propagine eadē, hoc est, ab ELAM filio Sem, deducūt. Sic „ enim Iosephus: Elymi, ab Elyma (ita nominis Ebraei enunciationem „ asperiorem mutauit) orti & nominati, condidêre Persas. Et Eusebius:

Ab

Ab Elam, inquit, orti Elamitæ. Quo loco (tametsi fortè id leuius esset) " præteriri à me haud debuit, nomina eadē esse, ELYMÆI, ELYMI, ELAMITÆ: quorum postremum, translatum ad gentem uniuersam, ut literæ sacræ retinent ferè tantùm, ita primum itidem solum scriptores profani in usu habent. Atq; PERSAS Elymæorum partem facio, suffragante nobis his uerbis Zonara: Elam Elymæos, " Persarum maiores, reliquit. Quibus unde nominis id accesserit, me- " ritò quæritur: quandoquidem etiam Græcis notius fuit, adeoq; de tota gente usurpetur. Quanquam quam habent ijdem notionē à Perse, Persei F. ut fabulosam reijcimus. In historia Esdræ nominatur CYRVS Magnus, rex Paras. Inde Persas nūcupatos, affirmari crediq; rectè potest, ut significato sint milites, uiri fortes, conculcatores, accipitres. Enimuerò congruere hæc gentis moribus, præter alia testimonia, etiam Herodoti & Ammiani expositiones docent. Neq; obscura sunt in gente nostra denominationum similium exempla de Quadis, Vandalis, Sueuis, Hermunduris; Senonibus: in Henetis de Sclauis, Velicis, &c. MOGORES externi crediderim ortus à MAGOG: neq; enim sonus nominū horum multum discrepat. Et pertinet huc singulariter, quòd Suidas à Magog Persas deriuauit. Quoniam nomina hæc, Mogores, Magusæi, tantùm enunciatione discerno. GERMANI ijdem sunt cum gente nostra ὁμωνύμω: nec disiungendi à Dacijs Daci seu DANI: Qua de re cùm alibi explicationes dederimus pleniores, plura hîc ut adijciantur, opus non est. Neq; hæc in gente tam remota uideri colonia fabulosa debet. Etenim prodijsse gentes nostras ex Asia, nec primum ceu αὐτόχθονας in hisce oris genitas, constat. Quò facilius eorum suffragor opinioni, qui & ALANOS, à quibus sunt ALBANI & ALEMANI Germaniæ, Elami progeniem faciunt, indeq; etiam nomen conseruasse censent. Et refero huc, quòd Ammianus Persas & Alanos Scythas nuncupat. Nam hoc nomen nostrarum propriè fuisse gentium, alibi pluribus ostendimus. Quod tamen non accipi eò debet, quasi Germanos uideri Persas uelimus, sed quòd origine nostris gentibus cognati fuerint. Neq; eam sententiam conuellit, quòd lingua Persæ diuersa usi fuerint: id quod colligere è uocabulis quibusdam possumus, quæ in scriptorum monumentis referuntur. An non enim ab uno GOMER gentes Germanicæ & Sarmaticæ conditæ sunt? Vt ne id iam commemorem, linguas haud rarò unà cum sedibus gentes mutasse: qua de re notissima sunt exempla recentia de nostratibus colonis in Gallia, Hispania, Italia, Britannia, item de Henetis aliquot gentibus in Germania. Quanquam interim & Germanici idiomatis uestigia in Persicis uocabulis nonnullis animaduertere licet, quæ alibi expositione enarrata, hîc o-

mitto. Porrò autem de nominibus Persicarum harum gentium, eorumq́ in bonis auctoribus usurpatione, subijciendo id non commonere non debuimus, ab imperijs alia extitisse alijs celebriora, quæ eadem causa fuit, ut deinde communiter ad reliquas omnes trāsferrentur. Quippe quam obseruare consuetudinem & in alijs gentibus liceat. Ergo cùm effloruissent primi Persæ, factū inde nomen hoc Græcis notius, ita ut propemodum agnoscant solum. Nam literæ sacræ perpetuò à conditore denominant: Vndè est, quòd in Maccabæorū libris urbs Elymais dicitur, quæ Græcis Persepolis est: ut quasi interpretando reddidisse Græci Ebræum uideantur. Parthorum temporibus regnum retinuere liberum E L Y M Æ I, de quo plura Strabo lib. 16. & meminit eiusdem Plutarchus. Inde huius nominis inualuisse paulatim amplitudinem, credibile est. Nam & Lucas in Actis Elamitas nominauit, cùm de reliquis gentibus non conditorum, qui sacræ scripturæ & Ebræorū mos est, sed usu recepta nomina retinuerit. Postremi, hoc est, post Parthos euersos usq́ ad Saracenica tēpora in Persarum regno potiti rerum uidentur MOGORES, quos suprà non distinximus à Magusæis. Et potuit hinc nominis proficisci usurpatio, quam è Suida & Cedreno commemorauimus: ut tantummodo consideratio ea ad tempora posteriora, & in quibus fortè ipsi etiam uixere, pertineat. Adijciunt tamen his denominationibus patrijs quartam externam seu Scythicam, C H O R S A R I, Plinius & Solinus. Qui Scythę quia Germanici censentur nominis, non distinguo eam à Germanica itidem uoce Korisser. Prædicantur enim ab eximio robore Persici equites: & maiorum nostrorum memoria equitatus Sophianus grauiter Turcicas S E L Y M I. I. copias in campis Calderanis afflixit. Ne autem cui fortè hæ tam multiplices in gente una imperij nominumq́ mutationes miræ, aut etiam fidei dubiæ uideri posśint, uel unicum Germaniæ nostræ intueamur exemplum. In qua cùm Romanorum temporibus præpollerent GERMANI, pòst abolent nomen hoc FRANCORVM & ALEMANORVM regna, & ita abolent, ut de his nationes exteræ complures, appellare Germanicas gentes etiamnum soleant: illud uerò Turci de Europęis Christiani nominis regnis fermè omnibus usurpent. Neq́ acquisita primùm Francicis armis Romani imperij dignitas, diu in gente illa hęsit: translata nimirū primo ad S A X O N E S, inde rursus ad F R A N C O S Germanię & S V E V O S: à quibus per Exarchos Austrię ceu postliminio redijsse ad Francicam prosapiam uidetur.

R E G N A T V M apud Persas opinamur ab ipsis gentis primordijs, cùm imperia constituendi Babylone initium fecisset N E M R O D V S. Hæc libertas ἡ αὐτονομία an N I N I cessârit armis, ita ut ab

hoc

hoc oppugnati atque edomiti, deinde sub Assyrijs fuerint, quod scripsit asseuerando Diodorus, de eo sanè dubitari non immeritò licet. Etenim inter socios AMRAPHEL, qui est NINYAS, nominatur Elamitarum rex, CODARLAOMAR. Et retulit nescio quem BELVM Ouid. lib. 4. Metam. à quo rursus alium septimum fecit ORCHAMVM:

Rexit Achæmenias urbes pater Orchamus, isque
Septimus à prisco numeratur origine Belo.

Quæ etsi fabulosè tradita, & temerè ex eo nominis Beli apud orientales usu, de quo antea explicauimus conficta, ad idem tamen alludunt, quod retulimus è literis sacris, nempe Persas Nini temporibus reges adhuc suos retinuisse. Quare potius isthuc inclinatione propendeo, externum in Persis Assyriorum dominatum sub Nini successoribus & posteris cœpisse. Nam huius opinionis ceu uestigia non obscura Orosius commonstrauit, qui illos nunquam ferè à bellis quieuisse, ait. Et notum Thuræ seu Arij encomium illustre è Suida. Quibus adijci id etiam haud incommodè poterit, quòd cæteroquin magna potentia quiescere diu neque potest, neque solet. Retulit autem in Assyrijs Persarū præfectis è Ctesia Diodorus TITHONVM. Qui cùm patria & origine Troianus fuerit, Ili uidelicet filius, frater Laömedōtis, & nomen alludat ad Titanas, quos suprà Nemrodo cõmilitones & socios attribuimus, ex ordine illorum ad hoc ascendisse dignitatis fastigium, ipsum arbitramur. Fortè enim & Assyrij reges exemplum idem imitati fuêre, aut etiam Titanas ipsos ad se traduxêre. Certè in uicinis Israëlitarum gentibus crebrò Gigantes (quos cum Titanibus eosdem esse, constat) sacra Bibliorum historia nominauit. Quod docet, & alios passim. Reges id genus hominum, qui robore & dignitate corporis præstarent, sibi adiunxisse. Nec aliud uolunt antiqua gentis nostræ carmina de monstrosæ staturæ hominibus illis, qui nomine patrio dicerentur Die Riesen, & ab Hunis, gente præferoce, Saxonicè Die Hunen. Quanquam hi ferè ab infamibus latrocinijs notantur. Vt colligere inde liceat, potentiæ sublatos fiducia, quam regum fauore acquisiuissent, paulatim à Virtutis studio ad uitiorum declinasse turpitudinem: cumque passim iam grassarentur, ita tandem per uiros fortes repressos fuisse. Attigit autem Tithonus belli Troiani tempora: & cùm pro PRIAMO propugnando, auxiliares ei copias ab Assyrijs impetrasset, & his præfectum filium MEMNONA haud multo pòst ad Troiam amisisset, luctu contabuit. Quò alludentes fabulæ poëticæ, senecta nimia mutatum in cicadam fingunt. Nec quæ præterea gesta in Perside à præfectis fuerint, aut uti gens ipsa eam seruitutem seruiuerit, in literas relatum est. Nam quæ tradidêre Græci de regno Persis, quem alij Persei Mycenæi, alij Ægei, regis Athenarum, filium nuncupant,

cupant, fide carent. Etsi re uera nomine isto Persam aliquem fuisse cen seo, sed tempore posteriorem, quod facio uel Astra Zapis uel SARDANAPALI imperium. Vt alterum Græcum, solita genti huic uanitate, & in deducendis exterarum nationum denominationibus à gentilitijs & proprijs temeritate stulta, cum hoc ἐγχωρίῳ permutatum, & pro præfectura regnum, relatum appareat. Qui uirtutis forte commendatione in militares Assyriorum ordines captatus, patriæ deinde præfecturam promeruit, &, quæ nostra coniectura est, dignitatem eandem, in filium ACHÆMENEM propagauit. Siquidem usitatum iam esse cœperat, ut munera illa committerentur indigenis: id quod ARBACIS & PHVLBELOCHI exemplo planum fit: quorum uterque regendam patriam accepit. Et quia Achæmenem gente Persam facit Ælianus, & de Persis ortu minus iam nos dubitare conuenit. Etsi quidem certè quæ hoc patre genitū Achæmenem demonstrent, argumentis firmis destituimur, & quibus assensio nitatur, tantùm coniecturas, ex Platonis & Herodoti fabulis, probabiles habemus. Hi enim ambo propagine à Perseo esse uolunt: à quibus modicè dissentiens Apollodorus, Persarum reges ad Persen, Persei filium, retulisse genus suum, ait. Incidit autem in Achæmenis huius ætatem prima illa Assyriaci regni mutatio, & SARDANAPALI interitus. Et quia prodidit Diodorus, solicitatos ad defectionem Persas ab Arbace, nos eam ad rem præcipuè & opem, & operam Achæmenis interuenisse, censemus: quippe quem ipsa uicinitas necessitudine cum Arbace cōiunxisset. Quanquam quæ imperij fortuna noua tum Persas exceperit, dubium hîc ingens occurrit. Nam Plato & Metasthenes Medis inde subiectos fuisse, uolunt. Quod confirmando Iustinus, collocatam CAMBYSI, Cyri Magni patri, quem uirum mediocrem nominat, ab ASTYAGE filiam, ait, ne paterna maternaque nobilitas nepotis animum extolleret. Eodem spectant Herodoti & Probi expositiones, nec discrepant Valerius & Diodorus, quorum ille eundem Cambysem modicæ fortunæ uirum uocat, ille Cyrum loco priuato natum, & cùm ipse quoque priuatus existeret, pòst ad regium culmen euectum, refert. Verùm ab ea sententia discedimus. Nam præterquam quod tradidit Eusebius, post Assyriorum regnum ab Arbacè destructum, reliquas gentes proprijs usos regibus, etiam Plato ipse testificatur in Alcibiade primo, Achæmenis posteros semper in Perside, sæpe etiam in Asia, ut suo quoque seculo, regnasse. Atque euidentissimus est Ieremiæ locus cap. 25. ubi distinctè nominantur Medorum & Persarum reges: Qui cum conuenit item Daniel cap. 8. ubi arietis cornua interpretatur reges Medorum & Persarum, & disertè adijcit, regnum alterū, quod ortum esset posterius, altero sublimius fuisse. Accedit

cēdit huc, quód Zonaras Medos & Persas regna distincta habuisse, astruit. Ac sicuti Horatij interpres Acron Achæmenē ipsum, ita Cambysem, Cyri patrem, regem appellārunt Xenophon & Suidas.

TENEAMVS igitur hoc, & teneamus quidem firmiter, ab ACHÆMENE regnum iterum in Persis nouum & conditum, & propagatum ad posteros. Qui Æliano Persarū nobilitas sunt, & discernūtur ab Herodoto appellationibus PERSIDARVM & ACHÆMENIDARVM. Etsi Strabo Achæmenidas populum Persidis fecit: cuius similem alibi errorem obseruare apud eundem licet de Arsacidis Parthicis. Meminit autem de Persidis Herodotus, ab Achæmenidis oriundos fuisse. Quod cùm euincat, Persidarum nomen posterius extitisse, augurari inde libet, Achæmenidas à regni conditore, Persidas à successorum aliquo, quem nos PERSEN, Achæmenis filium facimus, & claruisse uirtute illustri existimamus, denominatos. Nam quam Græci fingunt notionem à Perseo, repudiamus. Et quia regnum primi Persidæ possederunt, consentaneum est, Achæmenidas id iam nominis conseruasse etiam ambitiosius, ut ne quid scilicet generis nobilitate illis concederent, aut etiam, cùm in propagines plures discesßissent, denominatione tamē cognationem ostenderent. Etenim familias illas septem, quas nominārunt Iosephus & Zonaras, ex Achęmenidarum deduco satu. Quandoquidem commemoratos ex his ab Herodoto principes septem, qui imperium à Magis recuperārunt, Iustinus quoq; nobilitate pares fecit. Ac patet quidem hinc, Persidas dignitate, Achæmenidas generis amplitudine, qua & Persidæ ipsi comprehenderentur, antecelluisse. Nam, quod antea diximus, regnârunt ab Achæmene primi Persidæ. Quorum conditor PERSES quos habuerit posteros & successores proximiores, auctorum monumentis proditum non est. Memorat tamen Suidas DARIVM, quem Dario Hystaspis antiquiorem facit, & Daricis stateribus reliquisse de se denominationem, ait. Is ad hanc seriem rectè refertur, quocunq; tandem generis gradu Persen attigerit. Cæteroquin qui desiderantur, non multos fuisse, inde manifestum fit, quód HYSTASPES, quem Cyrus σύγχρονον habuit, ab Achæmene sextus fuerit. Fitq; cum primis uerisimile, hostes Persidas graues habuisse præpotentes Assyriorum & Chaldæorum monarchas, tum imperium horum aliquando admittere coactos. Prodidit enim Iosephus, ab SALMANASSARE è Chuta regione colonos in Samariam deductos: id quod nisi hæc Assyrijs subdita fuisset, fieri haudquaquam potuisset. Adhæc constat è Daniele, etiam Susa Baltassari regi paruisse, ut conijcere hinc liceat, ob Medorū & Persarum cum Assyrijs bella prophetam illum Babylonem reuocatū, sed iterum

ab re-

ab rege impio superbè neglectum. Incipit autem familiæ propagatio continua apud Herod. in CYRO, Cyri Magni auo, sed absq; rerum gestarum cõmemoratione: Cùm quidem nos regnasse itidem in Persis, existimemus. Ac tametsi de CYRO Magno, quem condita Persarum monarchia posteritati commendauit, & successoribus reliquis, expositiones in medio sint, tamen discrepantiam inuenias mirificam. Quia & ab Herodoto Xenophon, & ab utroq; Ctesias dissentit: quos equidẽ scriptores tres de Cyri historia præcipuos habemus. Et quas nominauit Herodotus trifarias de Cyro narrandi uias, horum narrationibus expressæ uidentur. Nam quam Cedrenus adhuc aliam & quartam finxit, cum auctore ipso repudiamus. Cumq; Herodotus tot habeat uituperatores, imitatores tamen haud pauciores obseruare licet: In quibus de bello contra ASTYAGEM, & crudelitate huius in HARPAGVM conueniunt Plutarchus, Valerius, Iustinus, Orosius, de morte præter eosdem Metasthenes, Philo, Iosephus, Probus, Ammianus. Nec tamen interim dese ipse negat, plerasq; Cyri res gestas se præteriisse: quod dedisset hoc operam, ut ea solùm exponeret, quæ negotij illi quàm plurimum exhibuissent, & memoria digna essent. Addit etiam de morte eius, fuisse de ea diuersas diuersorum opiniones. Xenophontis historiæ, quæ est κύρου παιδεία, fidem primus detraxit Plato, teste Laertio. Et meminit Gellius, hoc ab eo scriptum operi Platonis, quod is de optimo statu reipub. administrandæ edidisset, oppositum: Vnde ita incanduerit Plato, ut leuandæ historiæ illius gratia, Cyrum quidem uirum nauum & strenuũ fassus sit, παιδείας δ' οὐκ ὀρθῆς ἧφθαι τὸ παράπαν. Quod idem repetijt in gratiarum actione, ad Imp. Gratianum Ausonius. Ctesiam fermè omnes taxant: & scripsit Plutarchus, fabularùm stolidarum atque incredibilium colluuiem ipsum infarsisse. Estq; de eo nobis pronunciare difficilius, quòd tantum fragmentum historiæ eius ad nos peruenerit. Mirari autem aliquis meritò queat, unde ea extiterit opinionum sententiarumq; diuersitas: Qua de re cùm plura alibi dederimus, inde repeti, quàm expositione noua inculcare, malumus. Et prodidit singulariter Strabo, Persias historias minus fidei inuenisse, propter scriptorum simplicitatem & studium fabularum. Attamen ne cui tanquam ἐποχῇ locus relinquatur, rectissimum fuerit ceu normam hîc sequi literas sacras. Quæ cùm CYRO collegam adiungant DARIVM Medum, ipsaq; adeò sanctorum Prophetarũ uaticinia per Medos & Persas Babyloni exitium minentur, rectè è Xenophonte & educatio Cyri, & societas cum Cyaxare retinetur. Et debetur sanè sua hîc laus Zonaræ, qui ueterum ferè solus à Xenophontis sententia non discessit. Enimuerò & de Babylone capta, conueniunt expositiones Xenophontiæ cum Biblica

historia

historia propius. Qua parte tam ab Herodoto, quàm à Xenophonte Orosius dissentiens, Babylonis expugnationem CROESI captiuitate priorem facit. De morte Cyri relinqui res tota in dubio potest: etsi in MASSAGETAS expeditionem retinemus cum Iosepho: Cui insuper adijcimus è Ctesia & Strabone bellum cum SACIS. Habet Lucianus alias etiam mortis Cyri causas: & scripsit Isocrates, Astyagem à Cyro iugulatum: qui cum conuenit Cedrenus, & nescio quas de eo fabulas alias attexit. Sed ea hoc loco omittimus, ut & Xenophontis illud de occupata à Cyro Ægypto, item Ctesię alias discrepantes opiniones. De quo Ctesia id ceu cautionis cõmunis loco non commonere hîc non debuimus, tantùm ea nos tam de hac Cyri quàm de sequentium regum historia ex ipso assumere, quæ cum cæterorum scriptorum narrationibus consentiunt. Certè ut de rebus gestis uehementer in eo dubia omnia, ita tamẽ de familiarum propagatione non multum discrepare reperitur. Quod utrunq; (ut hoc quoque obiter perstringamus) meritò desideratur in Metasthene. Is enim sicuti familiarum discrimen nullum obseruauit, ita etiam Achæmenidas cum regibus Mediæ permiscuit: serie ita deducta, ut Darium Medum Cyri fratrem faciat, & huic rursus Cambysem, illi Artaxerxem Assuerum, filios attribuat. Artaxerxe deinde propagat filios, Cyrũ, Artabanem & Artaxerxem Longimanum: à quo tandem iterum cum cæteris consentit. Etsi uerò me haud præterit, quomodo hæc alij, & pręcipuè quidem, quantum attinet ad successionis & nominum diuersitatem, è fundamenti rationibus traditi ab Herodoto, quòd scilicet rege in bellum profecturo, nominari successor soleret, qui regio nomine & potestate interea regnaret, conciliare studeant, ego tamen certioribus fretus argumentis fabulosa omnia duco. Nunquid enim Cyrũ Medum fuisse, credemus? num Persas contra tot auctorũ testimonia Medis subijciemus? Et labefactatur fundamentum illud tum ex Iustini de Artaxerxe Mnemone historia, tum ipso Cambysis & Xerxis exẽplo, quorum illum quidem certè Metasthenes nominauit, hunc uerò pręterijt. Cùm interim ex Herodoto constet, regem & successorẽ à Dario constitutum. Neq; è ueteribus quenquam inuenias, qui Metasthenis sententiam eam uel referendo meminerit, uel sequatur. Quo magis auctor is nobis suspectus esse debet. Ac tametsi Philo & Assuerum nominet, & filium ei itidem Longimanum, quem Darium uocat, attribuat, tamẽ de Assueri historia ita explicat, ut Cambysem facere uideatur. Quæ cõiectura inde probabilior fit, quòd expressa mentione Darium Hystaspis memorat. Ideo & hic scriptor parte ea meritò reijcitur. Et quia Assueri nomen etiam literæ sacræ retinent, nos tam de hoc, quàm de cæteris, quæ à Græcis tradita uariant, sequimur interpretationem

tionem

tionem Iosephi. Porrò autem ad Cyrum interruptæ expositionis nostræ series ut redeat, explicârunt de progenie eius diligentissimè Herodotus & Xenophon. Quæ cum tota Persidarum prosapia mascula in CAMBYSE. II. interijt. Hic enim cùm tyrannicis obsecutus suspicionibus suis, sustulisset per insidias Smerdin fratrē, & incestis sororum nuptijs se polluisset, filiam tantùm unicā PANTAPTEN suscepit, & regnum ipsum MAGORVM fraude amisit. Qui Magi etsi eam dignitatem aliquandiu retinuerunt, tamen suspecti primū habiti ab OTANE, deinde proditi à filia eius & Prexaspe, opprimuntur occulta principum Achæmenidarum conspiratione. Horum cōmunibus suffragijs rex iterum legitimus creatur DARIVS Hystaspis, è familijs eorum oriundus, ut ait Zonaras. De Magis autem dabimus alibi Deo dante plura, ubi agemus de ijs, qui sapientiæ & eruditionis fama apud gentes diuersas floruère.

REGNAT ergo ex Achæmenidis secūdo loco familia HYSTASPIS. Nam ita appellare discriminis causa libet: cùm fuerint sex aliæ agnatæ ab ea discretæ, de quibus pòst fusiùs agemus. Et Herodotus quidem hanc solam ab ACHÆMENE usq; ad Darium & Xerxem, serie posteritatis continua, retulit. Quod modicè oppugnantem Ælianum, qui Darium Cyri pharetrophorum nominat, indeq; ignobilitatis notat, abijcimus. Nec fides debetur Cedreno, qui Cyri ἐπίγονον fecit. Reliqua de Dario & posteris plana ferè in auctoribus omnia sunt, quibusq; turbari admodum lector nequeat: & quæ explicatione aliqua indigere adhuc poterant, suo loco referemus diligentiùs. Neq; opus est explanando repetatur, quid uel Metastheni uel Philoni tribui hîc etiam conueniat. Tamen quod de Dario Iosephus tradidit, & repetijt ex hoc Zonaras, à septē familijs regem creatum, id fortè creditur rectius. Quanquam & alterum, quod retulit Herodotus, fieri potuit. De clade eius ad Marathonem uariant mirificè. Plato, Iustinus, Orosius: quorū postremus etiam pugnæ Darium interfuisse censet. Quæ auctoribus suis relinquūtur: & extant aliorū de his expositiones disertiores. Nec uideo, quem Clemens dicat è Beroso Artaxerxem, Darij filium, quem cultū Veneris Tanaidis primum instituisse, ait. Etsi fortè rectè Artaxerxes Mnemon accipitur, ut nimirùm intelligas uel Dianæ in Ecbatanis sacerdotium, uel Iunonem ob Atossæ F. morbum superstitiosè cultam. Concidit Hystaspis familia, & Persarum monarchia, in DARIO ultimo. Hoc enim ab ALEXANDRO euerso, & sobole omni capta, ut liberis regium nihil nisi educatio contigit, & nuptiarum cohonestatio, ita monarchiam ipsam Macedones retinuère. Quo loco tamen dissimulandus minimè est errati & incogitantiæ crassissimæ lapsus Strabonis, qui Darium à

regia stirpe excludit. Neque enim tum primum conseruatam tot seculis in creando rege consuetudinem (erat autem hæc, quod reges haberent ex eadem stirpe, teste ipso Strabone) mutatã Persas uoluisse, credibile est, præsertim cùm plurimi adhuc è regia familia superassent: id quod inde euidens fit, quòd passim Darij cognati & propinqui nominantur. Et oppugnans hanc sententiam Zonaras: Darius inquit, « Hystaspis filius, regno potitus est, familia eius usque ad regni excidium « propagata. Nec præteriri de Chronologia monarchiæ Persicæ hîc à « me debuit, diuersas diuersam tradidisse. Nam Strabo annos collegit 250. Metasthenes 175. Suidas amplius 200. Clemẽs 235. Sed sequimur nos Eusebij & Funccij calculationem: & quod Artabano, Xerxi. II. & Sogdiano, imperij tempus tribuitur, successorum annis accensemus. Neque reduci huc consideratione diligentiore nequeunt, in quibus Plutarchus & Diodorus uariârunt. Adiecimus autem in familiarũ propagatione, successionis & imperij numeros monarchis solis, facto initio à CYRO Magno: nam regum, hoc est, antecessorum Cyri series continua desideratur. Et qui de Persico regno auctores explicant, in hoc plerunque initium faciunt.

DE consuetudinibus Persicorum regum præter alios multa annotata habent Herodotus & Xenophon. In quibus hoc primo loco obseruetur, quòd nomina, Darius & Artaxerxes, dignitatis esse cœperint: eodem nimirũ modo, quo Romani, appellationes, Cæsar & Augustus, in usu habuêre. Initium instituti huius, quantum augurari possum, fecit primùm Artaxerxes Longimanus. Nam discrepantẽ Diodori de Artaxerxe Mnemone opinionem, cùm de Longimano hoc, tum de Dario Notho exempla oppugnant: Quorum illum antea Cyrum, hunc Ochum nominatum, Iosephus & Ctesias scripsêre. Cùm Metasthenes & Strabo Longimanum etiam Darium nuncupârint. Estque hinc, quòd post patrem Artaxerxem Mnemonem, qui Metastheni est Magnus Artaxerxes Darius Mnemon, & Ochum Artaxerxis & Codomanũ Darij, & postmodo Bessum Artaxerxis, nomina assumsisse, Ctesias, Plutarchus, Iustinus, Curtius, auctores sunt. Interpretatur autem Herodotus nomen Darij coërcitorem, Artaxerxis magnũ bellatorem. Nec desunt in recentioribus, qui Xerxis item nomen reddant Germanico Hertzog. Addidêre literæ sacræ ceu denominationem communem tertiam Assuerus, quæ cùm Græcis planè ignota sit, rectiùs fuerit, sequi de ea interpretationem Iosephi. Nec repugno ijs, qui terminationẽ Bazus adiectam à dignitate nominibus proprijs censent, ut nimirum intelligatur Turcicum Bassa. Certè uti primùm Parthos, ita postmodo Saracenos & Turcas, Persarum ueteres consuetudines multas retinuisse, de eo dubium nullum est. Quò pertinet

nominis portæ apud utrosq; usurpatio eadē: & Turcis Ianizari sunt, qui Persis Immortales. Veneratio regum apud principes & populum reliquum ingens fuit. Neq; mandata eorum neglexisse impunè ulli erat: etenim in eo delicto deprehensi, capite & brachio mulctati proijciebantur. Adhæc principes ipsi ad ianuas semper præstò adesse, & regia mandata expectare uenerabundi cogebantur. Qui ut ipso quoque cultu corporis erga regem subiectionem suam testificarentur, tiaram inclinatam gestabant. Cumq; hanc erectam in Sardium ingressu concedi sibi à Xerxe petiuisset DEMARATVS Spartanus, cùm stomachose à Mithropauste excipitur, tum regis indignationem tantam incurrit, ut uix Themistoclis intercessione ei conciliari potuerit. Quandoquidem neq; cætera ornamenta, in quibus sunt armillæ, torques, equi frenis insignes aureis, ulli habere nisi donato à rege licebat. Quod uerò ex honoribus regijs maximè uulgi oculos perstringeret, & quandam ueluti diuinitatis cōciliaret opinionem, pompa erat idolatrica ignis sacri, qui argenteis altaribus, comitantibus atq; accinentibus carmen patrium Magis, regi præferretur. Et credibile est, inde maximè adorationis confirmatum institutum: propterea quòd Dei omnia conseruantis effigies Rex haberetur, ut eleganter apud Plutarchum ait ad Themistoclem, Artabanus. Accedebat huc cultus & ornatus corporis precij immensi. Nam Plutarchus eum, quem assiduè rex gestaret, 12000. talentorum, hoc est, 7200000. coronatorum æstimat: Qui cultus describitur à Curtio ad hunc ferè modum. Tunica erat purpurea, cui medium album intextum esset: id quod alij præterea nulli concedebatur. Hanc tegebat palla seu candys purpureus, quē auro distinctum accipitres aurei, ueluti rostris inter se corruerent, adornabant. Latus aurea Zona, unde suspenderet acinaces, cui ex gemma erat uagina, cingebat. Crura tegebant periscelides, hedereo colore infectæ: caput cidaris seu tiara recta (ita enim alij nominant: cùm Suidas è Theophrasto distinguat) quam circumiret cærulea fascia albo distincta, &c. Potentia sicuti amplissima fuère, ita neq; liberalitatis tempestiuæ munificentia eis defuit. Nam quoties in Persidem uenirent, aurum singulis Persarū mulieribus diuidebant, ut inquit Plutarchus. Etsi id ex parte compensasse uidetur, quòd regi in Persia equitanti, singuli pro facultatibus suis munera offerre cogebantur. Adhæc qui recens creatus rex esset, ciuitatibus tributum, quod quidem deberent, remittebat. Educationem regum eleganter Plato descripsit de natura humana: At ubi, inquit, annos bis septem impleuit, suscipiunt puerum hi, quos illi regios pœdagogos nominant. Sunt autem ex Persis delecti, qui præstantissimi in ætatis uigore esse putātur quatuor, & sapientissimus, & iustissimus, & temperantissimus, & fortissimus. Quorum

primus

primus Magiam docet Zoroastræ, filij Oromazæ: Est autem hæc cultus Deorum. Docet item regias institutiones. Qui uerò iustissimus est, uera loqui docet, per omnē uitam. Temperantissimus autem docet, ut à nulla uoluptate superetur, ut liber esse assuescat, & ut reuera rex sit, imperans primùm his, quæ sunt in ipso, & non inseruiens. At fortissim⁹ impauidū & intrepidū esse instruit, ut qui, ubi timet, seruus fit. Hactenus Plato. Addidit aūt de institutione in Magicis disciplinis Philo, adeò eam cōsuetudinē obseruatā rigidè fuisse, ut regnare nemini licuerit, nisi cū Magis familiariter uersato. Quos Magos, & disciplinas horum, etsi & Platonis locus ille, & aliorū auctorum quorundam testimonia, nominis & professionis honestæ fecere, tamen ut ne iam cætera attingam, quæ in Mathematicis illi falsa atque adeò superstitiosa tradidêre, Laërtius quidem libidinum atque incestorū nefandam spurciciem, qua horribiliter posteriores reges se polluêre, profectam è Magorum doctrina astruit. Quæ mentione nostra ex historiæ ueritate relata, accipi in partem bonam cupimus. Certè Clemens ut de educatione ista discrepat, ita de incestis conuenit: Non nos latuere, inquit, qui apud Persas regij uocantur pædagogi, quos numero quatuor ex omnibus Persis optimatim deligentes reges Persarum, suis præficiebāt liberis. Sed solam sagittandi artem discunt eorum filij: postquam autem ad pubertatem peruenerint, cum sororibus & matribus, mulieribusque tam uxoribus quàm concubinis innumerabilibus coëunt, tanquam capri ad Venereū congressum exercitati, &c. Et tradidêre Seruius & Athenæus, etiam legibus fœditatem eam concessam publicè fuisse. Cùm ille de Magis hæc adijciat ex Catullo:

Nam Magus ex matre & gnato nascatur oportet,
Si uera est Persarum impia religio.

Primus autem tantum nefas committere ausus fuit CAMBYSES. II. Sed tamen, ut Herodotus ait, absque lege, & alia, quæ Persicis regibus quicquid uellent, agere permitteret, huc uiolentè detorta: Vt quandoquidem fieri & euenire plerunque assolet, quod Claudianus cecinit:

REGIS ad exemplum totus componitur orbis, credibile sit, tum reliquos, tum Magos etiam, regum ingenijs & libidini inseruientes, id in consuetudinem traxisse, adeoque inter decreta sua recepisse. Enimuerò sicuti uitium nullum solum esse consueuit, ita & Persarum reges turpitudini isti uoluptatum studium tantum cōiunxere, ut alere eos non puderet, qui orbem terrarum ueluti circumirent, tātùm suaues potus quærendi gratia. Et collegit de delicijs illorum plurima Athenæus lib. 12. cap. 2. & de cœnis, atque in his de Tycta, hoc est, cœna natali, explicat diligenter lib. 4. cap. 6. Addit Herodotus, qui cum sentiunt Plu-

tarchus & Solinus (nam Plinius uariat) solam Choaspis aquam decoctam bibere solitos, ita quidem ut in expeditionibus permultæ carrucæ, eam in argentea uasa diffusam ferentes, exercitum comitarentur. Neq; coniugum numerum honestas, sed libido definiebat, cùm interea pellices propemodum infinitas alerent. In quibus id discriminis obseruabant, quòd sicuti ipsi uxoribus imperabant, ita his pellices parêrent, adeoq; adorare eas cogerentur, ut scripsit Athenæus. Cæteroquin enim complectebantur uxores tenerius: & meminit Plutarchus, „ præter has, reliquos omnes ab eis pro seruis habitos. Quò pertinet „ locus Ciceronis in Verrem: Solere aiunt, inquit, reges Persarum plu„ res uxores habere: his autem uxoribus ciuitates attribuere, hoc mo„ do: hæc ciuitas mulieri redimiculum præbeat, hæc in collum, hæc in „ crines, &c. Nam & Xenophon regionis meminit, quæ in Zonam reginæ attributa fuerit: cui Athenæus addidit, etiam reditus ex Antyllæ uino uxoribus in Zonas concessas. Cùm Plato præter eandem Zonam, quam itineris unius regionem facit, & Calyptram & alia multa pulcra loca ad ornatum reginæ delecta, & nomina ab unoquoq; ornatu referentia, nominet. Quanquã hîc meritò id quis miretur, quòd cùm eas non admiserint ad cõuiuia, in quibus plus potare uellent, ad bella eduxerint. Conuenerat quidem à Magorum cæde inter coniuratos principes, ut Rex futurus è famili js ipsorum coniugem duceret. Sed rata hæc lex diu non fuit. Cùm tamen reuocarint eam Arsacidæ Parthici, ut docet Herodiani historia. Voluere salutari REGES MAGNI: & inuenias sæpe hanc denominationem absolutè pro „ rege Persarum usurpari: Quia, inquit Suidas, maxima est eorum po„ tentia. Estq; inde, quòd Dionysius Persas nominauit ἔθνος βασιλευτικώτατον. Etsi Agesilaus, cùm Asiaticis gentibus consuetudinis usu planè „ receptum cerneret, in hoc institutum ludens, Ecquid inquit, Persarum „ rex me maior est, nisi & iustior & modestior. Et Plato ait, nullum post „ Darium, regem magnum in Persis extitisse, nisi nomine tantum. Tamen Iosephus Xerxem etiam regem regum nominauit: quæ tituli uanitas postmodo & Parthicis regibus usq; ad Artabanum postremum in usu fuit. Habuêre in tablinis rerum gestarum commentarios: quos à curis & negotijs publicis uacui, aut aliqua molestia affecti inspiciebant, atq; quos benè meritos de se animaduerterent, præmijs amplis remunerabantur, ut testatur historia Estheræ: ac citat Susianã bibliothecam Metasthenes. Neq; externarum gentium monumenta ab ijs contempta, inde patet, quòd Homeri poëmata uernacula lingua descripta, cantare soliti sunt, ut est apud Ælianum. Munerũ tam rato ordine habuisse constitutas uices accepimus, ut eodem die omnia, quæ in Asia gererentur, cognoscerent. Vt administrati regni memoria esset

ad po-

ad posteritatē durabilior, reges singuli ædes in monte faciebant, ibiq́ tributa, quæ exegissent, recondebant, teste Strabone. Nam Diodorus dissentiens, regum Persicorū thesauros inde à Cyri temporibus usq́ ad Alexandrum Magnum Persepoli asseruatos, ait. Ituri in bella prius successorem nominabant, ut scripsit Herod. Nam Iustini historia uariat, & ab Artaxerxe Mnemone contra morem Persarum Darium regem nominatum tradit: propterea quòd dignitas illa non nisi morte finiretur. Arcana regum enunciasse, capitale habitum, Curtius ostendit. Et legimus apud Athenæum, stipendiarijs regum non æs, ut in Græcia, sed uictum dari solitum. In legatos hæc conferre dona consueuisse reperimus: talentum Babylonicum, armillas, acinacem, torquem & stolam Medicam. De regijs Persarū alij alias tradunt sectanturq́ opiniones. Nos cum Athenæo facimus, qui hyemasse reges in Susis, æstatem in Ecbatanis degisse, in autumno Persepoli uersatos, reliquam totius anni partem in Babylonia, ait. Et interpretatur idem Athenæus Susa lilium. Signum in literis usurpatum Scholiastes Thucydides triplicibus auctorum sententijs retulit: Quippe quòd alij Cyri imaginem crediderint, alij regis eo tempore regnantis, alij equi Darij, cuius præsagio is regnum consecutus erat. Nam militiæ aquila aurea, expensis pinnis, eos præcedebat: & pecuniam sagittario signasse, Plutarchus docet in Agesilao. Cyri sepulturam in Passargadis nominant omnes. Cęterorum regum conditoria Diodorus in monte quodam Persepolitano, Iosephus in turri ad Ecbatana, quam condiderit Daniel, memorant. Et addidit Iosephus, etiam suo tēpore custodiam huius Iudaici generis sacerdoti commissam, utpote qua & Parthici reges condi solerent.

FAMILIA ACHÆMENIDARVM, QVÆ ET REGNO ET MONARCHIA IN PERSIS FLORVIT ANN. CCCCLXXXIIX.

PERSES, origine & gente Persa, enituit inter populares uirtute & gloria bellica. Quæ res cùm Assyrios ei cōciliasset, quibus Persia patria tum pareret, præfecturam huius promeretur, eamq́ fama non minus illustri administrat. Herodotus & Plato perperam cum Perseo Mycenæo confundunt: nec minus hallucinatur Apollodorus, qui Persei filium fecit. Etsi credibile est, communem auctores illos ista in re de Persei bellis in locis orientalibus famam, & nominis Persarum cognationem, secutos esse. Est enim utrunq́ ab Ebræo Paras. Et apparet etiam Persea Mycenæum, qui uero nomine Eurymedon diceretur, id in Ægypto, ubi educatus existimat̄, acquisiuisse, ut Solon Athe-

niensis nomen hoc ab ijs studijs, quæ tractaret, hoc est, pacis & quietis, inde exportauit. Certum enim est, deriuatum ab Ebræo Solomon, enunciatione paululū uariata, ad istum nempe modum, quo pro Absolomo, dicere Absolon consueuimus.

ACHÆMENES, insistit animo & instituto generoso patris uestigijs, ex eaq; cōmendatione postmodo præfecturæ illius hæres fit. Quo tempore iunctus amicicia ARBACI Medo, in SARDANAPALVM cum eo conspirat: hocq; euerso, regem se gerit, & dignitatem eandem ad posteros, quibus de ipso ACHÆMENIDARVM nomen accessit, propagat. Meminère Plato & Herodotus. Stephanus partem Persidis ab eo Achęmeniam nominauit. Horatio lib. 2. Carm. Od. 12. diues dicitur: & addit Acron interpres:
„ Achæmenes, nomen regis Persarum. Ælianus lib. 12. Animal. cap. 21. de Achæmene sic explicat: Audio, Achæmenem Persam, à quo Persarum est nobilitas, Aquilæ alumnum fuisse, &c. Quod quomodo accipi debeat, sanè quæratur, licet. Quanquam ego crediderim, augere fabulæ huius auctores inde uirtutis & nominis Achæmenis famam uoluisse. Nam ab hoc principio & de Cyro, Ptolemęo Lagi, Romulo, Habide Hispano, &c. narrationes illas mirificas profectas, certū est.

E liberis Achæmenis nominatur ab Herodoto solus Cambyses, à quo progenie octaua nascitur DARIVS Hystaspis. Fuisse autem hos regi illi numero plures, dubium nullum est: & uidentur inde ortę illæ Achæmenidarum, de quibus suprà mentionem fecimus, propagines. Adijcimus igitur nos PERSEN, auctorem stirpis & nominis Persidarum. Quę stirps tametsi regni nobilitata est succesſione, regum tamen proximiorum serie continua caret. Neq; quibus sanguinis gradibus uel Persen DARIVS, uel hunc CYRVS. I. qui primi inde nominantur, attigerint, sciri ex auctorū monumentis potest.

PERSIDÆ.

* * *

DARIVS, dedit nomen Daricis, seu stateribus aureis, qui drachmis ualerent 20. ut quini Darici facerent minam argenti. Suidas.

* * *

CYRVS. I. nominatur ab Herodoto sine rerum gestarum mentione lib. 1.

PROCREANTVR autem Cyro liberi, CAMBYSES. I. & ATOSSA.

CAMBYSES. I. renouauit ueterem Achæmenis προγόνα cum Medis amiciciam, ducta uxore Mandane, Astyagis regis filia: & genitum inde CYRVM, in gentis suæ disciplina laudatisſima præclarè edu-

rè educat. A' CYAXARE de auxilijs contra Babylonios folicitatus, eundem Cyrū cum copijs lectißimis ei mittit: & gloriæ filij, multifarijs uirtutibus partæ spectator fit. Xenophon, Suidas, Zonaras. Zetzes. Vt Herodotus, Valerius, Iustinus uarient, suprà monuimus.

ATOSSA, fuit in matrimonio Pharnacis, regis Cappadociæ. Diod. in fragmento lib. 31.

SVSCEPIT CAMBYSES è MANDANE liberos, CYRVM. II. & Filiam ἀνώνυμον.

I. CYRVS. II. cognomento Magnus, informatur adolescentulus ad omne uirtutum genus honesta & laudabili patris cura: amatur ob indolem heroicā ab auo Astyage: doctrinam cœlestem à DANIELE Susis addiscit. Ac probatus mirificè CYAXARI auunculo, ex eo uirtutis experimento, quod edidit cōtra Babylonios, pòst contra eosdem belli socius assumitur. In quo cùm neq; commodis illius, neq; gloriæ suæ ullo loco deesset, recipit Armenios: Babylonios prælio contendere ausos fundit, fugatq;: CROESVM, illorum socium, uictum primò in Cappadocia, inde obsessum Sardibus, his expugnatis uiuum capit: Lydos rebellantes armis spoliat, & cauponias ludicrasq; artes tractare iubet: Æolas & Ionas per MAZAREM, moxq; cū Caribus, Lycijs & reliqua Asia inferiori omni, per HARPAGVM expugnat: bello isto ea acerbitate gesto, ut Phocenses patria sponte deserta, in Gallias migrârint, & Masiliam coloniam dedu xerint. Hinc Ecbatana ad Cyaxarem redit: Babylonem armis commu nibus cum eo obsidet: eaq; deriuato Euphratis alueo capta, BALTASSAREM regem in conuiuio opprimit. Qua tanta uictoria usus moderatè, cùm alia laudabiliter agit, tum IVDÆOS exules & patriam repetere, & templum instaurare, permittit, restitutis etiam fani ornamentis & uasis, & conterraneis singulorum eam profectionem omni ope atq; commeatu adiuuare iußis. Nec caruit sanè tam illustris pietas remunerationis diuinæ præmijs amplißimis. Etenim à Cyaxare gener cooptatus, regnum deinde eius hęreditate adit: eaq; occasione monarchiam Medis extortam, in Persas transfert. Quam accesionibus nouis amplificaturus, tentat bello Indos, & Bactrianos expugnatos ad deditionem cogit. Cumq; tot uictoriæ in Scythas animassent, quorum irruptiones sæpe Asiæ funestas extitisse meminerat, postremam sibiq; fatalem in MASSAGETAS expeditionem suscipit. Etsi enim initiò uictor reginæ Tomyridis filium astu oppreßit, tamen Massagetis indè irritatis potius quàm fractis, dum nō multò pòst prælium repetit, exercitum internecione amittit, & uulneratus ipse letaliter, seu in fuga apud suos, seu in acie inter hostes morte occumbit. Tenuit monarchiā ann. 29. Herodotus, Plato, Diodorus, Polyænus,

Iosephus, Eusebius, Suidas, Zonaras, Zetzes, Cedrenus, Iustinus, Hieronymus. Quàm discrepantibus opinionibus de regis huius historia explicetur, suprà demonstrauimus. In bellis eius Ctesias & Strabo etiam expeditionis in SACAS meminêre: & ille quidem uictum ac permutatione captiuorum dimissum, socio deinde rege AMORGE usum, ait: hic uerò prælio itidem fusum, dolo Sacas oppressisse, & in uictoriæ tam felicis memoriam festum Sacæa, instituisse refert. Ostendimus autem alibi Sacarum progeniem SAXONAS esse: nec discerno nomen Amorges à Germanico Emmerich seu Heinrich, è quo similiter corrupto Cæsar fecit Ambiorix, Nicetas ἀμηρίγῳ. Nec repugnârim ijs, qui MASSAGETAS Gotthicæ stirpis faciunt, à conditoribus Mase & Gether, filijs Sem. Nam eam Asiæ oram principiò gentes nostras incoluisse, indeq; paulatim ad Europam accessisse, certum est. Prædixit Cyri imperium, & quod mirari magis licet, nomen Esaias uates capite 44. & sequent. annis uidelicet 210. antequàm nasceretur, ut ait Iosephus: idque nomen, quod Ebræis Cores est, è Persica lingua interpretatur Plutarchus Solem. Nam Suidæ etymon Græcum à uoce κύρῳ repudiamus. Qui idem etiam regem Assyriorum nominauit, & confirmatum Danielis uaticinijs, bellum CROESO fecisse, scribit: qua de re plura, sed pleraq; fabulosa Cedrenus pag. 113. Cic. lib. 1. de finibus è Dionysio quodam ad annum septuagesimũ peruenisse, & regnasse annos 30. ait, cùm 40. natus regnum suscepisset. A' qua sententia discrepans Lucianus, ad annum centesimum uixisse, narrat. Extat apud Xenophontem παραίνεσις eius memorabilis, qua moriturus filios ad concordiam hortatur. Etsi Plato in eo repræhendit, quòd neglecta domestica gubernatione, educandos illos mulieribus & Eunuchis tradiderit, itaq; ambos corruperit, & in mutuam cædem armârit. Qua clementiæ laude imperârit, inde euidens fit, quòd pater à suis appellatus est: sicuti itidem à moribus „ Cambyses, regis, Darius cauponis cognomẽtum inuenere: Quia, in„ quit Suidas, Darius quidem uendebat omnia: Cambyses sæuus erat „ & temerarius: Cyrus clemens, & populi commodorum studiosus. Et addidêre Xenophon, etiam suo tempore Barbarorum carminibus decantatum: Arrianus, primum omnium mortalium à Persis & Medis diuinis honoribus cultum. Idem Arrianus sepulcri Cyri in castello Passargadis descriptionem elegantem habet lib. 6. & meminêre eiusdem Strabo, Plutarchus, Eustathius, Plinius, Curtius, Solinus, Stephanus, qui postremus nomen illud Persarum castra interpretatur. Plutarchus auctor est, naso adũco fuisse, ideoq; Persas ea corporis forma homines amasse, & pulcerrimos existimasse. Et celebrat etiam hoc „ eius apophthegma: Eos, qui sibĳpsis benefacere nolũt, alĳs cogi bo-

na sup-

na suppeditare. Memoria tanta fuit, ut omniũ militum teneret nomi- na, teste Quintiliano libro 11. cap. 2. Philostratus ab Orphei capite in Lesbo hoc ei redditum oraculum ait: ΜΕΑ ὦ ΚΥΡΕ ΤΥΑ, quod interpretatur de morte, qua & ipse à muliere affectus similis fuerit.

FILIAM ἀνώνυμον memorat Iustinus, & SYBARI Medo nuptam fuisse, dicit. De quo Sybari quid credi conueniat, equidem non uideo. Fortè tamen nomine ipsius ad Darij Medi historiam allusum est. Huic enim societate Cyrum iunctum fuisse, literarum sacrarum nos docet ueritas.

CONIVGES Cyri nominantur ab Herodoto & Suida, BARDANE & CASSANDANE. Quarum illa genita patre CYAXARE, prolem nullam reliquit: hæc ab Achæmenidis, patre Pharnaspe oriunda, liberos edidit, CAMBYSEM, Smerdin, ATOSSAM, MEROEN & Artystonam. Ctesias tertiam addidit AMYTIN, Astyagis filiam. Sed hoc fabulosè traditum, etiam Xenophon refutauit lib. 8. παιδείας. Neq; audiendus Polyænus, qui NYTETIN Apryris F. cum Cyro fuisse, & liberos ex eo complures procreasse, ait. Quippe quod & ipsum expressa asseueratione reijciat Herodotus. De eadem re è Dinone & Lynceo Athenæus lib. 13. cap. 4. Fecit etiam Diodorus Meroen Cambysis matrem: sed neque huic fides debetur, & potior hìc ducenda Strabonis & Iosephi auctoritas.

II. CAMBYSES. II. Rex à patre profecturo in Massagetas nominatus, uirtutem eius bellicam æmulatur, & cogitatam ab eo expeditionem Ægyptiam contra Amasin regem magnis uiribus urget. Neq; morte huius quicquam placatus, eandem in PSAMMENITVM suscipit: quẽ uictum ad Pelusium capit deditione, habitumq; humaniter, etiam regno præfectum reliquisset, nisi eam benignitatem hominis perfidia rursus in se clausisset. Inde bellum triplex molitur in Æthiopas, Carthaginienses & Ammonios: sed successu nullo. Nam ab Æthiopia commeatus penuria auertitur, & copias contra Ammonios missas arenarum molibus amittit. Ideo per desperationẽ Memphin regressus, iracundiæ furorem omnem in Ægyptios effundit: diripit Thebas: Apim, bouem sacrum, mactat, & sacerdotibus malè mulctatis, cæteros huic superstitiosè feriantes occidi, & templa idolorum dirui passim, imperat. Nec minus in suos debacchatus, fratrem Smerdin, seu è somnio, seu è Magi cuiusdam criminatione, insidiarum & affectati regni suspectum habitum, per PREXASPEN tollit: sorores ATOSSAM & MEROEN uxores ducit, & alteram cædis fraternæ mentionem inijcientem, parricidio crudeli tollit. Cumq; tantis flagitijs etiam uinolentiam turpem addidisset, & dehortantem ab

ea Prexa-

ea Prexaſpen ueſano conatu filio priuat, & CROESVM itidem liberius mores eius taxantem, neci deſtinat. Quare ex iuſta iræ diuinæ uindicatione pœna ei imminente, regnū MAGORVM defectione abſens amittit. Ad quod uindicandum cùm properanti & equum conſcenſuro in Ecbatanis Syriæ, gladius euaginatus femur uulneraſſet, morbo inde letali afficitur: & oppreſſus tot ſcelerū graui conſcientia, inter ingentes animi & corporis cruciatus cedit è uita, ac Perſidarum ſtirpem maſculam interitu ſuo finit. Regnauit ann. 7. menſes 5. quibus adijciendo imperium Magorum, hoc eſt, menſes 7. proueniūt ann. 8. Herodotus, Plato, Strabo, Polyænus, Lucianus, Zonaras, Seneca, Iuſtinus, Marcellinus, Hieronymus, Oroſius. Tradiderunt Euſebius & Suidas ὀλοφέρνης (nam alibi uariat) ab Ebræis Cambyſem in Iudithæ hiſtoria appellari NABOCHODONOSORA. Quod docet & cum Medis regem hunc bellaſſe. Nec mirum iam fuerit, uſos IVDÆOS illo infeſtiore, prohibita uidelicet templi & urbis inſtauratione. Etſi Ioſephus eius rei culpam in præſidum uicinorum malitiam contulit: ſubijciendo, tantùm ann. 6. eum imperaſſe, & apud Damaſcum obijſſe. Iudicis iniuſti καὶ δωροφάγου à Cambyſe puniti exemplum memorabile recitat ex Herodoto Valerius lib. 6. cap. 3. crudelitatis eiuſdem in Syros, quos naribus mutilauit, Seneca lib. 3. de ira cap. 20. Eſdras cap. 4. Aſſuerum & Artaxerxem uocat, Cedrenus Darium, & fabulam nouam de Iudithæ hiſtoria & ſucceſſore Artaxerxe attexit, cùm alibi rurſus nomen hoc Cambyſi accommodet. De expeditione ipſius in Æthiopiam ſic cecinit Lucanus lib. 10.

—Veſanus in ortus
" *Cambyſes longi populos peruenit ad æui,*
" *Defectuſq; epulis, & paſtus cæde ſuorum,*
" *Ignoto te, Nile, redit, &c.*

SMERDIS, conſectatur CAMBYSEM ad expeditionem Ægyptiam: & ex æmulatione quadam in Perſidem remiſſus, nec multo poſt in ſuſpicionem affectati regni uocatus, ſcelerato eius iuſſu per Prexaſpen de uita tollitur. Herodotus, Iuſtinus. Xenophon & Zonaras Tanaoxarem, Cteſias Tanyoxarcen, nominant: & illi Medorum, Armeniorum, Caduſiorum, hic Bactrianorum, Choraſmiorum, Parthorum & Carmaniorum, ſatrapijs, donatum à patre memorant. Variat etiam de morte eius idem Cteſias, & cæſum in Ægypto, ait.

PARMIS, nupſit DARIO Hyſtaſpis. Herod.

ATOSSA, ducitur ui coacta in matrimoniū à fratre CAMBYSE: & hoc demortuo, primum Smerdi (Cedreno Cimmerdius eſt) Mago, deinde DARIO nubit. Quem cùm totum poſſideret, & ob patris memoriam in ſumma populi ueneratione eſſet, & ipſum

DEMO-

DEMOCEDIS medici artibus ad tentandam Græciam impellit, & Xerxi F. auctoritate sua regnū conciliat. Herodotus, Ælianus, Suidas. Refert ex Hellanico Clemens, primam ipsam epistolas scripsisse. Nomen Atossa alludit ad Ebræum Hadassa, quod habuit ESTHERA Iudæa. Sunt ergo, qui hanc eodem Atossæ nomine accipiant, & ob mariti constantem beneuolentiam Cyri filiam creditam, ipsa etiam genus suum, propter odium cæterarum gentium in Iudæos, tegente studiosius, existiment. Et addunt, primum DARIO, deinde Xerxi, ad inuadendam Græciam auctorem fuisse, ut nempe iniurias AMANI, quem è ueteri Bibliorū translatione Macedonem faciunt, de tota gente ulcisceretur. Inuenias etiam, qui VASTEN Atossam, & sororem Artystonam dici Estheram uelint. Sed hæc coniecturis incertis tradita, relinquimus: & Estheræ historiam cum Iosepho & Suida ad Artaxerxis Longimani tempora referimus: Cum quidem ille Amanum non Macedonem, sed Amalecitam fuisse, astruat. Nam quæ Eusebius contra hanc sententiam disserit, uehementer uacillant, & improbatur meritò, quod Estheram Artaxerxis Mnemonis coniugem fecit. Credibile est etiam fratrum Xerxis & Sogdiani odio, qui fortè geniti Esthera essent, regnum facilius DARIO Notho concessum. Nam occultatam ab ea principio originem, Amani cædes, & in aduersarios Iudæorum usurpata acerbitas, satis detexit.

MEROE, coniungitur & ipsa nuptijs fratri Cambysi: Cui post modo Smerdis cædem exprobrare in Ægypto ausa, perimitur. Herodotus. Meminit Iosephus lib. 2. Ant. cap. 5. Æthiopum regiam Sabam, de ea Meroēn à Cambyse nominatam. In eandem sententiā plura Strabo lib. 17. etsi de morte eius nonnihil discrepat.

ARTYSTONA, manet sola fraterni matrimonij expers: & connupta DARIO, amore ab eo tanto amatur, ut imagine ex auro cum tunica talari culta sit. Herod.

CAMBYSI. II. è Ctesia Athenæus coniugem attribuit NYTETIN, Apryis, regis Ægypti filiam: de qua discrepantes Herodoti & Polyæni expositiones suprà attigimus. Ac collocat ei idem Herodotus sorores Atossam & Meroēn, sed prolem ipsi inde nullam genitam, ait. Hieronymus tamen filiam eius fecit PANTAPTEN.

PANTAPTE, fuit in matrimonio Smerdis Magi, & hoc cæso, in Darij torum succedere iubetur. Hieronymus.

POSTERITAS CAMBYSIS, FILII ACHAEMENIS, SEV FAMILIA HYSTASPIS.

CAMBYSIS posteritatem, quam cum Achæmenidis cæteris

teris priuatam relictam extulit regia dignitate DARIVS, hac serie exposuit Herod. lib. 7.

Cambyses, Achæmenis F.

|

Cyrus.

|

Teispes.

|

Ariaramnes.

|

Arsamenes.

|

HYSTASPES. militauit CYRO Magno in bello Massagetico. A' quo ob somnium quoddam, unde DARIVM F. insidiarum ille suspectum haberet, domum remissus, huncque ab ea expeditione regresso ad dicendam causam sistere iussus, interitu ipsius metu isto liberatur, & sub Magis Satrapa Persis præest. Herod. lib. 1. & 3.
» Marcellinus lib. 23. de Hystaspe sic explicat. Hystaspes, prudentissi-
» mus Darij pater, cùm superioris Indiæ secreta fidentiùs penetraret,
» ad nemorosam quandam uenerat solitudinem, cuius tranquillis silen-
» tijs præcelsa Bracmanorum ingenia potiuntur: eorumque monitu ra-
» tiones mundani motus & siderum, purosque sacrorum ritus quantum
» colligere potuit eruditus, ex his quę didicit, aliqua sensibus magorum
» infudit: quæ illi cum disciplinis præsentiendi futura per suam quisque
» progeniem posteris ætatibus tradunt.

FVIT cum Hystaspe connupta Rhodogune, teste Suida: unde liberi ei geniti: DARIVS. I. ARTABANVS, Artaphernes, Otanes, Atarnes, & Filiæ duæ ἀνώνυμοι.

I. DARIVS. I. cognomento νόθος, præsagitur iuuenis annorum 20. CYRI Magni somnio potētiæ amplissimæ possessor: ideoque mandato illius tanquam regni æmulus, & uitæ insidiator asseruari in custodia iubetur. Hoc periculo morte Cyri defunctus, consectatur Cambysem ad expeditionem Ægyptiacam: cōiurat cum OTANE, & reliquis agnatis principibus in Magos: & cùm instando obtinuisset, ut cædes horum maturaretur, ipseque SMERDIN sua manu obtruncasset, pro regij status recuperatione contra Otanem & Megabazum uehementer dimicat: atque in hanc sententiam illis pertractis, seu Oebaris equisonis arte, seu suffragijs legitimis REX creatur. Quam dignitatem connubijs confirmaturus, in cęteris Cyri filias duas & neptes totidem uxores ducit. Inde ad regnum constituendum conuersus, in prouincias id 20. diuidit, & alijs tributum, quod de omnibus summatim Herodotus talentorum 14560. collegit, alijs munera impe-

rat.

rat. Ac composito domestico Intaphernis tumultu, ad Græciam tentandam Democedis Medici artibus ab Atossa impellitur: restituit SYLOSONTEM Samium: Babylonios rebellantes ZOPYRI proditione recipit, & cùm alijs pœnis, tùm murorum & portarum demolitione mulctat. Neq; à Scythis tam recẽti Cyri bello, quàm Cyaxaris Medi temporibus acceptam cladem uindicare inertię ratus, per Bosporum Thracium & Istrum, quem utrunq; ponte coniunxisset, in eos proficiscitur: ac successu frustratus, tentat per Megabazum gentes accolas, Thraces, Macedonas, Pœonas, & hos sedibus eiectos in Asiam transfert. Cumq; sub idem tempus restituisset Pheretimam Aryandes, satrapa Ægypti, pòst ad regnum aspirantem, & monetam argento purissimo, quod inde Aryandicum denominatum fuit, æmulantem, occidi imperat. Nec multo pòst HISTIÆI artibus ab Aristagora ad rebellionem pertrahuntur IONES: quibus sexennali bello repressis, & Histiæo ipso in crucem acto: in ATHENIENSES illorum auxiliarios, Pisistratidarum inflatu primùm MARDONIVM, deinde Artaphernem & Datim cum classe mittit: & uictis hisce MILTIADIS opera in Marathone, etiam Ægyptum defectione amittit. Eam gemini infortunij ignominiam dum belli noui apparatu, cui impensum triennium integrum fuit, depellere atq; ulcisci parat, iamq; filiorum de successione regni composita contentione, ipse in expeditionẽ ire instituit, morbo oppressus diem suum obit, anno regni 36. Herodotus, Plato, Diodorus, Strabo, Iosephus, Zonaras, Cedrenus, Zetzes, Probus, Valerius, Plinius, Iustinus, Hieronymus, Orosius. Coluit inter necessarios amicos ZOROBABELEM Iudæum, ex regia DAVIDIS posteritate: quem in quæstionis cuiusdam certamine uictorem renũciatum, nec præmia aliqua, sed Hierosolymitanæ urbis & fani instaurationem petentem, dimittit honorificè, & tum satrapas gentesq; uicinas in eandem rem omni ope incumbere, tum Idumæos & Samaritas Iudaici territorij agris cedere mandat, & Iudæos ipsos immunitate donat, ut meminit Iosephus. Nam Esdras à Syriæ prætoribus, qui eo nomine Iudæos accusarent, ad inspiciendos regios commentarios impulsum, indeq; Cyri edicto cognito, ita hoc deinde renouasse, & sumtus de Syriæ tributis, ne opus intermitteretur, suppeditasse, ait. Stratagemata eius habet Polyænus lib. 7. nominanturq; interea & recepta Ægyptus, & expugnata Carthago & bellum cum SACIS: de quibus narrationibus quisq; quod uolet sentiat. Etsi de Ægypto consentire etiam uidetur Diodorus lib. 1. cap. 5. ubi Darium & sacerdotes gentis admisisse humaniter, & theologia, gestisq;, quæ libris sacris continebantur, ab illis perceptis, priscorum regum magnificentiam, & in subditos humanitatem

historia complexum, tradit. Strabo & Eustathius epitaphium Darij eiusmodi retulere: φίλος ἦν τοῖς φίλοις, ἱππεὺς καὶ τοξότης ἄριστος ἐγενόμην, κυνηγῶν ἐκράτουν, πάντα ποιεῖν ἠδυνάμην. Quàm fuerit liberalis doctrinæ cupidus, ostendit epistola ipsius ad Heraclitum Philosophum, recitata à Laërtio. Laudat leges ipsius Plato epist. 7. Sed culpat Xerxis filij educationem dial. 3. de legibus.

III. ARTABANVS, claruit prudētiæ ciuilis fama apud Dariū: eiq́ rationibus probabilibus bellum Scythicū dissuadet. Idem ausus apud Xerxem, probra & minas refert. Vnde tametsi mox immutatus, ipse etiam in regis sententiā iuit, pòst tamen ad consiliū idem redit, & fidem inde tantam sibi comparat, ut & regni administrationem acceperit, & rebus in Græcia perditis, princeps stipatorum lectus sit. Cumq́ & amoribus regis turpibus uehementer offenderetur, & populi in ipsum ob clades acceptas alienationem manifestam perspiceret, necandi eius, & regni in se transferendi, consilium init. Atque facinoris illius per Mithradatem Eunuchum compos factus, de hoc quadam Artaxerxis fortuna successu frustratur: & post Xerxis cædem nefariam seu ui & armis, seu fraude ab eo oppressus, cum familia omni horribili crudelitatis exemplo mactatur. Herodotus, Zonaras, Cedrenus, Probus, Hieronymus, Orosius. Dissentiunt nonnihil de morte eius Diodorus & Iustinus: & Eusebius etiam regno potitū, id menses septem administrasse, ait.

SVBIICERE autem hoc loco etiā filios Artabani uisum fuit, quos Iustinus septem numero, Herodotus quinq́ fecit, & additum ab illo est, cum patre parricidij consortes factos, pòst Artaxerxis iussu iugulatos. Nomina eorum sunt: Artyphius, Ariomardus, Bagassaces, Trijntatechmes & Tigranes. Ex his priores tres bello Xerxiano præfecturas Gandariorum, Caspiorum, & Mysorum meruēre: Trijntatechmes uerò inter duces primarios cooptatus fuit. Tigranes & ipse Xerxem in Græciam consectatus, uero elogio gentis gloriam prædicat: quippe quæ non pecuniæ, sed uirtutis certamen agitaret. Idem pedestrium copiarum in Asia imperio honoratur, & oppressus à CIMONE ad Mycalen, in tentorio iugulatur, ut scripsit Herodotus.

ARTAPHERNES, imponitur Sardibus & oræ maritimæ Prætor à DARIO: Aristagoram cōtra Naxios classe instruit: Athenienses petentes fœdere sibi adiungit. A' quibus postmodo per Pisistratidas alienatus, hostes eos bello Ionico graues habet, ipsis Sardibus incensis. Atq́ Ionas dehinc urgendo uehementius, expellit Aristagoram: Histiæum motuum omnium auctorem cognoscit, & capto deniq́ illo ab Harpago, atq́ in crucem acto, gentē seruitute noua mulctat.

ctat. Herodotus, Suidas. Scribit Iustinus, Artobazanem & Xerxem, fratres, de regno contendentes, concordi animo ad Artaphernem, ceu ad domesticum iudicem certamē detulisse, eumq; cognita causa, Xerxem præposuisse. Id Herodotus patri tribuit.

ARTAPHERNES, surrogatur cum Dati in præfectura nauali MARDONIO: & tentare Athenienses & Eretrienses iussus, hos quidem debellatos in potestatem redigit: ab illis uero in Marathone cladem ingentē accipit, & redire in Asiam cum dedecore cogitur. In bello Xerxiano Lydis & Mysis ductor præficitur. Herodotus.

OTANES, illustri facto nullo enituit. Bello Xerxis generi, Persis gentilib. cū imperio præest. Herodotus. Nascuntur autem ei liberi.

SMERDONES, floruit gratia apud Xerxem, & inter duces eius præcipuos locum promeruit. Herodotus.

AMASTRIS, iungitur connubio Xerxi patrueli. De cuius incestu cum nuru Artaynta edocta, uindicat scelus id in matre crudeliter. Ac domesticis calamitatib. facta asperior, iam prouecta ætate illustrium Persarū liberos 14. ad referendam pro se gratiam Deo, quē sub terra esse crederet, uiuos defodit. Herodotus. Meminit Plato in Alcibiade primo.

ATARNES, procreat filiam unicam PHRAGATVNTAM, qua Dario nuptum data, facultates ei suas omnes permittit. Herodotus.

E FILIABVS Hystaspis ἀνωνύμοις altera collocatā GOBRYÆ, & MARDONIVM enititur: altera Theaspi Achæmenidi, & liberos gignit Pherendatam & Sataspem. Ex his Pherendates duxit Colchos in bello Xerxiano, & deprædatus Con insulam, abductam inde Hagetoridæ cuiusdam filiam usq; ad pugnam Platæensem concubinam habet. Tum enim illam transfugio in castra Græcorum delatam, Pausanias primùm in Æginam, inde in patriam remisit. Sataspes, uitiat Megabazi filiam: ob quod facinus crucis supplicio destinatus à Xerxe, matris precibus conseruatur, & ad scelus illud maiori periculo luendum circumnauigare Africam iubetur. In id cùm strenuè incumbendo ad ipsas columnas prouectus esset, neq; desperatione quadam progredi ulterius ausus, in Ægyptum ad Xerxem reuertisset, eiq; itinere isto exposito, minimè tamē persuaderet, nouo regis mandato in crucem tollitur. Herodotus, Pausanias.

DARIO coniuges plures fuerunt. ✱.

✱ I. FILIA Gobryæ ἀνώνυμος, quæ adhuc priuato nupsit, & liberos ei secundùm Herod. tres peperit: Artabazanem, Ariobignem, & quæ nostra sententia est, Artozostren.

ARTABAZANES, aspirat ob ætatem ad regni successionem, Dario in Græciam ituro, eaq; in re aduersario usus XERXE, & concedere huic iussus, quòd patre adhuc priuato natus esset, adeò inde beneuolentiam mutuã neuter immutauit, ut & litis tempore inuicem munera miserint, ac iucunda inter se, non solùm credula, conuiuia habuerint, neq; uictor exultauerit, uel uictus indoluerit. Herodotus, Iustinus.

ARIOBIGNES, præfuit bello Xerxiano Ionicæ classi & Cariæ. Quod munus cùm administraret gnauiter, & in pugna ad Salaminem inter primos dimicaret, cadit in acie. Herodotus. De nomine uariat Plutarchus, qui Ariamenem uocat: & uirtutẽ eius ita celebrat, ut inter Xerxis fratres longè prę̃stantissimum & iustissimum extitisse, dicat. Addit etiam, congressum cum THEMISTOCLE, & in triremem eius transire conatum, hastis confectum fuisse: cumq; corpus in mare deiectum salo iactaretur, ab Artemisia agnitum, atq; ad regem allatum. Alibi tamen historiam Artabazanis transtulisse ad ipsum uidetur.

ARTOZOSTRE, collocatur sobrino Mardonio. Herodotus.

✱ II. ATOSSA, Cyri Magni F. unde, Herodoto auctore, geniti liberi quatuor: XERXES, Achæmenes, Masistes & Hystaspes. Diodorus addidit filiam Mandanen.

II. XERXES. I. præfertur in regni successione fratri Artabazani, cùm hortatu Demarati Spartani, patre rege genitũ se contenderet, & plurimùm iuuaretur ATOSSÆ matris auctoritate: quod regnum tenet ann. 21. Recepit felici expeditione Ægyptum: & persuasus à Mardonio, cui accederent & ALEVADARVM Thessalorum, & PISISTRATIDARVM Atheniensium, policitationes magnificæ, patris contra Græcos bellum renouat: Carthaginienses fœdere sibi adiunctos contra Siculos inflammat: & totos annos 4. in apparatu consumto, quinto exercitum, quem Herodotus præter Europæa auxilia 1700000. peditum, equitum 80000. fecit: atq; classem, quæ triremibus 1208. constaret, & exercitum itidem 240000. hominum haberet, educit: perfodit labore incredibili Athon montem: Hellespontum ponte iungit. Neq; inde usq; ad Thessaliæ oram cladem ullam passus, & Thessalis ipsis & Argiuis, & Bœotis, accepta à singulis terra & aqua, socijs usus, ad Magnesiã naues 400. naufragio amittit: ten-

tit: tentat infelici impresione Græcorum in Thermopylis præsidium: neque uirtute sed Ephialtis Trachinij proditione montium cacuminibus potitus, & stationem defendere cum LEONIDA perseuerantes Spartanos ad unum omnes perimit, & Leonidę cadauer in crucem tollit. Inde mari ad Aphetas & Artemisium pugna dubia certat: occupat Thespias, Platæas, Athenas, & arcem harum ui captam incendit. Iterum ad Salaminem classe cum Græcis congressus, clade ea affi. citur, ut & de belli successu desperare cœperit, & pedestribus copijs Mardonio petenti permissis, Themistoclis artibus fuga præcipiti in Asiam redierit. A' quo tempore rebus ipsius passim in peius collabentibus, exercitus duos, alterum ad Platæas cum duce Mardonio, alterum ad Mycalen cum duce TIGRANE patruele, uno die amittit. Neq; tot cladium formidine Sardibus, quò è prima fuga se receperat, subsistere ipso amplius auso, Europææ prouinciæ Græcis præda fiũt, & deficiunt denuo Iones. Quare in odium omnium infestum uenit: cumq; machinationum occultarum cum PAVSANIA de Græcię proditione frustratus conatu, propinquos crudelitate in Masistis domum alienasset, occiditur ab Artabano patruo. Herod. Plato, Polyænus, Plutarchus, Eusebius, Suidas, Zonaras, Cedrenus, Zetzes, Probus, Seneca, Iustinus, Hieronymus, Orosius. Pausanias regum omnium, qui Medis & Persis imperârunt, animi elatione, & operum magnificentia, præstantissimum uocat: subijciendo, bellum ipsius, quod aliqui in annum decimum à Marathonia clade collocant, primum Bacidis oraculis, deinde Eucli cuiusdam carminibus, prædictum fuisse. Variant de copiarum numero Diodorus, Iustinus & Orosius, easq; cum Europæis auxilijs tantum 1000000. hominum faciunt. Censet etiam idem Diodorus, Themistoclem patria eiectum ad Xerxem peruenisse: quod nos cum Thucydide, Suida, Cicerone, Probo ad Artaxerxem successorem referimus. Detulit plurimum DEMARATO Spartano: quippe cui & regnum ex parte deberet: & ad expeditionem in Græciam comitem assumtum, monitorem sæpè fidelem experitur. Contra Delphos manum 4000. armatorum missam, imbribus & fulminibus amisit. Nam erga Græcorum superstitiosam religionem, infestiorem fuisse reperimus: cùm Ecclesiæ, hoc est, Iudæis, nihil non tribuerit. Etsi quod scripsit Iosephus, de missis ab eo in Iudæam Esdra & Nehemia, rectius Longimano tribuitur. De uiolato à Xerxe Beli sepulcro, & denunciatis ipsi inde, quę mox secutæ sunt, calamitatibus, Ælianus explicat uariæ historiæ lib. 13. cap. 3. Ac attigit ex Herodoto Valerius ostenta nonnulla, quæ turpem è Græcia fugam portenderint, quorum fides penes auctores esto: sicuti de eo quis magis dubitârit, quòd ab exercitu flumina epota affirmãt. Cicero Tuscul.

„ quæſt.lib.5.hæc de Xerxe tradidit: Xerxes quidem, inquit, refertus o„ mnibus præmijs donisq; fortunæ, non equitatu, non pedeſtribus co„ pijs, non nauium multitudine, non infinito pondere auri contentus, „ præmium propoſuit, qui inueniſſet nouam uoluptatem, qua ipſe in„ uenta, non fuit contentus: neque enim unquam finem inueniet libi„ do, &c. De eadem re Valerius lib.9.cap.1. Nam Athenæus id ad Perſarum reges omnes tranſtulit. A' Plutarcho traditũ eſt, ſcribas regem hunc habuiſſe, qui deſcriberent, quæ in bello gererentur.

ACHÆMENES, præficitur à Xerxe ſatrapa Ægypto: quem cùm auxilijs conſectatus in Græciam, & inter claſsis duces lectus, opponit ſe DEMARATO Spartano, & urgendam mari fortunam improuidè ſuadet. Inde enim cùm regis euerſis rebus in Ægyptum fuga reuertiſſet, oppreſſus gentis defectione, ab INARO Liby perimitur. Herod. Nam Diodori expoſitiones diſcrepant, & ad Achęmenem hunc retulère, quæ infra Achæmenidi, Xerxis filio, attribuemus. A' quibus diſcedere ideò etiam rectiùs poſſumus, quòd diſertè nobiſcum facit Cteſias. Cùm adijciat Herodotus, pręſidis adhuc fungentem munere in Ægypto cæſum.

MASISTES, accepit à Xerxe Bactrorum præfecturam, & inter belli Græci duces primarios legitur. Vnde cum rege poſt infelicem ad Salaminem pugnam Sardes regreſſus, & conſoceri auctus honore, de uxore dimittenda (eam principiò amare Xerxes cœperat, ſed poſtea amorem in filiam tranſtulerat) iniquè ſolicitatur, & Xerxis ducere filiam iubetur. Quod cùm utrunq; denegaret, & uxorem mutilari indignè conſpicit, & oppreſſus in fuga, quam ad ſolicitandos Bactrios & SACAS in ſatrapiam ſuam inſtituerat, ab inſequentibus regijs copijs cum liberis iugulatur. Herodotus.

ARTAYNTA, collocata Dario patrueli, clàm à Xerxe inceſtatur. Quod ſcelus non multo pòſt ſua ipſius imprudentia enunciatum ita luit, ut neces ſuorum miſerabiles conſpexerit, & maritum Darium Artabani ſcelere amiſerit. Herod.

HYSTASPES, præfuit bello Xerxiano ductor Bactrijs & Sacis.

PISSVTHNES, tenuit Sardium præfecturam: & iunctus ſocietate Samijs, præſidium Atticum, & huic adiunctos principes ab ijs oppreſſos, donum accipit. Pòſt auxilia Notio ciuitati mittit: qua ab PACHETE Athenienſi capta, ſuorũ cæde alienam felicitatem luit, & hoſtis calamitatem ſubleuat. Thucydides.

AMORGES, nothus, defecit ab DARIO Notho: & Caria in

ria in poteſtate retenta, Athenienſes ſibi ſocios adiungit. Ideo TIS-SAPHERNI oppugnandus traditus, etiam Peloponeſios hoſtes accipit. A' quib. Iaſi obſeſſus, & urbe expugnata captus, Tiſſapherni traditur, & ab hoc porrò ad regẽ excarnificandus mittitur. Thucyd.

MANDANE, nupſit Autarcto, & filios tres, forma & ingenio præſtãtes, ex eo procreat. Quibus Xerxiani belli tẽpore captis à Themiſtocle, & immolari iuſsis ab Euphrantide aruſpice, ingens illi poſtmodo ad Perſas in exiliũ profecto periculũ uitæ creat. Diodorus. Plutarchus nomine nonnihil deprauato, Sandaucam nominat.

✳ III. ARTYSTONA, itidem Cyro M. genita, edit liberos, Arſamem & Gobryam.

ARSAMES, duxit bello Xerxiano Arabum & Æthiopum auxilia. Herodotus.

GOBRYAS, & ipſe Xerxianæ expeditionis conſors factus, habuit ſubditas Mariandynorũ, Libyum & Syrorum copias. Herod.

✳ IV. PARMIS, Smerdis F. unde natus Ariomardus.

ARIOMARDVS, honoratur bello Xerxiano prefectura Moſchorum & Tibarenorum. Herodotus.

✳ V. PHRAGATVNTA, Atarnis F. enititur filios, Abrocomem & Hyperanthem. Qui Xerxem ſecuti in Græciã, ambo ad Thermopylas occumbunt, cùm Leonidæ occiſi cadauer auferre conati, audacius in hoſtem prouecti eſſent. Herod.

✳ VI. PHÆDYMA, Otanis F. qua geniti fortè Arſamenes & Anutis.

ARSAMENES, præfuit cum imperio Vtiorum & Mycorum auxilijs. Herod.

ANVTIS, fuit in matrimonio Bagazi: mulierum totius Aſiæ ut forma præſtantiſsima, ita animo & moribus incontinentiſsima. Athenæus lib. 13. cap. 32.

✳ VII. PANTAPTE, Cambyſis F.

E' concubinis Darij nominauit APAMEN Ioſephus lib. 11. cap. 4. Adduntur etiam filiarum ἀνωνύμων generi, Dauriſes, Hymees, Otanes, Artochmes, de quibus lectorẽ ad Herodoti hiſtoriã remittimus.

HABVIT XERXES in matrimonio AMASTRIN, è qua liberos ſuſtulit: Darium, ARTAXERXEM, Hyſtaſpem & Dariæam. Quibus addimus è Cteſia Achæmenidem.

DARIVS, accipit à patre coniugem Artayntam, Maſiſtis filiam. Qua ſcelere eius inceſtata, poſt ab Artabano cædis paterne apud Artaxerxem per calumniam accuſatur, & innocentiam ſuam fruſtra probare aggreſſus, de uita tollitur. Herod. Diod. Iuſtinus.

IV. ARTAXERXES, cognomento μακρόχειρ, antea

Cyrus, retinet regnum insidiosa Artabani opera: Darium fratrem necimprudens tradit: ac uix ipsemet insidiatori ereptus, ceu ui, ceu astu circumuentum cum liberis & domo tota iugulat. Hinc ad Ægyptum recuperandam, quæ à patris cæde INARO Liby auctore rebellârat, animum adijcit: & Lacedæmonijs ad retrahendos inde Athenienses frustra solicitatis, Achæmenidem fratrem cum copijs instructissimis, numeroq; maximis, hoc est, 300000. ut Diodorus, 400000. ut Ctesias, isthuc mittit: Cumq; uicto hoc ab Atheniensibus, atq; in acie cæso, bellum idem per Artabazum & Megabazum urgeret uehemētius, tandem edomitam feliciter, redire sub imperij pristini iugum compellit. A' CIMONE classe oppugnatus, metu Cypri amittendæ fœdus cum Atheniensibus init, & maris imperio illis permisso, etiā Græcas per Asiā colonias liberas esse iubet. Moritur anno regni 44. Thucydides, Diodorus, Eusebius, Suidas, Zonaras, Cedrenus, Iustinus, Hieronymus. Nominant alij imperij ipsius annos tantum 26. Probus præter amplissimam pulcerrimamq; corporis formam, etiam incredibilem uirtutem eius bellicam prædicat. Quibus alij addunt mansuetudinem & humanitatem heroicam, declaratam ab eo cùm alijs in rebus plurimis, tum erga THEMISTOCLEM Atheniensem. Hunc enim Lacedæmoniorum inuidia è Græcia expulsum, hospitio benigno excepit, & prudentia hominis perspecta tanti fecit, ut trium opulentissimarū urbium imperio donârit: & successores inde in consuetudinem traxerint, ut cùm à Græco homine aliquid peterent, ei per literas policerentur, maiorem eum apud se Themistocle futurum. Cognomenti μακρόχειρος causam exponit Strabo lib. 15. & brachiorum ulnarumq; longitudine tanta fuisse, ait, ut genua contingeret. Repetit eandem in cæteris Marcellinus lib. 30. ubi de clementia eius addit, suppliciorum uarietates lenitate genuina ita castigare solitum, ut tiaras ad uicem capitum quibusdam noxijs amputârit: & ne secaret aures more regio pro delictis, ex galeris fila pendentia præciderit. Plura de eadem re Plutarchus habet in Apophthegmat. In aulicis eius claruit præcipuè Amanus Amalecita: quem honoris causa patrem Regis appellatum, cùm ex æmulatione cum MARDOCHÆO scelerate Iudæos criminatum, sceleratius extirpare conatum, resciuisset, pœna digna afficit: regia ea de re illi concessa edicta retractat, & animatos inde in Iudæorum cædem gentiles, mulctari ab his ad libidinem permittit. Ac potuêre ab eo tempore apud ipsum plurimū idem Mardochæus & ESTHERA regina, quorum illi dignitas Amani, huic facultates cessêre. Vt consentaneum sit, etiam edicta de fano Hierosolymitano instaurando, ea occasione renouata fuisse. Qua in re munificētiam regis huius tantam extitisse accepimus, ut hoc homine ESDRAM

sacerdotem Babylone in patriam remissum donârit magnificè, & templi exædificationem & sacrificia iuuari è fisco regio iusserit, tum sacerdotes ab oneribus omnibus immunes esse uoluerit. Atque absolutum quidem templum est anno regni eius septimo. Adhæc pro urbe instauranda NEHEMIAM pincernã redire in Iudæam humaniter permisit, & comitatu honesto deduci iussum, etiam literis ad satrapas uicinos instruxit. In historia Estheræ Assuerus, ab Esdra Artasasta nominatur.

HYSTASPES, surrogatur Masisti in Bactrianæ præfectura, eaque occasione Artabani crudelitatem effugit. Diodorus.

DARIÆA, nupsit Hierameni cuidam, & filios ex eo procreat, Autobisacem & Mitræum. Qui Cyrum iuniorem Sardes secuti, arrogantia eius nefaria, quod scilicet occurrentes ei manus intra manicam non contraxissent (fieri autem hoc regi tantùm solebat) de uita tolluntur. Ac tametsi parentes mœstissimi euocari parricidam à Dario curassent, tamen hoc interea uita defuncto, is supplicium effugit. Xenophon. Ctesias Parysatida nominare uidetur: etsi perperam Dario Notho uxorem adiungit.

ACHÆMENIDES, habetur ab Artaxerxe fratre honorificè: & Ægyptij belli imperator præfectus, ac decertare prælio cum hoste ausus, cadit in acie. Ctesias. Vt Diodori expositiones discrepent, suprà ostendimus.

CONIVGEM ARTAXERXI Ctesias attribuit Damaspiam, & filium inde unicum nominat XERXEM. Addidit concubinas tres: ALOGVNEN, undè genitus Secundianus: COSMARTIDENEN, quæ enixa est Ochum & Arsiten: ANDIAM, è qua procreati Bagapæus & Parysatis. Sed quia minus hæc cum literis sacris cõueniunt & Iosepho, nec obscurè cæteri auctores dissentiunt, de coniugio quidem nos etiam illi fidem derogamus, & ex historia Estheræ uxores eius facimus, VASTEN & ESTHERAM: E' quibus etsi proles nulla memoratur, tamen posteriore Esthera geniti XERXES & SOGDIANVS (ita enim nominamus ex Eusebio & Diodoro) rectè credi posse uidetur. Nam Diodorus fratres fuisse germanos astruit: Et Pausanias Sogdianum toro legitimo susceptum, ait. Nec dubium est hoc ipsum Dario ad regnum aditum faciliorem peperisse, cùm fortè in matrem illorum Iudæam populi studia alieniora essent. Quanquam, ut mox subijciemus, neque ipsi scelere caruerunt. Reliqua de concubinis & natis inde liberis cur repudientur causa nulla est, nec audiendi è recentioribus, qui Darium Nothum, quo nomine memoratur à Metasthene, Eusebio, & Hieronymo, genitum Artaxerxe negant. Quippe quod per-

ſpicuæ Thucydidis, Metaſthenis, Pauſanię, expoſitiones impugnent. Ac ſuſpicor in Xenophontis ἰᾶ.κυ, mendum eſſe, ſicuti & in Euſebÿ Chronologia, ubi Xerxis filius nominatur.

V. XERXES. II. ſuſcipit regnum à patris obitu. Quod dum uoluptatum ſtudio negligit, ſeu fratris inſidÿs ſeu ebrietate immodica, morte occumbit. Cteſias, Diodorus, Euſebius, Hieronymus. De imperÿ eius tempore uariatur mirificè: nam alÿ dies 45. alÿ menſes duos, alÿ annum unum nominant. Quæ incommoda ut uitaret Clemens, & ipſum, & fratrem Sogdianum planè omiſit.

VI. SOGDIANVS, Xerxis fratris interitu regnum conſecutus, imperat crudelius: Bagoraſum præcipui nominis Eunuchum cæde iniuſta tollit, & Dario occultis inſidÿs exitium machinatur. Vndè cùm ſibi odium omnium infeſtiſsimũ, illi beneuolentiam firmiorem paraſſet, bello ab eo graui petitur: & prætextu pacificationis circumuentus, & captiuus detentus, ſuffocandus in cineres conÿcitur. Cteſias, Diodorus, Pauſanias, Euſebius, Cedrenus, Hieronymus. Scribunt nomen hoc alÿ Secundianus, alÿ Ogdianus, alÿ Iſogæus: nec conuenitur de imperÿ tempore, quod alÿ menſium quinqȝ, alÿ ſex, alÿ etiam octo fecere.

VII. OCHVS, cognomento DARIVS Nothus, regit ſub patre Hyrcanorũ ſatrapiam: quam à Xerxe retinere permiſſus, à Sogdiano inſidioſè euocatur. Id periculum maturè olfaciens, iuſſa illius detrectat: arma per rebellionem capit: & adiutus promto omnium ſtudio, regem fraude in poteſtatem redactum & regno & uita ſpoliat, illudqȝ in ſe translatum tenet annos 19. Amiſit noua defectione Ægyptum: quod tametſi incommodum ingens, compenſauit tamen propemodum confœderatio cum Lacedæmonÿs tertiò renouata. Recepit enim urbes, quas maiores per Aſiam tenuerant uniuerſas: oppreſſit tumultuantem Amorgem: policitus tamen in bellum contra Athenienſes ſumtus communes. Adhęc Medos, itidem Perſis tertiò rebellare auſos, expeditione gemina compeſcit. Ac edoctus de Cyri in Autobiſacem & Mitræum ſæuitia, cùm eo nomine euocatum punitürus eſſet, ante aduentum eius cedit è uita. Thucydides, Xenophon, Diodorus, Euſebius, Iuſtinus, Hieronymus, Oroſius. Inuitauit ad ſe magnis propoſitis muneribus POLYDAMANTEM Scotuſæum: de cuius incredibili robore Suidas πολυδάμας, Pauſanias lib. 6. Plutarcho de fortuna & uirtute Alexandri Diabagas eſſe uidetur. Et explicat de hiſtoria eius confuſiſsimè Cedrenus pag. 119. & ſeq. Supplicÿ cinerum à Dario uſurpati his uerbis meminit Ouid. in Ibin:

" *Vtqȝ necatorum Darÿ fraude ſecundi,*
" *Sic tua ſuccenſens deuoret oſſa cinis.*

Etſi

Etsi Valerius lib. 9. cap. 2. hoc ad Darium Hystaspis uidetur referre.

ARSITIS & BAGAPÆI res gestæ nullæ commemorantur, & habet nomina hæc solus Ctesias.

PARYSATIS, iungitur incesto connubio Dario fratri: è quo liberis quatuor susceptis, beneuolentiã omnem in CYRVM transfert: & regnum ei prætextu eodem, quo Xerxi id obuenerat, frustra conciliare annixa, depræhensum ab Artaxerxe in insidijs, ideoq́ supplicio destinatum, pia deprecatione sua cõseruat, & dimitti in Lydiam curat. In eo tempore cùm nouis delatum criminationibus tueretur diligentius, pòst belli ab ipso moti culpam sustinet, & atroci Statiræ nurus conuicio exagitatur. Qua ex re uehementi accensa indignatione, regi quidem offenso se purgat: in Cyri uerò necis auctores supplicijs crudelibus sæuit, & Statiram uarijs oppugnatam fraudibus ueneno necat. Nec tamen interim alia ob tantum scelus à filio pœna mulctatur, quàm quòd Babylonem dimissa fuit, cum interminatione, nunquam ipsa uiuente hanc à se adeundam. Etsi inter eos iræ hæ diuturnę non fuêre: & reuocata in regiam, iterum TISSAPHERNI, Cyri hosti, necem conciliat, & regis nefandum erga Atossam filiam amorem confirmat. Xenophon, Plutarchus, Probus. In apophthegmatis eius celebratur, quòd regem alloqui uolentem, byssinis & mollibus uerbis uti præceperit.

SVSTVLIT DARIVS è Parysatide liberos, Arsicam, Cyrum, Ostanem & Oxatrem.

IIX. ARSICAS, cognomento ARTAXERXES μνήμων, retinet regnum patris beneficio: Cyrum fratrem eo nomine sibi insidiatum, matris precibus in prouinciam dimittit: & bellum inde mouenti, cum copijs firmissimis, hoc est, 900000. ut Xenophon & Plutarchus, 400000. ut Ephorus apud Diodorum, quas prouida Tissaphernis cura maturè collegerat, ad Babylonem occurrit: prælij aleam animo forti subit: Cyrum ipsum per infesta tela in se irruentem, etsi bis equo deturbatus, sustinet tamen sauciatq́ letaliter, eoq́ à regia cohorte oppresso, exercitum etiam præter Græcos solos (erunt hi numero tantum 12800. teste Xenophonte) in fugam conijcit. Nam hac parte à fortuna destitutus, ad fraudes conuertitur: duces artibus Tissaphernis captos iugulat: & sic etiam deditionẽ detrectantes, & Xenophonte duce Græciam repetentes, incursionibus infestis uexat. Cæteroquin utitur uictoria illa moderatè: mitigat transfugarum supplicia: & eos, quorum uirtus bello illo perspecta esset, donat regificè. Etsi pòst nonnihil mutatus, & Mithradatem & Caunium quendam cædis Cyri gloriam (quam parricidiali instituto uideri suam uolebat) sibi uendicare importunè ausos, immanibus supplicijs excarnificari à matre

permittit:

permittit: qua ab hoc initio grassante, deinde licentius, & Masabatem Eunuchum, & coniugem Statiram scelere eius amittit. Hinc nouis lonum tumultibus infestatur, quos Tissaphernis imperium detrectantes iuuarēt acriter Lacedæmonij, missis primùm Thimbrone & Dercyllide, deinde AGESILAO. Atq; TISSAPHERNEM bellum id defendere segnius edoctus, capite hominem mulctat, surrogato ei TITHRAVSTE, & Agesilaum ciuilium turbarum motu, quas per Hermocratem Rhodium, corruptis pecunia Græciæ potentissimis, excitârat, ex Asia retrahit: Lacedæmoniorum classem per CONONEM & PHARNABAZVM profligat, hisq; formidinem inde tantam iniicit, ut de pace per ANTALCIDAM solicitatus, patris renouata pactione, Græcis in Asia urbibus, & huic insulis finitimis, eos cedere, & Græciæ reliquæ pacem tenere imperârit. Vnde cùm rebus ipsius tam compositis, quàm auctis mirificè, ad Cyprum ab EVAGORA occupatam animum adiecisset, hunc terra mariq; decennali bello fatigat: & exutum cæterarum urbium imperio, tantùm Salaminem sub tributo retinere permittit. Neq; à Græcis, ciuilium bellorum contentionibus planè exhaustis, periculi iam quicquam sibi metuendum conspicatus, & pacem inter eos constituere frustrà annisus, tandē PELOPIDÆ uirtute Thebanos apertiore studio complecti cœpit: ANTALCIDAM ea de causa iterum legatione apud se fungentem, contumeliosè habet: & dum ex otio uoluptatibus se addicit, Amestrin & ATOSSAM filias amore incesto deperit, & confirmatus à matre utranq; uxorem ducit. Quòd eam infandum scelus numinis cœlestis offensa iustè uindicante, cladium multiplicium initium habuit. Nam Ægyptium bellum, quod ob gentis defectionem nouam, & ab ACORDE rege missa Euagoræ auxilia, renouârat, ducū Pharnabazi & IPHICRATIS Atheniensis dissensio irritum fecit. Et profectus ipse in Cadusios, commeatuum penuria grauissimum salutis discrimen cum toto exercitu subit, & amissis pluribus, uix TIRIBAZI astu euadit. Ideo despici se à primoribus suspicatus, supplicijs in eos crudelibus sæuit, ac formidine ista latius serpente, defectionis per Asiam maximæ, cui in cęteris nomen dedere ARIOBARZANES, MAVSOLVS, DATAMES, causam præbet, tum belli Ægyptij faces nouas incēdit. Cumq; cognitis filiorum de regno contentionibus, Darium successorem nominasset, eumq; abductione Aspasiæ, quam à Cyro pro concubina habitam, à cæde eius ad se receperat, offensum, & paulò pòst cum TIRIBAZO in insidijs manifestis depræhensum, capite mulctasset, iterum Ochi scelere filios alios duos amittit. Quod dum præ senecta uindicare omittit, seq; iam totum luctui & mœrori tradit, seu nouis

Qxatris

Oxatris fratris insidijs, seu morbo extinguitur, Xenophon, Diodorus, Plutarchus, Lucianus, Eusebius, Suidas, Probus, Iustinus, Hieronymus. Fuit ingenio lento: & Artaxerxē I. exprimere imitando principio conatus, in congressibus se comem præbuit, honores & beneficia pro dignitate cuiuis tribuit prolixè, pœnarum asperitatem mitigauit, gratiam nō minus dando quàm accipiendo inire ab omnibus studuit. Iccirco Omiso quodam malum punicum magnitudine mirabili ad ipsum afferente, Per Mithram, inquit, hic uir urbi paruæ præfectus, uidetur eam paruo tempore magnam facturus. Et alio tempore cùm alia alijs in uia offerentibus, operarius homo, qui nihil aliud illo temporis articulo inueniret, ad fluuium accurrens, aquam inde haustam manibus ipsi attulisset, delectatus eo, pateram auream & mille Daricos ei donum misit. Tulit etiam clementer TIRIBAZI stoliditatem. Et Euclidæ Laconi multa licentius & insolentius in ipsum garrienti, Tribunū militum dicere iussit, Tibi quidem de rege loqui, quæ uelis, regi aūt dicere & facere, quæ uult, licet. Vsus est Medico CTESIA Cnidio, de cuius historia quid ueteres senserint, & sequi nos par sit, suprà exposuimus. Nominant imperij annos eius Diod. 43. Plutarchus 62. ætatis Lucianus alibi cum eodem Plutarcho 93. alibi 86. Retinemus tamen nos cum Functio regni annos tantummodo 36.

CYRVS, cognomento iunior, præficitur à patre Lydiæ & oræ maritimæ: iuuat mandato eiusdem pecunijs Lacedæmonios contra Athenienses, & rogatu LYSANDRI nautis primus stipendium auget. Neq; tantæ in dignitatis fastigio nihil non licere sibi ratus, Autobisacem & Mitræum propinquos cæde iniustâ tollit. Ob quod facinus cùm patris morte pœnæ metu liberatus, ex matris & populariū studio, qui rege bellicoso & gnauo opus esse contenderent, contra Artaxerxem regnum affectaret, & insidijs ipsius à Tissapherne proditis, capite plectendus esset, matris pietate conseruatur, & in satrapiam incolumis dimittitur. Vbi nouis cōtentionibus cum Tissapherne commissus, eadem occasione in regem rebellionē molitur: barbaros apud se militantes diligenter in armis exercet: fraternos amicos fortè ad se missos muneribus corrumpit: militem Græcum primùm in Peloponneso, deinde in Chersoneso & Thessalia per Clearchum & Aristippū conscribit, & Proxenum Bœotium, Xeniam & Sophænetum, Arcades, arte sibi adiungit. Ac deserto cum Milesijs bello, ut regem incautum opprimeret, in Pisidas expeditionem simulat, & in Cilicum usq; fines exercitu pacato progreditur. Hîc enim miles Græcus primùm institutum eius olfaciens, sequi ulterius detrectat. Quem motum cùm stipendij maioris promisso composuisset, infestis deinde armis in fratrem pergit: prælium cum eo in Cunaxis init, & dum inter primos di-

micat fortiter, & temerè in regem prouehitur, perimitur. Xenophon, Plutarchus, Suidas, Iustinus, Orosius. Prædicat eximijs laudibus Cyri uirtutes uarias, maximeq́ heroicas, Xenophon lib. 1. ἀναβάσεως: quo in loco & hoc eius apophthegma memorabile refertur: Amicos egregiè ornatos præclarum se homini ornatum putare. Repetit easdem in Oeconomico, ubi Lysandri ad illum sermonem hoc quasi epiphonemate finit: Rectè ego te, Cyre, beatum puto, quoniam uirtuti tuæ fortuna coniuncta est. Quem totum locum eleganter expresit Cicero de Senectute, & pertinet huc, quod alibi dixit: Virtute duce, comite fortuna. Habuit autem LYSANDRVM in familiarissimis, & profecturus in Persidem, urbium subditarum quæsturam ei commendauit, eaq́ re Lacedæmoniorum potentiam uehementer auxit. Nec minus XENOPHONTEM historicum dilexit, quem euocatū à Proxeno, confirmârat ad peregrinationem illam suscipiendam SOCRATES Præceptor. Exercitum eius, quem duxit in fratrem, idem Xenophon facit barbarorum 100000. Græcorum 12800. Et sæuitum etiam in demortui cadauer crudelius, abscisso capite & dextera, hisq́ palo suffixis.

OSTANES, uixit apud Artaxerxem priuatus: & mensæ regiæ accubitu honoratur. Offensus Timagoræ Atheniensis proditione, hanc obliquè lautitiarum regiarum commemoratione ei exprobrat. Plutarchus.

OXATRES, nominatur à Plutarcho in Artaxerxe. Luciano μακροβίοις Gosithres esse uidetur: qui addit ex Isidoro Characeno, insidijs eius fratrem ARTAXERXEM clàm obtruncatum. Vt loqui de hoc etiam Valeriū crediderim lib. 9. cap. 2. ubi patruū OCHI, cum filijs ac nepotibus centum & amplius iaculis ab hoc confixum, ait: uindicante nimirum etiam in innocente sobole parricidij immanitatem diuina Adrastia.

ARTAXERXIS Mnemonis coniuges Plutarchus nominauit STATIRAM, Amestrin & ATOSSAM filias. Editos autem Statira censeo DARIVM, Ariaspen & OCHVM. Nam Iustinus hos solos iusto matrimonio susceptos, ait, & uti Ariaspen legitimum, ita Ochum inter fratres natu minimum facit Plutarchus. Pellices ei plurimas, hoc est, 360. fuisse reperimus: sed sola exprimitur nomine ASPASIA, quæ cùm antea fuisset cum CYRO, eo peremto in Artaxerxis torum transijt, ac, ut postea ostendemus, infelici forma sua regiam domum haud leuiter afflixit. Scripsit autem Iustinus procreatos Artaxerxe filios nothos 112. è quibus ab illo prætermissis, nos è Xenophonte, Plutarcho, Valerio, Curtio, accensemus: Arsamem, ATOSSAM, SISYGAMBIN, Amestrin, Rhodogunen,

Apamen,

Apamen, Ocham. Certè Sisygambin Arsamem fratrem habuisse, docet Curtius lib.12. Neq; immeritò de eo quis dubitârit, quod idem Iustinus fratres 50. cum Dario coniurasse, ideoq; cum uxoribus & liberis iugulatos à patre, refert. Nam præterquam quod nihil de his habet Plutarchus, etiam Curtius fratrum 80. cædem ad Ochum retulit. De Aspasia autem plura legantur apud Ælianum lib. 17. cap. 1. V.H. quibus adijci poterunt Diodori, Plutarchi, Athenæi & Iustini expositiones.

DARIVS, honoratur ob ætatem, qua inter fratres erat ueterrimus, à populo, amatur ob uirtutem à patre. Quo contentionem filiorũ de successione formidante, camq; maturè auertere conante, REX, iam ad annos 50. natus, nominatur, & cidarin rectam (erat hoc insigne regium) gestare permittitur. Hæc dignitas cùm obseruantiæ erga patrem testificatione confirmanda fuisset, excidit ea leuitate. Nam consuetudine Persica, à rege quod uellet petere iussus, libidinoso animo Aspasiam poscit, & concessam ex lege, sed aliquantò pòst abductam, & Dianæ sacerdotio destinatã, repetere parricidio conatur, inita conspiratione cum TIRIBAZO. In hoc conatu cũ socijs Eunuchi cuiusdam proditione oppressus, & damnatus à consiliarijs, capite mulctatur. Plutarchus, Iustinus, Ælianus.

ARBVPALES, cecidit in prælio ad Granicum. Arrianus lib.1.

ARIASPES, floruit singulari populi gratia, cùm propter uirtutes alias, tum propter benignitatem, simplicitatem & humanitatem. Ideo tacito omnium consensu à Darij cæde regno destinatus, arte ab Ocho opprimitur. Cùm enim & amici, & Eunuchi regij, quos homo consceleratus precio ad id conduxisset, minas & sermones patris, qui crudelem & turpem mortem ei inferre decreuisset, afferrent ad ipsum quotidie, eaq; ualdè arcana simularent, eò pauoris adducitur atq; anxietatis, ut letali ueneno apparato & hausto, mortem sibi consciuerit. Plutarchus. Meminit Ælianus lib.9.cap.42. Sed de morte uariat, quã patre iubente sibi ipsi ante regiam stricto acinace intulisse, ait. Iustino corruptè Ariaractos dicitur.

IX. OCHVS, cognomento ARTAXERXES, ambit regnum contra fratres, ipse inter eos natu minimus: idq; ut obtineret facilius, cum aliorum, tum inprimis ATOSSÆ nouercæ & sororis, studia sibi conciliat, & stupro ad coniugium & regni societatem pellicit. Eo conatu Darij primùm inauguratione frustratus, pòst cæso illo, in spes nouas ab Atossa erigitur: ac ne quid his molitionibus impedimenti afferretur ab Ariaspe & Arsame, alterum fraude, alterum parri-

cidio tollit,ac patri inde grauissimo dolore affecto causa necis existit. Ergò regem se ab eo tēpore ui gerit,fratres superstites 80. uno die obtruncat,& cognatorum cæterorumq; principum cædem immanem edit. Cumq; natura inquietus,militaris fortitudinis & solertiæ affectaret gloriam,Cadusios bello lacessit: hisq; uirtute Codomani (hic postea Darij nomine regnauit) subactis,eodem impetu in Phœnices & Cyprios defectores conuertitur: Sidonem Mentoris & TENNIS regis proditione capit,& incensam à ciuibus, qui se ipsos in incēdium præcipitassent,pecunia uicinis uendit,nec magno negotio totam deinde prouinciam edomat. Parem successum in Cypro experitur: ubi cùm Salaminis regno Protagoræ permisso, EVAGORAM præfectura quadam in Asia honorasset, ibi res nouas molientem de uita tollit. Et mulctat in eodem tempore Iudæos per Vagosen, ac capta ipsorum apodasmo,ut loquitur Eusebius, postmodo plurimos in Hyrcaniam translatos,iuxta mare Caspium collocauit: suntq; reliquiæ horum,quos hodie rufos Iudæos uocare solemus, de quibus creditum etiam antiquis tēporibus fuit,quandoq; inde erupturos. Hinc ad bellum Ægyptium noua è Græcia auxilia corrogat: quod magno animo urgens,Pelusium deditione capit: NECTANEBIN regem in diuersa trahit: urbes primarias BAGOÆ &.MENTORIS artibus in potestatem redigit: hostem territum inde, fuga sibi consulere cogit:itaq; Ægypto omni subacta,urbium insigniorū mœnia diruit:sacras ædes diripit & incendit: gentis religionem ridet, & mactato Api, asinum in contumeliam Serapidis coli iubet: ac penitus ui auri ac argenti ingenti, cùm alios,tum Græcos auxiliares donat amplissimè. Nec alius dehinc ei per Asiā se hostis opponere audet: cumq; crescentem in Macedonia PHILIPPI potentiā suspectam haberet, Perinthios pecunia & cōmeatu iuuat: & exulantem apud ipsum ARTABAZVM,quem per duces antea expulerat,redire in satrapiam permittit. Perijt insidijs BAGOÆ, & loco eius alio sepulturæ tradito, cadauer felibus proijcitur, & ossa in gladiorum manubria uertuntur, postquam regnârat annos 26. Diodorus,Ælianus, Arrianus, Suidas, Cedrenus,Iustinus,Curtius,Hieronymus. Fuit ingenio acri & industrio,sed sæuo & auaro. Nam cùm mos Persiæ regibus esset, ut quoties in eam regionem uenissent, aurum singulis Persarum mulieribus diuiderent,nunquam eò accessit,itaq; tenacitate ista sua uoluntarium quasi exilium sibi indixit. Sæuitiam eius è quodam ostento à Magis prædictam,tradit Ælianus,& addit à BAGOA,qui gente Ægyptius esset,in Apis deastri uindictam necatum. Qua arte regnū à fratris obitu firmârit,refertur à Polyæno lib.7.

ARSAMES, diligitur à patre post Ariaspis interitum studio aper-

apertiore: ac fidem apud eum tantam inuenit, ut arcana crederentur ipsi atque cõmunicarentur omnia. Ideo perosus ab OCHO, per Harpatem, Tiribazi filium, ab illo submissum de uita tollitur. Diodorus, Plutarchus. Extat apud Antigonum de Arsame Persa, dentato in lucem edito, historia memorabilis. Ea forte ad Arsamen hunc nostrum pertinet.

ATOSSA, desponsa Ocho fratri, scelestiore flagitio patri nubit: & amore huius tanto amatur, ut cùm uitiligo eius corpus depasceretur, neque rex eam fastidierit, & dum pro ea Iunoni uotum faceret, solam eam deam genibus flexis adorârit, tum de mandato ipsius amici & satrapæ donorum tantum Deæ illi miserint, ut sedecim stadia, quæ inter fanum essent & regiam, auro, argento, purpura, equisque replerentur. Nec tamen interea Ocho abstinet, & culta ab eo diligentius, à Darij interitu iterum ad regnum ambiendum hominem inflammat. Plutarchus.

SISYGAMBIS, fuit in matrimonio Arsamis fratris. Hoc ab Ocho perempto, in luctu deinde uiuit. Quem etsi leniјt filij uirtus & regnum, renouant tamẽ uehementius bellorum aduersi casus eius, & domus ruina. Etenim capta ad Issum cum filia Statira, Ocho nepote & neptibus duabus, filiam extingui in partu conspicit: filium iterum uictum ad Gaugomela, perfidiose interfectũ à Besso cognoscit, & gentis suæ seruitutem miserandam gemit. Sed tamen sustinet se quoad superstes Alexander fuit: quippe à quo habita honorificentissimè, regina & mater audiret: & iussa cum neptibus Græcam linguam Susis addiscere, affinitate etiã honoratur, ducta ab Alexandro ipso nepte Statira, & altera Drypeti Hephæstioni collocata. Ergo cùm experiri mortuo illo dominum nouum nollet, & ingenti lamentatione hunc casum prosecuta esset, cibo pariter ter & luce abstinet, quintoque, postquam mori statuerat, die, extinguitur. Diodorus, Arrianus, Iustinus, Curtius, Orosius.

AMESTRIS, despondetur TIRIBAZO: quo ob mores insanos abdicato, nefario connubio patri iungitur. Plutarchus: è quo & Tiribazi descriptio hæc memorabilis obiicitur: οὐδ' ἄλλως, inquit, στάσιμος ἦν τὸ ἦθος, ἀλλ' ἀνώμαλος καὶ παράφορος. διὸ καὶ νῦν μὲν ἐνημερῶν, ὅμοια τοῖς πρώτοις. νῦν δὲ προσκρούων καὶ σκορακιζόμενος, οὐδεμίαν ἔφερεν ἐμμελῶς μεταβολήν, ἀλλὰ καὶ τιμώμενος, ἦν ἐπαχθὴς ὑπὸ χαυνότητος. καὶ τὸ κολουόμενον, οὐ ταπεινὸν, οὐδ' ἡσυχαῖον, ἀλλὰ τραχὺ καὶ ἀγέρωχον εἶχε. Idem filium Tiribazo Harpatem attribuit: generum Gaon, Tami Memphitis F. Diod. lib. 14. & seq.

RHODOGVNE, collocatur à patre ORONTI, de quo multa Xenophon in ἀναβάσει, Diodorus libro 15. Et refert Plutarchus hoc eius apophthegma notatu in primis dignissimum: Orontes, in- «

„ quit, regis Artaxerxis gener, cùm ob iram inhonoratus & condemna-
„ tus foret: Vt computatorum, inquit, digiti, nunc decem millia, nunc
„ unum significant: ita regum quoque amici nunc totum, nunc mini-
„ mum possunt.

APAME, fuit connupta cũ PHARNABAZO. Plutarchus.

OCHA, neq; cõiugio, neq; facinore aliquo illustri commendatur: & cùm filiam Ocho collocasset, innocens uiua capite defoditur. Valerius lib. 9. cap. 2.

RELIQVERE autem è fratribus hisce, præter Darium natu maximum, & OCHVS, & Arsames liberos. Primum autẽ de Ochi posteritate agemus: cuius coniugium planè ignoratur. Ac tametsi liberi ei complures attribuantur, & coniugem unà cum filiabus aliquot captam Damasci à Parmenione affirmet Curtius lib. 3. nominantur tamen soli ARSAMES, Bisthanes & Parysatis. Cùm Diodorus hoc etiam impugnans, fratres Arsamis, qui iam iuuenes essent, ad unum omnes cæsos à Bagoa, dicat. Genitam uerò fratribus hisce arbitror Filiam ἀνώνυμον: quæ nupta Hystaspi propinquo, cùm post uictum Darium inter captiuos cõuiuiorum ludibrio adhiberetur, & pudore formaq; Alexandro ad genus ipsius contandum, occasionem præbuisset, dimittitur honorificè, & facultates suas retinere, & redire ad maritum, iubetur. Curtius.

X. ARSAMES, conseruatur ob ætatem nondum parricidæ formidabilem à BAGOA, & patri successor datur. Quam dignitatem cùm uix tenuisset quadriennium, ut Funccius, ut alij, triennium, & Bagoę cognitis sceleribus pœnas de eo sumpturus esset, ab homine astuto præoccupatur, ac cum prole omni extinguitur. Diodorus, Strabo, Plutarchus, Eusebius, Cedrenus. Arrianus cædis ipsius Darium insimulat, & Clemens fœdiore errore cum Ocho patre eundem facit. Nomen scribunt alij Arses, alij Oarses, alij Narses.

BISTHANES, contulit se in fidem Alexandri, & fugam Darij ex Ecbatanis illi nunciat. Arrianus lib. 3.

PARYSATIS, ducitur in matrimoniũ ab Alexandro Magno, nuptijs regio luxu Susis celebratis. Arrianus lib. 7.

POSTERITAS ARSAMIS.

FVIT cum Arsame connupta, ut diximus, SISYGAMBIS, quam liberorum septem matrem facit Curtius lib. 12. Ex his tantum 4. nominibus referuntur, Codomanus seu DARIVS, Statira, Pharnaces, Oxyatres, quibus addimus è Curtio & Arriano Filiã ἀνώνυμον. Enimuerò Statiram ut uxorẽ ita & sororem Darium habuisse, præter,

alios,

alios, & Arrianus, & Orosius, & Gellius prodidêre, cùm ea incestorum fœditas iam planè in consuetudinem deuenisset. Pharnacem uerò uxoris Darij fratrem nominauit Diodorus. Nec audiendi hîc Ælianus & Iustinus (Strabonem enim suprà refutauimus) quorum ille Darium serua genitū ait, hic à familia regia planè excludit: hoc de regno æquè falsum subijciendo, ob uirtutis memoriã, regem à populo cõstitutū. Nam uberiores & disertiores sunt hîc Diodori, Plutarchi, Eusebij & Cedreni expositiones, qui omnes Darij patrem Arsamem fecêre: & quam Diodorus tantū attigit huius cædem, eam pleniùs describit Plutarchus. Tametsi neq; hic scriptor planè sibi constat: nam de fortuna Alexandri, Darium ex seruo & astande. (Hoc nomine nuncij regum, lingua Persica dicebantur, teste Suida, Die Post) ad regni soliū ascendisse, ait. Nisi fortè quis hoc accipere isthuc malit, quod scribit alibi, reges Persarū præter uxores, reliquos omnes ꝓ seruis habuisse.

XI. CODOMANVS, cognomento DARIVS ultimus, militat OCHO contra Cadusios: & prôuocatorem barbarum insolentius toti exercitui insultantem, duello conficit. Ideo donatur amplissimè à rege: honoratur cum obseruãtia à populo, & BAGOÆ, Eunuchorum potentissimi, amiciciam intrat. Cuius opera pôst ad regiam dignitatem euectus, nouas sibi insidias nectentem, prudenter præuenit, & uenenum in necem suam paratum bibere hominem cogit. Hinc ad regnum constituendum conuertitur: munit Asiæ aditus contra Macedonas: tentat insulas & Græciam per Memnonem, & hoc mortuo per Pharnabazum & AGIDEM, regem Spartanum: ac uictus ad Granicum ab Alexandro, Asiaq; anteriore omni exutus, cum nouis copijs, quas 300000. peditum, 100000. equitum fuisse aiūt, ei ad Issum occurrit. Ibi certaminis fortunã eandem expertus, & uulneratus ipse grauiter, matris, coniugis, liberorū captiuitatem turpem spectat. Cumq; frustra pacificatione & captiuorum redemptione tentata, supplex regni arbitrium permittere uictori iuberetur, cum superba denunciatione, mundum nec duobus solibus regi, nec duo summa regna saluo statu terrarum habere, posse: & repudiaretur affinitas, tertiò & quidem copiarum superiorum duplicato numero, bellum renouat: prælium cum hoste ad Gaugomela cruentum init: ac fusus fugatusq;, atq; in Bactrianam reiectus, BESSI & NABARZANIS præfectorum conspiratione perimitur, & corpus ab Alexandro repertum, deportari in Persiam, & regijs monumentis inferri iubetur. Vixit annos 50. regnauit 6. Diodorus, Strabo, Iosephus, Plutarchus, Arrianus, Eusebius, Zonaras, Cedrenus, Zetzes, Iustinus, Curtius, Hieronymus, Orosius. Fuit ingenio miti & Simplici, sed quod adulatores, regum & aularum pestes, non raro corrumperent. Memorabile est

somnium ipsius, quod retulere Curtius & Plutarchus: & addidit ille, hariolos Chaldæos sententijs dubijs id explicasse, & tamen ex euentu quodam alio regni interitum prædixisse. Tradunt aliqui, Dario adhuc spiranti Alexandrum superuenisse, eiusque calamitatem uehementer indoluisse: cumque Darius orasset, uti cædem suam ulcisci uellet, Alexandrum se id facturum recepisse, & in persequendo Besso multum operæ impendisse. Nam quod est apud Suidam, à Besso caput Darij ad Alexandrum allatum, ut commentitium repudiamus. E pugna ad Issum equæ celeritate, quam desiderium relicti pulli in bestia auxisset, insequentes euasisse, scripsit Ælianus. Qui alibi inter exempla de canum erga nutritios fide id de Dario addidit, quod cùm à Besso & Nabarzane cōfossus esset, iaceretque stratus, reliquis diffugientibus, canis „ ab eo educatus solus permanserit fidelis. Cicero in Tusc. intemperan„ tiæ ipsum notat: Darius, inquit, in fuga, cùm aquam turbidam & cada„ ueribus inquinatam bibisset, negauit unquam se bibisse iucundius. „ nunquam uidelicet sitiens biberat. Tamen Plutarchus idem de Artaxerxe Mnemone retulit.

STATIRA, puella forma præstantissima, nupsit incesta sed receptà iam Persis consuetudine DARIO fratri. Quem ad bellum contra Alexandrum secuta, & post prælium ad Issum capta, à clemente uictore tractatur cumulatè: retinet reginæ nomen & cultum: ac consumpta aliquanto pòst partus doloribus etiam hosti lacrymas excutit, & apparatu magnificentiss. tumulo cōditur. Diodorus, Plutarchus, Arrianus, Suidas, Iustinus, Curtius, Orosius, Gellius.

PHARNACES, legitur inter duces à Dario: & congressus cum Alexandro ad Granicum, occumbit in acie, Diodorus, Arrianus.

OXYATRES, claruit animi magnitudine & rei militaris scientia: ac Darij fratris sectatus militiã, in prælio ad Issum fortitudinis illustris atque pietatis ei operam nauat: cædem Macedonum ingentem facit, & cæteros duces suo exemplo ad audendum fortius pellicit. Eadem animositate ad Gaugomela pugnat, & captus ab hoste, commendatione uirtutis libertatem, & inter amicos & corporis custodes Alexandri locum, promeretur. Quo tempore de BESSO, percussore fratris, supplicium sumere cum propinquis iussus, uario contumeliarum & cruciatuum genere affectum necat diriter: corpore minutatim conciso, & membrorum frustis in partes uarias fundis proiectis. Diodorus, Curtius. Plutarchus Exathrem uocat.

FILIA ἀνώνυμος, uixit in coniugio obscuro, in quo suscepit filium Pharnabazum. Is in præfectura nauali surrogatus MEMNONI, occupat Mitylenen, & grauiorū cladium formidine Tenedios, Chios,

Siphnios facere imperata cogit: Quem successum cùm Damasci prodiitio excepisset, uxorem & filium amittit: & oppugnatus classe ab Hegelocho, Chiorum proditione in hostis potestatem peruenit. Arrianus, Curtius.

E DARII cõiugibus nominatũ sola Statira soror, qua editos arbitror, Ochũ, STATIRAM, Drypetin, Statipnen, & Filiam aliam ἀνώνυμον. Certè captam Statiram cum filio infante & filiabus duabus iam nubilibus, tradunt omnes: reliquos postea bellorum nouis cladibus in potestatem Macedonũ peruenisse, credibile est. Addidêre his concubinas, Curtius quidem alibi 300. alibi uerò 360. Athenæus ex epistola Parmenionis 329. quarum & nomina & soboles ignoratur. Fortè tamen genitus his est Ariobarzanes.

OCHVS, sequitur patrem infans, hoc est, anno ætatis sexto, ad bellum contra ALEXANDRVM: & captus ad Issum, cõseruatur humaniter: regi hosti indole generosa cõmendationem sui exprimit: & frustra pro obside retineri iussus, Susis cum auia & sororibus deponitur, & disciplina & lingua Græca eruditur. Curtius.

STATIRA, peruenit cum matre auiaq́ in Macedonum potestatem post prælij ad Issum cladem: Susis cum ijsdem addiscere Græcam linguam iubetur: & Alexandri coniugio honorata, hoc defuncto, interficitur à RHOXANE, & cadauer in puteum projicitur. Diodorus, Plutarchus, Iustinus, Curtius.

DRYPETIS, collocatur ab Alexandro HEPHÆSTIONI φιλαλεξάνδρῳ. Quo mortuò, cùm uidua deinde uixisset, & sororem Statirã ad Rhoxanen comitata esset, scelere eius simul de uita tollitur. Diodorus, Plutarchus.

STATIPNA, offertur ALEXANDRO inter cõditiones pacis coniux, & dos promittuntur regiones inter Hellespontum & Halym. Curtius.

FILIA ἀνώνυμος, nupsit Mithradati, præfecto Lydiæ & Ioniæ, oriundo à septem principibus, hoc est, Achæmenidarum satu: qui cum Rosace fratre occubuit in prælio ad Ganicum. Diodorus, Plutarchus, Arrianus.

ARIOBARZANES, nominatur à Plutarcho ex Aretade Cnidio: homo erga hostem, quàm erga patrem propensior. Motus

tus enim fama nominis Alexãdri, eiꝙ ob nouos patris apparatus post pugnam ad Granium metuens, de perimendo hoc consilium suscipit. Hoc conatu maturè prodito, capite plectitur. Plutarchus.

OXYATRE, Darij fratre, nata est filia unica.

AMASTRIS, traditur ab ALEXANDRO in matrimonium CRATERO, quem φιλοβασιλέως ille dignaretur cognomento. Hoc cæso ab Eumene, nubit DIONYSIO, tyranno Heracliensi. A' quo postmodò hęres instituta, condit de nomine suo Amastrin urbem, trium urbium incolis eò translatis: & ambita à LYSIMACHO, neꝙ tertium hoc matrimonium detrectat, & dotis loco subditam ditionem ad eum affert. Strabo, Suidas, Stephanus. Arrianus Amastrinen uocat, Scholiastes Apollonij Damatrin.

APPEN.

APPENDIX DE RELIQVIS ACHÆMENIDARVM FAMILIIS, QVAE ILLVSTRI POSTERITATIS SEPTEM PRINCIPVM APPELLATIONE,

scriptorum monumentis celebrantur.

CREBRA apud auctores septem Persarum principum, qui regnum à Magis recuperârunt, occurrit mentio, crebrò, & honorificè quidem, posteri eorum nominantur. Ideo explicationem de ijs peculiarem instituere hoc loco, uisum fuit. Ostendimus autem superiùs, editos ACHÆMENIDARVM fuisse satu, & item ex Iosepho in familias septē distinximus. Nam quod principibus septē Herodotus de Darij inauguratione attribuit, idem Iosephus de familijs totidem retulit. Vt appareat, hanc ipsos dignitatem hæreditariam possedisse: suntq; ijdem fortè, quos Esdras septem consiliarios uocauit. Sanè quæ uidetur auctorum illorum discrepantia esse, tantùm in eo consistit, quòd Herodotus, familiarum omissa mentione, ipsos Principes, qui actioni isti præsentes interfuissent, nominauit. Quippe ad quos etiam solos Magorum oppressorum gloria pertineret: cùm fieri & hoc potuerit, ut ad suffragia eiusmodi non gentiles omnes, sed è familijs tantùm singuli conuenirent. Quæ familiæ ab ipsis Achæmenis filijs, ut equidem arbitror, numero septem propagatæ, munere & loco eo fuisse uidentur, quo in populo Iudaico posteri NATHAN, cognominati inde AHISARIM. Enimuerò ex his quoq; consilium SANHEDRIN ita constitutum, ut de præcipuis controuersijs iudicandi potestas penes ipsos esset, Philo scripsit. Floruêre autem in familijs illis, præter expositam iam à nobis Cambysis & Hystaspis progeniē, hæ præcipuæ: PHARNASPIS, GOBRYÆ, MEGABAZI, PHARNACIS, ARTABAZÆ. Quas ab ijs, qui principes inde appellantur, ita cognominamus. Etsi de Gobrya dissentientes Xenophon & Zonaras, hunc Assyrium fecere, qua in re fidem illis derogamus. Ac ut Pharnacem uel genitum principibus septem, uel etiam propagine diuersa propinquū his fuisse concesserim, sic Artabazem in numero illorum retineo, ut nempe dignitatis intelligas nomen. Eam enim Persis consuetudinem usitatissimam extitisse, suprà ostendimus: & quòd nominis illius significatum arbitremur, suo loco pluribus enodabimus. Sunt autem de Pharnaspis & Gobryæ stirpe disertæ Herodoti expositiones. Quem & de Megabazo, & propagata eo progenie, sequi rectius fuerit. Nam Ctesiæ fabulæ, nulla parte consentientes atq; aniles, meritò rejiciuntur.

Nec

Nec Pharnacis posteritas dubij quicquam habet, & quasi successione hi cse mutuò excipiunt, Herodoti, Thucydidis, Xenophontis & Diodori narrationes. ARTABAZES ad regiæ dignitatis ascendit fastigium: & quia posteri eius in tertia monarchia præcipuè claruêre, inter regna eius temporis plenius de eà explicabimus.

FAMILIA PHARNASPIS.

PHARNASPES Achæmenides, reliquit liberos, Otanem & Cassandanen.

OTANES, primus in Persarum principibus Smerdin Magum suspectum habet: & confirmatus filiæ indicio de aurium mutilatione, cum Aspathine & Gobrya de interficiendo illo coniurat: & Intaphernem, Megabazum, Hydarnē, Darium, in facinoris societatem uenire permittit. E quibus cùm Dario cædem urgente, hæc deinde maturè & feliciter confecta fuisset, ad popularē Reip. statum instituendum hortator fit, & uictus Darij sententia, priusquam de rege consentiretur, ob preclarè in regno recuperando nauatam operam, cùm alijs honoribus amplissimis cum posteris frui, tum Medica quotannis ueste donari iubetur. Ea amplitudine utitur moderatè, nec studiū in regem omittit. Ideo bello Samio imperator præfectus, Sylosonti insulæ imperium reddit: reprimit Charilai seditionem, indeq; propemodum illam desolatam, colonis nouis complet. Herodotus, Zonaras, Iustinus.

CASSANDANE, fuit in matrimonio CYRI Magni, & ante illum cedit è uita. Herodotus.

OTANE liberi eduntur, Anaphernes & PHÆDYMA.

ANAPHERNES, duxit bello Xerxiano auxiliares Cissiorum copias. Herodotus.

PHÆDYMA, fuit connupta cum CAMBYSE, deinde cum Smerdi Mago. De quo patri certi aliquid indicare iussa, dum in eo frustra laborat, nec placare illū alia ratione potest, in graue discrimen se obijcit, & quod scire pater expetebat, mutilatū auribus hominem deprehendit. Vndè cùm principū conspiratione Mago iugulato, regnū ad Dariū peruenisset, matrimoniū eius promeret. Herod. Zonaras.

FAMILIA GOBRYÆ.

GOBRYAS, militat CYRO contra Babylonios: cum Otane in Smerdin Magum conspirat: & per tumultum in thalamum elapsum cum Dario secutus, amplexu prehendit: Darium metu ipsius à

cæde

cæde temperantem, uel per suum corpus Mago ferrum adigeret, iubet. Inde cum rege Dario in Scythas proficiscitur: donorum Scythicorum, tectam significationem sagaciter explanat, & reditum maturandum suadet. Herod. Zonaras, Iustinus.

ATTRIBVITVR Gobryæ coniux, Filia Hystaspis ἀνώνυμος: unde liberos procreauit, MARDONIVM, ARIOMANDEM, & Filiam ἀνώνυμον.

MARDONIVS, honoratur à Dario regijs Artozostres filiæ nuptijs: & classi præfectus, ac tentare Athenienses iussus, primùm Ionicas ciuitates populari statu componit: mulctat Thasios, & Brygos Thraces. In quibus dum commoratur longius, hostis defectione cladem ingentem accipit, & ad Athon montem naufragio naues 300. hominum suprà 20000. amittit. Ideò dignitate ea amouetur cum ignominia, & iterum priuatus uiuit usq; ad Xerxis regnum. Hunc ad bellum contra Athenienses & Græcos renouandum exhortationibus nouis aggressus, homini iuueni, gloriæq; cupido, facilè id persuadet: ipse locum inde inter duces primarios promeretur: & perditis ad Salaminem rebus, terra urgere bellum permittitur, delectu ipsi 300000. è toto exercitu concesso. In eo tempore frustra Atheniensibus ad societatem solicitatis, iterum Athenas uastat: cum Pausania prælium ad Platæas cruentũ init, & ictus caput ab AIMNESTO Spartano, morte occumbit. Herod. Pausanias, Suidas, Probus. Iustinus & Orosius Mardonium è Platæensi prælio profugisse cum paucis, scribunt: & explicat de morte eius aliter Stobæus Serm. 7. De Lebadio Amphiarai oraculo per seruum Lydum ab ipso solicitato, quod Barbarica lingua interitum ei pronunciârit, repetit Herodoti narrationem Plutarchus in Aristide & de defectu oraculorum.

ARIOMANDES, præfuit classi regiæ, quam deleuit ad Eurymedontẽ CIMON, ut meminit è Callisthene Plutarchus. Nam Herodotus & Diodorus ab his & inter se dissentiunt.

FILIA ἀνώνυμος, nupsit Dario Hystaspis. Herodotus.

NASCITVR Mardonio ex Artozostre coniuge Arton.

ARTON, dedit luculenta dona cùm alijs quibusdam Ionici nominis, tum Dionysiophani Ephesio, quò patris sepeliendi curam susciperent: tametsi mox à prælio Platæensi cadauer desideratum fuerit. Herod. Pausanias.

FAMILIA MEGABAZI.

MEGABAZVS, asciscitur à GOBRYA socius conspirationis in Magos: Quibus cæsis, pro optimatum statu frustrà contendit.

dit. Atq; DARIO probatus mirificè (quippe qui aliquando mala Punica esurus, tot sibi Megabazos exoptârit, quot illa acinorũ haberent) à Scythica eius expeditione Hellesponto præficitur. Quod munus cùm gereret industriè, Chalcedonios, qui septendecim annis ante Byzantium urbem suam in loco deteriore condidissent, festiua cæcorum insectatione notat: occupat Perinthum: Thraces imperata facere cogit: Pæonas sedibus mouet & in Asiam transfert: Macedonas per legatos ad deditionem inuitat: hisq; in conuiuio peremtis, ALEXANDRI Diuitis solertia se placari patitur. Hinc Sardes ad Darium regreditur: & successore accepto Otane, filio Sisamnis, quẽ conuictum quod iniustè iudicasset, excoriauerat Cambyses, Myrcini ædificationem institutam ad Strymonem ab HISTIÆO impedit, & cum gloria ingenti domum repetit. Herod. Zonaras, Iustinus. In uulgatis Herodoti exemplaribus legitur hoc nomen Megabyzus. Nos Iustinum & Aldi lectionem sequimur.

RELIQVIT MEGABAZVS liberos: ZOPYRVM, Bubarem, Oebarem &, ut aliqui uolunt, Pherendatem.

ZOPYRVS, consectatur DARIVM ad bellum Babylonicum: & inuitatus prodigioso mulæ partu, quem Babylonijs fatalem fore cognouisset, prodendæ urbis consilium suscipit: domi uerberibus se toto corpore lacerari iubet: labia, nasũm, & aures sibi resecat, & ita cum rege inopinanti proditione composita, ceu perfuga ad hostes transfugit. A' quibus memoria dignitatis pristinæ susceptus habitusq; honorificè, atq; è casu tam indigno, cuius auctorẽ regem fingeret, misericordiam & fidem consecutus, & exercitus dux & murorum custos declaratur. Cumq; ex composito cladibus aliquot Persis illatis, iam solus omnia posset, pro amico hostem se ostendit: Persas, Babylonijs ignaris, per Cissias & Belides portas in urbem intromittit: eoq; facinore gratiam à Dario tantam init, ut præoptare ille solitus fuerit, Zopyrum fœditatis illius expertem esse, quàm 20. sibi Babylones, præter illam quam haberet, acquiri: & cùm alijs quæ apud Persas essent honorificentissima, hominem remunerârit, tum Babylonem, quoad uiueret, in peculiarem possessionem immunem tradiderit. Herodotus, Plutarchus, Polyænus, Iustinus.

B V B A R E S, amandatus à patre in Macedoniam ad inquirendos legatos, quos de deditione missos trucidârat in conuiuio ALEXANDER Diues, cùm pecunijs, tum sororis ipsius Gygææ matrimonio placatur, & cædem etiam exinde tegi silentio imperat. Pòst XERXES militiam sequitur, & effodiendi Athon montem munus accipit. Herod. Iustinus.

OEBA-

OBBARES, honoratur Dascylij prefectura, & Cyzicenos ad deditionem cogit. Herod. lib. 6.

PHERENDATES, præfuit bello Xerxiano Sarangis. Inde terrestrium Asiæ copiarum imperiũ accipit: & oppressus à CIMONE, perimitur. Plutarchus. Variant Herod. lib. 9. Diod. lib. 11.

GIGNVNT è fratribus hisce liberos, ZOPYRVS: Megabazum & Filiam ἀνώνυμον: Bubares è Gygæa Macedonica Amyntam, auo materno ὁμώνυμον, quem Xerxes donauit Alabanda Phrygiæ, teste Herodoto.

MEGABAZVS, perfungitur honoribus amplissimis sub Xerxe, & inter duces belli Græci primarios deligit. Ab ARTAXERXE Longimano cum Artabazo surrogatus in Ægyptij belli præfectura Achæmenidi, necessaria ad eius muneris administrationem diligenter comparat: Persarum in Leucotycho obsidionẽ soluit: Ægyptios inde territos deditione in fidem recipit: Athenienses, horum auxiliarios, ex desperatione tẽtaturos extrema pactione discedere incolumes permittit: itaq; Ægypto omni pacata, INARVM, Libyæ regem, defectionis auctorem, fraude captum in crucem agit. Post nouo bello à CIMONE in Cypro lacessitur, & amisso Anaxicrate clade graui affectus, pacificari cum hoste iubetur. Herod. Thucyd. Diodorus, Meminit è Ctesia Stephanus κυρταία.

FILIA ἀνώνυμος, uitiatur à Sataspe Achæmenide, & supplicij crudelissimi ei causa existit. Herod.

MEGABAZVS, Zopyri F. MEGABAZI N. Filium procreat Zopyrum.

ZOPYRVS, transfugit ad Athenienses. Herod. Cæterum genitus forte hoc fuit Megabazus, de quo Ælianus V. H. lib. 2. cap. 2. hanc historiam retulit: Cum Megabazus, inquit, aliquando picturas « tenuiter & ruditer confectas, laudibus extolleret, alias uero cum sum- « ma industria elaboratas reprehenderet, pueri Zeuxidis melinum co- « lorem terentes, eum deridebant. Zeuxis itaq;, Cum taces, inquit, Me- « gabaze, nescio quid magni de te sibi pueri hi policentur. Respiciunt e- « nim ad uestem & cultum tuum. Simulac uero quid artificiosum uis di- « cere, te contemnunt. Parce igitur laudibus tuis, & ut tu quoq; unus ha- « bearis ex laudandis compesce linguam: neq; cuiusquam, quæ nihil ad « te attinent, opera uel artem dijudices. Hactenus Ælianus. Meminit « etiam Quintilianus lib. 5. cap. 2. & alibi Zeuxidem ad belli Peloponnesiaci tempora refert, in quibus quidem & Megabazus uiuere potuit: ut patrem Athenas in exilium secutus uideatur.

FAMILIA PHARNACIS.

PHARNACES, memoratur ab Herodoto, Thucydide, Polyæno.

ARTABAZVS, honoratur à Xerxe PARTHORVM & Chorasmiorum præfectura: recusat MARDONIVM exercitus pedestris imperatorem: & cùm frustrà ei pugnam Platæensem dissuasisset, rebus perditis, maturè sibi fuga consulit: Phocenses, Thessalos, Macedonas, ne transitum impedirent, arte circumuenit, & clade non magna affectus à Thracibus, reliquas copias Byzantium, & inde in Asiam incolumes traducit. Vndè mirificè regi commendatus, Dascylio præfectus imponitur, & transigere cum PAVSANIA Spartano de Græciæ proditione iubetur. Herodotus, Thucydides, Polyænus, Probus.

PHARNACES, regit cum imperio satrapiam Phrygiæ & Mysiæ: exulibus Delijs, quos tanquam profanos patria Athenienses eiecerant, Adramyttium incolendum tradit: nec multò pòst ipso mortuo, liberi cum rege in fœdus à Lacedæmonijs recipiuntur. Thucydides. Meminit Aristoteles historiæ animalium lib. 6. cap. 36.

GENERANTVR autem Pharnace liberi, PHARNABAZVS & Banzeus, nothus.

PHARNABAZVS, possedit patris tum Bithyniæ & Æolidis satrapiam, & urbes per fines suos ab Atheniensibus occupatas, Lacedæmoniorum ope recuperat. Quibus ut uicissim probaret grati animi studia sua, rem eorū naualem proprijs pecunijs adiuuat: & cùm ab ALCIBIADE persuasus, 300. nauium classem Mindaro destinatam, in Phœniciam remisisset, ab Abydena pugna Athenienses abducere naues Peloponnesiorum à littore conatos repellit: cum Alcibiade ipso prælio decertat: Athenienses legatos astu decipit, & Alcibiadem pòst iterum apud se exulantem in Lacedæmoniorum gratiam obtruncat. Pro hisce tot meritis iam potentia ipsorum confirmata, nō beneuolentiæ uoluntatem mutuam, sed hostiles oppugnationes expertus, & à Dercyllide Æolide, ab AGESILAO Phrygia exutus, pactione hostem à finibus auertit, & iniuriam arte dissimulatam mox uindicat acriter. Nam ab ARTAXERXE Mnemone classem instruere, & asciscere CONONEM in belli societatem iussus, maris imperium, uicto Pisandro, Lacedæmonijs eripit: recipit insulas & urbes maritimas: oram Laconicam cæde & incendijs uastat, & Cononem pecunijs instructum instaurare Athenarum muros & munire Piræeum

ræcum permittit. Pòst nouo Ægyptij belli, cum IPHICRATE Athenienſi gerendi, imperio augetur. Quod bellum dum inſtruit apparatius, etiam hoſti armandi ſeſe occaſionem & otium præbet, & uictoriam ad oſtium Mendeſium inuidia & mora corrumpit. Ideo regredi in Aſiam re infecta coactus, culpam iniuſtè in Iphicratem transfert, & occultè elapſum, per legatos apud Athenienſes accuſat. Thucydides, Xenophon, Iſocrates, Diodorus, Plutarchus, Probus, Oroſius. Quo aſtu circumuenerit Lyſandrū, è Plutarcho hiſtoriam repetit Polyænus lib. 7.

BANZEVS, cōgreditur cum equitatu AGESILAI ad Daſcylium, eumq́ forti auſu in fugam uertit. Xenophon. Plutarchus Magæum nominat, & cædem Alcibiadis ei à Pharnabazo imperatā, ait.

FVERE cum PHARNABAZO connuptæ, Parapita, unde Filium unicum ἐπώνυμον ſuſtulit: & APAME, filia Artaxerxis Mnemonis, quæ edidit ARTABAZVM, &, quæ noſtra ſententia eſt, Oxythrem & Dibictum. Nam & Xenophon & Plutarchus Pharnabazi plurium filiorum meminēre: quorum nomina ſuppreſſa, rectè hæc, quæ diximus, è Polyæno aſſumuntur.

FILIVS ἐπώνυμος, iuuenis ingenio præſtantiſsimo: comitatus Pharnabazum patrem ad colloquium cum AGESILAO, hoſpitium cum eo iungit. Cumq́ patre mortuo fraternis armis oppugnaretur, hoſpitij illius memoria Spartam ad Ageſilaum in exilium abit, & ſuſceptus humaniter, pòſt auxilium & operam eius in ſtadij uictoria præclaram experitur. Xenophon, Plutarchus.

ARTABAZVS, expellit armis fratrem è Paramita: contra OCHVM per defectionem bellum facit: occupat proditione Scioſnem: & eiectus ab Ochi ducibus, cùm exulaſſet aliquādiu apud PHILIPPVM, regem Macedoniæ, per MENTOREM ueniam & reditum impetrat. Pro DARII Codomani partibus propugnauit contra ALEXANDRVM fortiter: quem pòſt prælium ad Gaugomela in Bactra ſecutus, BESSVM parricidam regem dedignatur: Alexandro ſe cum filijs tribus ſponte permittit, & ob fidem regi ſuo præſtitam habetur honorificè. Nec multò pòſt imperijs admotus, Græcos Perſarum auxiliares in deditionem accipit: reprimit in Arijs tumultuantem Satibarzanem: Bactrianam præfecti dignitate regit. Cui dignitati cùm præ ſenecta ſe imparem cerneret, neq́ amplius militiæ labores ferret, hac ultrò ſe abdicat, & nonagenario maior cedit è uita. Diodorus, Plutarchus, Polyænus, Arrianus, Curtius.

OXYTHRES & DIBICTVS militārunt apud fratrem, & Pammenem quendam proditionis ab eo inſimulatū cuſtodiendum in uinculis accipiunt. Polyænus.

HABVIT ARTABAZVS in matrimonio sororem Mentoris ducis, è qua sobolem numerosam sustulit, hoc est, mares 11. foeminas 10. Nam consentimus nos cum Diodoro: à quo Curtius discrepans, tantùm filiorum nouem mentionem facit. Nominantur autem sexus utriusque hi septem soli: Cophes, Pharnabazus, Ilioneus, BARSINE, Artacama, ARTONIS, APAME.

COPHES, praeficitur regiae pecuniae Damasci seruandae. Hac praefecti proditione capta à Parmenione, pòst cum patre Alexandro se dedit. Quem iturum in Indos comes sectatus, & ex Petrae arcis deditione cõmendatus ipsi mirificè, honoris gratia in regiam cohortem recipitur. Arrianus, Curtius.

PHARNABAZVS, fuit in partibus Eumenis, & cum equitũ alis duabus Cratero opponitur. Plutarchus.

ILIONEVS, capitur cum matre in fuga Damascena. Curtius lib.3.

BARSINE, erudita disciplinis Graecis, Memnoni duci à patre in matrimonium collocatur. Quo mortuo, cùm in uiduitate perseuerando, ad Damascum cum filiabus tribus in Parmenionis potestatem peruenisset, ALEXANDRO ab hoc cõmendatur, & impregnata, filium ei HERCVLEM edit. Nec tamen tam florenti fortuna diu incolumi frui potest. Primùm enim patrem, inde maritum regem morte amittit, & in regni successione praeteriri filium indignè uidet. Ideo Pergamo in Macedoniam regressa, & capta cum Olympiade à Cassandro, aliquantò pòst ueneno necatur. Plutarchus, Iustinus.

ARTACAMA, collocatur ab Alexandro Eumeni Cardiano. Arrianus. Plutarchus in uita Eumenis Barsinam uocat.

ARTONIS, iungitur matrimonio PTOLEMAEO Lagi. Arrianus.

APAME, nupsit SELEVCO Nicatori: & nominatur de nomine ipsius Apamea urbs ab ANTIOCHO filio. Strabo, Plinius. Variat Plutarchus, & alibi Seleuco, alibi Ptolemaeo collocat. Atque impingunt itidem per crassum labendo errorem Liuius & Stephanus, quorum ille Seleuci filiam fecit, hic matrem. Appianus etiam Apamiarum trium denominationes, ab hac regina petitas, ad Seleucum auctorem retulit.

TERTIA

TERTIA MONARCHIA, QVÆ CENSETVR IN REGIBVS MACEDONIAE ALEXANDRI MAGNI IMPERIO, ET REGNIS MACEDONICIS BARBARISQ; inde ortis alijs.

REGNVM MACEDONICVM, QVOD DVRAVIT ANN. DC. XLIIX. MEN. VII. D. XLV.

DE GENTIS ET REGNI MACEDONVM ORIGINE: QVAE APVD eos regnârint familiæ: quæ Regum fuerint consuetudines.

QVIBVS Macedonum appellationem ueteres gentibus tribuerint, & quas ipsi regioq; denominationes nouas, & ueluti particulares induerint, explicatione hîc operosiore nostra haud indiget. Sciensq; prætereo de origine eorundem, nominisq; initio, fabellas Berosi & Græcorum. Nam ille quidem, notatus cùm aliorum doctiss. uirorum, tum inprimis Ludouici Viuis & Beati Rhenani grauiss. censura, ut meritò reijcitur tanquam adulterinus: ita hi dum nimis arrogante temeritate & ambitione, quam è ueteribus in cæteris taxat Cato de originibus, gentium omnium appellationes è sua lingua uolunt depromere, atq; à ficticijs Dijs suis, & gentis suæ hominibus, propagare, etiam hac parte afferunt eas & comminiscuntur frigidissimas, maximeq; discrepantes. Me non pœnitet eorum sententiæ esse, qui MACEDONAS deriuant à CETHIM, filio IAVAN, nepote IAPHET. Etenim confirmant eam mentione dissertа Esaiæ uaticinia, cap. 23. Ad quem ipsum locum fortè alludentes Maccabæorum libri, ALEXANDRVM è terra Cethim egressum, aiunt, & PHILIPPVM ac PERSEA Citiorum reges nominant. Et certum hoc est ex Iosepho, atq; indubitatum prorsus, Græcas gentes à IAVAN propagatas, sicuti & IONES singulariter inde nomen conseruârunt, ut à filio huius ELIZA, ÆOLES & ELEI, à quibus appellationem [illegible], quam Græci de se usurpârunt, non disiungo. Neq; id, quò minus credamus, obstat, quòd Græci ipsi Macedonas à sua gente distinguunt. Quippe lingua utrosq; eadem usos, in cæteris Liuius quoq; nos docet: & mea quidem opinione aliud distinctione illa spectatum nihil est, quàm ea hodie spectatur, qua exteræ nationes, & maximè Itali, separant à Germanis, Belgas, Heluetios,

tios, Dacos, Succos. Enimuerò ficuti ortu & fignificatione appellationes planè eædem funt: IAVAN, ION, IANVS, deq; Græcæ gentis conditore accipi debent: Ita neq; à CETHIM origine discerno has uoces: κήτειοι, μακέται, μακέδονες, & gentes denotare arbitror, quas Cethim propagârit. Nam quod illarum uidetur difcrimen effe, id magis in enunciatione colloco, quàm in fignificationis aut originis confideratione: Quæ enunciatio tantùm è dialecti extitit & idiomatis difcrepantia, quo cuiufmodi Macedones ufi fuerint, traditur ab Athenæo, Stephano & alijs. Ac pronunciandi diuerfitatem iftam iam quoque obferuari, & obferuatam olim etiam, nemini, nifi uel ufus & confuetudinis communis, uel hiftoriarum planè imperito, obfcurum effe poteft. Euftathius in Dionyfium partē Macedoniæ facit μακέταν, eamq; inde μακετίαν nominatam, ait: & Stephanus à Μακεδονία paronyma deriuat, μακεδών, μακεδόνιος, μακέτης διὰ δύο τ. καὶ δίτνος. Quod utrunq; fententiam noftram confirmat planifsimè. Neq; aliter difcerno appellationes, μακέται, μακέδονες, quàm ficuti differunt Germanicæ iftæ, GETÆ, GOTTHI, GOTHONES: SACÆ, SAXONES, SASSONES: CAVCI, CAVCONES: FRANCI, FRANCONES. Eftq; fignificatio & forma nominis μακέται Ebræa, & fonat à CETHIM oriundos: quemadmodum MAGOG, qua uoce accipere eruditi TARTAROS folent & TVRCOS (nam Suidas & Cedrenus inde Perfas deriuant, & in fua lingua MAGVSÆOS appellatos, fcribunt) ortos à GOG: quomodo & à Perfis hodie etiamnum Turcos MOGORES uocari, aiunt. Ac hæfit forte id in gente hac nomen, poftquam à Ceteis cæteris fefe difiunxit, atque in Europam demigrauit. Nam Ceteos adhuc Troiani belli temporibus in Afia confediffe, Homerus planum facit, à quo neque Strabo diffentit lib. 13. ubi quidem & CETII fluminis denominationem in agro Elcatico ab ijs propagat, ficuti in Cilicia appellationem Cetidis, quæ extat apud Ptolemæum, remanfiffe inde confentaneum eft. Nec difpliceret mihi coniectura, eos cum Dodoneis in ifta loca uenifse: quandoquidem cognatæ fuerūt gentes DODONÆI & MACEDONES, profectæ nimirum ac propagatæ à duobus fratribus: & DODONÆOS iam tum in Europam progreffos Epirum incoluiffe, oftendit Homerus Odyff. τ. Vbi & DODONAM nominat, & oraculum uocalibus quercubus, quæ ftatim, ubi accefsiffent interrogaturi, commouerint fefe atq; infonuerint, expreffo, quod dandum erat, refponfo, celebratifsimum. Equidem quòd nulla fiat ab Homero Macedonum mentio, haud aliam caufam fufpicor, quàm quòd minus tum claruerint, ideoq; fuerint ei ignoti: id quod aliquo modo fignificat Suidas, cùm adhuc Carani temporibus Macedoniam obfcuram

ſcuram fuiſſe, dicat. Atque inuenimus etiam CETEOS mox poſt bellum Troianum ex Aſia conceſsiſſe in Italiam, & LATINOS, à quibus Romani ſunt, condidiſſe.

TAMEN non cōmonere hîc Lectorem nequiuimus, aliter nonnihil de CETHIMI poſteritate ſentire Ioſephum in Antiquitat. Iudaicis. Qui ut originis Macedonum non meminit, ſic à Cethim, ſeu, ut ipſe habet, CHETIMO, Cyprum inſulam occupatam, & Cypriorum gentē conditam, tradit: aſſertque in huius ſuæ opinionis argumentum CITII urbis denominationem, quam à CETHIMO uult profectam: in cuius obſidione (ut hoc quoque παρέργως addamus) periȷt CIMON Miltiadis, Dux Athenienſium, ut eſt apud Plutarchū. Sunt etiam è recentioribus, qui nomen CETHIM apud Ezechielem prophetam cap. 27. interpretantur Cyprios. Et diſſerit in eandem ſententiam his uerbis Zonaras: Chetimam inſulam Chetim excoluit: hæc Cyprus eſt, quam Græci à Dea ſua Cypride, hoc eſt, Venere denominant. Sed hæc dextrè intellecta, ea quæ nos attulimus, nequaquam oppugnant, nec difficile eſt, quæ uidetur eſſe, diſcrepantiam illi tollere, qui gentium origines & migrationes nonnihil conſiderârit. Neque enim gentes, quæ originis eſſent eiuſdem, loca ſemper eadem tenuerunt, ſed interdum ſe diuulſerunt, ut uel occaſiones offerebantur, uel neceſsitas & uſus poſtulabat. Nec ſomniandū, ibi ſemper gentes conſediſſe, ubi ſcriptores eas collocant, qui ferè de ſedibus illarum explicârunt, ut tum erant, cùm ipſi in uita eſſent. Etenim has ab eis ſæpius mutatas, deque his diu eas inter ſe contendiſſe, dubiū omnino nullum eſt. Ergo de his ita ſtatuo, CETHIMI quoque poſteros ſimili aliqua de cauſa diſcedere inuicem coactos, Cyprum occupaſſe, & Cypriorum gentem condidiſſe: ſiue eo tempore, quo deſeruere Aſiam Macedones, ſeu pòſt id acciderit. Nam & Laërtius Citium Græcam ciuitatem uocat. Ac habuit aliorum Græcorum inſula illa colonias plurimas, è quibus Solos condidere Athenienſes, Salaminem TEVCER, frater Aiacis, à quo TEVCRIDARVM familia profecta, regnum ibi retinuit usque ad ciuilia bella Ducum ALEXANDRI. Neque hanc de Cypriorum origine ſententiam oppugnat, quod nomine à Macedonibus & Ceteis diſcrepent. Nam id aliundè inuectū tandem & ipſi uicinorum conſenſu retinuère: de quo diſcedentes à Zonara, facimus cum ȷis, qui ab Ebræo Caphtorim eſſe uolunt, quod tribuunt poſteris CAPTVRIM, filiȷ Mizraim: ut appareat, eos cum cognatis Phœnicibus incolere Cyprum cœpiſſe. Horum enim ibi potentia maxima fuit, & conſtat, occupatam ab ȷs Citium urbem, unde & Zenonem Stoicum cognominat Phœnicem Suidas. Certè & alias interdum gentes cum ſedibus non ſolùm nomina, ſed & linguam mutaſſe,

tasse, non pauca nostri temporis docent exempla, quæ persequi nunc superuacaneum esset. Atq; sæpenumerò gentes aliter à gentibus alijs, & olim nominatas, & nominari hodie quoq;, quàm sicuti seipsas appellârunt, notius est, quàm declaratione uberiore ut egeat. Cùm quidem ea de re exempla uetera habeant illustria Strabo, Iosephus, Eusebius, Suidas, Plinius, Solinus: testaturq; è recentioribus idem denominationis usus uulgaris de gēte nostra Germanica, quæ cùm TEVTONVM nomen de se usurpet, aliter tamen nominatur à Gallis & Italis, aliter à Boiemis, Polonis, Vngaris, & sicuti affirmant, Armenijs. Nec tamen negârim, aliud interim patrium & peculiare, Ceteos Cyprios de se nomen usurpasse, seu Cetteorum id fuerit, seu nouum prorsus à coloniæ ductore assumtum: id quod in migrationibus usitatissimum fuisse, passim in historijs uidere est, & censent Suidas & Cedrenus ita Ceteos à Latino duce, quem & Telephum uocant, & Herculis F. faciunt, Latinos denominatos. Quanquam ut de origine illa opinionem hanc facilè admiserim, & altera illa, quàm afferunt Liuius & Dionysius Halicarnasseus, potiorem duxerim, & ueriorem, sic de nomine repugno: quod undè genti isti accesserit, suo loco diligentius enodabimus. Nec minus tamen immixti Latinis Arcades (ad hos enim Aboriginum originem scriptores, quos dixi, referunt) quomodo deinde etiam Troianis, quos sub idem fermè tempus, quo commigrârunt co' Latini, Æneas in Italiam duxit, esse potuerunt. Enimuerò apertè hîc nobis suffragantur sacræ literæ, Daniel 11. Numer. 24. Vbi uoce CETHIM accipiuntur & intelliguntur Latini, seu ROMANI. Estq; hinc, quòd à Beroso Cethim cognominatur Italus. Nec leues me coniecturæ impellunt, ut ARCADAS ipsos à Cethim oriundos fuisse, indeq; nomen potius habuisse, quàm ab Har & Kinen, undè aliqui id propagant, interpretanturq; inhabitatores montium, seu montanos, existimem. Neq; enim ita procul discedit nomen ARCADES à CETHIM, nempe antecessione syllabæ Ar: cùm quidem mores gentis significato eius, quod sonat percussores, planè respondeant. Nam celebrant Historici Arcadas ob militiæ studia, & Homerus eos uocat ἀνέρας ἐγχεσιμάχητας. Vt consentaneum uero sit, partem posterorum Cethimi, qui cum Macedonibus & Cyprijs ex Asiæ continente discesserunt, ad Græciam seu Peloponnesum cursum flexisse, ibiq; ab sedibus Arcadas se appellasse. Nam facio Ebræum ἀρκίτω, ut sint Cetei montani: ab Har, quod Ebræis montem denotat, ut neque Græcum ὄρος ab eo multum discrepat. Vicina omnino illa inter se esse, & alterum ex altero paucis literis seu mutatis, seu aliter enunciatis, deflecti facilè potuisse, intelligunt omnes. Ac pertinet huc, quòd inter Lycaonis filios Græci nominant MACEDNVM, seu Macedonem,

donem, ut Stephanus nuncupat, & à nepote eius Arcade ARCADAS denominatos uolunt. De eo quidem dubium mihi nullum est, in complures regiones Ceteos dispersos fuisse, etsi nomen illud nõ retinuerunt omnes, ut de Cyprijs & Latinis iam ostendimus. Ac placet mihi quorundam coniectura, qui & PÆONAS, quos PANNONES Romani uocârunt (etsi Dion nomina hæc ridiculè distinguens, Pęonas eos singulariter nuncupat, qui ad Rhodopen Macedoniam maritimam incolebant: Pannonum uerò nomen à tunicis manicatis, quas ex pannis more suo concisis ac consutis gens hæc confecerit, profectum censet) à CETHIMO deriuant, significationis nimirum, quæ est inter has uoces duas, CETHIM & παίονε, ducti conuenientia. Idem enim Græcis est, παίονε, quod Ebræis Cethim, ἀπὸ τοῦ παίειν, quod est ferire, percutere. Et præterquam quòd perbreuis est transitus è Macedonia in Pannoniam, etiam hodie fluuium illum, qui Illyricum à Pannonia disterminat, Cethim appellari aiunt. Adhæc celebratur à ueteribus mons CECIVS in superiore Pannonia, quem & ipsum à Ceteis cognominatum, quomodo in Macedonia urbem Citium, & montem Citum, quem nominat Xenophon de Venatione, uideturq́ Liuio dici Cercetus, consentaneum est. Nam eius rei de alijs quoq́ gentibus scripta ueterum exempla suppeditant, ut de Moschis, Scordiscis, Sueuis, Alanis, &c. atq́ à Bructeris adhuc hodie montem Bructerum in Saxonibus nuncupari, doctis placet.

PROINDE ad eum modum quinque celeberrimarum gentium CETHIM conditor fuerit, MACEDONVM uidelicet, ARCADVM, LATINORVM, PANNONVM & CYPRIORVM.

QVOD Macedonici regni faciendum sit ac ponendum initium, aut quo illud uel conditore, uel tempore cœperit, dicere non habeo. Etsi uerisimile est, mox à demigratione in Europam suis Macedonas usos fuisse seu ducibus seu regibus, & initio quidem simul & eodem tempore pluribus & diuersis. Id quod non obscurè demonstrat Iustinus lib. 7. Vbi inter cæteros nominat EMATHIONEM, quem Hesiodus in Theogonia & Probus Grammaticus Memnonis fratrẽ, Tithoni filium faciunt: additq́ Iustinus ibidem, EMATHIÆ ab eo profectam appellationem, quòd prima illius fuissent isthîc uirtutis experimenta. Neq́ aliam, quòd in tot postea populos Macedones distracti fuerint, causam suspicor, quàm hanc ipsam imperiorum apud eos multitudinem. Et quia inde opes gentis atq́ uires distrahi admodum atq́ imminui necesse fuit, factũ ut lõgo tẽpore latuerint in obscuro, nec quicquã, quod literis & memoriæ cõmendaretur, dignũ gesserint: Itaq́ ab Homero quoq́, sicut antea monuimus silẽtio prǽteriti sint.

ICCIR-

ICCIRCO omissa priorum illorum temporum de Macedonum imperijs mentione & historia, quòd & obscura sit & incerta, neq; uerè isti principatus, seu potius principatuum confusio, qui tenebantur ab regulis infirmis, dici regna mereantur, ad sequentium temporum seriem eam, quæ traditur ab omnibus, peruenio, certumq; Macedonici regni initium pono in Heraclidis, quòd tum primùm gentis potentia coiuerit, & CARANVS eiusq; successores cæteris regulis paulatim oppresſis, & ciuitatibus in unum coactis, uariorum populorum ueluti unum Macedoniæ corpus fecerint.

SED hîc uariè fluctuantium opinionum tam de HERACLIDARVM in Macedonia primordijs, seu quando & à quo ibi primum ex his regnatum sit, quàm de succesſione eorundem & familiæ incrementis ac propagatione, tanquam pelagus nobis ingrediendum est. Alij enim Heraclidarum hoc regnum in CARANO inchoant, & sequentes ab eo Reges usq; ad ARIDÆVM, fratrem naturalem ALEXANDRI, propagant. Alij à Perdicca I. initium sumunt, ulterioribus non inuestigatis, sed familiæ alterius, & à prioribus Regib. diuersæ, conditorem illum uocant, & ad eandem tamen propaginem extendunt, nempe ad Aridæum, sed disſimiliter. Nam aliter de illa explicant Herodotus, Thucydides, Xenophon, Diodorus, aliter Paterculus, aliter Iustinus, aliter denique Eusebius. Quam ueterum disſensionem ut antiquitas peperit, ita quid potisſimū sequendum sit, affirmare difficile est.

VERVMENIMVERO amplecti eam ipse sententiam malui, quæ Macedonicum Heraclidarum regnum orditur à CARANO, & ab hoc PERDICCAM successoresq; eius propagat. Nam traditur illa & approbatur à scriptoribus præstantisſimis & fide dignisſimis, hoc est; Pausania, Plutarcho, Eusebio, Suida, Liuio, Velleio: cùm ista altera de Perdicca solum habeat auctorem Herodotum. Suidæ uerba sunt: „CARANVS, Vnus ex Heraclidis, delectibus è „Græcia habitis, in Macedoniam uenit, tum obscuram, & regno potitus „est, & successores habuit usq; ad Philippū. Plutarchus in Alexandro sic ait: „Extra omnem positum cōtrouersiam est, paternum genus „Alexandri per CARANVM ab Hercule tractum fuisse. Et Velleius uolumine posteriore: „Hoc tractu temporum, inquit, ante annos „quinq; & sexaginta, quàm Romana urbs conderetur, ab ELISSA „Tyria, quam quidam DIDO autumant, CARTHAGO conditur. „Circa quod tempus CARANVS, uir generis regij, sextus de„cimus ab Hercule, profectus Argis, regnum Macedoniæ occupauit. Spectat etiam huc uersus Ausonij:

Et Caranum, Pellæ dedit qui nomina Regum, &c.

Et notabilis item eſt Cedreni locus pag. 115. Eodem tempore, inquit, in “
Macedonia regnum fuit, id primus Caranus (ſic enim lego) annos “
28. tenuit. Videtur tamen Herodoto ſubſcribere Thucydides lib. 2.
ubi Archelaum priorē ex Macedonicis Regibus nonum uocitat. Sed
ſicuti Herodoti auctoritatem ideo hîc minorem ducimus, quòd & a-
liis in rebus à fabulis interdum non abſtineat, nec prorſus conueniens
ſit, HERACLIDAS à rebus tam exiguis, & principio tam ſordi-
do, quo ipſe refert, ad regni Macedonici faſtigium aſcendiſſe: ita ad a-
liud reſpexiſſe eo in loco Thucydidem, neq; exactè Regum Macedo-
nicorum numerum in Archelao definire uoluiſſe, cenſemus. Eſtq; ni-
mis hoc frigidum, neq; refutatione dignum, quòd Solinus, cùm CA-
RANVM conditis Ægis regnaſſe in Macedonia dicat, regium ta-
men nomen ei derogat, idq; primùm tribuit PERDICCÆ. Neque
enim credibile eſt, eum, qui regnum tenuit, non uſurpaſſe inde digni-
tatem, propter quam id ambiuiſſet, & tantos labores ſuſcepiſſet. Et im
pugnant id Pauſanias & Euſebius expreſſè, quorum uterq; Caranum
Regem uocat. Cedrenus etiam Philippum Amyntæ à Carano uiceſi-
mum tertium facit: etſi quos alios interiectos reges duos dicat, nō ui-
deo. Quod autem Velleii citato à nobis oſtenditur & docetur teſti-
monio, fuiſſe CARANVM ab Hercule decimum ſextum, id nuſ-
quam præterea ab aliis traditum, ambabus, quod aiunt, manibus am-
plectimur, facimusq; illum à TEMENO duodecimum: Etſi qui-
bus poſt hunc nominibus habuerit progenitores, ſciri certò nequit.
Nam id planè reiicimus, quod aliqui PERDICCAM I. TE-
MENI F. uocant, idq; de auctoritate, ſicuti addunt, Herodoti, cùm
neq; ille hoc uelit, neq; à ueterum quoquam tradatur. Hæc enim ſunt
eius uerba in Vrania: ἐξ ἄργεος ἔφυγον ἐς ἰλλυριοὺς τῶ Τημένου ἀπογόνων τρεῖς ἀδελ- “
φεοί, Γαυάνης καὶ Ἀέροπος καὶ Περδίκκης, &c. hoc eſt: Ex Argo profugerunt in “
Illyrios ex Temeni poſteris tres fratres, Gauanes, Aëropus & Perdic- “
cas. Eſtq; hoc craſsior Hygini error, qui Caranum, Archelaum uocat, “
& Temenum Herculis filium facit, cùm tamen & ipſe alibi, & cæteri au-
ctores omnes Temeno hunc propugnatum aſſerant, Quem Temenū
inter Carani maiores collocandum, ut ne dubitare poſsimus, Teme-
nidarum facit appellatio, quam de familia hac retinent Herodotus &
Thucydides. Nam Theocritus, & hunc ſecutus Plutarchus, in Hyllo
deſinunt, neq; alios ab Hercule Carani προγόνους nominant. Porrò au-
tem ſucceſſores & poſteros CARANI, & deinceps PERDIC-
CÆ I. recenſere ita atq; dirigere maluimus, ut commemorantur ab
Euſebio, qui ex omnibus ſolus proximos duos Carani ſucceſſores no-
minat, itemq; ab Herodoto, Thucydide, Xenophōte, Diodoro, quàm
uel à Paterculo, qui à Carano uſq; ad Alexandrum totos quàm illi ſo-

i bolis

bolis gradus quatuor plures numerat, cùm faciat hunc à Carano decimum septimum, uel à Iustino, qui de ipsorum neque nominibus, neque rebus gestis diligenter & fideliter explicat. Solinus etsi ipse etiam in dinumeratione successorum Carani minus interdum sibi cauet, tamen hoc fortè excusari poterit, quòd maximè celebres dare uoluerit, id quod ante nos annotauit Ioannes Camers. Nec uitio caret regum series, quam aliqui post ARCHELAVM I. instituunt, qua de re ita ait Solinus: Post Archelaum, res Macedonica iactata stetit in Amyntæ regno, &c. Enimuerò ab Eusebio tradita admittenda non est, etsi annos eius retineo. Estq; & cõcinnior & uerior, quam habet Diodorus: Cuius quoque annorum ratio cum Eusebiana supputatione conueniet, si biennium illud, quod nonnullos Argæo tribuere scribit, ijs, quos ipse habet, addamus. Tametsi in illa ipsa Eusebij Chronologia non sit nihil, quod desideres: & quàm cæteroquin de annis regum Macedoniæ fuerit uariatum, de Archelao docet Athenæus. Atq; de Carani regni initio, temporis in annos regum distributi sequendo rationem, etiã à Funccio traditæ calculationi præcipiendi sunt anni sex, idq; collocandum in annum mundi 3149. Nam Solinus hîc audiendus non est, ut neque Velleius, cui annorum quatuordecim interuallum deest.

EST igitur è regijs Macedonicis familijs prima Heraclidarũ, seu ex Heraclidis TEMENIDARVM, quam rectius CARANIDARVM dixeris, quòd CARANVS, Argis seu pulsus, seu spontè digressus, singulariter eam condiderit, & tam nobilissimũ regnum ei conciliârit. Censetur autem illa præ cæteris duabus, de quibus pòst dicetur illustris & nobilis: quippe quæ & regnârit omnium diutissimè, & præcipuum regno Macedonico splendorem & potentiam attulerit. Id enim cùm per primam & secundam monarchiã continuasset, & quidem inter mutationes, uicinarumq; gentium hostiles irruptiones atq; insultus multiplices, tertiam ipsa condidit. Interijt in ARIDÆO, & filijs ALEXANDRI: quorum illo sublato ab Olympiade nouerca, quæ hoc modo regnum Alexandri filijs restituere studeret, hac uerò rursus cum Alexandro Posthumo, & aliquanto pòst Hercule (nam Polysperchontem ad cædem eius Casander impulerat) à CASANDRO, regnum is sibi uendicat.

ERGO alteram Regum Macedoniæ familiã ANTIPATRI facimus posteritatem, indeq; denominationem ei tribuimus, quòd licet ipse in Macedonia non regnârit, seu potius regium nomen non usurpauerit, aditum tamen Casandro ad regnum illud inuadendum patefecerit: cùm per tot annos, hoc est, à profectione ALEXANDRI in Asiam, Macedoniam & Græciam gubernans, eam interea adeptus

adeptus sit potentiam, quæ & ALEXANDRO suspecta ac formidabilis esse cœperit: ideoq; hunc per Iolaüm F. ueneno necasse creditur. Originem familiæ huius deriuant è Paliura urbe: ubi ANTIPATRVM natum fuisse, prodidit Suidas. Finitur illa mox in filijs CASANDRI, è quibus cùm natu maximus PHILIPPVS in ipsis regni initijs fato concessisset, reliquos duos inter se dissidentes oppressit DEMETRIVS Poliorcetes, altero pulso, altero iugulato, & regnum in suam familiam transtulit.

TERTIA itaq; in regijs familijs imperauit Macedoniæ stirps ANTIGONI: à quo similiter appellare eam uoluimus, quòd etiamsi neque ipse Macedoniam subiectam imperio habuerit, regium tamen nomen & dignitatem, adeoq; inter Alexandri successores potentiam amplissimam, cōsecutus sit. Postremus ex ea regnauit PERSEVS, Philippi F. Hic enim cùm parricidialibus agitatus furijs, Romanos in se concitasset, uictus & captus ab L. ÆMILIO PAVLO, Romam cum liberis adducitur: & Macedonia in prouinciam redacta, paret deinceps Romanis. Quo loco tamen minimè prætereundum, & alias interea familias Macedoniam tenuisse, idq; maximè post DEMETRIVM Poliorceten. Nam hoc pulso, diu illa ceu communis Regum præda fuit: & regnatum ibi à PYRRHO, LYSIMACHO, PTOLEMÆO κεραυνῷ, MELEAGRO, ANTIPATRO, SOSTHENE. Sed quia non multò pòst redijt Macedonia ad ANTIGONVM Gonatam, Demetrij F. ac, uti diximus, & dicemus mox pluribus, exinde apud posteros huius permansit, intertexere hîc de ijs explicationes peculiares, & institutam seriem interrūpere noluimus. Cùm quidem Meleagri & Antipatri nuda recitet nomina, atq; imperij tempus, Eusebius, omissis rebus gestis, quòd essent fortè illæ non magnæ, ideoq; obscuræ. Nec sanè uideo causam aliam, quòd & à Iustino omittantur, qui PTOLEMÆO κεραυνῷ proximè subiungit Sosthenem: de quo hoc solum annotauit, quòd à Macedoniæ principibus ob uirtutem ad regnum euectus sit, multisq; nobilibus, regnum Macedoniæ affectantibus, ignobilis ipse præpositus. Tantùm LYSIMACHI familiæ historia planè prætериri à nobis haud debuit. Nam præterquam quòd Antipatri domus necessitudine illum atq; affinitate coniunctissimum habuit, etiam res maximæ per eum in Macedonico regno confectæ sunt. Neq; locus alius ad hanc expositionem occurrebat commodior: Cùm & alioqui cognitio eius ad multorum auctorum lectionem cumprimis necessaria sit.

Inuenias autem ex recentioribus aliquos, qui & tertiam ANTIGONI familiam è TEMENIDARVM satu propagēt, ita quidem,

dem, ut Antigonum ipsum naturalem faciant PHILIPPI Amyntæ filium, hoc unico usi argumento, quòd & ipse sese in edictis, & historię cum Philippi F. nuncupent. Sed hoc quidem certè id probat minimè, & refellit opinionem istam Pausanias in Achaicis disertè, PHILIPPVM ultimum, qui Antigoni abnepos fuit, à Philippo Amyntæ oriundum fuisse pernegans: pertinetq; huc, quòd Polybius de Philippi origine nulla mentione facta, saltem ut Alexandro & Philippo affinis uideretur, laborasse illum, ait. Atque occurrunt in eam sententiam plures aliæ apud scriptores rationes, è quibus nos præcipuas assumemus. Tradidit Ælianus lib. 12. ANTIGONVM sub Polysperche stipendia fecisse, & latrocinia exercuisse: quod de Philippi Amyntæ filio credi nequaquam conuenit, liberis eius tanta diligentia in uirtutis studijs eruditis. Neque uerisimile est, exercitum in Asia post ALEXANDRI fata, ARIDÆO quàm Antigono uti rege maluisse, siquidem fratres illi fuissent: quòd uirtus Antigoni iam perspecta esset omnibus, & ad res gerendas is maximè uideretur idoneus, ut est apud Diodorum: Aridæus uerò neq; corpore, neq; animo satis compos esset. Sanè qua ipse flagrauit ambitione & dominandi ardore, si quod eiusmodi ius habuisset, nō per CLEOPATRÆ connubiū, quam ne ducere quidem per leges potuisset, regnum quæsiuisset, sed hæreditate sibi uendicasset, idq; maximè post ALEXANDRI filiorū interitum: Quod tamen adeò non factitatum ab eo legimus, ut potius & ipsum, & Ptolemæum, & Seleucum, atq; Lysimachum ingenti metu per Casandrum Alexandri Posthumi nece liberatos fuisse, ueritos uidelicet, ut ne prouincias hic ab eis quandoq; repeteret, scribat Diodorus. Refertur à Iustino Demetrij Poliorcetæ oratio, qua interfecto Alexandro, Casandri F. is regnum à Macedonibus petiuerit: ubi cùm multa scriptor ille adducat in mediū, cur hoc Demetrio potius, quàm Casandri stirpi debeatur, nullam tamen istius originis regiæ facit mentionem: neutiquam eam omissurus, siquidem Philippū Amyntæ Demetrius auum habuisset, cuius memoria & nomen cæteroquin genti isti maximè uenerabile erat. Ac deniq; quomodo nasci omnino potuit Philippo ANTIGONVS, cui ætate propè æqualis fuerit? Nam cùm Philippus interfectus est, superasse iam Antigonum necesse est annum ætatis quadragesimum quartum, cùm occiderit octogenarius, post Philippi cædem annis 36. quem cùm perimeretur, primùm annum quadragesimum sextum attigisse, prodidit in Arcadicis Pausanias. Atq; haud scio, an non hoc ipsum attulerit errorem Senecæ lib. 3. de Ira cap. 22. ubi Alexandrum Magnum, Antigoni nepotem uocat, cùm tamen Philippi filium fateatur. Proinde alius fuerit, & planè diuersus, Philippus Antigoni pater, à Philippo Amyntæ necesse est.

est. Neque apud quenquam è ueteribus reperimus, quòd extra matrimonium Antigonus natus fuerit, aut quos etiam habuerit maiores. Tantùm enim patris nomen exprimitur, omissa & origine illius, & rebus gestis. Et si omnino fuisset in spurijs numeratus Antigonus, nequaquam de eo siluisset Athenæus lib. 13. cap. 13. Vbi qui uiri illustres uel quas amicas habuerint, uel è quibus geniti ipsi fuerint, explicat diligentissimè. Nec tamē negârim, genus atq; originem è TEMENIDARVM progenie ANTIGONVM duxisse, uerùm alia, quàm uulgò traditur, familiæ serie. Nam quòd Propertius Poëta lib. 4. Perseum, Antigoni atnepotem, ab Achille propagat, in eo quidem magis poëticam licentiam, quàm fidem historicam secutus est. Quanquam idem error & in Hegesippo deprehenditur, qui reges Macedonicos Æacidas facit. Ac quemadmodum Spartæ ARISTODEMI posteritas, & Corinthi BACCHIADARVM prosapia, in nouas alias familias diuulsæ sunt (nam ex Bacchiadis, ut de his solùm dicam, præter eos, qui Corintho imperârunt, & reges Lyncestarum, & TARQVINII apud Romanos prodierūt) ita & TEMENIDARVM familiam, idq; tam Argis, quàm in Macedonia in alias ue luti particulares discessisse, & has Antigono dedisse ortum, consentaneum est. Enimuero Argis in cōplures illam fuisse partes dispersam, indicat Strabo lib. 8. Cuius uerba ex usitata Guarini Verōnēsis, & Gregorij Trifernatis translatione adijcio: PHEDON, inquit, Argiuus, « decimus à TEMENO, omnium ætatis suæ potētissimus fuit. Qua « re effectum est, ut cùm Temeni stirpem plurimas in partes dispersam « sensim tabescere contingeret, eam recuperatam foueret, &c. Atque de « Temenidis in Macedonia idem ut affirmari possit, præter ea, quæ habent Ælianus & Athenęus de Protea, hoc etiam probat, quòd PERDICCÆ & LEONNATI genus inde deducit Q. Curtius: posuitq; id singulariter Perdiccam præter innatam superbiam, & regnandi cupiditatem, tum quòd ALEXANDER moriturus annulum ei tradidisset, ac ita tacitè quodammodo successorē nominasset, ipseq; post ARIDÆVM dignitatem obtineret præcipuam, & regium exercitum in sua potestate haberet, postmodum impellere, ut regnum in se transferre conatus sit. Certè natum Pellæ Antigonum, non obscurè indicat Suidas. Et inter causas, ob quas ille omnium primus ex Alexandri ducibus regiū nomen usurpârit, nominat stirpem ipsius Plutarchus. Facit huc quoq; Sibyllinum illud oraculum de duobus Philippis, quod est apud Pausaniam in Achaicis. Neq; enim de Philippo Argæi & Philippo Amyntæ id posse intelligi, rerum gestarum conuincit series. Oraculum ipsum eleganter, ut omnia, à Phil. Melanch. redditum, & per se memorabile, subijcio, quod eiusmodi est:

» *In Macedûm populis clarißima regna tenebunt,*
» *Argiua de stirpe, bonum damnumq; Philippi.*
» *Horum qui prior est, gentes urbesq; domabit,*
» *Sed ueteris regni perdet decus omne secundus,*
» *A' populis uictus, quos mittent uesper & ortus.*

Sic igitur hæc definiamus, ut ortum quidem ANTIGONVM è TEMENIDARVM progenie credamus, sed familia à Philippi Amyntæ stirpe discreta, quæ tamen sciri ex monumentis antiquis nequit: Nisi fortè quòd Liuius Persea numerat à Carano uicesimum, de generis gradibus nō autem de successionis ordine, accipere uelimus. Tametsi ut ne sic etiam uel Philippum βαῤῥαλίον, de quo & non de Antigono annotauit Ælianus, quòd inter nothos habitus fuerit, attribuere patrem Antigono possimus, in cæteris obstant tempora, cùm sub AMYNTA. II. anno uidelicet regni huius decimo, primùm ille editus sit, & Philippum βαῤῥαλίον adhuc PERDICCA. II. regnante, ex uita discessisse, planum faciat Thucydides. Cæteroquin etiam de regum numero, quem Antigoni posteritas clausit, minus inter auctores conuenit. Qua de re ut solius hîc attingam Iustini sententiam, nominauit is tantùm 30. cùm quidem his accenseat Lysimachum, Ptol. κεραυνὸν & Sosthenem: Qui si retineantur, crescat uerus numerus necesse est ad 36.

CÆTERVM de Temenidis id adhuc unum notatur obiter, eos neq; primùm, neq; solùm in Macedonia regnasse, sed Argis hac dignitate iam antè potitos, huc commigrasse. Nam cùm HERACLIDAS in Peloponnesum reduxissent Dorienses, & eiectis Achæis, sedes horū ipsi inter se dispertiti fuissent, regna quæ PELOPIDÆ & NELIDÆ ibi tenuerant, Heraclidis attribuêre, seq; eis subiecerūt: è quibus regnis Argiuum TEMENO concessum regnatur deinde à CISO, MEDONTE, LACIDAO & MELTA. Quanquam Argiui, quòd iam inde ab initio libertatis & iuris æquabilis perstudiosi fuissent, mox post CISVM regiam potestatē usq; eò in ordinem redegerunt, ut successoribus eius ferè aliud nihil quàm regium nomen reliquerint, & postremum MELTAM capitis damnatum imperio spoliârint, democratia instituta. A' quo tempore cùm iacuissent TEMENIDÆ in obscuro, PHEDON circa Olympiad. octauam tyrannide occupata, nonnihil eos recreatos erexit, ita ut iam dominatu eius soluto, auctoritate tamē & potentia eminuerint. Siue igitur ista occasione seu alia CARANVS Argo discesserit: quòd cùm animi magnitudine præstaret, popularem dominationem pati non posset, primus quidem ipse & solus regium decus familiæ restituit, & maiore ac firmiore potentia suffultum, transmisit ad posteros. Quòd uerò in Macedoniam CARANVS se receperit, in

eo qui-

eo quidem superstitiosè oraculo obsecutus est. Et credibile est, agnatos BACCHIADAS, qui per speciē legationis Corintho à CYPSELO Tyranno expulsi, Spartam in exilium iuerant, eodem exemplo inuitatos nouas isthic sedes quæsiuisse, & fortè à Carani posteris adiutos regnum LYNCESTARVM occupasse. Nam tenuisse hoc Bacchiadas, ipsumq́ ARRHIBÆVM, qui cum bella gessit PERDICCAS. II. cuiusq́ ex Irrha F. neptē EVRYDICEN habuit in matrimonio AMYNTAS. II. inde oriundum fuisse, prodidit Strabo lib. 7. Legimus apud Iosephum, retulisse quoque ad TEMENVM genus suum ARCHELAVM, regem Cappadociæ postremum. Sed hoc relinquimus in medio, quomodo illud etiam, quòd Polyænus ANTONINVM Philosophum & VERVM Impp. è Macedonicis regibus propagat: quandoquidem neque familiam addidit, neq; è ueteribus alius quisquā hanc prosapiam annotauit.

DE consuetudinibus Regum Macedonicorum passim multa scriptores prodidêre. A' CARANO profectum, ut ne de hostibus deuictis Græco more trophæa erigerent, scripsit Pausanias in Bœoticis. Etsi de Philippo Amyntæ diuersum narrat Diodorus. Verba Pausaniæ sunt: Est à Macedonibus ipsis traditum, CARANVM, Re« gem suum, uicto in pugna CISSEO, qui finitimis imperabat, Argi« uorum ritu trophæum constituisse. Erumpentem autem ex Olympo « leonem ita illud subuertisse, ut prorsus fuerit abolitum. Intellexisse Ca« ranum, id sibi merito contigisse: quòd eo monimento erecto, spem si« bi reditus in gratiam cum finitimis præcidisset, reliquo dehinc tempo« re, neq; Caranum, neq; successorum quenquam trophæum ullum ex« citasse, quòd nempe sibi ad reditum in gratiam cum hostibus loci ali« quid relictum uoluerint. Satis certum fuit huius rei argumentū, quòd « Alexander, neque de DARIO, neq; de Indicis uictorijs, trophæum « ullum erigendum curauit. Hactenus Pausanias. Regni successionem « hæreditariam eos possedisse, neq; eam ad rem ullum populi uel procerum interuenisse delectum, præter exempla multiplicia mentione expressa Aristoteles & Laërtius docent. Tametsi interim libertatis umbra, quàm apud cæteras gentes maior populo relicta esset, ut est apud Curtium. Vnde factū reor, quod à subditis tantopere amati sint, qua de re plura in Æmilio Plutarchus. Nec dubito, illud ipsum legi dedisse initium, qua cautum erat, ut qui regi essent insidiati, cum propinquis omnibus necarentur: cuius non dissimilem consuetudinem Romani ueteres de seruis secuti, interfici iusserunt familiam eorum seruorum omnem, è qua aliquis dominum peremisset, teste Cornelio Tacito. A' PHILIPPO Amyntæ institutum est, ut nobilium filij,

postquam adoleuissent, ad regios usus deligerentur: magnorum pòst præfectorum & ducum incrementa & rudimenta, ut loquitur Curtius. De quo instituto uisum fuit adijcere, quæ habet Ælianus de uaria historia lib. 14. cap. 49. PHILIPPVS, inquit, clarissimorum in Macedonia hominum liberis assumtis, sui curam ministeriumque ipsis imposuit: non per iniuriam, aut contemtum, sed ut patientes eos laborum, & ad ea, quæ fieri opus esset peragenda, promtos ac paratos redderet. Etenim qui ex ipsis uel luxui studerent, uel segniter pigreque iussa facerent, his infestissimus fuisse dicitur. Aphthonetum igitur flagris cecîdit, quòd cùm sitiuisset, acie deserta, digressus ab itinere, ad publicum hospitium diuertisset. Archedamũ uerò morte mulctauit, quòd cùm eum perseuerare cum armis iussisset, ille deposuisset, &c. Sepulturam TEMENIDAS Ægis habuisse, tradunt Diodorus, Iustinus, Solinus: Quam cùm contra fatorum responsa mutasset ALEXANDER Magnus, familiæ interitum conciliasse, creditus fuit. Nec multò pòst subuertère eam, atque aboleuere, GALLI, relicti ibi præsidij loco à PYRRHO Æacidæ. Hi enim cùm ex insatiabili pecuniæ cupiditate prædam facere satagerent, fœdo conatu regum monumenta aggressi sunt, & pecunia direpta, ossa per libidinem disiecerunt. Iustinus etiam regiam Macedonibus Ægis initiò fuisse, ostendit, quam Pellam postea translatam, indicat Liuius: & Strabo Philippum & Alexandrum ibi natos ait, quod idem de Alexandro testantur Iuuenalis Sat. 10.

Vnus Pelleo iuueni non sufficit orbis.

Et Claudianus in Panegyri de quarto consul. Honorij:

——Fertur Pelleus, Eoum
Qui domuit Porum, cùm prospera sæpe Philippi
Audiret, lætos inter fleuisse sodales,
Nil sibi uincendum patris uirtute relinqui.

Addit his Plutarchus, pugnæ signum Macedonicos reges proponere solitos puniceum pallium: quomodo à Romanis usurpatam constat tunicam puniceam, supra prætorium expansam.

EFFI-

EFFIGIES ALIQVOT MACEDONICAE, E NVMMIS VETERIBVS DESVMTAE.


PHILIPPI Amyntæ.




DEMETRII POLIORCETÆ.




ALEXANDRI MAGNI.




PHILIPPI Vltimi.




PERSEI.





LYSIMACHI.





ἀνωνύμα.





ἀνωνύμα.





CANDIDO LECTORI.

HOSCE nummos, Lector optime, communicarunt nobiscum, cùm ab alijs uiris doctis, tum inprimis à D. Casparo Peucero & Georgio Fabricio, praeceptore de me, & hisce studijs meis benemerito utroque, adijcere hoc in loco uisum fuit, quòd Macedonicae historiae nostrae non minus ornamentum, quàm lucem afferre posse, persuasum haberemus. Quinam uerò ἀνώνυμοι isti habendi sint, coniecturae cuiusque relinquimus. Me haud aduersantem habituri sunt, si qui Antigonos, Gonatam & Dosonem, accipere noluerint. Nam Alexandro posteriores fuisse, argumenta multa docent.

FAMI.

FAMILIAE REGVM MACEDONIÆ.

TEMENIDÆ, QVI REGNARVNT ANNOS CCCCXCVII. MENSES X.

CARANVS. I. Argiuus, decimus sextus ab HERCVLE, duodecimus à TEMENO, nouas Apollinis Delphici oraculo quærere sedes iussus in Macedonia, cum magna Græcorum multitudine eò transmigrat: occupataq; Edyssa urbe, quæ deinde à capris, quarum ueluti ductu eam ceperat, quod cum imbrem fugitantibus simul irrupisset, Ægarum nomen retinuit, regulos ibi dominantes debellat, atq; in locum omnium solus succedens, regnat annos 28. Pausanias, Suidas, Velleius, Iustinus. Eusebius & Cedrenus Granæum uocant. De Ægis aliter nonnihil explicantem uide Solinum cap. 14.

II. COENVS, regnauit annos 12. Nominat hunc cũ sequenti solus Eusebius, omissis tamen rebus gestis, quòd illæ uel ignorarentur, uel obscuriores essent. Nec sanè causam aliam uideo, quòd Iustinus Carano mox subiungit Perdiccam: Quanquã ille & in posterioribus Regibus commemorandis, quorum tamen res gestæ obscuræ ei esse nequiuerunt, à simili sibi negligentia non cauet.

III. TYRIMAS, regnauit annos 38. Eusebius.

IV. PERDICCAS. I. regnauit annos 51. Claruit uirtute & factis fortibus: sed quę uerè de his explicent, auctorum monumentis destituimur: atq; ut à cæteris scriptoribus uariet Herodotus, suprà ostendimus. Moriturus filio locum monstrauit, quo non sua tantum, sed succedentium etiam regum condi ossa uellet: præfatus, regnum in familia mansurum, quamdiu posterorum ibi conditæ forent reliquiæ: creditumq; ea superstitione postea, deletam in Alexandro familiam, quòd sepulturæ locum mutasset. Eusebius, Iustinus, Solinus.

V. ARGÆVS, regnauit annos 38. Repressit Illyrios, bellum tum primum Macedonibus facientes, decepto hoste uirginum Baccharum apparatu: in cuius rei memoriam & templum BACCHO FALLACI ædificat, & uirgines, quas antea κλωδῶνας Macedones nuncupabant, propter imitationem uirorum ut μιμαλλόνες dicerentur, edicto

edicto sancit. Polyænus, Eusebius, Iustinus, moderatè & cum populi amore præfuisse Argæum regno, scribit.

VI. PHILIPPVS. I. regnauit annos 38. Variat hîc nonnihil ab Eusebio Iustinus, & morte Philippum immatura raptum, ait.

VII. AEROPVS. I. regnauit annos 26. Amisit patrem in prima infantia. Iccirco Illyrij faciliùs ita opprimi posse Macedonas rati, bellum magna ui contra eos renouant: in quo cùm Macedones prælio pulsi & fusi, mox acrius certamen repetiuissent, regem infantem in cùnis prolatum in aciem collocant, ueluti ideo uicti essent, quòd bellantibus auspicia eius defuissent, magnaq; Illyrios cæde profligatos finibus expellunt. Eusebius, Iustinus, Ammianus. Ab alijs hoc nomen Aërops, ab alijs Europus, scribitur, sed corruptis exemplaribus, quod idem accidit in Aëropes, coniugis Atrei, nomine, quã Meropen Boccatius, Europen Rauisius, non rectè appellant.

IIX. ALCETAS, regnauit annos 29. Iustinus hoc omisso successorem Aëropi facit Amyntam: sed rectiùs fuerit sequi Herodotum & Eusebium.

IX. AMYNTAS. I. regnauit annos 50. Iussus à MEGABAZO, quem DARIVS HYSTASPIS, reuersus è Scythia, ne ubiq; infelicis militiæ damnis haberetur deformis, ad Thraciã cæteraq; uicina regna subigenda cum copijs in Európa reliquerat, dare regi suo terram & aquam (erat hoc Persis deditionis symbolum) postulatis hisce ob metum hostilem annuit, & legatos splendido conuiuio pro dignitate regia accipit. Qui cùm crescente in uino ebrietate multa facerent petulantius, ALEXANDER F. patre ob ętatis reuerentiam discedere iusso, & pro mulieribus, quas Barbarorum permissu abductas, ornatiores se reducturum promiserat, adolescentibus matronali habitu indutis, gladiosq; sub ueste tegentibus, in conuiuiũ reductis, interfici illos ad unum iussit. HIPPIAM Pisistratidem, Athenis pulsum, hospitio rex hic liberali suscipit, & Anthemuntem incolendam ei offert: quam ille cum Thessalorum Iolco aspernatus, in Troadem ad Persas abit, & Darium ad bellum Atheniensibus faciendum inflammat. Herodotus, Eusebius, Iustinus.

RELIQVIT Amyntas liberos, ALEXANDRVM Diuitem, Gygæam & Aridæum.

X. ALEXANDER. I. cognomento DIVES, regnauit annos 43. Placat MEGABAZVM per Bubarem, collocata huic sorore Gygæa, Qua cognatione ut DARII temporibus pacẽ habuit,

ita

ita pòst etiam XERXI conciliatur, adeò, ut cùm Græciã ueluti tempestas quædam occupasset, ipse totius regionis inter Olympum Hæmumq́ montes imperio ab Barbaro donatus sit. Tametsi ne sic quidem à Græcorum beneuolentia planè discesserit: ac Xerxe in Asiam reuerso, etsi mansit apud MARDONIVM, consilia tamen illius cum magno suo periculo Græcis enunciauit: cùm antea de pace ad Athenienses missus, persuadere hanc eis nequiuisset. CIMONEM Miltiadis, Barbaros mari persequentē, pecunijs & muneribus à regno suo auertisse, creditus est, cumq́ ille eam ob causam in ius ab aduersarijs uocatus, honestè se excusasset, cōmendata Macedonū frugalitate & temperantia, absolutus est. Plutarchus, Eusebius, Iustinus, Orosius. Fuère tanta Alexandro uirtutum omnium ornamenta, ut & Olympico certamine uario ludicrorum genere contendit. Qua occasione Græcam originem suam ex Argis illum ostendisse, cùm ut Barbarum admittere cæteri nollent, qui Græcorum id esse certamen dicerent, Herodotus tradidit: & credibile est, Mycenæos pulsos ab Argiuis, eandem ob causam in Macedoniam ad Alexandrum concessisse, utpote quibus PERSEVS, stirpis conditor, omnium primus imperasset. Solinus ita affluenter ampliandis opibus successus regis huius profecisse, ait, ut Apollini Delphos, Ioui Elidem, statuas aureas miserit. Aurium etiam uoluptati deditum ipsum fuisse accepimus indulgentissimè, sic ut plurimos, qui fidibus scirent, in usum oblectamenti donis teneret liberalibus, interq́ hos PINDARVM Lyricum. Videtur Curtius significare libro 7. ferro eum perijsse, neque hanc cædem uindicatam fuisse: tametsi perperam Alexandri Magni proauum nūcupet. In epistola Philippi ad Athenienses regni Macedonici fines usq́ ad Amphipolin protulisse, & de captorum Medorum primitijs Delphis auream statuam dedicasse, scribitur.

GYGÆA, fuit in matrimonio Bubaris Persæ, filij Megabazi: qui Bubares missus à patre in Macedoniam, ut de legatis, quos Alexander in conuiuio trucidârat, inquireret, non tantùm ab hoc placari se passus fuit, sed & affinitati se illius deuinxit. Herodotus, Iustinus.

NASCITVR autem ex hoc Barbarico coniugio Amyntas, auo materno ὁμώνυμος, donatus pòst à Xerxe Alabanda Phrygiæ: quam Strabo libro decimoquarto, homines molles & psaltrias multas habuisse, ait.

ARIDÆVS, alter AMYNTÆ. I. F. refertur à Scholiaste Thucydidis, qui & Derdam F. Perdiccæ & Philippi ἀνεψιὸν nuncupat.

cupat. Ea uoce in Græco sermone præter nepotes etiam patrueles & consobrini ueniunt.

DERDAS, iunxit socia arma cum Philippo ὁαῤῥαλίῳ contra PERDICCAM. II. huiusq; fines uastando deprędatur. Thucydides lib. 1. Meminit DERDÆ, principis Elemiæ, Xenophon: Qui pro Amynta propugnans contra Olynthios, bis hostilem equitatum concîdit feliciter. Is fortè nostro hoc DERDA genitus, principatum istum ob fortiter nauatam operam ab Amynta consecutus est.

PAVSANIAS, iuuit & ipse Philippum contra Perdiccã. Thucyd. lib. 1. Scholiastes dubitat, frater'ne an filius Derdæ fuerit. Nobis fratrem esse, placuit. Nominat enim Derdæ fratres Thucydides.

* * *

ARGÆVS, fortè Pausaniæ F. inuadit regnum ope Illyriorũ contra AMYNTAM. II. idq; pulso illo nõ nisi annos duos obtinet. Nam ijsdem æmuli artibus oppugnatus, potẽtiæ fastigio excîdit: cumq; multis annis errasset exul, demum ab Atheniensibus PHILIPPO hostis opponitur. A' quib. Amphipoli recepta mox desertus, & prælio decertare coactus, magna clade accepta profligatur, atq; exilio mulctatur perpetuo. Diod. Cæterum impletur imperio ipsius, quod in annorũ serie deest hîc biennium.

POSTERITAS ALEXANDRI DIVITIS.

GENITI sunt ALEXANDRO Diuite, PERDICCAS. II. Alcetas, Philippus ὁαῤῥαλέος, STRATONICE.

XI. PERDICCAS. II. regnauit annos 28. Spoliat fratres, quas tenebant, regni partibus, conatu ut ambitioso, ita inprimis nefario, & Philippum, Derdæ & Atheniensium auxilio id bello uindicaturum, repellit. Cumq; Atheniensibus uicissim incõmodaturus, Chalcidensium ab eis studia auertisset, Potideæ inde obsidio & euersio secuta est. Tamen pòst illis reconciliatus per SITALCEM, regem Odrysarum, cùm non staret promissis, bello à Barbaro petitur: quo mox SEVTHÆ interuentu composito, proficiscitur in ARRHIBÆVM,

BÆVM, Regem Lyncestarum: cumq́ ab Illyrijs flagitiosè desertus, auxiliares Peloponesiorum copias, quibus præerat BRASIDAS Spartanus, minus pacatas haberet, societati, quam cum eis fecerat, renunciat: & in regnum re infecta discedere coactus, iungitur iterum amicicia Atheniensibus, in eaq́ deinceps constanter permanet. Thucydides, Diodorus, Eusebius, Suidas. Habuit familiarissimum HIPPOCRATEM Medicum: qui cùm multū in Macedonia & Thessalia uersaretur, siluarum incensione pestem illam grandem Atticam inde depulisse scribitur. De annis, quibus regnum administrauit, uarias recitat scriptorum sententias Athenæus lib. 5. cap. 13.

CONIVNX PERDICCÆ fuit CLEOPATRA, è quà natus υἱὸς γνήσιος, ut loquitur Plato, ἐπώνυμος, destinatur à patre ad regni successionem, & traditus ARCHELAI tutelæ, fraudulentè ab hoc iam septennis in puteum conijcitur, & in aquis suffocatur, testibus eodem Platone in Gorgia & Arist. 5. Politicorum: Concubina SIMICHE, serua Alcetæ fratris, ut est auctor Ælianus lib. 12. è qua generatur ARCHELAVS. I.

XII. ARCHELAVS. I. relictus à Perdicca patre tutor filij è Cleopatra, nefariè hunc in puteum præcipitatum necat, & pari sceleris immanitate sublatis Alceta & Alexādro F. Regem sese gerit, regnatq́ annos 24. Gessit bella cum Syrrha & Arrhibæo, ac Pydnæos sibi rebellantes post acerrimam obsidionem redire sub imperij iugum compulit. Prædicatur enim à scriptoribus prudens rei bellicę & naualium præliorum commentor. Vt Macedoniam redderet cultiorem, ædificia plurima extruxit magnificè, & uias multo sumtu sterni curauit: atq́ cùm alijs in partibus auxit & instruxit rem Macedonicam, tum equis & armis ac alio apparatu, magis quàm antecessores omnes. Interficitur conspiratione Cratæi & Hellanocratis, quorum utroq́ ad turpissimas libidines abusus, illum quidem filiæ cōnubio, quam ei desponderat, hunc uerò reditu ad suos frustratus fuerat. Thucydides, Plato, Aristoteles, Diodorus, Plutarchus, Ælianus, Cicero, Solinus. Erga homines doctos inprimis munificus extitit, & annotauit Gellius, uixisse apud ipsum præter Euripidem Tragicum, Herodotum & Hellanicū, historicos. Nam Socrates Philosophus ab illo uocatus, tanquam ad hominem Tyrannicum ire renuit: etsi Antoninus in uita sua lib. 11. id Perdiccæ ascribit, & addit, Regi quærenti, cur non ad ipsum ueniret, respondisse Socratem: Ne turpissimo interitu periret: quod exponit ipse, ne beneficio affectus, id non posset cōpensare. De eadem re plura Seneca lib. 5. de beneficijs cap. 6. Euripidem Tragicum tanti fecisse scribitur à Solino, ut consiliorum suorum summam ei crederet, & defunctum non solum contentus fuerit funeris sumptu prosequi, sed &

crinem totonderit, & mœrorem, quem animo conceperat, publicârit uultu. Cumque ab eodem, ut de se etiam Tragœdiam componeret, familiariter petiuisset, ille uehementer repugnans, ne accideret regi aliquid Tragœdia dignum, precatus est, ut meminit Diomedes Grammaticus libro tertio. Quò fortè alludens Ælianus, ubi de Archelai &
» Cratæi interfectoris cæde explicat: Huic, inquit, Macedonico drama-
» ti conuenit uersus ille:

τεύχων ὡς ἑτέρῳ τις ἑῷ κακὸν ἥπατι τεύχει,
Qui struit insidias alij, sibi damna dat ipsi.

Tamen inter Euripideas Tragœdias citāt Pindari Scholiastes & Stephanus Archelaum. Cur fuerit confidentior, disputat in problemat. Aristotel. Sect. 30.

XIII. ARCHELAVS. II. regnauit post patrē annos septem: Interfectus per errorem in uenatione à Cratete catamito. Diod. lib. 14. Ælianus post ARCHELAVM patrem regnum occupatum, ait, ab interfectore eius CRATÆO, qui uix tres aut quatuor dies eo potitus, rursus ab alijs per insidias circumuentus & occisus sit. Credibile est autem cædem hāc Archelai filios machinatos, ut regnum ita ad se retraherent.

XIV. ORESTES, fratri successor datus, occiditur ab Aëropo tutore. Diodorus.

N. N. Filiæ duæ ἀνώνυμοι, quarum altera collocata fuit regi Elibeæ, altera Amyntæ filio, quem Amyntam Archelaus pater conciliare ita cuperet Cleopatræ filio, qui cum bello is contendebat. Aristoteles lib. 5. Polit. capite 10. Cæterū quis fuerit Amyntas ille, sciri nequit. Tamē apparet à regia stirpe nō alienū fuisse, ut fratrib. PERDICCÆ. II. genitū, opiner.

¶ INTERSERO hic AEROPVM. II. cuius maiores scriptores non nominârunt, etsi à Temenidis ortum fatentur.

XV. AEROPVS. II. & ipse à regia Temenidarū stirpe oriundus, gessit tutelam Orestis: quo trucidato, cùm regnum in se transtulisset, imperat annos 6. Prohibiturus transitu AGESILAVM, regem Lacedæmoniorum, qui per Macedoniæ fines post Asiaticam expeditionem Græciā repeteret, contrario eius apparatu, astuque militari, ab isto conatu deterretur, & fœdus cum eo sponte paciscitur. Diodor. Polyænus. Meminit Plutarchus in Demetrio, ac mensulis & lucernis fabricandis ocium terere solitum, scribit.

XVI. PAVSANIAS, regnauit annum unum, pulsusque ab ☞

ALEXANDER, destinatur regno procerum ☞

☞ AMYN-

❧ AMYNTA, Macedoniam, defuncto illo, repetit: Quo tempore ab IPHICRATE Atheniensi, quem Amphipoli accersiuerat Eurydice, copijs exutus, frustra deinde per Thracas reditum molitur. Æschines de falsa legatione, Suidas. Diodori narrationes de hoc rege dissimiles sunt.

** quorundam conspiratione post Philippi cædem: quæ inani spe THEBANI subnixi, rebellant Alexandro Magno. Plutarchus de fortuna & uirtute Alexandro; Arrianus libro primo.

¶ ALCETAS, alter ALEXANDRI Diuitis F. pulsus cum Philippo ὀαξξαλίῳ à PERDICCA, reuocatur pòst cum Alexandro F. ab ARCHELAO, qui insidiosa simulatione regnũ ipsi redditurũ sese policeretur: cumq; magnificentissimo conuiuio exceptus, largius se inuitasset, de nocte in plaustrum impositus, & extra urbem euectus, iugulatur. Plato in Gorgia.

ALEXANDER, comitatur patrẽ ad ARCHELAVM, cui ferè coætaneus esset, & insidijs eius simul de uita tollitur. Plato ibidẽ.

PHILIPPVS, cognomento ὀαξξαλιὸς, tertius Alexandri Diuitis F. tenuit partem Macedoniæ circa Idomenen, Gortyniam & Atalantam, oppida: unde eiectus à Perdicca fratre, bellum ei infert, cùm socium haberet Derdam, & adiutores Athenienses: destitutusq; egregiorum conatuum successũ, desperabundus profugit cum AMYNTA F. ad SITALCEM Odrysam. A' quo inani restitutionis promisso aliquandiu lactatus, fato suo fungitur. Thucyd. libro 1. & 2. Ælianus Menelaum uocat, & inter nothos habitum ait: à qua sententia neque Aphthonius alienus est, cùm, quo minus regno potiretur, generis obstitisse illi scribat indignitatem atq; dedecus.

STRATONICE, collocatur à PERDICCA fratre SEVTHÆ Odrysæ, quem SITALCES regni successorem habuit. Thucydides.

RELIQVIT Philippus ὀαξξαλιὸς filium unicum, AMYNTAM. II.

XVII. AMYNTAS. II. exulat cum patre apud SITALCEM in Odrysis: quem ad expeditionem Macedonicam frustra secutus, & ab omni restitutionis spe depulsus, quòd Perdiccæ Sitalcem conciliasset SEVTHES gener, confugit ad Athenienses, & copijs collectis, Pausaniam acie uictum regno deturbat, idq; occupatum tenet in uniuersum annos 24. Bis enim eo deiectus rursus, primò quidem mox reducitur à Thessalis, pòst uerò in eam uenit desperationẽ, ut magna agri parte donata Olynthijs, regnum deserere, atq; in exiliũ

ire constituerit. A' quo consilio cuiusdam è familiaribus sermone peropportuno, quo ab illo laudari audierat, quod Hellopidas dixerat ad DIONYSIVM priorem: Honestissimam sepulturam imperium esse, reuocatus, & in spes nouas inductus, castellum quoddam munitissimum occupat, & accersitis hinc auxilijs, trimestri spacio Macedoniam uniuersam recuperat, atque in dignitate regia senex obit. Isocrates orat. octaua & in Archidamo, Xenophon, Diod. Ælianus, Aphthonius, Iustinus. Meminit Æschines de falsa legatione, & suasu ipsius tradita m Atheniensibus Amphipolim ait, quam conditam ab Agnone Peloponnesijs adiunxerat BRASIDAS Spartanus. De hac deinde cum ijsdē Atheniensib. dimicārunt successores usque ad Philippū.

FVERVNT AMYNTÆ. II. coniuges duæ. Prima EVRYDICE Illyria, neptis ARRHIBÆI Lyncestæ, ex Irrha F. ut sunt auctores Strabo, Suidas, Iustinus, Probus, Orosius: è qua sustulit liberos, ALEXANDRVM. II. PERDICCAM. III. PHIPPVM. II. & Euryonen.

XIIX. ALEXANDER. II. regnauit post patrem annum unum. Oppugnatus à PAVSANIA, defenditur ab IPHICRATE, cui cum fratribus cōmendatus fuerat ab Eurydice matre. Vt placaret Illyrios, quibus pater tributum pependerat, mercedem eis pacisci, & Philippum fratrem dare obsidem, cogitur. Hinc accersitus ab ALEVADIS nobilibus contra Alexandrum Pheræum, societatem init cum PELOPIDA THEBANO, eodem Philippo fidei pignore tradito. De morte eius uariant à Demosthene, Diodoro, Athenæo, Gemisto, Iustinus & Orosius.

XX. PERDICCAS. III. ulciscitur Alexandri fratris cædem, & regnum in se translatum retinet annos 5. Oppugnauit Chalcidenses cum TIMOTHEO, duce Atheniensium: quibus Atheniensibus pòst de Amphipoli bellum facturus, impeditur noua Illyriorum irruptione: cumque belli impetu contra Barbaros conuerso, prælium cum eis iniuisset, occumbit in acie. Æschines de falsa legatione, Gemistus. Diodorus captum ab Illyrijs, ait, à quibus omnibus dissentiens Iustinus, matris occubuisse insidijs, narrat. Meminit Athenæus libro 11, capite 22. & sequent.

AMYNTAS, fuit sub tutela Philippi patrui: & filiæ nuptijs ab eo honoratus, Alexandro successori uitæ insidias parat, cæde eius regnum ad se retracturus: quibus detectis, & pœnas scelerati conatus luit, & in amicum Philotam, Parmenionis F. occultam Regis odium — CYNA, Philippi F.

concitat.

concitat. Polyænus, Iustinus. Curtius pro sororio cõsobrinum Alexandri uocat, corruptis haud dubiè exemplaribus.

EVRYDICE, à matre in militaribus artibus erudita diligenter, nupsit ARIDÆO auunculo: cuius ualetudine abusa, & curiosè multa egit, & Casandrum flagitiosè cognitũ ad summum fastigium per omnes honorum gradus prouexit. Capta cum marito ab Olympiade, & mori iussa, laqueo uitam finit. Diod. Polyænus, Athenæus, Iustinus, Orosius. Ælianus perperam Philippi filiam facit.

XXI. PHILIPPVS. II. Amyntæ F. tertius, asseruatus obses à Thebanis, & præclarè ad omne uirtutũ genus informatur apud EPAMINONDAM: undè pòst imitator eius habitus est. A' Perdiccæ occasu in Macedoniam reuersus, regnũ summa omniũ uoluntate adit, & militari disciplina emendata, cõponit, uictis ARGÆO, Pannonijs, Illyrijs, Thessalis, Thracibus. In obsidione Methonæ, cùm incautius urbi obuersaretur, amittit oculũ, sagitta ab Astere quodam excussum. Bello SACRO contra PHOCENSES feliciter confecto, & pietatis & fortitudinis laudem apud Græcos promeruit, receptus ob id in AMPHICTYONVM συνέδριον. Ac dehinc maiora animo agitans, inuasit urbes Chalcidicas, è quibus nobilissimam, Olynthũ, Eurycratis & Lasthenis proditione captam euertit. Depressurus Atheniensium potentiam, à quibus uariè se oppugnatũ meminerat, Elateam clàm occupat, & uictos ad Cheroneam DEMADIS opportunè supplicantis intercessione, cleméter in gratiã recipit, Thebanis socijs præsidio imposito. Cumq; tot uictorijs elatus, ut GRÆCORVM DVX cõtra Persas crearetur, Corinthi obtinuisset, occiditur in nuptijs Cleopatræ F. à Pausania satellite, anno regni 25. ætatis 46. IX. Calend. Februarij, cùm illo ipso die inter XII. Deorum statuas suam quoq; collocari iussisset. Demosthenes in orationibus Olynthiacis & Philippic. Diodorus, Plutarchus, Pausanias, Polyænus, Gemistus, Suidas, Stobæus, Probus, Iustinus, Orosius. Princeps fuit consilio, eloquentia & animi magnitudine summus: sed in quo fidem sæpe desideres, quiq; astu & proditionibus non minus uincere gauderet, quàm Marte aperto, secutus ea in re oraculũ, quod Suidas ipsi datum scribit huiusmodi:

ἀργυρίαις λόγχαισι μάχου, καὶ πάντα κρατήσεις.

Et recitat Cicero ad Atticum ex apophthegmatis eius: Omnia castella expugnari posse, in quæ modo asellus onustus auro possit ascendere. Quo uidetur allusisse Horatius lib.3. Carm. Od.16. cùm ait:

—Diffidit urbium
Portas uir Macedo, & subruit æmulos
Reges muneribus.—

Aduersus cæteros hostes fermè inuictus, uincitur à TRIBALLIS, Mysorum gente, cùm à Scythico bello contra ANTEAM regem, quem uictum occiderat; reuersus prædæ partem eis denegaret. Et addit Plutarchus hac re eiusmodi apophthegma Alexandri: Cùm pater eius Philippus apud TRIBALLOS femore lancea taiecto, periculo defunctus, mœrore tamen angeretur claudicantis cruris deformitate: Sustine, inquit ille, neque uereare in publicū te agere, quò magis uirtutis ingrediendo memineris. Per legatos quoque multa prosperè confecit, uictis à PARMENIONE magna strage Illyrijs & Dardanis. Citat epistolarum libros ipsius Gellius lib.9. cap.3. easq́ epistolas mundiciæ, uenustatis & prudentiæ plenas fuisse, dicit. De punito à Philippo ingrato milite historiam memorabilem recitat Seneca lib.4. de beneficijs cap.37. In epigrammatis ueteribus hoc de illo refertur ἄδηλον.

Ἠμαθίην ὃς πρῶτος ἐς ἄρεα βῶσα φίλιππος,
Αἰγαίην κάμψαι βῶλον ἐφεσσάμενος.
Ῥίψας οἱ ὕπο βασιλεὺς τὸ πρίν. εἰ δέ τις αὐχεῖ
Μέζον ἐμεῦ, καὶ τοῦθ' αἵματος ἡμετέρου.

EVRYONE, detegit patri Eurydices matris insidias: quæ marito ipsius nuptura, occidendum uirum, regnumq́ adultero tradendū, susceperat. Iustinus, Orosius: à quibus discrepare uidētur, quæ habet Æschines de falsa legatione.

ALTERA AMYNTÆ II. coniunx fuit GYGÆA, unde nati filij, Archelaus, Argæus, Menelaus, quos solus Iustinus nominat: Vnde Orosius repetitos, à Philippo interfectos ait, sed tēpore diuerso. Nam cùm uno ex insidijs sublato, reliqui duo de periculo suo edocti, Olynthum profugissent, Philippus cum exercitu eos insecutus, urbem captam excindit, & fratres ab ara abstractos iugulat. Alij tamen de huius belli causa & occasione aliter sentiūt. Meminit Menelai Suidas, Μενέλαος.

ADDITVR his Amyntæ uxoribus & cōcubina ἀνώνυμος: è qua nascitur ei filius PTOLEMÆVS.

XIX. PTOLEMÆVS, cognomento ἀλωρίτης, quòd in Alore urbe natus esset, administrat rerum summam sub Alexandro fratre: Cumq́ auctoritate pręstaret, regnum contra eundem seditiosè ambit, idq́

idq; occupatum post PELOPIDÆ Thebani discessum, deinde permissu huius retinet annos tres. De Amphipoli Atheniensibus hostis factus, Thebanorum se societate noua munit: qua re Atheniensibus irritatis uehementius, tollitur à Perdicca fratre. Æschines de falsa legatione, Diodorus, Plutarchus, Athenæus, Gemistus.

PHILOXENVS, datur à patre obses Pelopidæ Thebano, quem post ALEXANDRI. II. necem, iterum è Thessalia amici huius euocassent. Plutarchus in Pelopida.

POSTERITAS PHILIPPI. II.

NOMINANTVR Philippi coniuges quinq;.

I. OLYMPIAS, filia Neoptolemi, regis Molossorũ, ex Æacidarum gente: quæ peperit ALEXANDRVM Magnum & CLEOPATRAM.

XXII. ALEXANDER. III. cognomento MAGNVS, suscipit regnum post patris cædem, quam ultus acerbissimè, Illyrios & TRIBALLOS rebellantes compescit, Celtis & Getis, qui sunt GOTTHI, pace data, cùm animi magnitudinem gentium harum admiratus, uitandas eas pronunciasset. Mox in Thebanos profectus, qui & ipsi desciuerant, Thebas ui captas diruit, PINDARI posteritate & domo studiosè conseruata. Patris bellum contra Persas persecuturus, Corinthi GRÆCORVM DVCEM se renunciari iubet, & exercitu, quem 30000. peditum, equitum 5000. numerum non excessisse scribunt, per Hellespontum traiecto, DARII copias tribus ingentibus prælijs superat, & BESSI conspiratione iugulato illo, tertiam monarchiam inchoat. Hinc progressus in Indiam, omnia ad Hypanim usq; fluuium edomat, quem ultra cùm sequi exercitus recusaret, reuersus Babylonem, & omnium gentium legationibus exceptus, perit seu intẽperantia seu Antipatri insidijs, mensis Iunij die 28. Olympiad. 114. anno regni 12. & mense sexto, ætatis 32. Ipsius res gestas non esse pro dignitate descriptas, queritur Arrianus: ut meritò ad Sigæum felicem pronunciasse uideatur ACHILLEM, cui ab Homero præconium tributum esset. Qui tamẽ has literis prodidere, præter eundem extant Diodorus, Plutarchus, Iustinus, Curtius. Fuit cupiditatis immensæ, & magno se uinci fassus ab orbe est, ut ait Lucanus lib. 3. sed qui omne uirtutum genus, inprimis uerò eruditionem in literis, ingenti semper munificentia coleret. Exactà pueritia, per quinquennium Aristotele præceptore usus est: quem uirum & traditas ab eo do-

eo doctrinas, quanti fecerit, ostendit epistola ipsius apud Gellium lib. 20. cap. 4. Eidem ad historiam animalium conscribendam dedit talenta 800. hoc est, 480000. coronatorum. Cladem inter tot bella non nisi unam accepit, uicto Zopyrione legato à GETIS. In reditibus habuisse Alexandrum accepimus talentorum millia trecenta, cùm regia patris suppellex non nisi 60. talentorum esset, & æris alieni 500. talenta, teste Curtio (nam Plutarchus uariat) cumque nihilominus ante iter in Asiam à socijs huic pagum, illi agrum, reditum huic uici, illi portus tribueret, atque ita regijs bonis omnibus propè distributis & transcriptis, Perdiccas è rege, quid sibi reseruaret, quæreret, Alexander spes sibi retinere sese, respondit. Scribit Solinus, forma supra hominem augustiore fuisse, ceruice celsa, lætis oculis, & illustribus malis ad gratiã rubescentibus: reliquis corporis lineamentis non sine maiestate quadam decorum, uictoremque omniũ uino & ira uictum. Condi se iussit in templo AMMONIS, cuius haberi filius uolebat: sed PTOLEMÆVS corpus ab ARIDÆO Memphim deportatũ ibi detinuit, auctore Pausania: unde filius Philadelphus demum Alexandriam translatum in regiæ parte, cui inde nomen σῶμα mansit, monumento tanti regis gloria digno honorauit. Inspexisse hoc ferunt ex Impp. AVGVSTVM Cæsarem & SEVERVM: quorum ille attrectando etiam nasi particulam aliquam fregit: hic nequis in posterum uidere posset, neque quæ in monumento scripta essent, legeret, hoc occlusit. In ueneni Alexandro dati suspicionem præter Antipatrum, etiam ARISTOTELES incidit. Qua de causa postea BASSIANVS CARACALLA Imp. SEVERI F. cùm Alexandri imitator uideri uellet, & libros Aristotelis abolere conatus est, & in Aristotelicos Philosophos tantum odium habuit, ut eorum sodalitates & cætera commoda, quæ Alexandriæ haberent, sustulerit, ut est auctor Dion. De monarchia ipsius, & ortis inde regnis alijs quatuor, uaticinatur Daniel cap. 8. & 11. ubi GRÆCORVM REGEM nominat, (quod nomen & in Maccabæorum libris retinetur) ac narrat Iosephus Antiquit. lib. 11. cap. 8. monstratum uaticinium illud Alexandro post Hierosolymæ ingressum à IADDO Pontifice, eumque magnopere inde confirmatum, Iudæos tractasse cumulatè & perliberaliter, concessa ipsis αὐτονομία, & septimo quoque anno tributorum immunitate. Traditur à Plinio & Hegesippo, obstruxisse Alexandrum portas Caspias, obditis ad fores ferratis trabibus, & citra Dyriodorum amnem, qui eas subterflueret, cõmunito in rupe quadam castello Cumania, ut nempè inde arcerentur transitu in Asiam gentes Septentrionis. Sic enim de ijs Dionysius:

—ἀντ' ἀειβαλυομένας ἀπὸ πέτρας,

κλεῖδες

Κλῇδες γαίης ἀσπέτοιο, ἧχι κέλευθος
Ἐκτέτατ' ἐς Βορέηνδε καὶ ἐς νότον ἐρχομένοισιν, &c.
Has primum sub TIBERIO ſponte Hiberi aperuêre ALANIS noſtris, profecturis in ARTABANVM & Parthos. Eaſdem TARTAROS ſub Hocotio Cane ſubito impetu occupaſſe, indeq; genti ſuæ aditũ ad Aſiam patefeciſſe, ſcripſit Hayto Armenius.

CLEOPATRA, fuit in matrimonio ALEXANDRI auunculi: quo in Brutijs occiſo, & oppreſſo in Ægypto Perdicca, cui nubere cupierat, cùm certatim connubium eius ambientibus Antigono, Ptolemæo, Seleuco, ipſa Ptolemæi nuptias præferret, & fugere ad hũc in Ægyptũ conaretur, iuſſu Antigoni Sardibus interficitur. Diodorus, Plutarchus, Liuius, Iuſtinus, Oroſius.

❦ II. AVDATA Illyria, altera Philippi coniunx, è qua nata.

CYNA, collocatur à patre Amyntę patrueli: quo peremto, etſi ſecundò maritum non experiri decreuerat, deſpondetur tamen ab Alexandro fratre regi Agrianorum, Lagaro: cumq; & hoc ante nuptias mortuo, pôſt ſe ijs opponeret, qui poſt Alexandri fata regnum à familia alienare uolebant, idq; traiecto per infeſtas Antipatri copias Helleſponto, coràm Alcetæ, fratri Perdiccę, exprobraret, ab eodem de uita tollitur, & à Caſandro Ægis conditur. Polyænus, Arrianus, Athenæus. Fuit animi planè uirilis, ut quæ & exercitus duxerit, & CÆRIAM, Illyriorum reginam, prælio contendere auſam, inflicto in collum uulnere proſtrauerit, multosq; Illyriorum peremerit.

❦ III. PHILA. Athenæus lib. 13. cap. 2.

❦ IV. MEDA, Cithalæ Thracis F. Athenæus ibidem. Stephano, γετία, Getes dicitur.

❦ V. CLEOPATRA, Hippoſtrati F. Attali è ſorore neptis: è qua geniti.

EVROPA. Athenæus lib. 13. cap. 2.

CARANVS, natus paulò antè Philippi patris cædem, interficitur ab Olympiade, cruciatus in ænea peluí, ignibus circundatis. Pauſanias in Arcadicis. Iuſtinus parricidium illud ipſi Alexandro tribuit. Alij Philippum uocant.

CONCVBINÆ PHILIPPO TRES FVERE.*

* I. ARSINOE, è Philippo grauida facta, traditur Lago, apud quem

quem peperit PTOLEMÆVM, regem Ægypti, teſtibus Pauſania, Suida & Curtio. Eſtq́ hinc, quod Theocritus Eidyl. 17. Alexandri & Ptolemæi genus propagat ab Hercule & Hyllo.

✱ II. PHILINNA, ſaltatrix Lariſſæa, è qua natus.

XXIII. ARIADÆVS, cum honoratiore Philippi cognomento Babylone ab exercitu datus Alexādro ſucceſſor, regnat annos ſex, mēſes quatuor, regni procuratore aſcito Perdicca: cùm ab Olympiadis medicata potione neq́ corpore, neq́ animo compos, parum alioqui ad id munus idoneus eſſet. A' Perdiccæ cæde reuerſus in Macedoniam, eaq́ Olympiadem, quæ Alexandri filijs regnum id reſtituere ſtuderet, excluſurus, perfidioſè à ſuis deſeritur: atq́ Olympiadi traditus, huiusq́ iuſſu immaniter excarnificatus à ſpiculatoribus Thracibus, perimitur: Temenidarum è ſtirpe Amyntæ & Philippi in Macedonia rex poſtremus, quam Alexandri filijs excluſis, retinuit deinde CASANDER. Diodorus, Plutarchus, Pauſanias, Athenæus, Iuſtinus, Curtius, Oroſius. Senecæ Arrhidæus eſt.

✱ III. NICASIPOLIS, Pheræa, IASONIS Tyranni ἀδελφιδῆ, ut ſcribit Stephanus, è qua nata.

THESSALONICA, educatur Philippi patris iuſſu à Nice quadam: & capta Pidnę à Caſandro, matrimonio eius iungitur: interfecta poſt Philippi F. obitū ab Antipatro. Diodorus, Pauſanias, Stephanus, Iuſtinus, Oroſius.

ALEXANDER Magnus coniuges quatuor habuit: BARSINEN, Artabazi F. è qua naſcitur Hercules: RHOXANEN, Oxyartæ F. quæ procreauit ALEXANDRVM Poſthumum: PARYSATIDA, Ochi F. & STATIRAM, Darij Codomani F.

CONCVBINAS Diodorus ALEXANDRO tribuit 365. in quibus commemorantur: THAIS Attica, quæ poſtea nupſit PTOLEMÆO Lagi: CAMPASPE Lariſſæa, Æliano Pancaſta: qui quidem addit: ταύτῃ καὶ πρώτῃ φασὶν, ὁ Ἀλέξανδρος ὡμίλησεν. Hāc conceſsit poſtea APELLI, à quo ſolo pingi uoluerat, ut fingi à LYSIPPO, quomodo eſt auctor Cicero: Præterea CLEOPHIS, regina Mazagarum, è qua natus Alexander, teſte Iuſtino: THALESTRIS, Amazonum regina.

HERCVLES, euocatus Pergamo à Polyſperchonte ad paternum regnum capeſſendum, quod Caſander, ſublatis Olympiade & Alexādro Poſthumo, ſibi uſurpare cœperat, breui ualidas copias cogit: & in Macedoniam iam inuaſurus, ſcelere & perfidia eiuſdem pro-

pugna-

pugnatoris sui, quem oneratum promissis maximis ad id facinus Casander induxerat, trucidatur in cōuiuio, anno ætatis decimo septimo. Diodorus lib. 20. Plutarchus de uitiosa uerecundia; Pausanias, Iustinus, Orosius, ueneno à Casandro necatum scribunt.

ALEXANDER Posthumus, captus à Casandro cum auia & matre, Amphipolin asseruandus mittitur: undè cùm educēdus, & regno restituendus, uulgi sermonibus diceretur, iussu Casandri ueneno necatur. Diodorus, Pausanias, Iustinus, Orosius.

FAMILIA ANTIPATRI, QVÆ POST TEMENIDAS REGNAVIT ANNOS XXIII.

IOLAVS, seu Iulus, Macedo, è Paliura urbe, teste Suida in dictione Antipater, suscepit liberos; ANTIPATRVM & Casandrum.

ANTIPATER, militauit Philippo contra Athenienses. Ab Alexandro Græciæ & Macedoniæ præpositus, magna auctoritate utranq; regit, uictis AGIDE, rege Lacedæmoniorum, & Memnone, Thraciarū præfecto. Retinet easdem prouincias post Alexandri obitum permissu Perdiccæ: & ab Atheniensibus bello lacessitus, ad Cranonem deuictos, & præsidio coërcitos, DEMOSTHENEM & HYPERIDEM, oratores, eijcere cogit: è quibus illo in Calaurea insula uoluntaria morte defuncto, hunc in Ægina captum crudeliter iugulat, execta prius lingua. Pythoni in regia tutela suffectus, de integro prouincias ducibus distribuit, & EVRYDICEN reginam res nouas molientem quiescere cogit. Obijt anno ætatis octuagesimo: discipulus Aristotelis, neq; eruditionis expers, ut qui & epistolarum libros reliquerit, & historias condiderit. Diodorus, Plutarchus, Pausanias, Arrianus, Lucianus, Suidas, Cicero, Probus, Iustinus, Curtius, Orosius.

CASANDER, memoratur cū filia & nepte à Scholiaste Theocriti. Fuit autem ei filia Antigone.

ANTIGONE, in cuius matrimonio collocata fuerit, non traditur, sed filia ei tribuitur BERENICE. Meminit Theocritus Eidyll. 17.

BERENICE, nupsit Philippo cuidam Macedoni: cui enititur MAGAM, regem Cyrenarum, & ANTIGONEN, nuptam PYRRHO Æacidæ. Post cum Eurydice, Antipatri filia, profecta ad nuptias in Ægyptum, Regem Ptolemæum, qui cæteroquin in mulieres amore ferè ad insaniam usq; intemperante esset, sic forma sua cepit,

ut matrimonio ei mox iuncta sit, & inter coniuges illius dehinc maximè honorata, tandem etiam PTOLEMÆO Philadelpho F. regni successionem impetrârit. Plutarchus, Pausanias. Laudatur à Theocrito Eidyll. 15. & 17. Scribit Hyginus, Cononem Mathematicum primum omnium septem illas stellas, quæ ad caudam Leonis in triangulo collocatæ sunt, ab hac regina comã Berenices nuncupasse: etsi perperam Ptolemæi filiã uocat: additq́ ex Callimacho, equos eam aluisse, atq́ ad Olympia misisse: quod idem de CYNISCA, sorore Agesilai, tradidêre Xenophon & Plutarchus. Meminêre Stephanus Βερενίκη, Athenæus lib. 15. cap. 15. Laërtius in uita Demetrij Phalerei. De eius prudentia & humanitate, quã ut Ptolemæus maritus diligentius de capitalibus criminib. cognosceret, effecit, Ælianus lib. 14. cap. 43.

RELIQVIT ANTIPATER sobolem numerosam, etsi matrimonium eius ignoratur: de qua hanc instituo seriem: CASANDER, PHILA, Alexarchus, Philippus, Iolaus, EVRYDICE, NIGÆA, Plistarchus, Nicanor, Agathon.

I. CASANDER, Cariæ satrapiæ à Perdicca præpositus, patris eam beneficio retinet, & Tribunus adiungitur Antigono. Erepturus Polysperchonti Macedoniam, quam Antipater moriturus huic commendauerat, profugit ad ANTIGONVM in Asiam, & copijs ab eo auxiliaribus instructus, haud multò pòst accersitur contra Olympiadem ab ARIDÆO & Eurydice: quibus etsi opitulari nequiuit, tamen & acerrimè eos ultus est, & quod iam antè conceperat in Alexandri domum odium, ita effudit, ut Olympiade mox interfecta, Alexandrum Posthumũ in custodiam datum per Glauciam ueneno necârit, cumq́ Hercule potiri non posset, ad cædem eius Polysperchontem subornârit: atq́ ita Philippi posteritate deleta, Macedoniam sibi uendicârit, regia etiam dignitate non quidem nomine (nam ea re sola modestiç ac moderationis nonnihil ostendit) quod post Antigonum hostem & Ptolemæus, & Seleucus, & Lysimachus, socij, sibi arrogârant, sed potestate usus. Etenim oblitus beneficiorum, quibus ab Antigono ornatus fuerat maximis, cum his in illum coniurauit, quòd Eumenianam is prædam sibi soli uendicaret, & monarchiam uideretur affectare. Omnium quæ gessit laude dignissimum est, quòd THEBAS instaurauit: etsi & hoc aliqui magis odio ALEXANDRI ab eo factum uolunt, quàm quòd Thebanorum calamitate admodũ afficeretur. Quòd tantum tamq́ pertinax òdium inde ortum scribũt, quòd cùm ad Alexandrũ missus in Asiam, ut quam de Antipatro conceperat ille insidiarum & affectati imperij suspicionem, dilueret, Barbarorum in adorando rege ineptias risisset liberiùs, is iratus utraque manu arrepti caput parieti illiserat. Eius enim facti memoria cum tanta acer-

ta acerbitate & metu deinde animo hominis insedit, ut cùm Macedonia & Græcia iam potitus, Delphis aliquando statuā Alexandri conspexisset, subitò perculsus, toto horruerit tremueritq; corpore, eaq; animi æstuatio uix sedari potuerit. Perijt aqua intercute, erumpentibus toto corpore uermibus, cùm regnasset annos 19. Diodorus, Plutarchus, Pausanias, Polyænus, Iustinus, Orosius. E Macedonicis regibus primum ipsum oppugnasse GALLOS, Plinius tradidit: cum quibus postea PTOLEMÆVS κεραυνὸς, successor LYSIMACHI, prælio contendere ausus, ingenti clade acceptà, uiuus in hostiū potestatem peruenit, habitusq; crudeliter, iugulatur, & caput ipsius hastæ impositum ad cæterorum terrorem circumfertur.

PHILA, Antipatri filiarum natu maxima, primùm nupta fuit CRATERO, deinde DEMETRIO Poliorcetæ: quem militū defectione regno Macedoniæ spoliatum aspicere priuatum haud sustinens, hausto ueneno uitam claudit. Plutarchus in Demetrio. Prædicat uirtutē eius eximiam Diod. lib. 19. his uerbis: Hæc fœmina prudentia excellere uidebatur: nam & si qui erant in castris turbulēti, eos sedabat, sese erga unumquenq; sic gerens, uti conueniebat, & sorores filiasq; pauperum elocabat suis sumtibus, multos etiam calumnijs appetitos liberabat à periculis. Fertur & Antipatrum eius patrem (qui uidetur prudentissimus fuisse eorū, qui potentatu potiti sunt) eadem ætate, cùm puella esset adhuc Phila, solitum cum ea de maximis consultare negotijs. Hactenus Diodorus.

ALEXARCHVS, condidit Vranopolin, & nouum idioma introducere conatus est. Athenæus lib. 3. cap. 10.

PHILIPPVS, iuuit necem Alexādri Magni. A' Casandro missus contra ÆACIDEM Molossum & Ætolos, uno die utrosq; debellat, & Æacidem uictum acie occidit. Diodorus, Iustinus, Curtius.

IOLAVS, fuit pincernarum princeps apud Alexandrum, quem necasse ueneno creditus est, idq; consilio & iussu patris, qui uenenum illud, quam aquam è rupe quadam Nonacridis aiunt fuisse gelidissimam, ei transmiserat; ac disiecit propterea defuncti ossa Olympias. Diodorus, Plutarchus, Arrianus, Iustinus, Curtius, Orosius, Ouidius in Ibin.

EVRYDICE, collocatur à patre PTOLEMÆO Lagi. Plutarchus, Pausanias, Laërtius.

NICÆA, nupta LYSIMACHO, Niceæ Bithyniæ de se nomen relinquit. Nam antea ab Antigono conditore Antigonia diceba tur. Strabo lib. 12. Meminēre Suidas & Stephanus νίκαια. Liuius Decad. 4. lib. 5. perperam Cratero nuptam fuisse, ait.

PLISTARCHVS, præfectus equitatui & militi conductitio,

ſuperatur ab Athenienſibus equeſtri certamine: nec meliorem deinde in mari fortunam expertus, amittit tempeſtate copias, quas LYSIMACHO adducturus erat. Poſt Antigoni cædem donatus à regibus Cilicia, pellitur rurſus à Demetrio Poliorcete. Diodorus, Plutarchus, Pauſanias.

NICANOR, occiditur ab Olympiade. Diodorus.

AGATHON, datur Antigono obſes à Caſandro. Diodorus.

CASANDER in matrimonio habuit THESSALONICEN, PHILIPPI Amyntæ notham filiam, è qua ſuſcepit filios tres, PHILIPPVM, ANTIPATRVM & ALEXANDRVM.

II. PHILIPPVS, patri in regno ſuffectus, non multò pòſt tabidi corporis lue interit. Pauſanias in Bœoticis, Iuſtinus, Oroſius.

III. ANTIPATER, diuidit regnum cum Alexandro fratre, & matrem peroſus, quòd plus huic, quàm ſibi, beneuolentiæ impertiret, ſua eam manu obtruncat. Icirco bello ab Alexandro petitus, confugit ad Lyſimachum ſocerum: cuius fraude cùm ademptum ſibi regnū quereretur (nam ne GETAS & Demetrium ſimul haberet hoſtes Lyſimachus, regni partem, quæ Antipatro obuenerat, tenere Demetrium permiſerat) iuſſu eius interimitur. Plutarchus, Pauſanias, Iuſtinus, Oroſius.

FVIT cum Antipatro nupta EVRYDICE, Lyſimachi regis F. Iuſtinus.

IV. ALEXANDER, matris indignam cædem uindicaturus, euocat in Macedoniam Pyrrhum & Demetrium, cumq; illo neglecto, hunc propter auctoritatem eius & gloriam mox retrocedere iuberet, & ſubortis inde utrinq; ſiniſtris ſuſpicionibus, tollere illum ſtuderet per inſidias, præuentus eo conatu, trucidatur in conuiuio. Plutarchus in Demetrio, Pauſanias in Bœoticis, Iuſtinus lib. 16. Regnatum uerò à fratribus hiſce annos.

FAMILIA ANTIGONI, QVÆ POSTREMA IN MACEDONIA REGNAVIT ANNOS CXIX: QVIBVS SI ADDATVR TEMPVS, QVO POST DEMETRIVM regnum idem tenuerunt PYRRHVS, LYSIMACHVS, PTOLEMAEVS ΚΕΡΑΥΝΟΣ, MELEAGER, ANTIPATER, SOSTHENES, prouenient anni CXXVII. menſes IX. dies XLV.

PHILIPPVS, Macedo, è Temenidarum proſapia, nihil de ſe memoria dignum reliquit. Nam quantopere hallucinentur, qui cum Philippo Amyntæ eundem faciunt, ſuprà oſtendimus.

GENI-

GENITI ſunt Philippo, ANTIGONVS & Demetrius: quibus addunt alij fratrem uterinum, Marſyam.

ANTIGONVS. I. cognomento μονόφθαλμος καὶ κύκλωψ, ut eſt apud Ælianum, duxit ordines ſub Philippo & Alexandro: cumque poſtea Phrygiæ ſatrapiæ præpoſito inſidiæ fierent à Perdicca, cuius conſilia de occupanda monarchiâ olfecerat, clàm abit in Macedoniam ad Antipatrum, ac cum eo itemque Cratero & Ptolemæo fœdere contra Perdiccam inito, nec multò poſt hoc à ſuis iugulato in Ægypto, ſummum regiarum copiarum imperium obtinet, & EVMENEM, quē ob Crateri cædem, & propugnatas Perdiccæ partes, hoſtē Macedones iudicârant, Argyraſpidum proditione captum, occidit. Inde mox inſolentior factus, & Babylonem SELEVCO auſus eripere, & diuiſionem prædæ ac prouinciarum, quas de Eumene pepererat, ſocijs, hoc eſt, Ptolemæo & Caſandro denegare, bello ab his petitur. In quo cùm Demetrius F. Ptolemæi claſſem ad Cyprum deuiciſſet, primus omnium ex Alexandri Ducib. Regem ſe ſalutari, & diademate redimiri paſſus fuit, communicatâ eadem dignitate cum filio. Variante deindè circa partes fortuna, ut bello finē adderet, & aduerſarijs euerſis, quos arroganter deſpiciens, inſtar auium Spermologorum uel lapidum iactu diſsipaturū ſeſe iactabat, monarchia ſolus potiretur, ſummis cum hoſte copijs ad Ipſum Phrygiæ prælium init, ac poſt certamen maximè cruentum demum deuictus, multiſque confoſſus iaculis, morte occumbit, anno ætatis octogeſimo, ſeu ut alij habēt, octogeſimo primo. Diodorus, Plutarchus, Pauſanias, Polyænus, Ælianus, Appianus, Lucianus, Probus, Iuſtinus, Oroſius. Clementiam Antigoni & moderationem prædicat Seneca lib. 3. de ira cap. 22. In Chœrilum Poëtam, cuius de Alexādro uerſus Horatius notat tanquam incultos & malè natos, quotidie cōtulit minas quatuor, hoc eſt, coronatos 40. teſte Athenæo. Qua eadem munificentia erga Chœrilum Samium ὁμώνυμον uſos accepimus Athenienſes, datis pro poëmatis ipſius, quo uictoriā contra XERXEM deſcripſerat, uerſibus ſingulis ſtatere aureo: Octauiam, ſororem Auguſti Cæſaris, erga Virgilium: Antoninum Philoſophum Imp. erga Oppianum. Argyraſpidum in Eumenem perfidiā ita ultus eſt, ut Ibyrtio, Arachoſiæ præfecto, traditos quibuſcunque modis abſumi & interfici iuſſerit, ne quis eorum in Macedoniam redire, aut etiam Græcum mare aſpicere poſſet. Vt DEMETRIVM F. inſolentius erga ſubditos ſe gerentem compeſceret, An non, inquit, nouiſti fili, noſtrum regnum nobilem eſſe ſeruitutem? Ipſius τὸ φιλότιμον etiam Alexandro ſuſpectum fuiſſe, ſcripſit Ælianus.

DEMETRIVS, nominatur à Plutarcho in Demetrio. Sepul-

turæ eius meminit Diodorus lib. 19. Reliquit filios duos, PTOLEMÆVM & Dioscoridem.

PTOLEMÆVS, datur ab Antigono obses Eumeni. Hoc ab suis prodito, ad patruum reuertitur, ac cum exercitu missus in Cappadociam, Amisi urbis obsidionem soluit, receptaq; satrapia, ZIPOETEM, Bithynorum regem, qui contra Chalcedonios bellum fecerat, quiescere, pacisq; accipere conditiones cogit, & Eupalemum, Ducem Casandri, ex insidijs oppressum capit. Pro quibus meritis minus sese ab Antigono honestari atq; augeri existimans, deficit ad Casandrum & Ptolemæum: cumq; Hellesponti satrapia Phœnici cuidam commendata, deportasset se ad Ptolemæum, & insolentiùs apud hunc sese gerere, & muneribus colloquijsq; Ducum animos sibi conciliare, cœpisset, in proditionis suspicionem uocatus, ac custodiæ traditus, cicutam bibere cogitur. Diodorus.

DIOSCORIDES, præficitur clasi ab Antigono. Diodorus libro 19.

MARSYAS, Periandri F. Antigoni frater uterinus, educatus cum Alexandro M. scripsit Macedonica libris decem, Attica libris 12. & ipsius Alexandri educationem. Diodorus, Athenæus, Suidas. Citatur à Plutarcho in Demosthene, meminitq; idem in Apoph. Phlegon Trallianus Craterum nominat.

ANTIGONO coniugem attribuunt Diodorus & Plutarchus Stratonicen, Corrhæi F. è qua liberos suscepit, DEMETRIVM. I. & Philippum.

I. DEMETRIVS. I. ab urbiũ exitio, ut inquit Seneca, cognominatus πολιορκήτης, nauauit fortem patri operam contra Ptolemæum: quo Syria eiecto, Græciam classe adit, ac seruitute liberat, & oblatam tum ab Atheniensibus dignitatem & nomen regium, tandem post naualem ad Cyprum de Ptolemæo uictoriam mandato patris, qui diadema ipsi misisset, repetit. Hinc Rhodios adortus, quòd cum Ptolemæo fœdus & amiciciam haberent, Protogenis pictoris opus quoddam in Ialysi suburbio inuentum studiosè conseruat, cum hoste, non cum artibus sibi bellum esse dictitãs: & omnia frustra molitus, pacem eis Atheniensium rogatu concedit. Quibus Atheniensibus cùm pulso CASANDRO libertatem iterum confirmasset, eademq; Peloponnesi ciuitates aliquot frui iussisset, Philippi & Alexandri exemplo DVX GRÆCORVM proclamatur. E' prælio ad Ipsum fuga Ephesum delatus, ac ne Dianæ templum, donis ibi opulentissimum, à militibus uiolaretur ueritus, in Græciam festinabundus traijcit. Vbi cùm Athenis receptis, & cum SELEVCO contracta affinitate, euocaretur in Macedoniã ab Alexandro, Casandri F. regredi mox iussus,

ſus, etiam inſidijs ſe peti intelligeret, in auctorem eas retorquet, & uocatum Alexandrum ad conuiuium occidit: regnumq́ ad ſe translatũ tenet annos ſex: deuictis interea Bœotis & Spartanis, ac Pyrrhi excurſionibus repreſsis. Tandem inuaſurus in Aſiam, ut paterna regna recuperaret, imparatus adhuc opprimitur à Pyrrho & Lyſimacho, & dedere ſe aliquanto pòſt coactus Seleuco genero, in Syriæ peninſula quadam per triennium captiuus aſſeruatur: habitus toto hoc tempore, hoc eſt, ad mortem usq; prolixè & liberaliter: quam obijt ætatis anno quinquageſimo: ſepultus ab Antigono F. Demetriade. Diodorus, Plutarchus, Pauſanias, Appianus, Suidas, Polyænus, Probus, Iuſtinus, Oroſius. De bello Rhodio & Protogenis opere uariat nonnihil Gellius lib. 15. cap. 21. Humanitatem Demetrij & munificentiam erga STILPONEM Megarenſem, referunt Laërtius & Seneca. Nam captis Megaris, bona ei reſtituit uniuerſa. Tametſi homo philoſophus beneficium hoc adeò paruí duxerit, ut regi quęrenti, nunquid perdidiſſet, Omnia ſua bona ſecum eſſe, nec quicquam à ſe amiſſum, diceret: intelligens ſcilicet eruditionem præclarã in literis, & eloquentiam, quæ adimi ſibi nullo pacto poſſent. Cicero & Valerius Maximus hæc etiam tribuunt BIANTI Prienenſi, qui tempore multò antiquior unus fuit è ſeptem Græciæ Sapientibus.

PHILIPPVS, patris diligentia inter militarem licentiam educatus liberaliter, mittitur in Helleſpontum, ut cõtra Phœnicem, cui ſatrapiam hanc commendàrat Ptolemæus patruelis, & rebelles cæteros bellum gereret. Moritur in Phœnicia poſt uictoriam fratris ad Cyprum, & ſepultura regia afficitur. Diodorus libro 20. Plutarchus maturè ipſum obijſſe, ait.

CONIVGES DEMETRII POLIORCETÆ A PLVTARCHO QVINQVE NOMINANTVR.

I. PHILA, è qua nati ſunt, ANTIGONVS Gonatas & STRATONICE.

II. ANTIGONVS. II. cognomẽto Γονατᾶς, uicit Thebanos, qui poſt patris expeditionem in Thraciam, quam capta à DROMICHETE Lyſimachò, occupare nitebatur, defecerant. Ab eodem cum exercitu in Græcia relictus, captũ à Seleucò pietate & ſtudio eximio liberare cõtendit, omnia quæ ſupereſſent, & primo loco ſeipſum offerens obſidem: & reiectus ab eo, demum cum Antiocho F. pacem confirmat, ac Macedonia recepta regnat in uniuerſum annos 36. Etenim à Gallis, Pyrrho, & filio huius Alexãdro, deuictus, bis regno exuitur: iactatus cęteroquin per omnẽ uitã uarijs & mirificis fortunę caſib.

Polybius,Pausanias,Ælianus,Suidas,Hesychius, Valerius,Iustinus. Quibus artibus Acrocorinthum & ceperit,& amiserit, narrãt Plutarchus in Arato,Polyænus lib.4.& 6. Addunt Pausanias & Eusebius, Athenas deditione Antigonum cepisse, & præsidium, quod in Museo illis imposuerat,non multò pòst ultrò deduxisse: retentis tamẽ Piræeo,Munychia & Salamine. Casandriam recepit per Aminiam, pulso APOLLODORO Tyranno. Fuit studiosissimus ZENONIS Cittiei,Stoicorum principis,& scriptis ad illum literis, cur erudiri ab eo in opt. artium studijs cuperet, hoc subiungit epiphonema: Cuiusmodi princeps fuerit,tales utplurimũ subditos fieri, necesse est, testibus Æliano & Laërtio. Lucianus μακροβίοις Antigonum annos 40. Macedoniæ imperasse, uixisse octuaginta,scribit.

STRATONICE, collocata SELEVCO Nicatori, & iam filium ei enixa, incesto & furioso amore ab ANTIOCHO priuigno amatur: cumq; is præ pudore morbum animi prodere minimè ausus,corpore etiam letaliter decumbere cœpisset,sponte ipsi à Seleuco permittitur,edocto ea de re ERASISTRATI Medici sagacitate. Plutarchus,Appianus, Suidas, Valerius. Meminit Stephanus στρατονίκεια,Lucianus in Icaromenippo & de Dea Syria. Variat de tota eius historia Agatharchides apud Iosephum lib.1.contra Apionem.

II. N. ἀνώνυμος Illyria,altera DEMETRII coniunx,è qua natus Demetrius,cognomento Tenuis. Plutarchus in Demetrio.

III. PTOLEMAIS,Ptolemæi Lagi F.peperit Demetrium.

DEMETRIVS, euocatus Cyrenen ad connubium Berenices, MAGÆ regis F. interficitur in Arsinoes reginæ concubitu, sponsa percussores ei immittente. Plutarchus,Iustinus. Meminit Laërtius in Arcesilao.

IV. DEIDAMIA, Pyrrhi F. è qua natus Alexander, uixit in Ægypto. Plutarchus.

V. EVRYDICE, proneptis MILTIADIS,è qua natus Corrhabus. Plutarchus.

CONCVBINÆ DEMETRII Poliorcetæ memorantur: LAMIA, Cleanoris F. tibicina, è qua nata Phila: LAMIA & LEÆNA, Athenienses: DEMO, cognomento Mania: de quibus Plutarchus in Demetrio, Athnnæus lib. 13. cap. 13. Clemens Alexandrinus in oratione adhortatoria ad gentes.

IVSTINVS Demetrij liberis addit Eumenẽ, de quo nihil præterea in literas relatum reperimus.

ANTIGONI Gonatæ coniunx, PHILA, nominatur à solo

Stepha-

Stephano, φίλα; unde nascitur filius unicus, DEMETRIVS. II. Athenæus addit amicam DAMO, quæ peperit Alcyoneum.

III. DEMETRIVS. II. recuperat Macedoniam, patri ab Alexandro Epirota ademtã, ab eiusq; obitu regno potitus, imperat annos 10. Gessit de Acrocorintho cum Achæis bellum: quibus cùm adiunxissent sese Ætoli, conatu eo frustratur. Fuit etiã res illi cum LANGARO, rege Dardanorum, cui genti nomen fortè dedère Daci seu DANI: estq; appellatio Langarus è nostra lingua desumta. ARATVM Sicyonium Athenis insidiantem per Bithonem ducem prælio uicit, & missis legatis, tanquam pacis perturbatorem dedi sibi ab Achæorum concilio postulauit. Polybius, Plutarchus, Liuius, Iustinus. Meminit Stephanus in dictione φίλα, & nominis illius oppidum ad Peneum fluuium ipsum condidisse, & à matre denominasse, ait.

ALCYONEVS, mittitur subsidio Argiuis conta PYRRHVM: cuius ab ijsdem interfecti caput cùm ad patrem attulisset, obiurgatus ab illo grauissimè, sceptroq; percussus, moderatè uictoria uti, & quibus fortunæ telis omnis uita nostra proposita sit, meminisse iubetur. Occumbit tandem in prælio quodam: cumq; ex acie mortuus ad Antigonum relatus esset, ille casum hunc ea moderatione tulit, ut neq; uultum mutârit, neq; lacrymas profuderit, sed collaudatum filium, quòd ut fortis miles oppetijsset, sepulcro mandari iusserit. Plutarchus, Ælianus, Athenæus, Valerius. De eodem Laërtius in Arcesilao.

ALCYONEO procreatos censemus, ANTIGONVM Dosonem & Echecratem. Quippe nominat Antigonum Philippi ultimi patruelem Pausanias: & hunc fratrem habuisse Echecratem, è Liuio constat.

IV. ANTIGONVS. III. cognomento Tutor καὶ Δώσων καὶ ἐπιτρόπος, Philippo impuberi tutor à Macedonũ primoribus datus, moderatione sua, & quòd utiliter Reipub. præesset, Rex ut crearetur, impetrat, regnatq; annos 15. Ab ARATO Sicyonio euocatus contra CLEOMENEM, regem Lacedæmoniorum, recepit Acrocorinthum, & uictum illum ad Sellasiam Græcia expellit: Spartaq; mox in potestatem redacta, & humaniter ciues tractat, & leges ac Rempub. eis reddit. Regressus inde in Macedoniã, quam Barbari interea depopulati fuerant, prædãdo dispalatos illos ex improuiso adoritur, & uehementibus inter cædendũ usus clamoribus, paucis pòst diebus sanguinis profluuio uictor interit: ingenti spe fraudatis Græciæ populis, quam de ipso non tam ob armorum usum, quàm propter uirtutem atque integritatem regiam conceperant. Polybius, Plutarchus, Pausanias, Athenæus, Suidas, Liuius, Iustinus. Loquitur de hoc Cicero Offic.

Offic.lib.2.ubi epistolarum libros ipsius citat ad Philippum F. Huius enim matrem uxorem duxerat.

ECHECRATES, memoratur à Liuio lib.10.Decad.4.

ANTIGONVS, edocet Philippum de Persei in Demetrium insidijs: ideoq; regni successioni ab illo destinatus, nefariè à Perseo occiditur. Liuius lib.10.Decad.4.

DEMETRIO. II. coniuges fuêre, NICÆA, de qua Plutarchus in Arato, Polybius lib.4.& PHTHIA, Alexandri Epirotæ F. Pyrrhi neptis, teste Iustino, è qua nascitur filius unicus, Philippus.

V. PHILIPPVS, recipit regnum Antigoni obitu, cui præfuit annos 42. Lacessitus bello à Dardanis, prælio uictos compescit. Mox cum Achæis socijs Ætolos aggressus, utrosq; premere cœpit: cumq; DEMETRII Pharij hortatu cum ANNIBALE fœdus iniuisset, Romanorum bellum attrahit, quos Ætoli euocatos sibi adiunxerant: & post clades aliquot leuiores pacem petere cogitur. A quo tempore Græciæ rebus uehementiùs incumbens, cuius claues nuncupabat Corinthum, Chalcidem ad Euripum & Magnesiam, urbes præsidio à se firmatas, crudeli latrocinio infestat Athenienses, liberatos Macedonum dominatu post DEMETRII. II. obitum ab ARATO: cumq; illi tanto hosti impares, Romanos denuò accersiuissent, duobus prælijs pedestribus & nauali uno deuictus, mulctatur Græcorum ciuitatibus, quas tam in Asia, quàm in Europa tenuisset, item classe & talentis mille: etsi pecunia hæc postmodũ suasu T. QVINCTII ei remissa est: cuius eiusdem opera & societatem & filij Demetrij reditum impetrauit. Ergo & in bello ANTIOCHI Magni pro Romanorum partibus propugnat: Athamanum regnum armis occupat. Quo paulò pòst exutus iterum, implacabile contra Romanos odium concipit, & Bastarnis sedibus excitis, quos Dardanis deletis Italiæ immissurus erat, bellum his facere denuò cogitat. Eo conatu domestico Persei scelere interturbato, à quo Demetrium F. falso accusatum necari iusserat, animi mœrore extinguitur. Polybius, Plutarchus, Pausanias, Suidas, Liuius, Florus, Iustinus, Eutropius, Orosius, Silius, Claudianus. Adolescens omnium habuit studia propensissima, quòd indole uideretur egregia: quam pòst tanta immanitate commutauit, ut in conuiuijs etiam, dum mutuis de more poscerent pocula, mortiferas potiones propinaret, & in leuissimis duceret noxis, ueneno hominẽ tollere. ARATO apertè uim inferre ueritus, Taurionem quendam in necem eius subornauit, & filio ἰωπώνῳ uenenis de potestate mentis deturbato mortem miserrimam attulit: cùm antea uxori huius Polycratiæ uitium clàm obtulisset. Idem edere scelus tentauit

tauit in PHILOPOEMENEM, & insidijs patefactis, in Græcorum odium ingens incidit. Atque ceu symboli loco usurpauit Herodoti illud: Stultum esse, qui patre interfecto, liberis parceret. 1. Maccab. 8. nominatur cum Perseo F. Rex Citiorum.

A PHILIPPO suscepti sunt liberi: PERSEVS, DEMETRIVS & Filia ἀνώνυμος.

VI. PERSEVS, parricidio & fraude regnū adeptus, principio gerit se laudabiliter, reuocatis in Macedoniam, qui uel ob regia crimina profugerant, uel iudicio condemnati erant, & à nexo solutis, qui fisco debebant. Vnde ingentem plurimorum fauorem cōsecutus, acriter in Romanum bellum, ad quod pater immensos thesauros congesserat, incumbit, ui fraudeque socios eorum impugnans: in quibus EVMENEM Regem Delphis per insidias tollere conatus est. Quare hostis à Romanis iudicatus, & post Crassum Procōs. deuictum ab omni spe pacis exclusus, maximo tandem ab L. ÆMILIO PAVLO prælio uincitur ad Enipeum fluuium, & retractus è fuga, Romam captiuus in triumpho abducitur, Macedonia in prouinciam redacta: postquam regnârat annos 10. Obijt Albæ in custodia libera, cùm post annos decem miserrimam in ea uitam egisset, elatus funere publico. Diodorus, Plutarchus, Appianus, Suidas, Zonaras, Liuius, Florus, Eutropius, Orosius, Valerius. Sunt qui Argiuum fuisse, & humili loco, nempe matre Gnathænio sartrice, prognatum, à Philippi coniuge suppositum, putant. Cùm caperetur ab Æmilio, habuit in thesauris talentorum 6000. teste Suida: homo auaritia sordidus, & timiditate ad omne genus crudelitatis pronus, quæ tanta in eo fuit, ut præter structas fratri insidias coniugē sua manu iugulârit, ut est apud Liuium.

DEMETRIVS, datur à Philippo obses Romanis: à quibus gratis in Macedoniam remissus, mirificè popularium animos sibi deuincit, Romanis iam antè ob uirtutem acceptissimus. Iccirco à Perseo fratre, qui nullam iam sibi regni superesse, nisi in scelere existimaret, fictis criminibus coram patre accusatus, iussu huius Heracleæ ueneno necatur. Plutarchus, Appianus, Liuius, Iustinus, Eutropius, Orosius.

N. FILIA, nupsit PRVSIÆ, regi Bithyniæ. Liuius Decad. 5. lib. 2. Appianus in Mithrad.

PERSEO generantur: Philippus, Alexander, & Filia ἀνώνυμος: qui capti cum patre, Romæ unà in triumpho circumducūtur: cumque Philippus cū sorore in carcere interijsset, Alexāder tornandi subtiliumque operū artifex euasit, & Romanis literis imbutus, magistratibus se scriptorem solertem & gratiosum præbuit. Plutarchus in Æmilio, Iustinus lib. 33. Ammianus lib. 14. Orosius lib. 4. cap. 20. Liuius Philippum

natura fratrem, adoptione filium PERSEI fuisse, dicit.

¶ SVBIICIO Antigoni familiæ ANDRISCVM & ALEXANDRVM, qui fraudulenta calliditate inde se oriundos simulantes, ad regij nominis decus ea occasione peruenêre.

ANDRISCVS, cognomento PSEVDOPHILIPPVS, Adramyttij natus patre fullone, uenditat se pro Persei filio, persuasus ad id & subornatus à DEMETRIO. I. Rege Syriæ: cumque Romæ contemtus, in Macedoniam se deportasset, magno populi studio excipitur, & adiutus à Thracibus, Iuuentium Prætorem acie uictum occidit, regno inde potitus tantummodo annũ unum. Nam grauiore mox bello petitus à Q. Cæcilio Metello, magna strage deuincitur, & proditus à BYZO, Thraciæ regulo, ad quẽ se profugus receperat, Romam captiuus in triumpho abducitur, & duriore Macedones seruitute mulctantur, cùm antea non nisi dimidium tributorum, quæ reges habuerant, Romanis pependissent. Paterculus, Valerius, Florus, Eutropius, Orosius, Ammianus, Eusebius, Zonaras. Pausanias in Achaicis Persei filium facit. Appianus in Libyco summam ei fortitudinem tribuit, & cladem ipsius refert in annum primum Olympiad. 160. Meminit Iulius Obsequens.

ALEXANDER, cognomento PSEVDOPERSEVS, & ipse se Persei filium fingens, 17000. hominum exercitum colligit, ac congressus cum Tremellio Quæstore, interficitur in acie. Eutropius libro 4. Florus in Epit. libro 53. Zonaras libro 2. Lucianus Tom. 2. pag. 736. Pseudalexandrum uocat.

FAMILIA LYSIMACHI, CEV COROLLARII LOCO ADIECTA: E QVA IS SOLVS REGNAT POST DEMETRIVM

Poliorcetem ann. 5.

AGATHOCLES, Pellæus, quomodo est apud Pausaniam & Arrianum, reliquit liberos, LYSIMACHVM & Philippum.

LYSIMACHVS, fuit inter custodes corporis Alexãdri: à quo irato in eandem cum leone caueam inclusus, manum amiculo inuolutam in os beluæ immergit, arreptaque lingua eam exanimat. Hac animositate & ipsi regi carior factus, & ab omnibus in admiratiõne habitus, mortuo illo præponitur à Perdicca Satrapiæ Thraciæ. Vbi cùm Odrysis deuictis, profectus esset in GETAS & DROMICHETEM, ingenti prælio deuictus (nam ad 100000. cecidisse ex exercitu eius scribunt) uiuusque captus, liberaliter rursum dimittitur. Pertractus à CASANDRO ad belli societatem contra ANTIGONVM,

NVM, tandem & huius, & sociorum exemplo regiam sibi dignitatẽ uendicat, auctaq; dehinc & confirmata Antigoni occasu potentia in Asia, Demetrium è Macedonia paternos principatus repetiturum regno pellit, & Pyrrho & Antigono Gonata deuictis, tenet id annos quinq;. Postremum bellum gessit cum SELEVCO, quem ob Lysandram nurum & PHILETAERVM susceptos, habere suspectum cœperat: in quo infeliciter cum hoste congressus, in ipso prælio magna clade accepta occumbit, annó ætatis septuagesimo quarto, seu ut alij habent, octuagesimo, Olympiad. 124. Polybius, Diodorus, Plutarchus, Pausanias, Eusebius, Plinius, Lucianus, Probus, Curtius, Orosius. Sęuitiam eius in Telesphorum Rhodium ob dicterium quoddam in Arsinoën coniugem, notat Seneca libro 3. de ira cap. 16. auaritiam Athenæus. Stephanus Ephesum urbem, maris inundatione submersam, loco alio à Lysimacho conditam, & nouo Arsinoes coniugis nominẽ cognominatam, ait. Meminit eiusdem rei Pausanias in Atticis. Quo stratagemate Pœoniam occupârit, docet Polyænus lib. 4.

PHILIPPVS, comitatus Alexandrum ad expeditionem Indicam, & in Naura regione per 200. stadia festinantem & desertum iam à reliquis nobilibus pueris secutus, etiã à Barbaris, qui in insidias pertractum telis undiq; petere cœperãt, defendit fortiter: cumq; ex tanto labore uiribus deficientibus, arboris proximæ stipiti se applicuisset, neq; adminiculo illo sustinente, manibus regis exceptus fuisset, inter has collapsus, extinguitur. Iustinus lib. 15. Curtius lib. 9.

CONIVGES LYSIMACHI AB AVCTORIBVS QVATVOR REFERVNTVR.

I. MECRIDA, Odrysias, è qua geniti, AGATHOCLES, Alexander, & ARSINOE.

AGATHOCLES, militauit patri contra Getas & DEMETRIVM: atq; ob præclaram uirtutem successor ab eodem nominatus, fraude Arsinoës nouercæ, quæ adolescentis amore capta, pellicere ipsum ad obsequium nequiuerat, ueneno necatur. Plutarchus, Pausanias, Appianus, Iustinus, Orosius.

FVIT cum Agathocle LYSANDRA, Ptolemæi Lagi F. teste Pausania.

ALEXANDER, ueritus patris crudelitatem ob necẽ AGATHOCLIS fratris, profugit cum LYSANDRA in Asiam, & occupato Cotilio Phrygiæ, ad SELEVCVM se recipit: à quo cùm paulò pòst patrem prælio uictum & cæsum ad sepulturam recepisset,

pisset, honorificè illum Lysimachiæ condit. Polyænus, Appianus, Pausanias.

ARSINOE, fuit cum Ptolemæo Philadelpho: & liberorũ trium ex eo mater facta, tandem cum Amynta & Chrysippp Rhodio in necem eius cõspirat: quo tam nefarij facinoris conatu prodito, Coptum Thebaidis relegatur. Pausanias, Scholiastes Theocriti. Eustathius à Stephano dissentiens ab hac Arsinoë Ephesum cognominatam Arsinoën, scribit.

II. NICÆA, Antipatri F. è qua nascitur.

EVRYDICE, fuit nupta cum Antipatro, Casandri F. cuius cædem cùm deploraret acerbiùs, à patre in custodiã traditur. Iustinus.

III. ARSINOE, Ptolemæi Lagi F. unde nati filij tres.

PTOLEMÆVS. LYSIMACHVS. PHILIPPVS.

Interficiũtur à Ptolemæo κεραυνῷ auunculo, qui regno ipsorum, & Casandriæ urbis imperio, inhiaret. Iustinus lib. 24.

IV. AMASTRIS, Darij Codomani è fratre Oxyatre neptis: quæ cùm antea fuisset in matrimonio DIONYSII, Tyranni Heracliensis, dotis loco Heracleam ad Lysimachũ attulit. Diod.

IVSTINVS, LYSIMACHVM liberos 15. ante obitum casibus uarijs amisisse, ait, sed non additis ipsorum nominibus. Meminit etiam filiæ Lysimachi Pausanias, quam à Getis captus desponderit DROMICHETI, concessa insuper Thraciæ parte ea, quæ est trans Istrum.

REGNA

REGNA CAETERA AD TERTIAM MONARCHIAM PERTINENTIA.

ALEXANDER moriturus regni successorē nullum nōminarat, præterito etiam filio Hercule, iam è BARSINE genito. Ea res funestam accendit ducum æmulationem: PERDICCA pro rege creando contendente, Ptolemæo uerò regni diuisionem urgente. Itum tamen in sententiam Perdiccæ est: & REX ARIDÆVS, ipse copiarum regiarum dux summus renunciatur. Qua retrahendæ ad se monarchiæ homo ambitiosè inflatus occasione usurus, opprimitur cōspiratione ANTIPATRI, ANTIGONI, & PTOLEMÆI. Ex his posterioribus duobus pòst ob Seleucum pulsum rursus in se cōuersis, & præter eundem Seleucum cum Ptolemæo coniuncto CASANDRO, extitere inde regna, quæ sanctorum uatum oracula prænunciauerant, hoc est, ASIATICVM Antigoni, ÆGYPTIVM, MACEDONICVM, SYRIACVM. Nam ut Lysimachus tum pro Casandro militabat, ipsaq; ei postmodo Macedonia cessit, ita Asia tandem à Seleuco tota occupatur, Antigoni familia uix in Macedonia se cōseruante. Et Cyrenaicum OPHELLÆ & MAGÆ regnum, tantùm Ægyptij portio fuit. Occupârat autem inter hosce tumultus Bithyniam ZIPOETES Thrax, in quē profectus Ptolemæus, dux & propinquus Antigoni, etsi clade graui castigatū ab Chalcedone depulit, regnum tamen ei reliquit. In eodem tempore defecit ab Antigono MITHRADATES κτίστης, qui fuga in Pontum reuersus, regnum ibi maiorum uetus recuperatum instaurauit. Et Mediam minorem inuasit ATROPATVS, & occupatā feliciter, transmittit ad posteros. Cumq; à Lysimacho alienatus ex Agathoclis F. cæde PHILETÆRVS, se & Pergamum Seleuco permisisset, nec multò pòst hoc peremtō, urbem cum thesauris maximis in potestate retinuisset, regni noui ea re initium fecit, usurpante regij nominis dignitatē primum ATTALO. I. nepote, & amplificato è prouinciarum SELEVCIDIS ademtarum spolio EVMENE. II. Nam hi iam inde ab interitu ANTIOCHI ἱέρακος fortuna infestiore usi, plus cladibus suis, quàm regiæ amplitudinis fastigio nobilitati fuere. In quibus cladibus maximè memorabilis, est, quę hanc nouam in Asia minore prouinciarum amissionē, antecessit prior sub Seleuco Callinico defectio PARTHORVM. Hi enim regna deinde sua retinuerunt libera. Et cum alienasset à se, uel potius sæuitia sua ad arma pro patria & religione sus-

menda coëgisset. IVDÆOS Antiochus Epiphanes, conditur in hac etiam gente regnũ peculiare ab Asmonæis. Crediderim sub idem tempus etiam in Commagene regnũ cœpisse: nisi fortè quis ad ipsos SELEVCIDAS id pertinere malit. Certè mentio eius prima occurrit in Pompeij bellis, cùm iam reliqua Syria ad alienos peruenisset. Ergò quoniam monarchiæ ALEXANDRI regna hæc particulæ fuerunt, accenseri etiam huic rectè possunt. Et nos iam de ijs expositionem nostrã pertexendo Macedonico proximè Ægyptiũ, &, quam diximus, portionem huius Cyrenaicum subiungimus.

REGNVM AEGYPTIVM LAGIDARVM SEV PTOLEMAEORVM.

DE DIVERSIS ÆGYPTI APPELLATIONIBVS: DE AEGYPTIORVM ORIGINE ET IMPERIIS: FAMILIAE LAGIDARVM *propagatione, interitu, consuetudinibus.*

DE ÆGYPTIO Lagidarum seu Ptolemæorum regno teneo institutum idem, quod de monarchijs & regnis superioribus secuti sumus. Tametsi gẽtis hoc Macedonũ proprium fuerit: Ægyptijs ita exclusis, & seruitutem ut antea Persis, ita & Macedonibus eam seruientibus, ut nihil planè à famulis differrent. Etenim despici mirificè cœperunt, teste Iosepho, ita quidem ut neq; regum, neque Imperatorum quisquam ius ciuitatis eis largitus sit, adeòq; Augustus Cæsar etiam Alexandrinis Senatores ademerit, ut sunt auctores idem Iosephus & Dion.

PRINCIPIO uerò ut nomina, ita & limites Ægypti diuersos ab auctoribus relatos inuenimus. Nam alij Africæ, alij Asiæ accensent: & terminis alijs eam definit Herodotus, alijs Strabo, alijs Plinius & Solinus, alijs denique Marcellinus. Nomina Ægypti hæc traduntur: THEBÆ, AERIA, POTAMITIS, AETIA, OGYGIA, MELAMBOLVS, HEPHAESTIA, MESRE, ÆGYPTVS. Ex his primum urbis fuit proprium: quæ quia initiò potentissima extitit atq; amplissima, ut quæ portas habuerit centũ, adeòq; regibus primis sedem præbuerit, fortè inde regioni toti denominatio tributa: ut ab Argo in Græcia Peloponneso: cuius instar itidem postea coarctata, tantum hæsit in parte, Thebaidos nomine nota, quam

ta,quam tempore Pescennij regi peculiari paruisse,narrat Spartianus. Significatum alibi è lingua Ebræa arcam, uel nauem forma arcæ, esse ostendimus. Nam cognata Ebraicæ lingua Ægyptios usos, dubium nullum est: docentque idem recentia Sultanorum nomina, inter quæ Melechsala,Melecmoës,Melecdaër,Melecsait, Melechustrephus, Me lechnaser,Melechader,reuera appellationes sunt non propria, nempe à Melech,quod Ebræis rex est: planè eodem modo, quo in literis sacris Sem,filius Nohæ,uocatur Melchizedeck,hoc est,rex iustitiæ. Alterum AERIA, ut & subiunctum huic POTAMITIS, epitheta potius reor,quàm uocum notationes, quorum illud fortè à commoda aëris temperie, hoc à fluuio, quem Africa maximum habet, auctores usurpârunt: sicuti & pars huic inclusa Delta nomen à Græcis accepit. Et notum est,Mesopotamiam ab ijsdem nuncupatã,quod à Tigri & Euphrate ambiatur. Quartum, AETIA, Stephanus ab Aëtâ rege deriuat: nec alia quinti, OGYGIÆ, uidetur esse origo: etsi inter Ægyptios reges neuter nominatur: & qui hisce nominibus referuntur, ex ijs Aëtæ India patria tribuitur, Ogygi Bœotia. Sextum, MELAMBOLVS, similiter epitheton censemus,nempe à glebis nigris. Extitit enim Ægypti solum fœcundissimum & fertilissimum. Septimum,HEPHÆSTIA, ab Hephæsto,seu Vulcano rege,profectum est, quem præter Diodorum memorat Herodotus lib.2. Octauum, MESRE, à gentis conditore MIZRAIM propagat Iosephus Ant.lib.1.cap.7.ubi sic ait: Ægyptum Mesrén,& Mesræos Ægyptios uocamus. Nec dissentit Zonaras pag.11. Mesrè,inquit,Mesræorum (sic Ægyptij uocantur,& terra Ægypti Mesren) cõditor extitit.Et Suidas eadem de re hæc habet uerba:Mesrem,Chami F. à quo etiam Ægyptus Mesrem,quæ nunc Meser dicitur. Tametsi idem Suidas alibi hoc nomen scribit Mestre, cùm iterum alibi de his ita explicet: Mesre est Ægyptus,hodieque dicit Meser. Nonũ ÆGYPTVS, à Græcis usurpatum fuit: neque uel origo uel significatio eius sciri certo potest. Nam Græcorum fabulas de Nili filio Ægypto, itemque Mercurio cognomento Ægypto, repudiamus. Neque fides tribuenda Marcellino,qui ex Homero Ægyptum à Nilo,qui hoc cognomentum haberet,appellatam tradit. Quod idem sentimus de Eusebij expositione,qui ad RHAMESSEM regem cognomento Ægyptum, quo nomine & à Græcis celebratur,auctorem refert. Estque omninò credibilius,Græcos hoc à terra Ægypto sumptum, regi illi tribuisse: Quomodo & Cadmo à locis orientalibus, è quibus in Græciam traiecit, nomen conseruatum. Id enim in Phœnicum lingua orientalem,seu ex Oriente profectum,denotat,cùm sit Ebræum Kedémoth,quod oppidi fuit terræ Moabitidis,occupati postea à tribu Rubenitide.

IAM de Ægyptiorum origine: hanc quidem nõ minus ambitiosè
quàm ullam gentem aliam inquisiuisse eos, legimus. Quippe qui na-
tionum omnium uideri uellent ut sapiẽtissimi, ita & antiquissimi. Ac
quemadmodum è Græcis singulariter Athenienses cum Argiuis de
uetustate cõtendentes, αὐτόχθονας se gloriabantur (quod nomẽ & The-
bani & Æginetæ sibi uendicârunt) sicuti Arcades προσελήνους se nuncu-
pabant: ita Ægyptijs cum Scythis & Phrygibus de eadem contentio
acerrima fuit. Extantq; apud Iustinum argumenta, quibus confirmare
suam singuli sententiam uoluerint. Addunt etiam de PSAMME-
TICHI regis conatu mirifico, quo certò id cognoscere studuerit, seu
„ fabulam seu historiã hanc Herodotus & Suidas: Psammetichus rex,
„ inquit Suidas, cognoscere satagebat, quæ nam gens omnium esset an-
„ tiquissima? Cui inquisitioni cùm frustra multum temporis impendis-
„ set, alijs atq; alijs uetustatis gloriam sibi uendicãtibus, huiusmodi rem
„ comminiscitur. Duos infantes recèns genitos in conclaui remotissi-
„ mo conclusit, siue capellis immissis, à quibus lactarentur, siue nutrici-
„ bus adiunctis, quarum linguas, ne quem ex eis sonum audirent, præ-
„ cidisset. In hac nutritione triennio exacto, cùm iam infantilibus, & ni-
„ hil planè significantibus uocibus relictis, cognoscere uellet, quod uer-
„ bum infantes primum elocuturi essent, quendam ex amicissimis taci-
„ tùm ingredi conclaue iussit. Qui cùm fores aperuisset, puelli manibus
„ porrectis Becos dixerunt, quæ uox panem lingua Phrygia significat:
„ Vnde Psammetichus Phryges esse, credidit. Hactenus Suidas. Auxit
autem fortè hoc in Ægyptijs contendendi studium, præter innatam ar-
rogantiam & leuitatem, qua gentem illam extitisse tanta accepimus, ut
etiam uilissimi pro nobilibus se uenditârint, æmulatio Israëlitarum, ut
ne scilicet his sicuti religionis, quam à se profectam uolebant, ita & ori-
ginis exploratissimæ uetustate concederent. Id quod non obscurè af-
firmat Iosephus lib. 1. contra Apionem: & pertinet eòdem de Israëlita-
rum ex Ægypto migratione apud Iustinum fabula, quam ab Ægyptijs
ita confictam, dubium nullum est. Enimuerò circumcisionem utrisq;
communem fuisse, constat, à qua Ægyptios quidem nominatos ψωλοὶ
ab Aristophane in fabula, cui nomen fecit Aues, Suidas ex interprete
retulit. Atqui hanc non apud Ægyptios, sed Israëlitas per ABRA-
HAMVM cœpisse, literæ sacræ nos docent. Et credibile est, Iosephi
Patriarchæ temporibus ab Ægyptijs receptam: Qui admirabili Dei
prouidentia, ad Ægypti principatũ euectus, & Regem ipsum religio-
nis eiusdem professione Ecclesiæ adiunxit, & cum Sacerdotibus, qui-
bus immunitatem liberaliter concessisset, doctrinas cùm alias, tum de
Deo à maioribus quasi per manus traditas, cõmunicauit: quibus do-
ctrinis deinceps illi instituta Israëlitarum cętera atq; ritus fortè spontè

addidêre. Nam Circumcisionem ab eis ita obseruatam, ut bonarum artium studia, quæ tanquam hæreditaria usque ad Ptolemæorum tempora soli possidebant, nulli impertirent, nisi qui hanc admitteret; Pythagoræ historia planum facit. Estque hinc, quòd etiam Herodotus Circumcisionis usum in Ægypto, Palæstina, Colchide, fuisse dicit. Nam per Palæstinam Iudæam intelligit, cùm quidem Colchicos Ægyptios faciat. Quanquam de hoc posteriore quid credi conueniat, alibi pluribus à nobis explicatum est. Et uerisimilius est, reliquias populi Israëlitici, quem abduxerat SALMANASSAR Assyrius, per coloniam in Colchidem missas ritus patrios isthic conseruatos retinuisse: Quod Herodotus cùm minus haberet cognitum, de Colchicis omnibus tradidit: quomodo etiam Circumcisionem & Æthiopibus & Phœnicibus tribuit.

SED ab his, quæ attingi tantùm oratione nostra debebant, iam digredimur, certius aliquid de Ægyptiorū origine expositurì è sacrarum literarum ueritate. Quæ cùm nomen MIZRAIM de ijs usurpent, rectè cum Iosepho, Eusebio & Zonara gentis ad hunc propago refertur. Additque idem Iosephus, in sua lingua atque ab Asianis omnibus, MESRÆOS nuncupatos: Cuius appellationis usum adhuc hodie superesse, aiunt, apud Saracenos & Turcos. Vtrique enim Ægyptios MIZRI appellant, imitatione nempe Ebræa, qui Ebræi plerunque conditorum nomina de gentibus retinuêre. Vnde & Græcos uocârunt Iauanim, à Iauan, filio Iaphet: quo auctore nationem illam propagatam, sed nouis deinde tum de filijs ipsius, tum aliunde petitis nominibus distinctam, certum est. Atque inuenias, qui nomen AMMONIS in parte Libyæ à Cham, quem Mizraim genitorē habuit, deriuent. Tamen inter gentes Ægypti nominantur etiam Cares, Babylonij, Troiani & Arabes: de quorum origine quicquam hîc ut adijciatur, opus non est, & quibus occasionibus in Ægyptum peruenisse credantur, traditur ab Herodoto, Strabone, Curtio. Diodorus etiam præter Colchicos & Iudæos, propagat ab Ægyptijs DANAOS & ATHENIENSES: Quanquā de prioribus duobus nos quid sentiamus, suprà monuimus. Et annumerat Ægypti gentibus Ptolemæus ZYGAS, à quibus haud scio, an non sit reliquum nomē Zigeunorum, qui Saxonibus Tartari sunt. Nam Ægyptiū & ipsi genus iactant, & forma corporis nigricans, mores, habitus, externam originem indicāt: etsi & ex gentibus alijs, homines uidelicet ignauiæ & furtis deditos, his immixtos, constat.

REGNVM Ægypti sunt, qui cum ipsa gente inchoāt, & MIZRAIM à Diodoro & Iosepho Minæum dici existimant. Quod non disquiro iam enodatius: etsi uetustissimum hoc fuisse, etiam literæ sa-

cræ nos docent: à quibus per crassum errorē labendo, Diodorus dissentiens, à Nino subactam atq; occupatam Ægyptum, ait. Extant autem primorum Regum nomina apud Herodotum, Manethonē, Diodorum, Iosephum, Eusebium, sed uariata mirificè. Quod de Græcis ideò mirari minus cōuenit, quòd serius cum Ægyptijs commercia instituerint. Et narrat Strabo, Ægyptios Reges tanquam depopulatores, ac alieni appetentes, à nauigantibus accusatos fuisse, propterea, quòd quosuis arceri iuberent: subijcitq; hoc inprimis obseruatu dignissimum, commentarios Ægyptiorum minus fidei inuenisse, quòd pleni simplicitatis essent. Neq; ex una aliqua familia Regum Ægypti successio fuit: quippe quibus & Æthiopes se immiscuerint. Sic enim Plinius: Ægyptus nunc seruiuit, nunc imperauit Æthiopibus. Et tradidit Iosephus, Æthiopiæ Reginam, quæ ad Solomonem Regem adiuit, Ægypto simul imperasse. Fuit autem communis ab his usurpata post regnum susceptum appellatio PHARAO, quam & literæ sacræ ita retinent, ut nomina ipsorum propria, inde usq; ad SOLOMONIS tempora planè omittant. Tum enim hanc consuetudinem cessasse, autor est Iosephus. Atq; interpretatur idem Iosephus nomen PHARAO ex Ægyptia lingua Regem: qua in re usum potius huius quam originem ipsum spectasse, apparet. Ideo nostri temporis uiri docti liberum exponunt, & uicinum huic faciunt, Germanicum BARO, quod est à uoce Frey, enunciatione nonnihil mutata. Nam ita huius ordinis homines nobiles principiò nuncupabantur, quòd immunitatibus & dignitatibus quàm cæteri maioribus fruerentur. Finijt hoc tanquàm primum Ægyptiorum regnum, PSAMMENITVS, filius Amasis, Rex ab Aprye tertius, à quo Aprye IEREMIAM uatem occisum, uolunt. Hoc enim capto à CAMBYSE, Rege Persarum, & ob nouas conspirationes trucidato, Ægyptus in prouinciam redigitur, & gentis asperrimæ insolentia grauiter affligitur. Ideo excutiunt iugum hoc Ægyptij, homines & natura rerum nouandarum cupidi, & externi huius dominatus impatientissimi, mox post pugnam Marathoniam in Attica. Et quanquam motum istum uindicauit acri bello ante expeditionem in Græciam XERXES, & Ægyptios seruitute noua mulctauit, tamē eo è Græcia turpiter profligato, nec multo pòst iugulato ab Artabano, ad ingeniū redeunt, & ACHÆMENEM satrapam per defectionem opprimunt. Sed edomantur tum etiam denuo ab ARTAXERXIS Longimani ducibus. Cumq; ob tot aduersos casus, quieturi deinde uiderētur, inuitati intestinarum dissensionū inter fratres SOGDIANVM & DARIVM Nothum turbis, postremo arma capiunt, & reges suos inter fortunam uariam retinent, usq; ad ARTAXERXEM Ochum. Is successu

contra

contra Phœnices inflatus, & in Ægyptum uicinã inuasit: NECTANEBIN regem armis expulit, & prouinciam deinde uniuersam recuperatam ea immanitate exhausit, ut florentissima populi parte cęsa, reliqui deinde nihil ausi fuerint, & in fide Persarũ manserint tantisper, quoad imperium his mansit, quod est tempus uictoriarum ALEXANDRI. Tum enim MAZACES Satrapa, cui adiunctus esset Ammynapes Parthus, teste Arriano, cùm & suspecta haberet Ægyptiorum ingenia, neq; ulla à Rege suo, grauissimis cladibus ad Granicum & Issum affecto, expectanda sibi auxilia cerneret, sponte se Alexandro dedidit. Quæ sub gentibus peregrinis seruitus Ægyptiorum uideri altera potest. Ac sanè ALEXANDER, qua erat singulari sagacitate, & ipse gentis diffisus moribus, neq; ob regionis naturam & munimenta, ut loquitur Arrianus, satis tutum iudicans, prouinciæ gubernationem uni cõmittere, in plures Duces Ægyptum diuisit, & tanquam compedes nouas Alexandrina colonia addidit. Hoc post Indicas expeditiones Babylone è uita sublato, cùm inter Duces instituta Satrapiarum diuisione, Ægyptum à Perdicca obtinuisset PTOLEMÆVS Lagi, nec multò post ab eodem armis defensam Antipatri permissu retinuisset, regni isthic noui primordia iecit, quod auctũ accessionibus plurimis deinde Ptolemæorum nomine retinuit posteritas, de qua iam nobis explicandum restat.

SVNT autem de familiæ Ptolemæi ut origine, ita & de propagatione auctorum diuersorum sententiæ diuersæ. Arrianus patria illum Eordensem facit: Stephanus uerò ex Orestis genus eius propagat. Neque de natalibus ipsius consentientia monumentis commendata sunt. Nam Curtius Alexandro coniunctũ sanguine fuisse, adeoq; Philippi filium creditum, quòd nimirum è pellice huius natum constaret, affirmat. De qua eadem re Pausanias disertius explicans, nomine Lagi, re Philippi filium fuisse dicit, propterea, quòd Arsinoë materiam è Philippo grauida, Lago tradita esset: qui quidem Lagus & eam ob causam exposuisse Ptolemæum postea uidetur, ut narrat Suidas. Ac secutus hanc opinionem Theocritus Eidyl. 17. Alexandrum & Ptolemæum, generis conditores Herculem & Hyllum habuisse, ait. Iustinus uerò è gregario milite, ab Alexandro tantummodò uirtutis causa prouectum, refert. Verumenimuerò ut de patria Ptolemæi nihil iam definimus, sic libenter ijs assentimur, qui à Philippi familia non alienũ extitisse, censent. Tametsi ipse Lago patre se genitum, credi maluerit: unde & de posteris Lagidarum nomen retinuêre Strabo, Appianus, Eusebius, Epiphanius. Successio Lagidarum, & familia, certa est usq; ad PTOLEMÆVM Epiphanem: post quem multiplex scriptorum occurrit dissensio. In quibus ex Ecclesiasticis Clemens, Epiphanius,

nius, Nicephorus, Hieronymus, neque inter se, nec cum cæteris conueniunt. Sic enim Clemens Stromat. lib. 1. Ptolemæus Lagi F. annis 40. Ptolemæus Philadelphus annis 27. Deinde Euergetes annis 25. Deinde Philopator ann. 17. Post quem Epiphanes ann. 24. ei successit Philomater, & regnat ann. 35. Post quem Physcon ann. 29. Deinde Lathurus ann. 36. Deinde qui fuit cognominatus Dionysius. ann. 29. Postrema regnauit Cleopatra 22. annis. Epiphanius seriem Lagidarum ita deducit: Ptolemæus, Lagi F. annis 40. Ptolemæus Philadelphus ann. 38. Ptolemæus Euergetes ann. 24. Ptolemæus Philopator ann. 21. Ptolemæus Epiphanes ann. 22. Ptolemæus Philologus, qui & Euergetes ann. 29. Ptolemæus Soter ann. 15. Ptolemæus Alexas ann. 12. Ptol. frater Alexandri, expulsus à matre ann. 8. Ptolemæus Dionysius ann. 31. Cleopatra, Ptolemæi F. an. 32. Hæc coniuncta fuit cum Antonio. Vniuersi anni à primo Ptolemæo Lagi usque ad Cleopatrã anni sunt 306. Nicephorus de iisdem sic explicat: Post mortem Alexandri primus rex Alexandriæ in Ægypto fuit Ptolemæus, Lagi F. annis 40. Ptolemæus Philadelphus ann. 38. Ptolemæus Euergeta ann. 25. Ptolemæus Philopator ann. 17. Ptolemæus Epiphanes an. 26. Huius temporibus ea gesta sunt: quæ de Maccabæis leguntur. Ptolemæus Philometor ann. 35. Ptolemæus minor ann. 29. Ptolemæus Physcon ann. 17. mens. 6. Ptolemæus Alexander ann. 10. Ptolemæus frater huius ann. 8. Ptolemæus, cognomento Dionysius ann. 30. Cleopatra Ptolemæi F. ann. 22. Hieronymus in cap. 9. Danielis hæc annotata tradidit: Post Alexandrum, qui & Medis, & Persis regnauerat, quos deuicerat, & in Alexandriam regnum suum firmauerat, quando & nomine eam suo appellauit, regnauit in Alexandria Soter ann. 35. cui successit Philadelphus, regnans ann. 38. Post hunc Euergetes regnauit ann. 25. Deinde Philopator ann. 17. & post hunc Epiphanes ann. 24. Item alius Euergetes ann. 29. Cleopatra ann. 20. mensibus quinque, &c. Nec dissentiunt ab Epiphanio & Nicephoro de Physcone & Dionysio Eusebius & Cedrenus, quorum illum itidem in Reges duos disiungunt, hunc uerò mox Ptolemæo, quem Cleopatræ filium appellant, & regnasse iterum, aiunt, hoc est, Lathuro subiungũt, omisso prorsus Aulete. Et Cleopatram Antonii idem Cedrenus non Auletæ, sed Dionysii filium facit. Sed hæc falsissimè tradita, nos planè repudiamus, sequimurque auctores, ut Ptolemæorũ temporibus uiciniores, ita in hoc argumenti genere haud paulò diligentiores, nempe Strabonem, Iosephum, Pausaniam, Dionem, Athenæum, Cæsarem, Liuium, Iustinum. E quibus Iosephus prodidit, natos Ptolemæo Epiphani filios duos, philometora & Physconem, cui posteriori Strabo & Athenæus alterum addunt cognomentum κακεργέτης, cùm ab Alexandrinis ob nefaria facinora,

facinora, κακεργέτης diceretur. Et cõuenit de obesitate huius turpi Iustinus, ideoq; derisum à legatis Romanis, ait. Tribuit autẽ rursus idem Iustinus cum Iosepho, in cæteris liberis Physconi filios, Lathurum & Alexandrum. Quam sententiam etiam Pausanias ita retinuit; ut Lathurum (ipse Philometora, à matris in illũ odio, cognominat) octauũ faciat. Nam Spartianus hîc audiendus non est, qui ipsum Physconem octauum inter Ptolemæos numerat. Et pertinet huc, quòd Cleopatram, Lathuri matrem, Cleopatræ Antonij proauiam nominat Philo. Etenim isto nomine coniugem Physconem habuisse, filiam nimirum sororis, constat. Iam Lathurum ante exilium è SELEVCE filios duos suscepisse, Iustinus disertè affirmat. Hos Auleten & Ptolemæũ Cyprium intelligimus: Quippe à Pausania traditum est, filijs Lathurum regnum reliquisse, cùm proximè ab eo regnasse Auleten, præter solum Appianum, cõsentiant omnes. Nam is inserit Alexandrum alterum: cùm tamen hoc addat, regnum huius perbreue fuisse: & credibile est, Auleten tanto studio Romanorũ postea societatem expetijsse; ne in Alexandrum à populo commissum facinus, ab eis uindicaretur. Quanquam cæteroquin M. Crassum Ægyptum stipendiariam facere uoluisse, prodidit in ipsius uita Plutarchus. Ac Cicero, tametsi alibi socium & amicum P. R. nominet, tamen in orat. contra Rullum ita Romanorum auaritiæ, iam & Ægypto inhianti, fauere cognoscitur, ut neque genere, neq; animo regio fuisse, dicat. Meminit Athenæus & Philadelphi Regis, cuius filius Ephesi cæsus sit. Is Auletes esse uidetur; cùm de altero eius filio idem tradat Dion: Vt cognomentum hoc ei alterum fuisse crediderim. Neq; discedendo ab Ecclesiasticis scriptoribus illis, de cæteris eius liberis dissensio auctorum ulla est, è quibus Cæsari & Hirtio ideo fides maior debetur, quòd in isto tempore uixerint, neq; audita, sed uisa narrent. Defecit Lagidarum prosapia mascula in Ptolemæo iuniore, Auletæ F. regnũ in CLEOPATRA. Hæc enim cùm ex impotenti libidine etiam Romæ imperare cuperet, & ad bellum inflammasset Antonium, Augustus Cæsar ambos ad Actium uictos, & Alexandriæ obsessos acriter, ad mortem uoluntariam compulit, & Ægyptũ occupatam Romani Imperij prouinciam fecit. Quanquam Cleopatræ genus tum conseruatum humaniter, adhuc aliquandiu floruerit, collocata filia eius Iubæ iuniori, Regi Mauritaniæ. Et annotauit Trebellius Pollio, de Cleopatrarum & Ptolemæorum gente iactasse se ZENOBIAM Reginam, Achillei F. Quę capta tandem ab AVRELIANO Cæsare, & possessionibus in Italia donata, easdem posteritati reliquit. Neq; uariatur nihil de Lagidarum imperij tempore. Atq; quos Clemens & Hieronymus annos colligant, antea ostendimus: à quibus discedentes Diodorus & Eusebius, ille quidem

Lagida-

Lagidarum refert annos 276. hic 277. etsi iterum, & quidem rectius, alibi nominat annos 293. Suidas quoque Ptolemæum Euergeten regnũ inijsse, ait, Olympiad. 127. cùm Polybius eũ obijsse tradat, Olympiad. 139. Sed sicuti de regum singulorum annis definiri certi quippiam nequit, sic tempus regni ipsorum indubitatum est prorsus, hoc est, ann. 293. supputando uidelicet ab Olympiad. 114. quo Ægypto primùm potitus est Ptolemæus, usque ad Cleopatræ interitũ, qui est annus Augusti Cæsaris duodecimus. Cumque Ptolemæus Auletes obierit, quo tempore Ciliciam proconsulari imperio obtinuit Cicero, teste Cælio lib. Epist. famil. 8. erit Cleopatræ imperium annorum tantùm 19. Hoc enim temporis interuallum usque ad mortem eius intercedit.

DE consuetudinibus Lagidarum primùm hoc obseruetur, quòd regno suscepto à Ptolemæo, familiæ conditore, Ptolemæos se nuncuparunt, cùm anteà nomina haberent alia, teste Iosepho: cuius alibi simile tradidimus de Arsacidis Parthicis, Sylujs Albanis, Cæsaribus Romanis, &c. Neque Ægyptios, sed Macedonas uideri uoluisse, Pausanias scripsit. Quanquam à Macedonũ grauitate & modestia ita desciuerint, ut cùm post tertium Ptolemæum improbè omnes uixerint, quomodo est auctor Strabo, etiam in coniugijs Ægyptiorum leges imitati sint, ductis germanis sororibus: Vnde seriem pudendam nominat Lucanus lib. 8. Quæ à nobis referri magis historica fide, quàm Christianæ honestatis institutis congruentia, lector candidus in bonam partem accipiet. Quandoquidem & literæ sacræ eiusdem fœditatis Ægyptios accusant. Et notum est Catulli epigramma in Gellium de Persicorum Magorum cum matribus incestis, quæ quidem ipsis plane solennia essent, ut Seruius Grammaticus & Clemens annotarunt. Cùm Philo etiam reliquos Persas eorundem accuset, in libro de specialibus legibus duorum Decalogi capitum: Vbi quia & de pœnis tanti flagitij præclarè dissleritur, locum eum uisum fuit subijcere:

„ Honoratiores, inquit, Persæ cum matribus contrahunt matrimonia, „ & natos inde arbitrantur nobilissimos, regioque (ut ferunt) dignan„ tur solio: quò nihil excogitari potest impium, conspurcari defuncti pa„ tris thalamum, cui maxima debebatur religio, matri exhiberi nullam „ reuerentiam, filium eundem & maritum fieri, matrem uicissim uxoris „ nomen assumere, communes liberos patris quidem fratres, matris ue„ rò nepotes censeri. Hanc prolis suæ matrem esse ac auiam, illum filio„ rum patrem & germanum uterinum. Accidit tàm scelestum facinus „ apud Priscos Græcos Thebis Oedipodi, Laij filio, non sponte ta„ men, sed per ignorantiam, nihilominus tantam uim calamitatum se„ cum attulerunt hæ nuptiæ, ut nihil reliquum factum sit ad summum „ miseriarum cumulum. Secuta sunt enim continua bella, tùm externa,

tùm

tûm ciuilia, uelut hæreditario iure filijs nepotibusque à maioribus tra- « dita, quæ uastitates induxerunt maximis Græciæ ciuitatibus, strages « exercitibus eorumque auxilijs, ducibus partium continua funera, & in « his fratribus de regno implacabiliter contendentibus cædes mutuas, « Vnde nata est non solùm familiarum patriarumque, sed etiam ex maio- « re parte Græcanici generis pernicies. Nam urbes antea populosæ, e- « uacuatæ sunt, reliquijs modo calamitatum ad memoriam & miserum « spectaculum superstitibus. Ac ne Persæ quidem, apud quos hoc re- « ceptum est, expertes sunt cladium similium. Semper enim atteruntur « expeditionibus atque prælijs, dum cædunt cæduntúrque inuicem, nunc « incursando finitimos, nũc populatores arcendo à suis finibus. E' mul- « tis enim locis hostes in eos coriunt̃, quòd natura inquieti sint barba- « ri. Itaque uix dum finito præsenti tumultu, alius nascitur, ut nullum anni « tẽpus uacet à militia, ut sæpius in castris sub dio degant miseri, quàm « in oppidis, eò quòd pace careant. Omitto illas ingentes Regum felici- « tates, regnum auspicantium à fratricidio, uidelicet præsagientium fra- « ternas insidias, ne gratis scelesti uideantur. Quæ omnia contingere o- « pinor, propter inconuenientissima connubia filiorum cum matribus, « iusticia rerum humanarũ spectatrice, ulciscente impietatem nefariam. « Nam habendi sunt impij, non solùm qui talia flagitia perpetrant, ue- « rumetiam qui assentiuntur patrantibus. Hactenus Philo. In quo Pto- « lemæi apud suos honore fuerint, ostendit Virgil. lib. 4. Georg. A' Ca- pitolino traditur, lorica eos aurea uti solitos: & meminit Florus, ita Ptolemæi Dionysij submersi in Nilo corpus postea cognitũ. Sepulcra in parte regię prope Alexandri delubrũ habuêre: ad quæ inspicienda cùm Alexandri uiso corpore ambitiosè ab Alexandrinis inuitaret̃ Augustus Cæsar, Regem se, non mortuos uidere uoluisse, respondit.

NVMMVS PTOLEMÆI.





Quis'nam Ptolemæus hic fuerit, quæ doceant argumenta nulla sunt. Si quid tamen coniecturis dandum, rectè Ptolemæus Lagi accipietur. Nam quod facies eius repræsentat ingenium placidum & moderatum, id de eo prodidêre omnes. Communicauit autem hunc nobiscum nummum uir nobilis. & antiquitatis studiosiss. Iulius Commerstadius. Cui ex parte debitam à nobis memoriæ obseruantiæ gratiam cùm referre minus liceret, non habere quidem non debuimus.

FAMILIA LAGIDARVM, SEV PTOLEMÆORVM, QVÆ POST ALEXANDRVM IN AEGYPTO REGNAVIT

Ann. 291.

LAGVS, Macedo, accipit à Philippo Amyntæ uxorem Arsinoēn, iam è Rege uterum ferentem, & genitum inde Ptolemæum in æneo clypeo exponit. Qua de re sermo eiusmodi uulgatus fuit, quòd aquila accedere solita, ardorem Solis ab infante prohibuerit, tùm imbrem & gregales uolucres abegerit, & coturnicibus laceratis, sanguinem illi pro lacte instillârit. Pausanias, Suidas. Quomodo obscuritatem eius notârit dicterio Grāmaticus quidam, refert Plutarchus de cohibenda iracundia. Etenim rogatus à Ptolemæo F. quis Pelei pater fuisset? Lagi sibi patrē nominari à Rege prius iussit. Ob quod tamen Ptolemæus nequaquam succensuit, cùm diceret: » Si regium nō est, ferre, cùm dicto tangitur, nec illud regium est, di» cto quenquam tangere. Epiphanius ordinem quendam equitum institutum à Ptolemæo, λαγεῖον à Lago cognominatum, ait: de quo ordine credere par est, similem hunc fuisse Burgundico uelleris aurei, item Michaëlitis Gallicis, & Georgianis Anglicis.

RELIQVIT autem Lagus ex Arsinoē liberos præter PTOLEMÆVM, Menelaum & Eleum.

I. PTOLEMÆVS, cognomento Magnus καὶ σωτὴρ καὶ ἀλεκτρός, recipitur ab ALEXANDRO inter custodes corporis, ob pręstitam sub Philippo patre fidem: atq; consectatus eundem in Asiam, & parricidam BESSVM in potestatem illius redigit, & periclitantem in Oxydracis conseruat. Quo tempore grauiter uulneratus, Regis felici somnio periculo liberatur. Post mortem Alexandri recusat ARIDÆVM Regem: & regni diuidendi auctor factus, consequitur Ægypti & partium Africæ uicinarum satrapiam. Vbi cùm & milite conductitio, & uicinorum fœderibus atq; amicitijs, opes augeret mirificè, PERDICCÆ odium incurrit: ab eoq; bello lacessitus, ob initum cum Antipatro & Antigono fœdus, graui clade affectum repellit: satrapiam ceu ferro partam etiam Antipatri permissu retinet; & Cyrene OPHELLÆ opera debellata, Syriam tentat per Nicanorem, captoq; Laomedonte, unà cū Phœnice & Iudęa, cuius metropolin Hierosolymam per simulationem sacrorum sabbato inuaserat, occupat. Hinc Antigoni offensus insolentia, SELEVCVM Nicatora, metu illius ad se profugum, in fidem recipit, & Antigonum tùm restitu-

tionem

tionem huius, tum diuisionem prouinciarum & prædæ, de Eumenye partarũ, denegantẽ cum CASANDRO & LYSIMACHO socijs bello oppugnat. In quo cùm Græcia adita, prætextu eius in libertatem asserendæ, ob Cyrenæorũ rebellionem, quos cæso AGATHOCLIS Tyranni insidijs Ophella, receperat, à suis reuocaretur, per MAGAM priuignum quarto post defectionem anno redire eos sub imperij iugum compulit, & occupata Cypro, uincit DEMETRIVM ad Gazam. Neque post emissum Seleucum in Babyloniam, ausus expectare cum ualidioribus copijs irruentem Antigonum, atque intra Ægyptum conclusus, & Syria Phœniceque exuitur, & prælio nauali ad Cyprum à Demetrio uincitur. Ob quem successum hoste regium nomẽ sibi uendicante, ne inferior uideretur, & ipse diadema assumit, REGEMQVE se salutari mandat. Atque Rhodijs diligenter auxiliatus cõtra Demetriũ, deinde & Cælesyriam ac Phœnicen recuperat, & auxiliares copias socijs Regib. in prælio ad Ipsum adiungit contra Antigonum. Cumque uicto hoc & cæso, ac oppresso à Seleuco Demetrio, in quiete deinde summa regnasset, biennio ante mortem PTOLEMÆVM Philadelphum in regni consortionem assumit, causa huius instituti publicè apud populum reddita. Moritur Olympiad. 124. anno ætatis 84. imperij 40. Polybius, Diodorus, Strabo, Iosephus, Pausanias, Appianus, Arrianus, Lucianus, Athenæus, Suidas, Zonaras, Cedrenus, Iustinus, Curtius, Hieronymus, Augustinus, Orosius. Excelluit belli pacisque artibus; ἀμφότερον βασιλεὺς ἀγαθὸς, κρατερὸς αἰχμητὴς, iuxta Poëtam: tùm liberalis inprimis adituque facilis. Vnde & Alexandro adhuc superstite tanta gratia floruit, ut dubitatum sit, Regi ne an popularibus carior esset, teste Curtio. Nam Ælianus uarians, industriam ipsius suspectam Alexandro fuisse scribit: & addit, Amicos Ptolemæum maxima cum uoluptate locupletare solitum, cùm diceret: Melius esse ditare, quàm ditescere. APELLEM pictorem, coniurationis falsò apud se per Antiphilum accusatum, calumnia cognita, donauit talentis centum, & calumniatorem Antiphilum in seruitutem ei tradidit: Quod periculum Apelli picturam illam calumniæ memorabilem expressit, cuius descriptio extat apud Lucianum περὶ τοῦ μὴ ῥᾳδίως πιστεύειν τῇ διαβολῇ. A' Rhodijs præter cognomentum σωτῆρος etiam templum promeruit, cùm oraculum Ammonis impudenti adulatione Deũ pronũciasset: etsi de cognomẽti huius initio & causa uariat Stephanus, qui ob Alexandrũ in Oxydracis seruatũ, id datũ ipsi, narrat. Scripsit historiã eiusdẽ Regis sui Alexãdri, iã hoc defuncto, citaturque ab Arriano, Stephano, Plinio. Cùmque corpus Alexandri ad Ammonẽ deferendũ in Syria honorificè excepisset, Mẽphi detinet: Vnde Alexandriã postea deportandũ curauit Philadelphus F.

MENELAVS, accipit à PTOLEMÆO fratre classis præfecturam: cumque NICOCREONTEM Cypriū bello adortus, inuaderetur à nouo hoste DEMETRIO Poliorcete, & post infelicis prælij aleam Salamine obsessus, machinis omnis generis oppugnaretur, liberatur Ptolemæi aduentu. A' quo ad pugnam naualem contra Demetrium iterum socius ascitus, & à tergo inuadere hostem iussus, ab opposita classe repellitur, ac dedere se cum copijs & nauibus coactus, & liberaliter habetur, & cum priuati instrumenti ministerio dimittitur. Diodorus, Plutarchus, Polyænus, Iustinus.

ELEVS, dedit Eleaticæ præfecturæ nomen, ad dextram Canopicæ fossæ. Strabo lib.17.

FVERE Ptolemæo, qui, ut ait Pausanias, amore ferè ad insaniam usque in mulieres intemperantẽ esset, coniuges quatuor. ✻

✻ I. ARTONIS, Artabazi F. è qua soboles nulla memoratur.

✻ II. THAIS, Attica, qua anteà concubina usus fuerat Alexander, testibus Diodoro, Plutarcho, Athenæo, Curtio: Vnde nati.

LEONTISCVS, capitur ac dimittitur cum Menelao patruo à Demetrio, Athenæus, Iustinus, qui corruptè Leuticum uocat.

LAGVS. Athenæus.

IRENE, nupsit Soloni, regi Cypri. Athenæus lib.13. cap.13.

✻ III. EVRYDICE, Antipatri F. è qua geniti: PTOLEMÆVS κεραυνός, Filius ἀνώνυμος, PTOLEMAIS & Lysandra.

PTOLEMÆVS, à celeritate in rebus gerendis, & audacia immodica, cognominatus κεραυνός, preteritur in regni successione à patre: Cuius tantam ob iniuriam ueritus offensam aliquam & iracundiæ sæuitiã, ad SELEVCVM se recipit: ac susceptus humaniter, omnique officiorum genere, quę in tanta fortunæ acerbitate consolando tribui ipsi poterant, delinitus, tùm ad negotia alia, tùm ad bellũ contra LYSIMACHVM socius assumitur. Eius in acie cæsi prouincias Seleuco inuidens, hasque sibi animo despõdens, pretextu propinqui uindicandi, in Lysimachiam iturum ingrato & crudeli animo ex insidijs interficit: & conciliato sibi ANTIOCHO Sotere, ac PYRRHO, ut pacem teneret, filiæ connubio persuaso, Macedoniam contra ANTIGONVM Gonatam inuadit atque occupat: & progressus in Thraciam, præter unam Casandriam urbem edomat uniuersam. Hanc enim cum firmo præsidio tenebat soror ARSINOE, uidua: cumque homo astutè sceleratus potiri se aliter ea posse desperaret, ad fraudes conuersus, cõnubium se sororis ambire simulat, & liberorum

rum è Lysimacho susceptorum tutelam profitetur. Qua spe tandem ab illa intromissus,& nepotes iugulat crudeliter,& sororē misere spoliatam in exilium pellit. Ergo uindicationis iam diuinæ pœnam iustam promeritus, insano ausu bellum suscipit cum Gallis, quos ab Alexādro ipso uitari iussos, primus omniū tentârat CASANDER: prælioq; uictus à BELGIO duce, atq; captus, capite mulctatur: quod ab hoste lancea fixum tota deinde acie ad Macedonū terrorem circūfertur,& cadauer esca feris & alitibus proijcitur: Olympiad. 124. anno regni primo. Polybius, Pausanias, Appianus, Eusebius, Zetzes, Iustinus, Probus, Orosius. Memorabilis est historia somnij, quod ante hanc cladem amicos Ptolemæi habuisse Plutarchus scripsit. Nam hi Regem à Seleuco in iudicium rapi uiderunt, uulturibus lupisq; iudicantibus,& causa cognita carnes eius passim distribuentibus. Mox enim, ut diximus, ueritatem huius comprobauit exitus.

FILIA ἀνώνυμος, nupsit PYRRHO, Regi Epiri. Iustinus.

FILIVS Ptol. Soteris ἀνώνυμος occiditur à Philadelpho fratre, quòd Cyprios ad defectionem solicitasset. Pausanias.

PTOLEMAIS, collocatur à patre DEMETRIO Poliorcetæ. Plutarchus.

LYSANDRA, fuit in matrimonio Agathoclis, filij LYSIMACHI. quo Arsinoës nouercæ fraude perempto, cum filijs ex ipso procreatis,& fratribus, ad Seleucum Babylonem profugit, eumq; ad bellum contrà Lysimachum inflammat. Pausanias.

✱ IV. BERENICE, quarta Ptolemæi coniux, filia Antigones, proneptis Antipatri è CASANDRO fratre; enixa est liberos: PTOLEMÆVM Philadelphum; Argæum, ARSINOEN & Philoteram.

II. PTOLEMÆVS cognomento φιλάδελφος, à patre in regni consortionem assumtus, id cum illo bienniū administrat, solus deinde annos 38. Occidit fratres duos, quorum unum insidias sibi comparasse, alterum Cyprios ad defectionem solicitasse, compererat. Ac recuperaturus Cyrenen à MAGA, fratre uterino, tùm Gallorum mercenariorum defectione, tùm Antiochi Soteris nouo apparatu, impeditur. Quos ut uindicaret utrosq;, illos in desertam Nili insulam deductos fame necauit, hunc prædatorijs copijs afflixit grauiter. Hinc auxiliariam Atheniensibus classem mittit cōtra ANTIGONVM Gonatam: & renouato cum ANTIOCHO θεῷ bello, post datas & acceptas clades nonnullas, Berenices filiæ connubio ei conciliatur. Strabo, Pausanias, Eusebius, Zonaras, Cedrenus, Iustinus, Augustinus, D. Hieronymus. Præceptore usus est STRATONE Philo-

n 3 sopho,

ſopho, quem talentis 80. hoc eſt, coronatorũ 48000. ab eo donatum, Laërtius ſcripſit. Nã & in literis eruditus fuit prǽclariſsimè, & hominũ doctorũ conſuetudine delectatus, alumnũ ſe his præbuit munificentiſsimũ, cùm quidem illi ex omni Grǽcia magno numero ad ipſum confluerent, interq́ eos Demetrius Phalereus, Aratus, Apollonius, Theocritus, Ariſtarchus Grammaticus, Conon & Hipparchus Mathematici. Atq́ abrogato docendi munere Sacerdotibus, qui doctrinas in Ægypto ceu hæreditarias antea ſoli poſſederãt, ſcholam publicam Alexandriæ aperuit: condita inſuper bibliotheca nobiliſsima, in qua uolumina 700000. fuiſſe, auctor eſt Gellius. Edoctus etiam à Demetrio Phalereo de Iudæorũ lege ſacra, tùm Iudæos in regno ſuo ſeruitutem ſeruiẽtes, numero ad 120000. libertati reſtituit, λύτρα dato pro ſingulis 120, drachmarum, tùm dona in templum Hieroſolymitanum mittit ſplẽdida, & impetratis ab Eleazaro Pontifice interpretibus 72. in Græcam linguam leges ipſas transferri primus curat, quæ translatio adhuc hodie ſupereſt. Etſi ſunt, qui hoc Ptolemǽo patri attribuũt, teſte Clemente, quibus cum de Demetrio conſentit Laërtius. Laudat munificentiam Ptolemæi Theocritus Eidyll. 14. potentiam & ſplendorem Eidyll. 17. Vbi quidem urbes in ditione eius 33339. fuiſſe, ait. Pompam quandam ipſius magnificentiſsimam deſcribit Athenæus lib. 5. cap. 5. Vbi & ipſe Regem optimum atq́ ditiſsimum uocat, quiq́ diſciplinis operam egregiam nauârit: ſed qui tamen ad extremũ delicijs ita corruptus ſit, ut ſemper ſe uicturum crediderit, ſeq́ ſolum immortalitatis rationẽ inueniſſe, gloriatus ſit. Quanquam & ſoror ARSINOE ducta, non exiguam ei infamiæ labem aſperſerit: quæ inceſta, ipſo auctore cœpta, ſucceſſoribus ferè omnibus uſitata fuère. Philo tantæ magnificentiæ monumenta reliquiſſe Regem hunc, tradit, ut prouerbialiter ſumtuoſa opera Philadelphea dicerent. Et addit Diodorus, plurima ſtudio ipſius de animantibus, quǽ antea ignota eſſent, Græcis innotuiſſe, cùm multa eo nomine in uenatores impenderet, & ob podagricos dolores, ſemper in quo ſe oblectaret noui quippiam perquireret. Apud Eutropium & Florum legimus, primum ipſum ex Ægypti Regibus cum Romanis fœdus percuſsiſſe, anno V. C. CCCC. XXCIV.

ARGÆVS, interficitur à Philadelpho fratre, quem inſidijs appetijſſe, deprehenſus fuerat. Pauſanias.

ARSINOE, fuit cum LYSIMACHO, Rege Thraciæ: & inceſto Agathoclis priuigni amore accenſa, reijcientem ſeſe animo ingenuo apud Lyſimachum falsò accuſat, deq́ uoluntate eiuſdem per inſidias occidit. Cuius ſceleris mox eas pœnas luit, ut uiro in prælio amiſſo, præſens uitǽ diſcrimen Epheſi adierit, ac regno & liberis priuata à

ta à PTOLEMÆO κεραυνῷ, quem ſpe connubij Caſandriæ recepe-rat, in Samothracia exulare iuſſa ſit. Vnde in Ægyptum reuerſa, legibus etiam Ægyptijs Philadelpho fratri nubit, amata ab eo tanto amore, ut defuncta templũ promeruerit. Strabo, Ioſephus, Pauſanias, Polyænus, Iuſtinus. Dedit nomen Arſinoæ, urbi Libyæ, teſte Stephano. Teleſphoro Rhodio, mores eius dicterio inceſſenti apud Lyſimachũ, crudeliſsimæ necis cauſa extitit, & iocatum in nuptias ipſius cum fratre, Sotadem Maronitem, ſæua morte per Patroclum ducem afficit. Meminit epiſtolarũ Stratonis ad Arſinoën Laërtius. Plinius auctor eſt, Dinocratem templum eius magnete concamerare inchoaſſe, ut in eo ſimulacrum è ferro pendére in aëre uideretur: De qua re ſic canit Auſonius Eidyl. 9.

Conditor hic forſan fuerit Ptolemaidos aulæ
Dinocrates, quadro cui in faſtigia cono
Surgit, & ipſa ſuas conſumit Pyramis umbras;
Iuſſus ob inceſti qui quondam fœdus amoris,
Arſinoën Pharij ſuſpendit in aëre templi.

Simile quiddã de MAHOMETIS ſepultura in Mecha Arabiæ fama prodidit: etſi è recentioribus id negat Adolphus Vernerius in Epitome rerum Turcicarum. Laudatur à Theocrito Eidyl. 15. & 17.

PHILOTERA, dedit nomen Philoteræ urbi iuxta Troglodyticam, conditæ à Satyro, quem eò ad elephantum uenationem perſcrutandam miſerat Ptolemæus. Strabo lib. 16.

HABVIT PTOLEMÆVS Philadelphus coniuges, ARSINOEN, Lyſimachi filiam, è qua liberos ſuſcepit, PTOLEMÆVM Euergeten, Lyſimachum & BERENICEN: & alteram, ut diximus, ARSINOEN ſororẽ, è qua progenies nulla memoratur, puniente nimirum inceſtum diuina iuſtitia.

E CONCVBINIS nominantur ab Athenæo, Æliano, & Clemente: Didyma, BLISTICHE, Agathoclea, Stratonice, Myrtium, Clino, Mneſis, Pothina, Glauca: è quibus qui geniti liberi fuerint, ignoratur.

III. PTOLEMÆVS, cognomento εὐεργέτης, regnauit annos 26. Recepit Cyrenen, ducta BERENICE, Magæ Regis F. Euocatus in Syriam à Panariſte, quæ uiuere Berenicen ſororem ſimularet, fictis nomine huius literis publicatis, ſtudium ſibi ciuitatũ ingens conciliat, & Laodicen captã interficit. Inde ob motus domeſticos regredi in regnũ feſtinabundus cogitur, & nouo Seleuci Callinici bello petitus, uicto acie in annos 10. inducias largitur, & Antiochũ Hieracem ad ſe profugum in cuſtodia aſſeruat. Iuuit ARATVM Sicyoniũ in patria conſtituenda, præter munera priuata conceſſa, dono etiam ipſi miſsis 150. talentis, & opera eius annua conducta talentis ſex. Qua

munificentia aliud tamen nihil nisi societatem Achæorum, & ut terra mariq; dux belli esset, promeruit. Idcirco ab ijs factus alienior, CLEOMENEM, Regem Spartanorum, contra Aratum & Antigonum armat, regnum etiam Macedoniæ se per hunc consequi posse ratus: & prælio uictum, atque ad se profectum exulem, in honore habet. Iratus ONIÆ, Iudæorum Pontifici, ob non solutum tributum, nempe talenta annua 20. placatur per Iosephum, Tobiæ filium. Moritur Olympiad. 139. Polybius, Strabo, Iosephus, Plutarchus, Polyænus, Appianus, Suidas, Cedrenus, Iustinus, D. Hieronymus. Fuit discipulus ARISTARCHI, quē Homeri poëma emendasse, aiunt: & citat commentarios eius Athenæus. Meminit Siracides, & regni eius anno duo de quadragesimo in Ægyptum se uenisse, ait: Quod docet neque de huius Regis annis auctores conuenisse: estq; inde quòd Cicero Arati historiam ad Ptolemæi Philadelphi tempora refert. A' Tacito traditum est, temporibus eius, Phœnicē auem in Heliopolin urbem aduolasse, idq; multo cæterarum uolucrum comitatu, nouam faciem mirantium. Post Syriam occupatam adijt Hierosolymam, & ad morem Iudaicum sacrificium peregit, ut scripsit Iosephus. εὐεργέτε cognomētum refert ad auctores Ægyptios D. Hieronymus, ob restitutos nimirum Deos patrios. Etenim uicto SELEVCO Callinico, Syriam crudeliter diripuit, talentorum argenti 40000. tulit, & uasa preciosa simulacraq; Deorum 2500. in quibus erant & illa, quæ CAMBYSES capta Ægypto in Persas portauerat.

LYSIMACHVS, interijt insidijs Sosibij, curatoris Ptolemæi Philopatoris. Scholiastes Theocriti.

BERENICE, collocatur à patre ANTIOCHO θεῷ, Regi Syriæ: quo Laodices scelere perempto, mox & filium amittit: cumq; dolo circūuenta insidiatoribus se permisisset, trucidatur. Appianus, Polyænus, Iustinus, D. Hieronymus. Auctor est Valerius, post filij cædem currum armatam conscendisse, persecutamq; satellitem regium, crudelis operis ministrum, nomine Ceneum, quoniam hasta nequicquam petierat, saxo ictū prostrauisse, ac super eius corpus actis equis, inter infesta contrariæ partis agmina ad domum, in qua interfecti pueri corpus occultari arbitraretur, perrexisse. Meminit Athenæus libro 2. capite 2.

FVERE PTOLEMÆO Euergetæ coniuges, BERENICE, Magæ Regis F. è qua natus Magas: & CLEOPATRA, quæ procreauit PTOLEMÆVM Philopatora & ARSINOEN.

MAGAS, interficitur cum fratribus post patris obitum à Ptolemæo Philopatore: idq; inflatu Sosibij, qui Berenices matris apud mercenarios milites auctoritatem haberet suspectam: reclamante frustra,

atq;

atque improbante facinus illud CLEOMENE Spartano, cùm diceret: Regi potius securitatis & diuturnitatis regni causa, alios multos fratres parandos fuisse, si qua id ratione fieri posset. Polybius, Plutarchus, Iustinus.

IV. PTOLEMÆVS, cognomento φιλοπάτωρ καὶ τρύφων, tenet regnum post patris obitum annos 17. Ac Magę cęterorumque fratrum cæde, metu domestici motus solutus, totus uoluptatibus turpibus immergitur, permissa regni cura Sosibio & Agathocli: quorum ille cùm CLEOMENI, spe reditus priuato, tandem etiã custodiam apposuisset, seditioni periculosissimæ ea re causam præbet. Hinc belligerat cum ANTIOCHO Magno, qui Cælesyriam & Phœnicen, quam à PTOLEMÆO Lagi occupatam retinuerant successores, repetebat: prælio contendere ausum ad Rhaphiam, fundit fugatque: & contentus amissarum urbium recuperatione, pacem cum eo facere Sosibium permittit, ipse Alexandriam ad uoluptates suas reuersus. Quibus deinde usus licetius, interfecit ARSINOEN sororem & coniugẽ, seque uni addicit Agathocleæ. Quapropter corporis uiribus planè exhaustus, florenti adhuc ætate decedit, relicta regni & filij tutela Agathocli. Polybius, Strabo, Iosephus, Plutarchus, Ælianus, Plinius, D. Hieronymus. A' Zonara Eupator cognominatur, & scribit Iustinus, parentes ipsum ambos interfecisse, indeque cognomentum hoc accepisse. Habitus est ab eo in honore Sphærus Philosophus. Renouauit aui cum Romanis amicitiam, & Decium Magium Campanum eiectum ab Annibale, & Cyrenas appulsum, Romam remisit, ut est apud Liuium. Tametsi hoc temporis ratio permittere uix uidetur, cùm cæteroquin etiam idem auctor Cleopatram ipsi coniugem perperã attribuat. De sæuitia eius cogitata in Iudæos, & seruatis his diuinitus, Cedrenus pag. 136. de naue admirabili Athenæus lib. 5. cap. 6.

ARSINOE, nupsit Ægyptijs institutis fratri: quem ad expeditionem Syriacam secuta, post ob Agathocleæ consuetudinem à se alieniorem experitur: auctoque odio, tandem ab eo de uita tollitur. Polybius, Iustinus, qui Eurydicen uocat.

NASCITVR aũt Philopatori ex Arsinoẽ, PTOLEMÆVS Epiphanes. E' cõcubinis eius sola nominatur AGATHOCLEA, nec additur soboles.

V. PTOLEMÆVS, cognomento ἐπιφανής, relictus à patre decedente quinquẽnis, & Agathoclis tutelæ traditus, per seditionem populi, quam excitârat Mœragenes, ab hoc reposcitur: Cui populo cùm sæuire in eos permisisset, qui uel in matrem, uel in se aliquid deliquissent, præter Agathoclem, & soror huius Agathoclea, & Oenanthe mater, ad supplicium crudele rapiuntur: ac commendatus ipse per

legatos

legatos Romanis, M. LEPIDVM tutorem accipit. In hoc tempore oppugnatus ab Antiocho Magno & PHILIPPO, qui facta pactione, regnum eius inter se diuiserant, ab ijsdem Romanis fide optima defenditur: & conciliatus Antiocho Cleopatræ filiæ connubio, etiam Cælesyriam, Phœnicen & Iudæam, quam uicto Scopa ille occuparat, recipit. Inde Polycratis cuiusdam opera sui iuris fit: societatem Romanis fœdere nouo confirmat: & auxiliares eis copias contra Antiochum defert. Ob quod tantum studium laude illustri laudatus, uictoriam postea illis de Antiocho per legatos gratulatur. Polybius, Strabo, Iosephus, Appianus, Zonaras, Liuius, Valerius, Iustinus, D. Hieronymus. Cato apud Priscianum Grammaticum Regem optimũ & beneficentissimum uocat: Cui addidit Zonaras, Amathę urbis nomen de cognomento suo in Epiphaniam commutasse. Eusebius tribuit ei annos 24.

NASCVNTVR Ptolemæo Epiphani è CLEOPATRA coniuge: PTOLEMÆVS Philometor: PTOLEMÆVS Physcon, & CLEOPATRA.

VI. PTOLEMÆVS, cognomento φιλομήτωρ, discorde fratre usus, Alexandria ab eo pellitur: amissa interea & Cœlesyria, quam Antiochus Epiphanes hac inuitatus occasione, inuaserat. Atq; ab eodem Antiocho in simulatam tutelam receptus, & post tentatam frustrà Alexandriam Memphi relictus, fratri per sororem conciliatur: ac Antiocho, qui bello hoc uindicaturus esset, abstinere Ægypto iusso à Romanis, quos sollicitârant Physco & Cleopatra, regnum recuperat. Nouo deinde fratris bello oppugnatus, intercedentibus Romanis, Cyrenas ei permittit. Habuit in honore ONIAM, Oniæ Pontificis F. & in præfectura Heliopolitana templi Hierosolymitano similis extruendi potestatem ei facit. A DEMETRIO. I. Rege Syriæ, factus alienior, fouit auxiliaribus copijs ALEXANDRVM EPIPHANEM, & generum ascitum tandem ob structas sibi per Ammonium uitæ insidias deserit; filia hosti eius DEMETRIO. II. collocata. Quem cùm Antiochenis cõmendaturus, uulgi studio immodico Rex audijsset, & Asiæ imponere sibi diadema iussus esset, mox hoc Demetrio reddit: ac congressus acie cum Alexandro ad Oenosoram fluuiũ, uictum fugat, grauiter tamen ipse caput uulneratus: in cuius curatione dum ossa medici terebrare contendunt, expirat. 1. Maccab. c. 10. 11. Strabo, Iosephus, Appianus, Eusebius, Zonaras, Florus, Iustinus, D. Hieronymus. Citatur crebrò à Plinio. Eusebius tribuit ei annos 35. Memorat Plutarchus, expetiuisse ipsum coniugiũ CORNELIÆ, sororis P. Scipionis, matris Tiberij & Caij, Gracchorum, hancq; liberorum amore id recusasse.

VII. PTOLEMÆVS, cognomento Εὐεργέτης καὶ φύσκων, contendit de regno cum fratre: cui primùm per sororem, deinde per Romanos conciliatus, Cyrenarum regnum tenere permittitur. Defuncto illo, ad sororis regnum & connubium euocatur: quam ob studium erga filium perosus, mox nuptiarū die hoc priuatam, tandem etiam coniugali toro expellit, filia eius, quam uirginem stuprârat, in matrimonium ascita: ac grassatur simul in populum ea immanitate, ut præter cædes multiplices alias, frequens iuuentute gymnasium armis & igni circumdederit, omnesq; qui in eo erant partim ferro, partim flammâ necârit. Vnde metu plærisq; dilapsis, edicto peregrinos Alexandriam solicitat. Quibus æquè inuisus redditus, metu insidiarum cum coniuge tacitus in Cyprum exulatū abit: ac ueritus, ut ne filius, quem habebat natu maximū, Rex crearetur, hunc Cyrenis accersitū iugulat: idem deinde ausus in alterū Memphiten, cùm studio erga sororem statuas suas deiectas suspicaretur. Atq; eidem sororis patriæq; hostis factus, etiam per Alexandrum Zebinam oppugnat DEMETRIVM. II. Quem ingratum expertus, sororis recōciliationi studet, & reuocatum è Græcia ANTIOCHVM Grypum, hostem Alexandro opponit. Nec multò pòst morbo oppressus, moritur, cùm regnâsset annos 29. regno uxori & alteri è filijs, quem ipsa legisset, relicto. Strabo, Iosephus, Zonaras, Valerius, Florus, Iustinus. Vixit uitam flagitiosissimam, atq; sicuti à sagina uentris; qua non hominem, sed beluam referebat, φύσκωνος cognomentum inuenit, ita à malis facinoribus ab Alexandrinis κακεργέτης dictus est, cùm ipsemet κατ' ἀντίφρασιν Εὐεργέτην se nominaret. Vehementer aūt afflixit Academiam Alexandrinam: Cumq; iugulatis pluribus, reliqui diffugissent, fermè urbes omnes uiris Grāmaticis, Musicis, Pictoribus, Pædagogis, Medicis, &c. completę sunt: qui ob paupertatem docentes, multos uiros eximios effecêre, teste Athenæo. Tametsi ipse eruditionis expers non esset, citatq; idem Athenæus aliquoties commentarios eius de Regibus Alexandrinis. Inspexit regnum ipsius P. SCIPIO AFRICANVS: cui tàm ridiculum, quàm subditis formidabilē fuisse, Iustinus tradidit. Fit eius mentio 1. Maccab. 15.

CLEOPATRA, obsessa Alexandriæ cum Physcone ab ANTIOCHO Epiphane, post abitum huius fratres inter se conciliat: & à Philometore in coniugalem torum recepta, hoc mortuo, pari scelere Physconi matrimonio iungitur. Cuius immanitate filio ex Philometore suscepto priuata, propterea quòd conciliare ei regnum studuisset, tandem & ipsa repudiatur, ac filiam sustinere pellicē cogitur. Cum qua illo insidiarum metu in exilium profecto, rursum alterum ex eodem genitum filium amittit: & bello petita, opibus Ægypti nauibus impo-

impositis, ad filiam & Demetrium generum in Syriam profugit. Iosephus, Valerius, Iustinus, Florus.

PTOLEMÆO Philometori è Cleopatra sorore geniti sunt: Filius ἀνώνυμος & CLEOPATRÆ duæ.

FILIVS ἀνώνυμος, interficitur à Physcone in nuptijs matris, quam regnũ ei cõciliare studuisse, Tyrannus percepisset. Iustinus, Orosius.

CLEOPATRA maior, collocatur à patre ALEXANDRO Epiphani, Regi Syriæ, ab eoq́ ob ingrati animi maleuolentiam iterum abducta, nupsit primum DEMETRIO. II. deinde fratri eius ANTIOCHO Sedeti: mater facta ex omnibus: cumq́ hoc in Parthis occiso, illum ad regnum reuersum, ob Rhodogunes nuptias haberet inuisum, uictũ à Zebina regina excludit, & Seleucũ filiũ, diadema assumere ausum, iugulat, mox etiam ueneno præparato in ANTIOCHVM Grypum. Qui de insidijs præmonitus illam & parricidij cogitati oratione uehementer incusat, & bibere idem uenenum reluctantem, & de pietate frustrà monentem, cogit. 1. Maccab. 10. 11. Iosephus, Appianus, Zonaras, Iustinus.

CLEOPATRA minor, per uim stuprata à PHYSCONE, coniux deinde, matre repudiata, asciscitur: atq́ post crudelissima facinora in tacitum exilium euntem secuta, regni pòst ab eo hæres cum filio altero instituitur. Quod in Alexandrum collatura, Lathurum præferre à populo iubetur. Ideo uehementer in hunc exacerbata, Cleopatra coniuge spoliatum, Seleucen ducere cogit, tandemq́ populi seditione, quam per Eunuchos concitârat, pulsum, pœneq́ oppressum, etiam bello per CHELCIAM & ONIAM, Iudæos duces, oppugnat: accersito ad regnũ Alexandro. Quem cùm crudelitate ipsius territum, & sponte ex regno profectum reuocasset, dum occultis ei insidijs exitium machinatur, occupata ab eodem, perimitur, spiritumq́ non fato dat, sed parricidio. Iosephus, Egesippus, Iustinus, Florus. Meminit Philo de legatione ad Caium, & Cleopatræ Antonij proauiam uocat.

PTOLEMÆVS Physcon primùm in matrimonio habuit CLEOPATRAM sororem, è qua suscepit Memphiten filium: Deinde CLEOPATRAM, ex eadem sorore & coniuge neptem, quæ peperit PTOLEMÆVM Lathurũ, PTOLEMÆVM Alexandrum, SELEVCEN, CLEOPATRAM & GRYPHINAM. Additur à Iosepho lib. 2. contra Apionem concubina Irene, è qua natus est PTOLEMÆVS Apion. Nos etiã è CLEOPATRA nepte liberis accensemus CLEOPATRAM, cognomento σελήνην. Nam ab Ægyptiorũ Regum satu oriundam fuisse, ideoq́

ideoq; ex Antiocho Grypo genitos filios eius regnum Ægypti à Senatu Romæ petiuiſſe, tradit Cicero.

MEMPHITES, liberalis formæ, optimæq; ſpei puer, occiditur in Cypro iuſſu patris, crudeliſsimi facinoris ſpectaculo oculos coràm paſcentis: ac pedes corpore detruncati, & caput atq; manus in ciſtam chlamyde operti, pro munere natalitio matri mittūtur. Valerius, Florus, Oroſius.

IIX. PTOLEMÆVS, cognomento σωτὴρ καὶ λάθυρος ἢ λαμυρὸς, poſt patris obitum populi ſtudio Rex ſalutatus, matris ſæuum odium incurrit: cuius fraudulenta malitia regno eiectus, & ſtatuarum demolitione contumelia graui affectus, in Cyprum exulatum proficiſcitur: Vnde euocatus à Ptolemaidenſibus contra ALEXANDRVM Ianneum, Regem Iudæorū, uictum ingenti clade ſternit, cæſis ex exercitu eius 30000. & Iudæam igni ferroq; uaſtat. Cumq; deinde Ægyptò fruſtrà tentata, quòd mater creſcentem eius potentiam ſuſpectam habens, terra mariq; bellum contra ipſum inſtrueret, in Cyprum remeaſſet, demum poſt obitum illius; & Alexandri fugam, regnum recipit: Vltus tum præcipuè Thebanorum defectionem, quos in poteſtatem redactos ita mulctauit, ut nullum priſtinæ fortunæ ueſtigium retinuerint. Strabo, Ioſephus, Egeſippus, Iuſtinus. Pauſanias à materno odio φιλομήτορα cognominat. Meminère Plinius lib. 6. cap. 30. Mela lib. 3. qui Lamyrum uocat. Euſebius ante exilium annos 17. poſt illud 8. regnaſſe, ait.

IX. PTOLEMÆVS, cognomento Alexander, à matre amorè incredibili amatus, quòd obſequentior mulieri ambitioſæ fore exiſtimaretur, regno ab ea deſtinatur. Hac in re populi aduerſantis contentione, ſpe cum ipſa fruſtratus, Cypro præficitur, hoſtis nempe ad iuſſa matris fratri futurus: cui ab eadem poſtmodum ſucceſſor datus, & in Phœnice hoſtis oppoſitus, cùm mutata uoluntate etiam inſidijs illius peti ſe cognouiſſet, has præoccupans in eam retorquet. Ideo populi concurſu eiectus, in Con inſulam exulatum abit, uitamq; ibi in fortuna priuata finit. Ioſephus, Pauſanias, Iuſtinus. Regnauit iuxta Euſebium annos decem. Notat delicias eius & corporis fœdam obeſitatem, utpote quæ tanta eſſet, ut non niſi duobus fultus incederet, Athenæus lib. 12. cap. 27. Videtur etiam de hoc Rege loqui Cicero contra Rullum, ubi mortuo ipſo, legato Tyrum miſſos ait, qui ab eo depoſitam ibi pecuniam P. R. recuperarent.

X. ALEXANDER, educatus in Co inſula, & MITHRADATI Eupatori deditus, ad SYLLAM profugit: à quo Rex Alexandrinis obtruſus, decimonono regni die à ſeditioſa multitudine in gymna-

in gymnasium è regia protrahitur, atque iniurijs & ignominijs appetitus omnibus, necatur. Appianus.

CLEOPATRA, fuit cum Lathuro fratre: à quo matris iussu dimissa, nubit ANTIOCHO Cyziceno, & Cypri exercitum ueluti dotalem ad eum traducit. Idcirco post infelicem mariti pugnam Antiochiæ capta, frustra repugnante Grypo à sorore ad supplicium rapitur. Iustinus.

GRYPHINA, collocatur à patre Antiocho Grypo: cum quo post uictoriam de Cyziceno Antiochiam ingressa, Cleopatram sororem ab ara abstractam, iugulat. Ea re cùm & marito, & Cyziceno grauiter irritatis, ab hoc post tentatam denuo prælij fortunam capta esset, in Cleopatræ ultionem occiditur. Iustinus.

SELEVCE, nupsit post Cleopatræ diuortium Lathuro fratri: à quo itidem per matrē diuulsa, tandem post Gryphinæ necem Antiocho Grypo collocatur. Iustinus.

CLEOPATRA iunior, cognomento σελήνη, iungitur & ipsa matrimonio Antiocho Grypo: coq; uitæ muneribus perfuncto, primùm Cyziceno, deinde Antiocho ἐυσεβεῖ nubit. E' Grypo sobolis geminę, ex postremo marito unius mater facta. Quorum tot incestorum pœnas demum iustas luit. Nam cùm regnū filijs cōseruandi studio populum ad defensionem contra Tigranem hortaretur, capta ab hoc Seleuciæ, perimitur. Strabo, Iosephus, Cicero.

PTOLEMÆVS, cognomento ἀπίων, accipit patris testamento regnum Cyrenarum, quod liberis orbus Romanis deinde legat. Appianus, Tacitus, Iustinus, Eutropius, Ammianus. Florus ait, regni eius ciuitates Senatum liberas esse, iussisse. Variant de mortis tempore Appianus & Eusebius: quorum ille id collocat in Olympiad. 166. hic in Olympiad. 171. Et prodidit Sex. Rufus, Pentapolin & Cyrenas Ptolemæi antiquioris liberalitate Romanos suscepisse, Lybia uerò supremo Apionis testamento potitos.

PTOLEMÆVS Lathurus è Seleuce liberos reliquit: PTOLEMÆVM Auleten & Ptolemæū: quibus nos addimus ex Pausania Berenicen.

XI. PTOLEMÆVS, cognomento αὐλητὴς, retinuit regnum post ALEXANDRVM, ac largitionibus uix profusissimis Romanorum consecutus societatem, populum ad ærarij supplendas angustias exactionibus grauibus expilat. Ideo in odio habitus, & Cyprum à Romanis repetere iussus, cùm compescere tumultuantes non posset, Romam profugit: & de restitutione cùm ob Sibyllina oracula aduersa, tùm Romanorum procerum inexplebilem auaritiam, ob quā & nomina maxima fecerat, omnia frustra molitus, Ephesum concedit.

Ibi cum Pompeij literis ad Gabinium impetratis, ad hunc in Syriam se deportasset, & decem millibus talentorum, hoc est, 6000000. coronatorum expugnatum ad expeditionẽ in Ægyptum pro se suscipiendam exciuisset, regnum recuperat. Quod exilio efferatus, & ceu ferro partum iam administrans asperius, præter alias cædes filiam Berenicen, quæ se reginam post fugam ipsius gesserat, perimit crudeliter: atq; ob factos sumptus immensos, ad rapinas nouas conuersus, sine discrimine sineq; causa, tantùm pecuniæ studio, locupletissimum quenq; & bonis & uita spoliat. Moritur anno V. C. DCC. I V. regni tricesimo, missis Romam testamenti tabulis. Strabo, Plutarchus, Appianus, Dion, Cæsar, Cœlius lib. 8. Epist. famil. Cic. Suetonius, Florus. Fuit uitæ turpissimæ & flagitiosissimæ, ut quem non puderet, etiam choraulam exercere, & ad certamina, quæ in regia celebraret, cum alijs descendere. Vnde Athenæus, non uirum, sed tibicinem & magum fuisse, ait. Multa de eo habet Cicero lib. 1. Epist. fam. ad Lentulum, & in Orat. pro Rabirio. Nam Lentulus tùm Ciliciæ Procos. restitutionem eius ambiebat. Annotauit ex Cicerone Strabo, regnante Aulete Ægyptiaci regni reditus fuisse 12500. talentorũ, quæ ad nostram monetam supputando faciunt coronatorum 7500000. Voluisse sub eo M. Crassum Ægyptum stipendiariam facere, refert Plutarchus in Vitis.

PTOLEMÆVS, regnauit in Cypro, P. C L O D I O, Ciceronis aduersario, usus infestissimo, quòd captum à piratis redimere recusasset, lege eius regno iniustè spoliatur. Ad quod confiscandum cùm aduentare M. C A T O N E M didicisset, etsi sacerdotium per illustre ipsi offerretur, tamen & regni, & pecuniæ amittendæ desiderio, uiuere haud sustinet, haustóq; ueneno, uitam abrumpit. Strabo, Plutarchus, Dion, Velleius, Ammianus, Sex. Rufus. De sordida eius auaritia, & pecuniarum amore, Valerius lib. 9. cap. 4. & scribit Florus, opes eius, quas Plutarchus facit 700. talentorum, latius P. R. ærarium quàm ullum triumphum impleuisse. Quanquam has totiusq; insulæ ius Romani auarius quàm iustius occupârint, ut loquitur Sex. Rufus: cùm Regem hunc fœderatum & socium haberent. Quod Clodio exprobrãs Cicero in Orat. pro Sestio: Ille, inquit, Cyprius miser, qui sem per socius, semper amicus fuit: de quo nulla unquam suspicio durior aut ad Senatũ, aut ad Imperatores nostros allata est, uiuus (ut aiunt) est, & uidens cùm uictu & uestitu suo publicatus, &c. Variat de morte eius Appianus lib. 2. de bellis ciuilib.

BERENICE, honoratur cum patre statua ænea ab Atheniensibus. Pausanias in Atticis.

PTOLEMÆVS Auletes liberos reliquit: PTOLE-

o 2 MÆVM

MÆVM Dionysium, Ptolemæum, BERENICEN, CLEOPATRAM & Arsinoën.

XII. PTOLEMÆVS, cognomento νέος θεός, patris testamento regnare cum CLEOPATRA iussus, à Senatu tutorem Pompeium accipit: cumque illam uix dum natus annos 13. per propinquos & familiares expulisset, hunc post prælium Pharsalicum ad se profugum, auctoribus Theodoto præceptore & Photino Eunucho, per Achillam tollit, & caput unà cum annulo uictori Cæsari ceu amicitiæ pignus, mittit. A' quo neque quam sperârat gratiam consecutus, & cum sororê, quæ propterea clàm in regiam admissa esset, pacificari iussus, prosiliendo ad multitudinem, seditionem grauem conflat. Hac Cæsaris dexteritate sedata, cùm mox scelere Photini ad arma reditum esset, prætextu pacificationis nouæ instituendæ, à Cæsare, qui diligenter ipsum custodiret, reposcitur: ac dimissus humaniter, benefactori gratiam eam refert, ut & seditiosæ multitudini ducem se præbuerit, & bellum acrius urserit: cumque prælio cum Cæsare contendere ausus, magnaque strage deuictus, etiam castra amisisset, periit in Nilo, naue quam in fuga conscenderat, fugientium multitudine submersa. Strabo, Appianus, Dion, Cæsar, Hirtius, Velleius, Lucanus, Suetonius, Florus, Eutropius, Orosius. Meminit Lucianus de non temere credendo, & uesaniam eius circa Bacchanaliorũ studium notat. Ab Appiano traditur, apud Aradios quendam pro illo se uenditasse, quem tandem Cleopatræ dediderit Antonius.

PTOLEMÆVS, donatur à Cæsare sub belli Alexandrini initium Cypro insula, & Arsinoë ipsi coniux destinatur. Qua deinde per Photinum ad hostes traducta, cùm in fide mansisset, & Cleopatram coniugem, & regni administrationem habere cum illa cõmunem permittitur. Etsi mox hanc sibi uniuersam uendicauit Cleopatra: quam Romàm ad Cæsarem comitatus, & amores illius cum eodem atque Antonio ferre coactus, pòst instinctu eius Ephesi ab Antonio perimitur. Strabo, Dion, Appianus, Hirtius, Suetonius. Variat de morte ipsius Iosephus, & ueneno à Cleopatra occisum, ait, cùm natus esset ad an. 15.

BERENICE, salutatur populi studiò Regina post patris fugam: & SELEVCO Cybiosacti matrimonio iuncta, cùm ob mores sordidos eo necato, ARCHELAVM maritũ asciuisset, tantùm menses sex cum eo regnat. Nam à GABINIO bello oppugnata, & capta Alexandriæ, patris iussu occiditur. Strabo, Dion.

CLEOPATRA, ab Antonio cognominata ἴσις καὶ σελήνη, datur patris testamẽto PTOLEMÆO Dionysio coniux, & regni socia. A' quo armis oppugnata, regnoque eiecta, in Cæsaris fidem, qui Alexandriam ad Pompeium persequendũ tum accesserat, se confert. Hu-

ius

ius opera cùm frustra reconciliatione tentata, fratrem euertisset, regnũ Ægypti cum fratris alterius cõnubio retinet: & ardentiore amore Cęsaris accensa, post debellatum Scipionem in Africa, Romæ hunc uisit, filioq; sibi nato, ab eo nomen imponit. Inde Dolabellę auxilia subministrat contra Trebonium: & apud Antonium in suspicionem uocata, quòd Casśium pecunijs iuuisset, non solùm hunc placat, sed & insanis amoribus suis planè dementat. A' quo tempore uarijs grassata sceleribus, & fratrem maritum, & Arsinoën sororem, per Antonium interfici curat, honorataq; ab eodem in cæteris prouincijs Phœnice, Cœlesyria, Cypro, tum REGINA REGVM salutata, tandem etiam ipsum ut Octauiam repudiaret, seq; in coniugalem torum reciperet, impellit. Ideo hostis iudicata ab Augusto Cęsare, & post infelicem ad Actium pugnã Alexandriæ obsessa, atq; ex insidijs capta à C. Proculeio, (Est hic, quem celebrat Horatius lib. 2. Carm. Od. 2.) cùm ad triumphum se asseruari didicisset, seu aspidum morsu, seu ueneno delibutorio necem sibi conciliat, cùm regnasset annos 19. (Eusebius & Plutarchus habent 22.) uixisset triginta nouẽ. Strabo, Iosephus, Dion, Appianus, Plutarchus, Suidas, Zonaras, Zetzes, Cæsar, Hirtius, Velleis, Lucanus, Suetonius, Florus, Eutropius, Orosius. Fuit libidinis incontinentisśimæ, sed quæ blandiloquentia & suauitate morum facilè sibi quorumuis gratiam conciliaret. Accesśit huc luxus & auaritia inexplebilis, qua stimulante, neq; templum, neq; sepulcrum, neque asylum ullum unquam uiolare dubitauit, si pecuniæ spes affulgeret: conata etiam præter LYSANIAM, Chalcidensem Regulũ, HERODEM Magnum regno excutere. Prodidit precium unionis ipsius Macrobius lib. 3. Saturnal. cap. 17. centies sestertium, quem aceto liquefactum haustu uno absorbuit, cùm sponsione Antoniũ prouocasset, tantum se in unam cœnam posse insumere. Linguarum uariarum peritiam habuit, ut quæ Æthiopibus, Troglodytis, Ebræis, Arabibus, Syris, Medis, Parthis per se responsa daret. Gratulatur de Cleopatra ab uictoriam Augusto Cæsari Horat. lib. 1. Carm. Od. 37. & inuehitur in eandem Propertius lib. 3.

ARSINOE, desponsa à Cæsare Ptolemæo iuniori, hostibus deinde illius se iungit: & regina salutata, Achillam sibi insidiantem præcipiendo tollit, & bellum contra Cæsarem per Ganymedẽ urget. Cuius impotenti dominatione in odium adducta, & per Ptol. Dionysium à rerum administratione depulsa, eo uicto & occiso, à Cæsare ad triumphum abducitur. Tamen in germanorum gratiam dimissa rursus, cùm nouæ ipsi simultates cum Cleopatra esse cœpissent, inflatu huius Mileti de uita tollitur ab Antonio. Strabo, Iosephus, Dion, Appianus, Cæsar, Florus. Lucanus de ea sic canit:

——peruenit ad hostes
Cæsaris Arsinoë, quæ castra carentia regê
Vt proles Lagea tenet, —— &c.

¶ VISVM autem fuit hoc loco adijcere liberos CLEOPATRÆ, etsi paterna origine ad familias alias pertinentes. Quos illa genuit, è CÆSARE DICTATORE, Ptolemæũ Cæsarionem: ex ANTONIO, Alexandrum, CLEOPATRAM, Ptolemæum.

PTOLEMÆVS, Cęsaris permissu à matre Cæsarionis cognomento appellatus, ob eiusdem contra Trebonium studium, Rex Ægypti salutatur à Triumuiris, & pòst Rex REGVM ab Antonio: qui idem ut Cæsari Augusto inuidiam faceret, filium Cæsaris legitimum credi uoluit. Id quod non minus Cæsarioni nocuit, quàm quòd inter ephebos relatus esset. Etenim cùm à matre per Æthiopiam in Indiam amandatus, Rhodonis pædagogi suasu ad Cæsarem reuertisset, hocq; super eo deliberanti, ARIVS Philosophus mutatum nonnihil Homericum uersum consulendo subiecisset:

οὐκ ἀγαθὸν πολυκαισαρίη, εἷς καίσαρος ἔστω,

iugulatur. Dion, Plutarchus, Zonaras, Suetonius.

ALEXANDER, nascitur cum sorore CLEOPATRA gemellus: & à patre Antonio Solis cognomento honoratus, & Mediæ, Armeniæ, Parthiæ Rex destinatus, hoc uicto & perempto à Cæsare in triumpho ducitur, uitaq; donatus, IVBÆ affini permittitur. Plutarchus, Dion, Eusebius.

CLEOPATRA, cognomento σελήνη, donata à patre Cyrenaica, hocq; euerso in triumpho ducta, collocatur postea IVBÆ, Regi Mauritaniæ. Plutarchus, Dion, Eusebius, Suetonius. Suidas è Cæsare genitam, ait.

PTOLEMÆVS, cognomento φιλάδελφος, accipit dono à patre Syriam, Phœnicen & Ciliciam: & in triumpho cum Alexandro ductus, cum eodem Cleopatræ conceditur. Plutarchus, Dion.

REGNVM

REGNVM CYRENAICVM.

DE CYRENÆORVM ORIGINE ET IMPERIIS: QVAE FAMILIAE REGIAE, QVI TYRANNI, BIS imperârint.

DE CYRENE, quæ Cyrenæis & terræ Cyrenaicæ nomen dedit, è Græcis diuersi fabellas diuersas prodidêre. A' quibus discedêtes Stephanus & Eustathius, Cyrenen à fonte Cyre dictũ uolunt. Variat etiam de tempore conditæ Cyrenes ita Eusebius, ut alibi hoc nominetannũ uicesimum quartum ERICHTHONII, qui quartus fuit Rex Athenienſium, alibi annum duodecimum CECROPIS, alibi Olympiad. 4. alibi etiam 17. Quod impugnans Solinus, Olympiad. 45. rege Martio Romanorum res tenente, anno post Troiam captã quingentesimo octuagesimo sexto, ædificatam scribit.

SED hæc fabulosè tradita, nostra sigillatim sententia discutienda haud putauimus. Et amplectimur ipsi, quæ est sacrarum literarum auctoritate de Cyrene, huiusq; incolis, plæriq; monumentis suis commendârunt: Nimirum primum omnium hanc occupatam tenuisse ENAMIM, filium Cham. Neq; enim procul inde abfuit Ammonis oraculum, quem Ammonẽ eundem esse, qui in literis sacris nominatur Cham, prorsus dubium nullum est. Tametsi Iosephus Enamim res & nomen in obscuro extitisse, dicat. Est autem nomen Enamim idem significatione, quod fons aquarum. Nobilitauit enim Cyrenen fons Solis, qui meridie frigebat, cùm nocte media caleret. Et exprimit Cyrene interpretatione urbem fontis, Brunſtadt, Puteolos, à Kariath urbs, & Ena fons. Proinde primi Cyrenes coloni fuêre posteri Enamim. His successêre MINYÆ, progenies Argonautarum: quibus Strabo hoc nomen inditum ait, quòd Minyæ Orchomenij (erant enim alij in Arcadia, gentis nempe diuersæ: ac Minyæ quidem Orchomenij cùm à Thebanis pulsi essent post pugnam Leuctricam, reducti tandem sunt à PHILIPPO Amyntæ) coloniã Iolcon & Minyam Thessaliæ, quam à Stephano appellatam nomen gentis conseruasse, credibile est, deduxissent, Vel, ut Apollonius ait, quòd de filiabus Minyæ Regis plurimi & optimi Argonautarum geniti essent. Hi enim cùm Colchidem petituri, in Lemnum appulissent, & à Lemnijs mulieribus, quę suos ipsæ maritos insano quodam conatu peremerant, humaniter suscepti, in maritales toros succeſsissent, inde genitis liberis

idem Minyarum nomen datum fuit. Qui eiecti postea à Pelasgis, nauigârunt in Peloponnesum,& ad Taygetum consedere,patriam se repetere prætendentes. Vnde in urbem traducti à Spartanis,& ciuitate donati,tandem regnum affectare occipiunt. Ideo in custodiam conditi,& uxorum pietate liberati,cùm Lacedæmonem ad supplicium reducendi essent, THERÆ precibus conseruantur. Nam is conscriptam è tribubus multitudinem minus adhuc ad coloniam deducendam ualidam ratus,partem Minyarum maximam (reliqui enim partim apud Cauconas,partim apud Parocratas,remansere) sibi adiungit,& in Theram insulã,cui id de se nominis reliquit,abducit. THERÆ è Samo F. ἐκγόνος,ut loquitur Scholiastes Pindari, BATTVS in Libyam migrare cum colonis iussus, & cùm præstari id à se posse diffideret,tandem ad hoc cladibus non leuibus coactus, alteram Minyis sedem in Cyrene quæsiuit. Estq; inde, quòd Græci etiã conditam ab eo urbem Cyrenen putant: quod relinquo iam in medio.

ERGO alteros Cyrene colonos habuit Græcæ stirpis: pertinetq; huc, quod Iosephus Cyrenæos Lacedæmone oriundos fuisse, ait, & Ammianus Battum Spartanum facit. Quorum quod regnum fuerit, diligenter explicat Herodotus lib.4. Quanquam de conditore Batto non conuenit cum ipso Iustinus:& malumus nos de genere huius sequi Scholiastẽ Pindari,qui ijs,quos diximus,generis gradibus à Thera Regem istum propagat. Ac retinuit quidem regnũ posteritas usq; ad ARCESILAVM, Pheretimæ F. Is enim cùm dominatum alienum Persarum admisisset, ut se auctoritate apud suos, ita familiam dignitate regia spoliat,regnũq; ipsum interitu suo finit. Tametsi idem dominatus solo tributo cõstiterit: scribitq; Herodotus, Cyrenen cum Ægypto & Libya Persis pependisse talenta 700. hoc est, 420000. coronatorum. Cætera libertas Cyrenẽsis integra mansit: & ARYANDES Persa,cùm Barcam, euocante Pheretima, occupasset, Cyrenen intactam reliquit. Sub ARTAXERXE Mnemone ARISTO quidam per seditionem optimatibus partim cæsis, partim pulsis, urbem occupat. Ideò cùm ciues exules adiunxissent sibi Messenios, è Naupacto urbe post occupatas à LYSANDRO Athenas à Lacedæmonijs eiectos,& præliũ cum aduersaria factione iniuissent cruentum,compositione redire permittuntur. Quo tempore quibus legibus Resp. constituta fuerit, narrat Aristoteles lib. 5. Politic. cap. 4. Atq; hac deinde florente & tranquilla Cyrenæi usi,tandẽ cum ALEXANDRO in Ægyptum profecto per legatos amicitiam coniungunt: cùm ut urbes eorum inuiseret,obtinere nequissent. Inde oppugnati à THIMBRONE, qui HARPALO occiso copias eius ad se traduxerat,pacem ab hoc redimere pecunia cogũtur. Qua cùm

nondum

nondum planè depensa, MNASICLE Cretensi auctore ad arma redijssent, uiribus impares, euocant PTOLEMÆVM Lagi. Id quod quidem certè nouæ & priore grauioris seruitutis ipsorum initium extitit. Nam Ptolemæus per OPHELLAM Thimbrone debellato, & in potestatem redacto, Cyrenæ etiam præsidium imposuit: idq; indignè ferentē populum, & Ophellam obsidere in arce ausum, per alterum ducem, MAGAM priuignum, ita compescuit, ut defectionis auctoribus ad supplicium raptis, & armis tradi sibi iussis, libertate mulctârit. Quanquam qua ipse hac in re usus perfidia & scelere fuerat, eadem mox circūuentus fit ab OPHELLA. Is enim militum sibi studijs conciliatis, Cyrenen suā fecit, & regiū nomen assumsit. Quod idem exemplum & MAGAS postea imitatus est, cùm à BERENICE præfectus Cyrenæis impositus esset. Quocirca est hoc Cyrenes regnum alterum, de quo quidem nos hîc tantùm explicandum in regnis Macedonicis suscepimus, facto cum Iustino initio in OPHELLA. Nam patriâ hunc Pellæum fuisse, certum est: & Magæ pater Philippus itidem Macedo nominatur. Vt regnum idem etiam gentis sam nouæ sit atq; diuersæ, hoc est, Macedonum. Tametsi diuturnum non fuerit. Nam Maga uitæ muneribus perfuncto, cessit iterum Cyrene Ptolemæis, sub quorum deinde imperio mansit usq; ad PTOLEMÆVM Apionem. Hic enim liberis orbus, Romanis legauit. Qui cùm urbes liberas esse iussissent, teste Floro, Tyranni ea occasione Rēmpub. inuaserunt. Et Plutarchus in Lucullo Tyrannidum ibi cōtinuarum meminit: etsi solos nominat TIMOCRATEM & LEANDRVM: quibus cùm Aretaphilæ artibus cæsis, ciuium nihilominus libertas adhuc periclitaretur, LVCVLLVS euocatus Rempub. legibus firmatam pacauit. Postea tamen Romanis prouincijs Cyrenen accessisse, constat, & scribit Strabo cum Creta coniunctam fuisse.

REGES CYRENAEI, QVI PTOLEMÆORVM TEMPORIBVS E MACEDONI-CA STIRPE RE-gnârunt.

OPHELLAS, Pellæus, militat inter amicos apud ALEXANDRVM Magnum. Inde se adiungit PTOLEMÆO, Lagi: à quo missus contra THIMBRONEM, qui Harpali pecunijs & copijs potitus, Cyrenen occupârat, & ciues rebellan-

rebellantes armis oppugnare cœperat, uictum acie uiuum capit, & Cyrenen in potestatem redactam, ac post defectionem nouam MAGÆ ope recuperatam, cum regio nomine sibi uendicat. Ab eo tempore maioris acquirendi principatus cupidine accensus, & illectus cùm AGATHOCLIS Syracusani fallacibus de Africa omni subigenda promissis, tum turpi filij eius obsequio, auxilia Tyrãno ualida contra Carthaginienses adducit. Ideo mox illi factus suspectus, & calumniose de structis insidijs exercitui accusatus, subitò ab irritata multitudine inuaditur, & decertare prælio coactus, perimitur. Diodorus, Strabo, Plutarchus, Polyænus, Arrianus, Suidas, Iustinus, Orosius.

HABVIT in matrimonio Ophellas EVRYDICEN, filiam Miltiadis, oriundam à MILTIADE, duce Atheniẽsium: è qua suscepta proles ignoratur.

FAMILIA MAGÆ.

PHILIPPVS, Macedo ignobilis & popularis, testibus Plutarcho & Pausania, reliquit è BERENICE, quæ post modò fuit in matrimonio PTOLEMÆI Lagi, liberos, MAGAM & ANTIGONEN: quibus nos ex Diodoro & Iustino adijcimus THEOGONAM. Nam hic quidem ex Ægypto eam fuisse, disertè affirmat: & fortè eadem hæc propinquitas PYRRHO Lanassæ, Agathoclis F. connubium & regnum Syracusanum conciliauit.

MAGAS, à matre in aulam PTOLEMÆI Lagi traductus, mittitur cum exercitu contra Cyrenæos, qui bellum per defectionem OPHELLÆ fecerãt, & imperio eius restitutos, tandem etiam post cædem illius successu eodem recuperat, & à matre eis præfectus imponitur. Quam potentiæ augendæ ratus sibi oblatam occasionem opportunissimam, deficit à PTOLEMÆO Philadelpho, fratre uterino, & ob Gallorum tumultus id frustra uindicare conatũ, bello nouo per ANTIOCHVM Soterem, socerũ, oppugnat, Cyrenenq; armis defensam cũ regio nomine retinet. Ideo Philadelpho hoste deinde usus ἀσπόνδῳ, sub mortem per filiam cum eo in gratiã redit. Diodorus, Pausanias, Iustinus. Scribit Athenæus ex Agatharchide, regem hunc per annos quinquaginta bellum non sensisse, & cùm delicijs studeret, adeò obesum factum, ut tum ob corporis ignauiam, tum propter nutrimenti copiã, ipsa crassitudine suffocatus sit. Meminere Laërtius in Aristippo & Polyænus lib. 2. Habet de eo Plutarchus moderationis exemplum insigne. Nam à Philomene Poëta carmine maledico in theatro notatus, satelliti mandauit, ut nudo ense ceruicem duntaxat eius attingeret, moxq; comiter abiret, deinde missis talis & sphæra, tanquam puerulo, qui non saperet, dimisit.

ANTI-

ANTIGONE, collocatur PYRRHO Æacidæ: quem constanti amore amplexa, & pecuniam, & copias ad regnum recuperandum ei à Ptolemæo uitrico impetrat. Plutarchus.

THEOGONA, nupsit AGATHOCLI, Tyranno Syracusano: à quo morituro cùm filijs duobus, & regali instrumēto in Ægyptum regredi iussa, cōiugali amore diu id detrectat, cùm diceret: Nubendo se non prosperæ tantùm, sed omnis fortunæ iniſſe societatem. Diodorus, Iustinus.

FVIT cum MAGA Apame, Antiochi Soteris F. è qua nascitur BERENICE.

BERENICE, despondetur à patre PTOLEMÆO Euergetæ: quibus sponsalibus matris fraude dissolutis, accersitū ab ea DEMETRIVM, Demetrij Poliorcetæ F. qui cum ipsa iam matre consuesceret, percussoribus immissis de uita tollit: & patris mandatum confectura, Ptolemæo se in coniugium tradit. Eo mortuo, cùm ob audaciam nimiam à priuigno Philopatore suspecta haberetur, cum filio in custodiam datur. Polybius, Plutarchus, Iustinus. Meminère Suidas φύλαρχος, Stephanus Βερενικίδαι, Solinus cap. 40.

TYRANNI CYRENÆI.

TIMOCRATES, tenet tyrānidem temporibus MITHRADATIS Eupatoris, & cùm alijs calamitatibus patriam affligit, tum Melanippo Apollinis sacerdote occiso, & sacerdotium eius sibi usurpat, & coniugem ARETAPHILAM in matrimonium ducit. A qua in mariti uindicationē ueneno tentatus, insidijs proditis, tormentis eam crudelibus excarnificat, & crimen constanter denegantem, ceu innocentem maiori inde beneuolentia & amore prosequitur. Quare ad eum insidias nouas mulieri occasionē præbuisset, instinctu eius à LEANDRO fratre de uita tollitur. Plutarchus, Polyænus.

LEANDER, Aretaphilæ filiæ amore irretitus, & à fratre ducendi eam potestatem consecutus, ad cędem huius patrandam fraude eadem inducitur. Post quod facinus, cùm imperium in se transtulisset, clandestinis Aretaphilæ insidijs oppugnatur ab Anabo Libyi: ac dum pacem facere cum hoste satagit, in uincula conditus, & ciuibus excruciandus traditus, culeo insuitur, & in mare proijcitur.

FVIT cum TIMOCRATE, ut diximus, ARETAPHILA: quæ nata patre Agelatore, cùm maritum Melanippum Tyranni scelere amisisset, & hunc præclarè ulta, etiam Leandrum uestigijs eius insistentem euertisset, itaq; patriæ libertatem restituisset, in sacrarum

uirginum domum ſecedit: ac negotiorum omnium & ciuilium rerum cura poſthabita, quod reliquum fuit uitæ inter amicas ſociasq; mulieres placidè tranquilleq; peragit. Plutarchus, Polyænus.

REGNVM SYRIACVM SELEVCIDARVM.

DE SYRIORVM ORIGINE ET IMPERIIS: FAMILIAE SELEVCIDARVM PROPAGATIONE, INTERITU, *consuetudinibus.*

ETSI neque Seleucidarum apud Syros regnum gentis huius exiſtimandum eſt, ſed Macedonũ, qui euerſa Perſarum Monarchia, cum reliqua Aſia Syriam occupatam retinuerunt: tamen ſeruare hîc etiam cõſuetudinem noſtram uoluimus, perſuaſum habentes, neq; ingratum id Lectori fore, & expoſitioni ipſi lucis inde aliquid acceſſurum.

FACIVNT Plinius, Mela, Oroſius, Syriam ampliſsimam, & ſeu prouincias ſeu partes eius appellant: Palæſtinam, Iudæam, Cæleſyriam, Phœnicen, Damaſcenam, Babyloniam, Meſopotamiam, Sophenen, Commagenen, Adiabenen, Antiochiam. Sed ea nominis Syriæ uſurpatio magis ad ciuilem Romanorum conſuetudinem, quàm ad ueram gentium, quæ terras haſce incoluere, diſtinctionem, quæ potiſſimum linguarum & originis diuerſitate inſtitui ſolet, accommodata eſt. Nam PALÆSTINI ſunt à Philiſtijm, filio Mizraim, nepote Cham, deflexa enunciatione Ebræa ad Græcam. IVDÆORVM originem de confirmatione ſacrarum literarum Ebræam facimus ab ABRHAMO: cuius ex ISAACO F. nepos IAGOBVS, cognomẽto Iſraël, ISRAELITARVM nominis auctor eſt, ut pronepos IVDAS, Iudæorum. PHOENICES cõdidit SIDON, filius Chanaan, à quo Sidonis urbis appellatio manſit: eſtq; à Phœnicibus denominatio POENI, omiſſa ueterum more aſpiratione, quę de Carthaginienſibus uſurpata fuit. Nam CARTHAGO Tyriorum colonia eſt, quos Tyrios Sidonios fuiſſe, conſtat. Et nomen Carthago Ebræum eſt, à Kariath, urbs (unde & Alcayrum Ægypti, quæ ueteribus Memphis eſt, & CYRENE, quarum illa Dei, hæc fortis urbẽ ſignificat, denominatæ) & Iá, Deus. MESOPOTAMIOS Strabo miſcet ex Arabibus, Syris & Armenijs: Cùm literæ ſacræ Meſopotamiã terram nuncupent ARAM NAHARAIM, id eſt, Syriam fluuiorum. BABYLONII Chaldæi ſunt, ab ARPHAXAD,

XAD, filio Sem. SOPHENI & ADIABENI Assyrij esse uidentur, ut ANTIOCHENI Macedones. Hi enim ut reliquam Asiam uniuersam, ita inprimis Syriam colonijs suis compleuere. Proinde exquisitè loquendo Syrorum appellatio tantùm ad Cœlesyriæ, Damascenes, & Commagenes incolas pertinet. Nam quod Strabo & IDVMÆOS, quos condidit ESAVS, cognomento Edom, frater Iacobi, eis accenset, locum habere non debet: rejciturq; meritò eadem ratione, quòd Herodotus Cappadocas Syros facit, eosq; Leucosyros cognominat, cùm origo horum fuerit à MESECHI: Collocat autem in Cœlesyriam Iosephus MOABITAS & AMMONITAS. Vtriq; propago sunt filiorũ LOTHI: cumq; historia eorũ è literis sacris nota sit, dicere de ijs in præsenti plura supersedeo. DAMASCENI sunt ab ARAM, filio Sem. Sic enim Esaias uates cap. 7. Caput Aram Damascus. Estq; ab eadem urbe nomen Damascenorum profectum: quam exponunt aliqui sanguinis saccum, à Dam sanguis (Vnde & uox Akeldama in historia Passionis) & Sak, saccus: quia scilicet in isto loco sit interfectus Abel. Quanquam Iosephus Damascenos Syros à TIGLATPHILASSARE, post occupatam Damascum, & cæsum RAZINEM Regem traductos in Mediam, atq; in desolatas horum sedes gentes quasdam Assyriæ collocatas, ait: cùm literæ sacræ exilij locum hunc nominent Kir, de quo omitto coniecturas interpretum. Ad eandem originem refero COMMAGENOS, & si à Moabitis & Ammonitis discedas, COELESYROS. Cæterũ nomen SYRI, mutilârunt Græci ab altero Assyrij, id quod docent Herodotus, Strabo, Suidas, Iustinus. Nam utrosq; gentem unam & eandẽ credidêre. Et pertinet huc, quod scripsit Eustathius, Assyriorum & Syrorum nomen aliquibus ἀδιάφορον esse. Ita enim usurpatum reperimus ab Athenæo, Luciano, Egesippo, Cicerone: è quibus Lucianus se etiam Assyriũ uocat, cùm Syrus fuerit è Samosatis urbe. Et tradit Dion, HELIOGABALVM cognominatum Assyrium, quòd Syri sacerdotis ueste uteretur. Tamen Syros lingua patria à conditore Aramo ARAMEOS se nuncupasse, Strabo, Iosephus & Eusebius auctores sunt: eodem planè modo, quo Ægyptij à Mizraim Mesræos se uocârunt. Estq; appellationi Aramei uicina ab Homero usurpata, ARIMI, ac censet Strabo, eà Syros accipiẽdos, ut per EREMBOS, Arabas. Nam cognatas facit gentes, Armenios, Syros, Arabes, cùm lingua & moribus, tũ etiam corporis lineamentis. Vnde neque improbanda coniectura uidetur, si quis ut originem Syrorum & Armeniorum, ita singulariter horum & Arabum nomen ab Aram fuisse, existimaret. Nam ARABES quidem stirpis diuersæ sunt, nempe ab ISMAELE, & reli-

p quis

quis Abrahami ex Cethura filijs, teste Iosepho. Attamen suum hac de re cuiq; iudicium liberum sit: quandoquidem sacræ literæ Armeniam uocant terram Ararat. Et quia montosa illa fuit, putat uir ingeniosissimus Ioannes Mathesius significare Armeniam idem, quod minij uel metallorum montes: quoniam utrorumq; illa feracissima extitit.

QVÆ Syrorum fuerint initio imperia, ex sacra Bibliorum historia obscurum nō est, nempe libera neq; seruituti aliarum gentium obnoxia. Nam quod tradidit Diodorus, à NINO Assyrijs subditos, in eo fidem illi derogamus: cùm quidem & AMRAPHEL, qui NINYAS esse putatur, occupatis Gomorrha & Sodoma, mox cum regibus socijs pulsus sit ab ABRAHAMO. Quanquā cæteroquin etiam de Syriaca historia uehementer uariatum apparet. Nam Berosus ab ASCATADE primùm Syriam occupatam, ait: quod errore adhuc crassiore Xenophon regi Assyriorū ultimo, hoc est, BALTASSARI, asscribit. Ac legimus apud Strabonem, historias Medorum, Persarum, Syrorum etiam propter scriptorum simplicitatem parum fidei inuenisse. Celebratissimum autem est regnum Damascenum familiæ ADADORVM: quod nomen à stirpis conditore profectum ita retinuêre posteri, ut Parthici reges ab Arsace Arsacis, Ægyptij à Ptolemæo Ptolemæorum, teste Iosepho. Cœpit hoc temporibus Dauidis, & administratum à regibus decem, ita ut semper patrem exciperet filius, post BENADADVM ad nouam familiam AZAELIS transfertur. E qua BENADADVS alter tribus uincitur prælijs à IOA, rege Israëlitarum, cùm his pater AZAEL hostis fuisset ἄσπονδος atq; grauissimus. Postremus Syrorum rex RAZINES, cùm ACHAZO hostis factus Hierosolymam obsedisset, artibus eius bello inuaditur à TIGLATPHILASSARE, monarcha Assyriorum, & Damasci obsessus, tum sibi interitum, tum genti toti seruitutem perpetuam attrahit. Nam paruit exinde Syria externis imperijs Assyriorum, Chaldæorum & Persarum: quibus postremis ab ALEXANDRO deuictis, in ditionem huius concedit, & regitur post obitum eiusdem primùm à LAOMEDONTE, deinde à PTOLEMÆO. Quem cùm expulisset rursus ANTIGONVS, tandem hoc ad Ipsum cæso, obuenit SELEVCO Nicatori, in eiusq; deinde atq; posterorum (de qua familia explicatio nostra erit) potestate manet.

FVIT autem SELEVCI origo ex Oropo urbe, teste Stephano. Neq; aliam ipsius nobilitatem reperimus: etsi hanc uetustam atque illustrem fuisse, dubium nullum est. Quippe inter Philippi Duces locum tenuisse Antiochum, Seleuci patrem, Iustinus auctor est. Atq; nos cum Appiano Seleucidarū de eo nomē retinere uoluimus, quòd

ob res

ob regiæ dignitatis partũ decus ceu condidiſſe familiam hanc uideatur. Cuius hiſtoria omnino obſcurior & perplexior eſt, confuſis ſæpe perſonarũ cum nominibus tum rebus geſtis. Strabo quidem Antiochum Hieracem Seleuci filium fecit. Et de ſequentibus regibus ita uariatur, ut Suidas & Cedrenus ANTIOCHVM Epiphanem Seleuco Philopatore prognatum dicant: cui præter perpetuum ſcriptorum conſenſum etiam Maccabæorum libros opponimus, qui Antiochum Magnum ei patrem attribuunt. Quanquam Cedrenus ut ſæpe alias, ita hic etiam iuſtius reijcitur, quod Epiphanem à Seleuco decimum quintum regnaſſe ſcribit. Accedit iam dubium nouũ de ALEXANDRO Epiphane. Etenim Iuſtino Prompalus, & extremæ ſortis iuuenis dicitur, quiq; Demetrij odio inſtigatus & adiutus à Ptolemæo, Attalo, Ariarathe, regibus, Alexandri nomen aſſumſerit, itaque Antiochi filium ſe finxerit. Nec diſcrepant ab hac ſententia Athenæus & Appianus: quorũ ille filium Antiochi ſuppoſititium uocat, hic falſo in Seleucidarum gentem ipſum ingeſſiſſe ſeſe, ait. Ac Florus etiam à ſe ipſo diſſentiens alibi à Perſeo, rege Macedoniæ, propagat, alibi incertæ ſtirpis hominem nuncupat. Sed rectiſsimum fuerit ueſtigijs librorum de Maccabæis hic inſiſtere, quibus cum conueniunt, Strabo, Ioſephus, Zonaras, Egeſippus. Tametſi ex his Strabo mendo omnino non careat, qui lib. 16. Balam Alexandro filium attribuit, cum hoc ille cognomentũ habuerit, quomodo eſt apud Ioſephum. Eſtq; idem erratum in Euſebio, qui alibi Antiochi, alibi Balæ filium facit. Vt & Flori exemplar deprauatũ ſuſpicer: qui eodem loco Alexandri filium (Nam de hoc loqui eum apparet, cum Ammonius apud Alexãdrum uixerit, teſte Ioſepho) cæſum ab Ammonio tradit, cum poſt regnaſſe hunc cum TRYPHONE, fateatur. Quanquam de eodem ANTIOCHO, & alias inter ſe diſsidentes ſcriptorum opiniones inuenias: è quibus Oroſius Diodoto genitum putat. Et Iuſtinus etiam de DEMETRIO. I. ita labitur, ut patruum Antiochi Eupatoris appellet, qui reliquis ſcriptoribus omnibus patruelis eſt: cum quidem adhuc craſsiores de DEMETRIO. II. errores ſequatur. Etenim à Tryphone contra ipſum geſta bella planè confundit, eaq; poſt reditum è Parthis renouata ab illo tradit: cum conſtet ex Strabone, hunc ante id tempus ab Antiocho Apamiæ obſeſſum, perijſſe. Intricatiſsimæ autem omnium ſunt expoſitiones de Antiochis, Grypo & Cyziceno. Quippe Ioſephus in liberis horum, imperium Seleucidarũ concidiſſe refert, cum Appianus in Cyziceni nepotem Antiochum Aſiaticum extendat, omiſsis tamen SELEVCI. V. fratribus & ſucceſſoribus. De quibus ut Ioſephi narrationes ueriores iudicamus: ita de ANTIOCHO εὐσεβεῖ & filio huius Antiocho Aſiatico maluimus

sequi Appianum, sic tamen ut oppugnatos ab Antiocho νόθῳ Parthos non negemus, sed è quo ille bello reuerterit, itaq; tandem à TIGRANE regno deiectus, exul obierit. Nam cōiugē eius CLEOPATRAM sub Tigranis aduentum adhuc in Syria regnasse, disertè affirmat. Fefellitq; idem fortè Iustinum, ut restitutum ipsum à LVCVLLO, & mox à Pompeio pulsum, sentiat. Nam id quidem nos cum Appiano & Eusebio de ANTIOCHO Asiatico accipimus. In quo Antiocho uicto post à Cassio & cæso, tandē stirps illa interijt. Etenim ex amplitudine maxima ad eam redierat angustiam, ut in hoc solo constiterit. Quanquam occurrunt hîc adhuc non pauca alia, de quibus lector attentus dubitare meritò possit, quæq; tantùm coniecturis uerisimilibus explicanda atq; enodanda sunt. In his illud præcipuum est, quod habet Cicero in Verrē, de duobus ANTIOCHI filijs, qui regnum Ægypti propter matrē à senatu petiuerint. De quibus etsi ob nominis Antiochi usurpationem communiorem pronunciare difficile est, ego tamē ANTIOCHVM. XI. & SELEVCVM Cybiotatem acciperem. Nam conueniunt exactè tempora: & ausus fortè deinceps in Syria nihil SELEVCVS est, ob fratris aduersos casus. Adhæc plures à Seleucidis ortas quasi propagines, docent, quæ de Artenione habet Valerius, de Lysia Iosephus. Nam uterq; è stirpe regia progenitus fuit. Legimus etiā apud Eustathium & Stephanum, ANTIOCHVM Seleuci à matre Antiochide, Antiochiam, à sorore Laodice, Laodiceam, à Nysa uxore, Nysam, urbes appellasse: quod quorsum pertineat, & an hoc auctores illi certò uelint, diuinare equidem non possumus. Certè de eorum regum nullo, quos his nominibus historię referunt, intelligi id posse, sequens nostra docebit expositio. Nam Antiochus Soter Apamen matrem habuit, neq; sororis eius mentio fit: Magno uerò Antiocho, itidem Seleuco patre genito, mater Laodice fuit, ut est auctor Polybius. Neque transeunda hoc in loco silentio putauimus, quæ de Seleucidarum regni tempore in literas relata sunt. Nam & hîc nonnihil uariatur. Appianus quidem regnatum ab illis ait annis 270. Polybius collocando mortem Seleuci Nicatoris in Olympiad. 124. Seleuci κεραυνὸ in 139. ut de hoc cōuenit cum supputatione ab Eusebio tradita, ita illi tempori detrahit totos annos quatuor. Idcirco sequimur omnino Eusebiū, qui Seleuci Nicatoris imperium orditur ab Olymp. 117. nempe tertia post mortem Alexandri: Vnde numerando usq; ad Olympiadis 180. annum tertium, quo Antiochum Asiaticum expulit Pompeius, proueniunt anni 251. Quanquam quos idem Eusebius regum annotauit annos distribui in tempus illud æqualiter nequeunt: & inclusi hic adhuc anni sunt, quibus Syriacum regnū tenuit TIGRANES. Ideo depo-

de posterioribus regibus facere cum Iosepho maluimus, adijciendo tamen, quæ ab Eusebio tradita essent: Cum quibus conuenit Chronologia ea, quam nomine regni Græcorum habent libri Maccabęorum: nec dissentit Æra, quam nominat Ptolemæus.

CONSVETVDINES SELEVCIDÆ tenuêre gentis Macedonicæ, à qua oriundos fuisse diximus. Memorabile est, quod tradidit Iustinus, eos ueluti notam generis naturalem habuisse anchoram in femore, cùm primùm SELEVCVS, stirpis conditor, cum ea natus esset: refertq́ue, idem eius rei causam in matris Seleuci somniū. Meminit huius & Ausonius de claris urbibus, ubi de Alexandria & Antiochia agit, quos uersus subijcio:

Et uos ite pares, Macedûmq́ue attollite nomen,
Magnus Alexander te condidit: illa Seleucum
Nuncupat: ingenitus naeuus fuit anchora signum:
Qualis iuncta solet generis nota certa: per omnem
Nam sobolis seriem natiua cucurrit imago.

Tamen Appianus ut de corporis nota illa nihil habet, ita matrem Seleuci monitam in somnis dicit, ut quem primum annulum inueniret, gestandum filio traderet, quòd regnaturus esset, ubicunq́ue is ei excidisset: cumq́ue ita Seleucus annulum ferreum cum insculpta anchora ab illa inuentum, sibiq́ue traditum, circa Euphratē amisisset, atq́ue dum Babylonem petit, pede ad lapidē offenso, hocq́ue ideo mox erui iusso, anchoram inuenisset, ita deinceps illa in annulo signatorio usum. Sed hæc suo cuiq́ue iudicio æstimanda relinquimus. Quanquā huic nō dissimile de Spartis Thebanis prodidit Hyginus, quos omnes in corpore habuisse insigne Draconem scribit. Atq́ue notum est exemplū de Thracū ueterum nobilitate, quæ non quidem naturalibus, sed cauterio inustis stigmatis usa fuit: ad eundem planè modū, quo nostro tēpore Despotis Moldauiæ usitatum ferunt, ut liberis suis, quàm primùm illi nascantur, notam aliquam inuri curent, ut ne scilicet ambigi de legitimis hæredibus possit, & excludantur alieni. Qui Seleucidarum habitus fuerit, docet in Antonio Plutarchus, nempe crepidæ, chlamys & causia, quam diadema ornaret. Addit Iosephus, fibulam auream solis cognatis Regis concessisse. Regia Seleucidis Antiochia fuit, quæ Straboni tetrapolis est: quippe primam partem à Nicatore habitatam ait, alteram tribuit multitudini habitatorum, tertiam facit Seleuci Callinici, quartam Antiochi Epiphanis. Estq́ue hinc, quòd ferè Syrię reges appellentur, omissa Asiæ mētione, quam post cædem Lysimachi propemodum uniuersam occupârunt. Etsi & nomina ambo interdum coniuncta reperias, qua de re exempla habent Metasthenes, Iosephus, Eusebius.

FAMILIA SELEVCIDARVM, QVÆ REGNAVIT IN ASIA & SYRIA

ANN. 251.

ANTIOCHVS, Macedo, ex urbe Oropo, claruit inter duces PHILIPPI Amyntæ: cuius rei memoriam ut monumento aliquo consecraret SELEVCVS F. Antiochiæ urbi de ipso nomen imponit. Strabo, Appianus, Stephanus, Iustinus.

FVIT cum Antiocho Laodice, è qua genitus SELEVCVS.

I. SELEVCVS. I. cognomento νικάτωρ, consectatur ALEXANDRVM ad expeditionem Asiaticam: confirmatus spe potentiæ ampliss. acquirendæ tum sagaci matris somnio, tum sacrificij ostento, quod discessuro è Macedonia Pellę obuenerat. Cumque fortem Regi operam nauasset, ab elephantorum magisterio ad tribunatum castrorum ascendit, cõmendatum ipsi post obitũ Alexandri à PERDICCA, & mox ad satrapiã Babylonis, traditam ab ANTIPATRO. Quam satrapiam pòst metu Antigoni, qui insolenter etiam prouentuum rationes ab eo exigeret, deserere coactus, ad PTOLEMÆVM in Ægyptum profugus abit. Ibi per summam beneuolentiam suscipitur humanissimè, copijsque instructus, & Babylonem recuperat, & subactis Bactrianis, felicis. successu ad Indiã usque imperij fines propagat, SANDROCOTTO rege in fidem recepto: passus etiam propterea exercitus honorificè acclamãtis uocibus & studio, de exemplo tum hostis ANTIGONI, tum sociorum PTOLEMÆI, CASANDRI, LYSIMACHI, REGEM se salutari. Nam hi bellum, ob expulsionem Seleuci & detentas Eumenianas prouincias contra Antigonum susceptum urgere deinde acriter. Ad quod ipse etiam regressus in Asiam, tandem ad Ipsum Phrygię debellati & cæsi prouincias, tanquam prædam captam, cum ijsdem socijs dispertitur. Vnde quidem augetur iterũ mirificè: & Stratonices connubio conciliatus DEMETRIO Poliorcetæ, Antigoni F. aliquanto pòst hunc ad arma reuersum, uiuum capit, & contra LYSIMACHVM, qui etiam precio oblato cædem eius expetierat, conseruatum in custodia honorifica habet. Atque exinde ab eodem Lysimacho factus alienior, Alexandrum & Lysandram sæuitiæ ipsius metu ad se profugos, tum dedentẽ se cum Pergamo & thesauris PHILETÆRVM Eunuchum, in fidem recipit: idque bello temerè illato uindicaturum acie profligat atque interficit: occupatis septem mensium spacio prouin-

prouincijs, quas in Asia ille possederat, uniuersis. Etenim in Macedoniam & Thraciam inuasurus, occiditur ex insidijs ad Argos aram à PTOLEMÆO κεραυνῷ: & corpus magna redemptum pecunia à Philetæro, & more regio crematum, Seleuciæ ab Antiocho F. conditur, Olymp. 124. cùm fuisset in imperio annos 32. uixisset 73. seu ut alij habent 77. Polybius, Diodorus, Pausanias, Appianus, Arrianus, Eusebius, Suidas, Cedrenus, Zetzes, Iustinus, Curtius, Orosius, Hieronymus. Excelluit iustitia, moderatione, industria: neque alienus fuit à literis, usus plurimum MEGASTHENE historico & ERASISTRATO Medico. A' quo Erasistrato de Antiochi F. amore edoctus, magis indulgenti quàm pio animo, huic coniugem permittit. Cumque Atheniensium Bibliothecam, quam auexerat XERXES, in Perside reperisset, hanc eis gratis restituit, teste Gellio. Laboribus per omnem uitam perfunctus est maximis: cùm quidem & oraculum regnu m ei ampliss. promittens, perpetua de hoc certamina habiturum præmonuisset. Vnde cùm diadema aliquando sibi traditum priusquam capiti imponeret, manibus diu uersasset. O' nobilem magis, inquit, quàm felicem pannum: quem si quis penitus cognoscat, quàm multis solicitudinibus & periculis & miserijs sit refertus, ne humi quidem iacentem tollere uellet. Etsi sunt, inter quos Stobæus, qui Antigono hoc tribuunt. Annotauit Appianus, prouincias Seleuco paruisse numero 72. quas quidem omnes uehemẽter excoluit & exornauit, conditis præter alias urbes in Syria Antiochia & Apamia, è quibus illa successoribus & posteris regia mansit. Vitæ exitum hoc ambiguo oraculo ei prædictum accepimus:

Si fugias Argos, fatum superabis iniquum,
Sin minus, ante diem tartara nigra petes.

Nam ad huius nominis aram, ut diximus, interijt, cùm idem urbium aliquot proprium sit. Refert Plinius ex commentarijs Claudij Cæsaris, cogitasse Seleucum, cum mari Caspio coniungere Bosporũ Cimmerium. Quæ deriuationes semper Regibus & Principib. fatales fuère, id quod docet tẽtata Isthmi Corinthiaci fossio à DEMETRIO, CÆSARE Dictatore, CALIGVLA, NERONE: & aiunt operas CAROLI Magni deriuaturi Alemanum fl. in Pegnessum, qui in Mœnum influit, ut ita è Danubio Rhenus nauigaretur, spectris territas ab incepto destitisse. Nostro tempore Turcæ cum Moschis cõmisisi sunt, quòd Tanaim fl. cum Volga, qui ueteribus Rha est, coniungere uellent. Et memorabile est oraculum, quod Cnidijs datum fuit, qui & ipsi Isthmum quem inhabitabant angustissimum, perfodere conati ob ictos scopulos in fodientium oculos resilientes desistere coacti sunt:

ἰθμὸν δὲ μὴ πυργοῦτε, μηδ᾽ ὀρύσσετε:
Ζεὺς γάρ κ᾽ ἔθηκε νῆσον, αἴ κ᾽ ἐβούλετο.

CONIVGES SELEVCO duæ fuêre: prima APAME, Artabazi F. è qua natus ANTIOCHVS. I. altera STRATONICE, Demetrij Poliorcetæ F. quæ filium ἐπώνυμον enixa est. Meminit Stephanus & filiæ, à qua tẽpore belli cõtra LYSIMACHVM nata, Seleucus Thyatiram urbem nominârit. Hæc quo nomine fuerit, aut quam matrem habuerit, ignoratur. Nam dimissam tum ab Seleuco Stratonicen, cum Antiocho fuisse constat.

II. ANTIOCHVS. I. cognomento σωτὴρ, interfuit prælio ad Ipsum: & cum cornu suo fusus à DEMETRIO Poliorcete, casu eo hosti, nimis auidè fugientes insequenti, uictoriam eripit. Hinc à patre in regni consortionẽ assumitur, & nouercam STRATONICEN, cuius turpissimo amore exarserat, habere cõiugem permissus, regnat annos 19. Fecit bellũ PTOLEMÆO κεραυνῷ, qui post Seleuci cædem Lysimachi in Europa prouincias inuaserat: & placari se passus, conuertit id in ANTIGONVM Gonatam. Quo tempore oppugnatus à GALATIS, quos cum LVTARIO duce euocatos, & coniunctos cum LEONORIO, in ANTIOCHI ditionẽ immiserat NICOMEDES Bithynus, Theodotæ Rhodij hortatu prælium cum Barbaris init, & per elephantos equitatu eorum disiecto, atq; ordinibus turbatis, magna hostem clade afficit: Victoria tanta moderatione usus, ut profusis lacrymis, in beluis exercitus salutem stetisse affirmârit, & in trophæum elephantum sculpi iusserit. Expeditionis in Ægyptum, quam hortatu MAGÆ, regis Cyrenarum susceperat, PTOLEMÆI Philadelphi prædatorijs copijs successu frustratur: nec tentare deinde bello alio fortunam audet. Strabo, Plutarchus, Pausanias, Appianus, Lucianus, Cedrenus, Iustinus, Solinus, Hieronymus. Meminit Stephanus σωτῆρα. Quo stratagemate receperit Damascum, narrat Polyænus lib. 4. Pugnam ipsius cum Galatis, & cęteras res gestas carmine descriptas à Simonide Magnete, tradit Suidas, etsi perperam Magnum cognominat.

FVIT cum ANTIOCHO connupta, uti diximus, STRATONICE nouerca: è qua liberos suscepit, ANTIOCHVM. II. & APAMEN.

III. ANTIOCHVS. II. cognomento θεὸς, regnauit annos 15. Expulit Timarchum, Tyrannum Milesiorum, indeq; primùm hoc ab eis cognomento appellatur. Profectus in Thraces, occupat deditione Cypsela urbem. Cum PTOLEMÆO Philadelpho longo & difficili bello contendit: cui BERENICÆ connubio conciliatus, nouum & domesticum LAODICES, cõiugis primæ, in se odium

concitat:

concitat: quam cùm neglectam aliquandiu & concubinæ loco habitam, tandem in regiam recepisset, ueneno ab eadem necatur. Polyænus, Appianus, Eusebius, Iustinus, Hieronymus. Meminêre Iosephus lib. 12. Ant. cap. 3. Philo de tēporibus, qui ELEAZARVM Pontificem habuisse inimicum, ait. Scripsit Stephanus conditā ab Antiocho Antiochiam Lydiæ, de qua re eiusmodi addit oraculum:

Ἀντιόχῳ βασιλῆϊ τόδε χρῆ φοῖβος Ἀπόλλων
Κτιζέμεναι πτολίεθρον ἀγακλεὲς, ὡς ἐκέλευσε
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης, τίμησας ἑὸν υἱὸν ἑρμῆν.

APAME, collocatur à patre MAGÆ, regi Cyrenarum. Quo mortuo, cùm Demetrium, Demetrij Poliorcetæ F. euocatum ad filiæ BERENICES nuptias, deperire ipsa cœpisset, illi & inuidiam grauem populi conflat, & per immissos à filiā percussores necem accersit. Pausanias. Iustinus Arsinoën uocat.

HABVIT ANTIOCHVS ex Seleucidis primus & solus duas simul coniuges: è quibus LAODICE peperit, SELEVCVM. II. Antiochum & STRATONICEN: altera BERENICE, filium procreauit ἀνώνυμον, quem cum matre per Iradionem & Genneum, Antiochiæ principes, sustulit Laodice. De eiusdem Laodicæ astu & crudelitate plura Valerius lib. 9. cap. 15. Athenæus lib. 13. cap. 23. Polyænus lib. 8. Solinus cap. 5. D. Hieronymus in Danielem capite 11.

IV. SELEVCVS. II. cognomento καλλίνικος καὶ πώγων, matris astu regnum adeptus, ab eadem BERENICEN nouercam necari cum filio permittit. Ideo bello petitus à PTOLEMÆO Euergete, & suorum ad hunc inclinantium auxilijs destitutus, classem contra defectores armat. Hac naufragio amissa, cùm populi ex tanta clade commiserantis studium recuperasset, proficiscitur in Ptolemæū: prælioq; uictus, fratris implorare opem cogitur. Quem mox pro auxiliatore hostem expertus, post felicis prælij congressionem certamen repetere ausum temerè, uictum finibus expellit. Cumq; factis cum Ptolemæo inducijs, regnū perturbatisf. componere, & defectores in prouincijs ad munus reuocatos in fide confirmare aggressus, bellum in ARSACEM Parthum suscepisset, infelici cùm hoc prælio inito, in hostis potestatem peruenit: tractatusq; βασιλικῶς atq; dimissus tandem liberaliter, equi lapsu perit, anno regni 20. Polybius, Athenæus, Iustinus, Hieronymus. De casu BERENICES à Seleuco interfectæ uaticinatur Daniel cap. 11. Ac luit ille huius sceleris cum posteritate omni pœnas grauissimas. Nam præterquam quod inter pericula assidua belligerauit, defecere tum primum Parthi & BACTRIANI: ac mox sub ANTIOCHO F. ARMENII, conditis regnis liberis: &

ris:& PHILETÆRI familia, repressa antea, regni Syriaci fines paulatim carpendo sic creuit, ut per Romanos anteriore Asia Seleucidis eiectis, eam occupatam sibi uendicârit. Nec minus Seleucidis incommodârunt GALATÆ, qui post multas excursiones tandem etiam ab Attalicis & Bithynicis regibus sedes nouas ad Halym fl. obtinuêre.

ANTIOCHVS, cognominatus ἱέραξ, quòd non hominis, sed accipitris ritu in alienis eripiendis uitam sectaretur, aduocatur à fratre in auxilium contra PTOLEMÆVM Euergeten. Hac occasione ad regnum inuadendum adhuc ætate puerili impiè usus (tantùm enim annos 14. natum tum accepimus) adiunxit sibi GALATAS, & pro fratre hostis Seleuco factus, prælio uictum fugat. Inde infeliciter tentat EVMENEM. I. Philetæri Eunuchi successorem: à barbaris auxiliaribus fraude circumuenitur: & nouo Seleuci bello petitus, iterum cùm eo prælio dimicat: cuius successu frustratus, fugit in Mesopotamiam. Vbi cùm hostibus persequentibus deceptis, & uitatis in Cappadocia ARIARATHIS insidijs, ad Ptolemæum Euergeten in Ægyptum profugisset, appositamq; isthic sibi custodiam amicæ opera effugisset: interficitur à latronibus. Polyænus, Ælianus, Iustinus. Meminit Plutarchus in Apophtheg.

STRATONICE, nupsit ARIARATH I. IV. regi Cappadociæ. Diodorus.

CONIVGEM SELEVCO Callinico è Polybio attribuimus, LAODICEN, amitam ACHÆI: unde plures eum suscepisse liberos idẽ auctor est. In his nominantur SELEVCVS. III. ANTIOCHVS. III. & Filiæ duæ ἀνώνυμοι. Addit concubinas Athenæus, MYSTAM & NYSAM, quarum illam Polyænus Pystam & Seleuci coniugem nuncupat: nec traditur, quam ex his Rex ille sobolem procreârit.

¶ CÆTERVM quia occasione affinitatis cum Seleuco regnum inuâsit postea ACHÆVS, familiam hîc eius breuiter subijcio.

ANDROMACHVS, militauit SELEVCO Callinico, sororis marito, contra Antiochum Hieracem: quem uictum acie frustra in Mesopotamiam persecutus, capitur deinde à PTOLEMÆO, & detentus aliquandiu in uinculis, Rhodiorum interuenientium rogatu dimittitur. Polybius, Polyænus.

ACHÆVS, profectus cum SELEVCO κεραυνῷ in ATTALVMI, regem Pergamensem, cędem eius acerbè ulciscitur: & —— LAODICE, Mithradatis, regis Pontici F.

acin-

ac inflatus felici uictoriarum successu contra eundem Attalũ, REGEM se Asiæ cis Taurum montem nuncupat. Ideo bello impetitus ab ANTIOCHO MAGNO, & captus Cambyli & Bolidis, Cretensiũ proditione, morte crudeli afficitur. Polybius, Polyænus. Meminit Ouid. in Ibin.

ANTIOCHIS, connupta fuit cum Attalo, Philetæri Eunuchi fratre.

V. SELEVCVS. III. cognomento κεραυνὸς, regnauit annos 2. Bellauit cum ATTALO. I. rege Pergamensi: cumq́ & ualetudine & opibus infirmior exercitum in officio continere nõ posset, interficitur ab Apaturio Gallo & Nicanore, Olymp. 139. Polybius, Appianus, Eusebius. Hieronymus tribuit ei annos 3.

ANTIPATER, præfuit equitatui ANTIOCHI patrui in bello contra PTOLEMÆVM Philopatora: ad quem deinde de pace legatus missus, conficit hanc feliciter. Mox eundem Antiochum ad bellum Romanum consectatus, post infelicem pugnam ad Magnesiam, iterum ei à Scipione pacem impetrat: eaq́ Romæ à Senatu confirmata, opponit se Rhodijs, auara ingluuie Ciliciæ inhiantibus. Polybius, Liuius.

VI. ANTIOCHVS. III. à rerum gestarũ magnitudine cognominatus MAGNVS, adit regnum post fratrem, natus tum ad annos 15. Ob quam ætatem se rebus gerendis immaturum cernens, prouincias ducibus, MOLONI, Alexandro & ACHÆO, permittit. Ex his priores duos apertè deficere ausos, & frustrà per legatos tentatos, bello grauissimo adoritur, uictosq́ ad mortem uoluntariam compellit, subiugato eadem expeditione ARTABAZANE, qui tractui ad Mediam imperabat. Mox in ACHÆVM cõuertitur, qui & ipse desciuerat: atq́ à Theodotio Ætolo retractus in Cœlesyriam, quæ cum Phœnice parebat PTOLEMÆO Philopatori (Nam PTOLEMÆVS Lagi ab ANTIGONO recuperatam, atq́ in potestate retentã, deinde & posteris reliquerat) huius quidem conatus successu frustratur, uictusq́ ingenti prælio ad Rhaphiam, pacem à Ptolemæo petere cogitur: ACHÆVM uerò Sardibus per obsidionem inclusum, & captum Cambyli & Bolidis proditione, de purpuratorum sententia ad supplicium crudele damnat, ac manibus primum pedibusq́, dein capite truncatum in crucem agit. Cumq́ iam

cæteras

cæteras etiã prouincias pacaturus, profectus esset in ARSACEM II. & EVTHYDEMVM, quorum ille propter patrem Parthiam sibi uendicabat, hic potentiæ sublatus fiducia pro satrapa Regem se gerebat, datis & acceptis cladibus non leuibus, tandem regnare utrunque permittit, & tentatum in India SOPHASENVM in amiciciam recipit: concessa etiã pace ARTAXIÆ & ZADRIADRI, qui in Armenia ad regnum aspirabant, idq; conseruatum tum, tandem etiam ad posteros, è quibus genitus TIGRANES fuit, transmisere. Post mortem PTOLEMÆI iterum Cœlesyriam adortus, uicto SCOPA Ætolo, hanc unà cum Iudæa occupat, nec multò post sponte dimittit, collocata PTOLEMÆO Epiphani Cleopatra filia. Hinc Ciliciam recipit & Cariam: moxq; Æolidis & Hellesponti urbes in formulam ueterem redigere, & repetitis, quæ Philippus Macedo tenuerat, etiã Lysimachiam instaurare conatus, tum incœpto hoc desistere, tum Europa tota abstinere iubetur à Romanis. Hac re uehementer exacerbatus, & instigatus ab ANNIBALE & ÆTOLIS, bellum contra Romanos suscipit: profectusq; in Græciam, prætextu eius in libertatem asserendæ, in cæteris ciuitatibus capit Chalcidem ad Euripum. Vbi cùm intempestiuis & stultis amoribus, homo iam quinquagenarius operam daret, nihil exinde benè gerit: Victusq; ad Thermopylas à M. ACILIO Glabrione, & tandem à SCIPIONIBVS fratribus ad Magnesiam, neq; meliorem in mari fortunam expertus, pacis, quas antea spreuerat, accipere conditiones cogitur: Mulctatus Asia cis Taurum, & præter obsides talentorum 12000. dare in annos totidem iussus. Vnde impensa & sumtibus exhaustus, dum templum Beli, donis opulentiss. exercitu adinoto, spoliare conatur, multitudinis concursu interficitur, ann. regni 37. ætatis 52. Polybius, Strabo, Iosephus, Plutarchus, Pausanias, Appianus, Athenæus, Eusebius, Zonaras, Liuius, Florus, Iustinus, Probus, Eutropius, Orosius, Hieronymus. Memoratur 1. Maccab. 8. & annotauit Philo, honoratum ab eo SIMONEM Iustum, Iudæorũ Pontificem. Fuit enim ab humanitatis, clementiæ, & beneficentiæ studio minimè alienus: nec caruit in rebus gerendis industria, sed qui nimium obsequeretur adulatoribus aulicis, ideoq; ad uoluptates facile relaberetur. Vnde postea per iocum dixisse fertur, gratiam se Romanis habere quòd nimis magna procuratione liberatus, modicis regni terminis uteretur. P. SCIPIONIS filium interceptũ, absq; λύτρω ad patrem remisit. Triumphatum de Antiocho bis fuit, & L. SCIPIO, alter ex Romanis ab ipso & prouincia deuictis cognomentum Asiatici assumsit. Quomodo Q. Fabius legatus ei de nauibus illuserit, & has per medium sectas ita tandem ex parte dimidia tradiderit, docet Liuius.

uius. Ex prouinciarum Antiocho ademtarum spolio maximè creuêre reges Pergameni & Rhodij: cùm quidem & EVMENES. II. ad hoc bellum Romanis quasi flabellum extitisset. Ac annotauit Sex. Rufus, posteros ipsius regnum deinde sub clientela P.R. retinuisse.

FILIÆ SELEVCI Callinici ἀνώνυμοι nupsere MITHRADATI. V. regi Ponti, & DEMETRIO. II. regi Macedoniæ. Iustinus lib. 28. & 38.

ANTIOCHVS Magnus in matrimonio habuit LAODICEN, Mithradatis V. regis Pontici F. & EVBIAM, filiam Cleoptolemi Chalcidensis. Ex his quos procreârit liberos, scriptores non tradidêre: etsi Polybius annotauit, natum ei ex Laodice filium, quo tempore oppugnauit Molonem. Nominantur autem in liberis Antiochi: SELEVCVS. IV. Antiochus, ANTIOCHVS. IV. Mithradates, Ardys, CLEOPATRA, ANTIOCHIS, & Laodice.

VII. SELEVCVS. IV. cognomento φιλοπάτωρ καὶ σωτήρ, præficitur à patre Lysimachiæ instaurandæ, ut nempe eam regni sedem haberet. Hinc Æolidem contra Romanos defendendam accipit, ac Pergamensem agrum relinquere coactus, patri se periculorum socium adiungit in pugna ad Magnesiam. Cui pòst in regno surrogatus, in potentia infirma regnat. Idcirco cùm de opibus templi Hierosolymitani per Apollonium, cui Simon quidam enunciârat, edoctus, HELIODORVM Purpuratũ isthuc ad prædam faciendam ablegasset, isq; repressus diuinitus, cùm periclitaretur de uita, solis ONIÆ Pontificis precibus cõseruatus esset, pòst ab eodem hoc sacrilegij administro de uita tollit. 2. Maccab. 3. Iosephus, Appianus, Zonaras, Liuius, Hieronymus. Eusebius tribuit ei annos 12.

ANTIOCHVS, duxit patris iussu Laodicen sororem: eundẽq; consectatus in Lydiam ad bellum Romanum, mox domum remittitur, ut prouincias superiores in fide contineret, nec multò pòst cedit è uita. Liuius, Appianus: quorum ille necis ipsius patrem Antiochum insimulat, ueluti qui ob indolem iusti magniq; regis senectæ suæ grauem eum fore suspicaretur.

IIX. ANTIOCHVS. IV. cognomento ἐπιφανής, datus à patre obses Romanis, dimittitur ab urbe rogatu SELEVCI fratris: quo eodẽ, interea dum est in itinere, è uita sublato, ope EVMENIS & ATTALI regnum occupatum tenet annos 12. Inuasit Cœlesyriam & Ægyptum, discordantibus tum PTOLEMÆIS fratribus: è quibus Philometoris, paulò antè à se deuicti & Cœlesyria spoliati, professus defensionem, Physconem cum Cleopatra Alexandriæ obsidet, & Memphi Philometori reddita, Pelusio præsidium imponit. Ide

co per legatos Physconis de ui apud Romanos accusatus, post alteram in Ægyptum expeditionem per M. Popilium Lenatem bellum deserere, & redire ad sua iubetur. Eo in itinere cognitis Iudæorum tumultibus, quos dederat interea IASON exul, quem ONIA pulso, Pontificem designatū, pòst hac dignitate exuerat, eamq; MENELAO fratri tribuerat, HIEROSOLYMAM deflectit, & Menelai ope expugnatam, crudeli cęde uastat, interfectis ad 80000. ciuiū: ac templum ingressus, spoliat um ornamentis & thesauris prophanat, & IOVI OLYMPIO consecrat: conatusq; totam Iudęorum religionem abolere, circumcisionem prohibet, carnis suillæ usum mandat, eaq; iussa detrectantes immanibus supplicijs excarnificat. Vnde cùm terrore perculsis omnibus patria instituta passim à multis desererentur, MATATHIAS Asmonæus, ut religionis, ita & libertatis ab ANTIOCHO defendendæ initium facit. Qui cùm Apollonio & Serone, ducibus, uictis à IVDA MACCABÆO, Matathiæ F. nouas copias in Iudæam duce LYSIA misisset, indeq; sumtibus ærario exhausto, ad tributa colligenda ipse in Persidem se deportasset, utrobique successu frustratus, & à Persepoli urbe, quam ob conditos ibi in Dianæ templo thesauros ALEXANDRI Magni, oppugnare instituerat, reiectus turpiter, ex animi dolore morbo graui afficitur. Hunc mox tristi nuncio de cladibus in Iudæa acceptis, & lapsu ex curru, auctum cœlestis numinis uiolati pœnam agnoscens, inter sęuos animi & corporis cruciatus extinguitur. 1. Maccab. 1. 3. 6. 11. Maccab. 4. 5. 9. Iosephus, Appianus, Eusebius, Suidas, Zonaras, Cedrenus, Liuius, Velleius, Valerius, Tacitus, Iustinus, Hieronymus. Quàm insanis fuerit moribus, luxu, petulantia, refert ex Polybio Athenæus, lib. 5. cap. 4. & lib. 10. cap. 12. ubi ἐπιμανῆ pro ἐπιφανῆ uocatum propterea ab eodem, dicit: nec dissimulat ibidē eius rapinas & sacrilegia. Ammianus quidem sæuitiæ eum arguit & iracundiæ: de qua sæuitia præcipuè in Iudæorum Ecclesiam usurpata uaticinatur Daniel cap. 11. Vbi hostis Dei excelsi & euersor religionis proponitur Ecclesię tanquam effigies Antichristi, qui extrema mundi tempora sit rabie & tyrannide uexaturus. In rebus gestis Antiochi commemorat Appianus bellum contra ARTAXIAM Armenium, quem ante Ægyptiam expeditionem captum ab illo scribit. Etsi in annis erat, quos tantùm duos imperio eius attribuit. Nec conuenit omnino cum Eusebio Hieronymus, qui annis 11. regnasse Antiochum, ait.

MITHRADATES & ARDYS, præmittuntur Sardes cum exercitu, quem inde pater ad bellum educturus esset. Liuius Dec. 4. lib. 3.

CLEOPATRA, cognomento Syra, collocatur à patre PTOLEMÆO

LEMÆO Epiphani,& præter Cœlesyriam & Phœnicen & Samariam & Iudæam ad eum rursus dotis loco affert. Iosephus, Appianus, Eusebius, Zonaras, Liuius, Hieronymus.

ANTIOCHIS, fuit cum ARIARATHE. V. rege Cappadociæ. Diodorus, Appianus.

LAODICE, nupsit Ægyptijs institutis fratri Antiocho. Appianus.

EXPLICABIMVS autem iam primùm de posteritate ANTIOCHI Epiphanis, quòd diuturna non fuerit, sed mox in nepote defecerit: Inde ad SELEVCI Philopatoris familiam expositionis seriem reducturi.

QVOD ANTIOCHI coniugium fuerit, non est proditum literis. Reliquit tamen filium ANTIOCHVM. V. E concubinis nominatur 2. Maccab. 4. ANTIOCHIS, Vnde genitum credi derim ALEXANDRVM.

IX. ANTIOCHVS. V. cognomento Εὐπάτωρ, relinquitur adolescentulus annorum nouem, à patre in Persidem ituro, LYSIÆ propinqui tutelæ: & post obitum illius rex ab eodem appellatus, regnat annos 2. Renouauit bellum contra IVDAM MACCABÆVM, & prælio uictum atque Hierosolymæ obsessum, ob nouas interea à Philippo datas in Syria turbas in gratiam recipit, demolito tamen muro, qui templum ambiebat. Atque iratus MENELAO Pontifici, tanquam bellorum Iudaicorum concitatori, missum in Berrhœam Syriæ necat, Pontificatu in ALCIMVM translato. Hinc à DEMETRIO. I. oppugnatus, & comprehensus cum LYSIA, Demetrioque traditus, iugulatur. 1. Maccab. 3. 6. 7. 2. Maccab. 10. 11. 13. Iosephus, Appianus, Eusebius, Zonaras, Cedrenus.

XI. ALEXANDER, cognomento ἐπιφανὴς καὶ Βάλας, instigatus & adiutus à PTOLEMÆO Philometore, ATTALO & ARIARATHE, regibus, inuadit regnū cōtra DEMETRIVM, idque uicto illo & cæso tenet annos 5. Tradidit Iudæorum Pontificatum, qui post ALCIMVM uacârat annos septē, IONATHÆ Asmonæo, eumque inter amicos receptum, stola purpurea & corona aurea honorat, ac Ptolemaidem ad se profectum, suscipit regificè, & ab aduersarijs accusari uetat. Hinc cum ATTALO cōmissus, & DEMETRII. II. armis oppugnatus, deseritur à socero PTOLEMÆO: cumque prælio uictus, profugisset in Arabiam, interficitur à ZABELO dynasta, & caput amputatum ad Ptolemæum mittitur. 1. Maccab. 10. Strabo, Iosephus, Appianus, Zonaras, Florus, Iustinus. Fuit amantissimus eruditæ doctrinæ, delectatus inprimis Stoicis di-

q 2 sputatio-

sputationibus, tum in congressibus facilis atque iucundus, ut est auctor Athenæus. Eusebius eitribuit annos 10.

CONNVPTA cum ALEXANDRO fuit CLEOPATRA, Ptolemæi Philometoris F. è qua nascitur ANTIOCHVS. VII.

XIV. ANTIOCHVS. VII. cognomento θεὸς, teste Iosepho, educatur in Arabia apud MALCHVM regem: à TRYPHONE hostis opponitur DEMETRIO. II. eoque fugato tenet regiũ nomen annos 4. Nam potestatem usurpauit TRYPHON: à quo, tanquam qui calculo laboraret, secari iussus, fraude medicorũ, qui pretio ad id facinus subornati essent, perimit, anno ætatis decimo. 1. Maccab. 11. 13. Iosephus, Zonaras, Florus, Iustinus. Appianus Alexandrum uocat. Ab Eusebio nominantur tres regni ipsius anni.

¶ VISVM autem fuit & TRYPHONIS historiam hîc adijcere, qui ex humili fortuna ad regiæ dignitatis fastigium ascendit.

DIODOTVS, cognomento TRYPHON, natus Casianis, quod castellum fuit in agro Apamiensi, & Apamiæ educatus, insinuat se in ALEXANDRI regis amicitiam. A' quo inter duces ascitus, pòst filium eius in tutelam susceptũ, uictoque DEMETRIO regem salutatũ, regnare per annos aliquot permittit: necato interea IONATHA Asmonæo, & insidijs fratre eius SIMONE appetito, cùm sceleri, quod suscipere cogitabat, obsistere eos posse censeret. Mox enim & Antiocho fidem fregit, & regnum cæde eius occupatum, tenet annos tres. Quo tẽpore cùm quod cognomine sponte assumpto profitebatur, etiam factis exprimeret, atque in omni genere scelerum uolutaretur, bello petitus ab ANTIOCHO Sedete, & post prælij fortunam infeliciter tentatam, primùm Doræ, deinde Apamiæ obsessus, hac ui capta, occiditur. 1. Maccab. 11. 12. 13. 14. 15. Iosephus, Appianus, Zonaras. Quomodo de historia ipsius uariet Iustinus, suprà exposuimus. Et Strabo sua manu eum interijsse, ait: additque, prædones Cilices temporibus eius cœpisse: qui aucti postea in immensum, debellantur tandem à POMPEIO.

POSTERITAS SELEVCI
ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ.

GENITI sunt SELEVCO Philopatore, DEMETRIVS. I. & Filia ἀνώνυμος.

X. DEMETRIVS. I. cognomento σωτὴρ, mittitur à patre obses Romanis pro ANTIOCHO Epiphane: post cuius obitum spe reditus à Senatu frustratus, specie uenationis fugam capessit, delatusque

tusq; in Syriam, & secundo omnium fauore exceptus, Eupatora & Lysiam in potestatem redactos per milites proditores interficit, ac regnu occupatum tenet annos 10. Oppugnauit IVDAM Maccabæum per Nicanorem & Bacchidem duces; è quibus illo peremto, hūc post Iudæ interitum opponit IONATHÆ, & omnia frustra molitum, pacem cum eodem facere permittit. Reducturus in Cappadociā HOLOPHERNEM, ARIARATHIS. V. F. scelerata eius fraude suum penè regnum amittit. Et benè iratus Romanis, ANDRISCVM quendam Adramyttenum pro PERSEI filio subornat, magnisq; spebus completum Romam mittit. Hinc otium sectatur, & castello cuidam ad Antiochiam se ueluti includit, Reipub. cura neglecta. Vnde cùm & ciues & milites dissidere ab eo odio graui cæpissent, bello ab ALEXANDRO impugnatur & prælio cū eo congressus, occūbit in acie. 1. Maccab. 7. 9. 10. 11. Maccab. 14. Polybius, Iosephus, Appianus, Eusebius, Zonaras, Florus, Iustinus. Scribit Seneca post obitum eius cometam apparuisse. Bibacitatem eius notat Athenæus lib. 10. cap. 11.

FILIA SELEVCI ἀνώνυμος, nupsit PERSEO, regi Macedoniæ. Liuius.

CONIVGEM DEMETRIO attribuimus è Floro LAODICEN, unde nati sunt: DEMETRIVS. II. & ANTIOCHVS. VI.

XII. DEMETRIVS. II. cognomento νικάτωρ, ob incertos bellorum casus Cnidum à patre ablegatus, per Lasthenis Cretensis mercenarias copias in Syriā reducitur. Ac gener mox ascitus à PTOLEMÆO Philometore, suasuq; eiusdem receptus ab Antiochenis, bellum cum socero ALEXANDRO infert, & prælio contendere ausum fundit, regnumq; in se transfert. Confirmauit Pontificatū IONATHÆ Asmonæo, & acceptis talentis 300. Iudæam cūm attributis toparchijs, Samaria, Ioppe & Galilæa, ei permittit. Cumq; iam ditioni omni pacata, milites partim dimisisset, partim ita retinuisset, ut stipendia eis minueret, graue eorum in se odium concitat, ac confluentibus ijsdem ad TRYPHONEM & ANTIOCHVM ἥιν, bello à seditiosis impetitur, prælioq; uictus, abit in Mesopotamiam, accersitus ab eorum locorū Græcis & Macedonibus contra MITHRADATEM, regem Parthorum. A' quo per pacis simulationem captus, clementis hostis benignitate & iuxta cultum fortunæ pristinę habetur, & RHODOGVNES F. nuptijs honoratus, uiuere in Hyrcania permittitur. Vndè cùm sub PHRAATE opera Calimandri amici bis fuga frustrà tentata, uxori & susceptis ex ea liberis donatus esset, tandem post ANTIOCHI fratris in Parthos expeditionem

in Syriam remittitur: consilio quidem ut hosti pœnitendo, ita sibi infelici. Nam cùm clade Parthica animos suorum iam uehementer exulceratos, & coniugem CLEOPATRAM ob nuptias Rhodogunes abalienatam, insuper superbia & crudelitate, quam per tormenta exercebat, irritaret, & bellũ moliretur contra PTOLEMÆVM Physconem, artibus huius excitatur ipsi hostis ALEXANDER Zebina. Ab hoc fusus fugatusq́ & exclusus perfidiosè à coniuge & filijs, in fuga ad Tyrũ ab inimicis occiditur. 1. Maccab. 10. 11. 12. 14. Iosephus, Appianus, Zonaras, Iustinus. Eusebius ante Parthicam captiuitatem annos decem, post reditum tres regnasse, ait.

XIII. ANTIOCHVS VI. cognomento Sedetes καὶ σωτὴρ καὶ εὐσεβὴς, à CLEOPATRA, uxore fratris, quæ Seleucia conseruata, tandem & milites ad se traduxerat, ad coniugium & regnum è Rhodo insula accitus, facit bellum contra TRYPHONEM, eoq́ pulso & cæso, regnat annos 9. Coniunxit amiciciam cum SIMONE Asmonæo: qua non multò post deserta, eundem per Cendebæum oppugnat, & IOANNEM Hyrcanum F. Hierosolymæ inclusum pecunia redimere pacem cogit. Dehinc proficiscitur in Parthos, & blandè initijs arridente fortuna, gerit omnia feliciter. Vnde factus negligentior, & ciuitatũ defectione copiarũ magna parte amissa, à PHRAATE subitò oppressus, fortiter dimicans perimitur. 1. Maccab. 15. Strabo, Philo, Iosephus, Appianus, Eusebius, Zonaras, Florus, Iustinus, Orosius. Excelluit clementia & religiosæ pietatis studio. Nam Iudæis Hierosolymæ obsessis uictimas liberaliter concessit. Conuiuiorum apparatui, temulentiæ & luxui adeò studuit, ut ad Parthicam expeditionem secum duxerit lixarum 30000. è quibus coquorum, pictorum & scenicorum maior numerus esset: cùm militũ copiæ 8000. constarent, ut est apud Iustinum. Vnde Parthus cæsum eum & sepeliri iussum irridens: Fefellit, inquit, Antioche, uinum & audacia: Sperauer-
„ ras enim, te Arsacis imperium in magnis poculis esse bibiturum. Me-
„ morabile est, quod de ipsius moderatione refert Plutarchus. Nam cùm in uenatione quadam studio persequendi feram, ab amicis & seruis aberrasset, & diuertere apud hominem tenuem coactus, inter cœnandum sermonem de Rege, quem esse se dissimulabat, iniecisset, illumq́ bonum quidem haberi didicisset, sed qui amicis flagitiosis obsequendo plurima in Repub. negligeret, etsi tunc tacuit, tamen postea aduentu satellitum cognitus: Nimirum, inquit, ex quo die uos sumsi, heri primum uera de meipso audiui: cœpitq́ exinde in regno administrando esse diligentior. Simile quiddã Chronica Thuringiæ tradunt de Ludouico Ferreo Landgrauio, cuius ab eo tempore seueritas celebris extitit. De morte Antiochi uariãt Strabo & Ælianus, quorum ille sua

le sua

le sua manu eum interijsse, hic ex rupe se præcipitem dedisse, ut ne scilicet in hostis perueniret potestatem, scribunt.

PROCREATÆ autem sunt fratribus hisce stirpes duæ distinctæ, & quidem ex coniuge una CLEOPATRA, Ptolemæi Philometoris F. quę incestis & Ægyptijs nuptijs cum utroq; connupta fuit. Primùm autem agemus de Demetrij posteritate.

RELIQVIT DEMETRIVS ex Cleopatra liberos: Seleucum, ANTIOCHVM. IIX. & Filiam ἀνώνυμον. Nam ex RHODOGVNE, quā in Parthis duxerat, suscepta soboles ignoratur.

SELEVCVS, occiditur à CLEOPATRA matre, quòd post patris interitum iniussu ipsius diadema sumsisset. Appianus, Florus, Iustinus.

XV. ANTIOCHVS. IIX. cognomento γρυπὸς καὶ φιλομήτωρ, reuocatur Athenis, ubi bonis literis operā daret, à PTOLEMÆO Physcone: & GRYPHINÆ nuptijs honoratus, ALEXANDRO Zebinę hostis opponitur: quo prælio uicto & cæso, regnum in se translatum tenet annos 29. De matris insidijs per indicium edoctus, uenenum sibi præparatum bibere eam cogit. Atque eodem mox sceleere ipse usurus in Cyzicenum fratrem, bellum eius attrahit: in quo cùm prima congresione superior, coniugem ipsius CLEOPATRAM interfici passus esset, uictus rursum, suam amittit. Nec reduci deinde cum fratre in gratiam potuit: cumq; SELEVCE ducta, nouas à CLEOPATRA socru copias accepisset, bellum renouatum per omne uitæ tempus cum eo gessit ἀσπονδον. Interficitur fraude Heraclionis, anno ætatis 45. Iosephus, Appianus, Eusebius, Zonaras, Iustinus. Meminit Athenæus lib. 12. cap. 19.

FILIA ἀνώνυμος, capta à PHRAATE post cladem ANTIOCHI, matrimonio eius deinde iungitur. Iustinus.

INTER coniuges ANTIOCHI Grypi præter GRYPHINAM & SELEVCEN, Ptolemæi Physconis filias, nominatur CLEOPATRA ἄλλη: è quibus quos singulatim susceperit liberos, incertum est. A' Iosepho quidem hi ei attribuuntur: SELEVCVS. V. Antiochus, DEMETRIVS. III. PHILIPPVS, & ANTIOCHVS. XI. Quibus addimus è Strabone & Dione, SELEVCVM Cybiotatem, eumq; cum ANTIOCHO. XI. genitum è Cleopatra ἄλλη opinamur. Vt simultas huius & bellum cum PHILIPPO cœperit, post repetitum matris cum ANTIOCHO ἀδελφῷ coniugium. Nam is Antiochum alterum & DEMETRIVM ἰσχυρὸν hostes grauissimos habuerat.

XVII. SELEVCVS. V. oppugnat bello Cyzicenum patruum: cuius cæde regno potitus, & eiectus rursus ab ANTIO-

q 4 CHO,

CHO, Cyziceni F. in Ciliciam ſe profugus recipit. Vbi cùm tributa à Mopſeatis exigeret acerbius, ſeu populari tumultu, ſeu Antiochi inſidijs, unà cum amicis in regia crematur. Ioſephus, Appianus, Euſebius.

ANTIOCHVS, fecit bellum ANTIOCHO εὐσεβεῖ, & prælio uictus, uitam ſimul amittit & exercitum. Ioſephus.

XIX. DEMETRIVS. III. cognomēto εὔκαιρος, accitus Cnido à PTOLEMÆO Lathuro, Rex apud Damaſcū ſalutatur contra ANTIOCHVM εὐσεβῆ. Hoc mox à Parthis euerſo, iungit ſe Iudæis rebellibus contra ALEXANDRVM Aſmonæum, Ioannis Hyrcani F. quem uictum non auſus perſequi, & in regnum reuerſus, PHILIPPVM fratrem temerè irritat. Ideo tum ab eo, tum ab Arabibus & Parthis ſocijs obſeſſus & oppugnatus acerrimè, dedere ſe hoſti cogitur, abductusq́ in Parthos ad MITHRADATEM, habetur honorificè. Ioſephus, Egeſippus. De amica eius Myrina Athenæus lib. 13. cap. 23.

XX. PHILIPPVS, occupat partem Syriæ poſt Antiochi fratris interitum. Ideo hoſte uſus Demetrio Eucæro, Arabum & Parthorum auxilijs obſeſſo illi deditionem extorquet: & regno dehinc ſolus potitus, inuaditur ab ANTIOCHO Dionyſio. A' quo cùm Damaſcum recuperatam, mox eadem proditione amiſiſſet, capitur tandem à GABINIO. Ioſephus, Egeſippus, Euſebius.

XXI. ANTIOCHVS. XI. cognomento διόνυσος, petit Romæ à ſenatu cum SELEVCO fratre regnum Ægypti: ab eaq́ ſpe poſt biennij integri expectationem depulſus, dum Syriam repetit, fraude in Siciliæ tranſitu ſpoliatur uaſis precioſis à VERRE. Hinc cum PHILIPPO fratre de regno paterno armis contendit & occupata Damaſco, regem ſe gerit. A' quo tempore profectus in ARETAM, regem Arabiæ, captando aliena, propria ferè amittit, recuperata à Philippo & amiſſa interea præfecti proditione Damaſco: cumq́ prælio cum hoſte congreſſus, & ſua parte uictor cornu alterum laborans reſtituere in integrum conaretur, ab hoſte circumuentus trucidatur, & Cœleſyria occupatur ab Arabibus. Ioſephus, Egeſippus, Zonaras, Cicero.

SELEVCVS, cognomento Cybiotates, latuit in obſcuro poſt ANTIOCHI fratris interitum. Euocatus ob propinquitatem in Ægyptum à BERENICE, filia PTOLEMÆI Auletæ, atque tum connubio eius tum regno potitus, non multò pòſt ob mores ſordidos & illiberalitatem rurſus pellitur atque necatur, ut ſunt auctores Strabo & Dion. Meminit Suetonius in Veſpaſiano, & idem huic ab Alexandrinis cognomentum per contumeliam datum, ait. Tametſi in

uulgatis

uulgatis exemplaribus nomen hoc legitur Cibirates, sicuti apud Strabonem κυβιοσάκτης. Vtrunque locum restituit Egnatius in annotationibus in Suetonium. A' Strabone alibi Cocces καὶ παρείσακτος πολιμαῖος dicitur: qui addit, cum auream urnam, qua Alexander conditus esset, per sacrilegium uitrea commutasse.

POSTERITAS ANTIOCHI SEDETIS.

SVSCEPIT ANTIOCHVS Sedetes è CLEOPATRA filium unicum, ANTIOCHVM. IX.

XVI. ANTIOCHVS. IX. cognominatus à moribus φιλοπάτωρ, & ab urbe, in qua educatus esset, Cyzicenus, impio & nefario conatu ueneno à Grypo tētatur. Hoc bello uindicaturus, CLEOPATRÆ connubio Cyprias ad se copias traducit: & prima prælij congressione infelici usus, coniugeq; spoliatus, mox certamen acrius repetit, ac uictor GRYPHINAM captam in uxoris ultionem iugulat. A' quo tempore etsi à pernicie mutua neuter cessauit, tamen fratre ad tēpus omisso, Samaritis euocantibus cōtra ARISTOBVLVM & ANTIGONVM, Ioannis Hyrcani filios, opitulatum proficiscitur, prælioq; uictus fugatusq;, ægrè euadit. Post GRYPI necem nouo filij ipsius SELEVCI bello oppugnatus, atque in pugna captus, trucidatur. Iosephus, Appianus, Egesippus, Eusebius, Zonaras, Iustinus.

ADDO autem hic historiam ALEXANDRI Zebinæ: qui Protarcho negociatore natus, tanquam ab ANTIOCHO Sedete adoptatus esset, Rex à Ptolemæo Physcone Syris mittitur contra DEMETRIVM. II. quo prælio uicto, & iugulato à suis, regnum occupatū in se transfert. Per hoc tempus cum IOANNE HYRCANO, Iudæorum Pontifice, societatem fœdere confirmauit. Atq; ex tanta felicitate factus insolentior, & Ptolemæo à se alienato, bello petitus ab ANTIOCHO Grypo, occumbit in prælio. Iosephus, Zonaras, Florus, Iustinus, Orosius.

NVPSERE ANTIOCHO Cyziceno Ptolemæi Physconis filiæ duæ, CLEOPATRA, è qua genitus illi filius ANTIOCHVS. X. & CLEOPATRA iunior, cognomēto σελήνη, quæ antea cum fratre fuerat.

XIIX. ANTIOCHVS. X. cognomento εὐσεβής, inuasit regnum contra SELEVCVM. V. idq; illi ereptum, contra Antiochum, Seleuci fratrem, defendit fortiter. Euocatus contra Parthos à LAODICE, Galadenorum regina, prælio infelici cum hoste decertat:

certat: tandemque post cędem ANTIOCHI Dionysij in Syriam reuersus, pellitur à TIGRANE, rege Armeniæ. Iosephus, Appianus.

DVXIT in matrimonium ANTIOCHVS nouercam CLEOPATRAM, cognomento θεὰν, procreato ex ea filio ANTIOCHO. XII.

XXII. ANTIOCHVS. XII. cognominatus Asiaticus, quòd in Asia educatus esset, redijt sub LVCVLLO in Syriã, ac magno populi studio exceptus, beneficio eiusdem regnũ, Tigrane eiecto, recipit, potitus eo tantum annum unum. Nam POMPEIVS Luculli successor, cùm prouincias à Tigrane possessas ad Romanos uictores pertinere contenderet, Syriam in prouinciam redegit. Quam iniuriã cùm post CRASSI in Parthis cladem ANTIOCHVS uindicaturus, bellum fecisset C. CASSIO, prælio uictus perimitur: è Seleucidis rex Syriæ postremus, quam à Parthis defensam, retinuere deinde usq; ad Saracenica tempora Romani. Appianus, Eusebius, Orosius.

REGNVM BITHYNICVM.

DE BITHYNIÆ APPELLATIONIBVS ET COLONIS: DE BITHYNIORVM ORIGINE, MIGRATIONIBVS, IMPERIIS, familijs regijs.

BITHYNIAS scriptores duas nominant, unam Europæ, Asię alteram. Illam supra Thraciam ad Salmydessum collocant: hanc ad Pontum Euxinum, & Propontide, Mysia & Paphlagonia terminant. Atque de Europæa ut ne uerba plura faciamus, Asiaticam diuersis appellatam nominibus Seruius scripsit: quæ nomina fuisse hæc inuenio: Mysia, Mygdonia, Bebrycia, Mariandynia: profecta uidelicet atque deriuata à gentibus, quæ eam incoluerunt. Nam has quidem diuersas consedisse in Bithynia accepimus: nempe MYSOS, CIMMERIOS, ASCANIOS, CAVCONES, DOLIONES, CHALCEDONIOS, BOEOTOS, MYGDONES, BEBRYCES, MARIANDINOS, & à quibus terra ipsa nomen retinuit, BITHYNOS. Quas ut lingua, institutis, moribus, ita & origine discerno.

MYSI, Cimmerij, Ascanij, Caucones, Germanicæ stirpis sunt.

Atque

Atque de Mysis alibi à nobis explicatum est diligentius, quæ repeti hîc uoluimus. CIMMERII pulsi seu à Thracibus, in qua opinione est Eustathius, seu ab Halyatte, rege Lydorum, quam sententiam sequitur Herodotus, condidêre in Germania Cimbros, quorum fortitudo bellica è Romanis histori js nota est. ASCANII propagârunt Tuiscones, & Teutones, quod nomen abolito altero Germanorum, à Romanis usurpato, in nostra lingua mansit. CAVCONES conditores sunt gentis ὁμωνύμου ad Oceanum Germanicum. Putaturque has tres gentes Germania colonos habuisse antiquissimos. Vnde neque eorum coniectura improbanda, qui appellationem GOMER singulariter de Galatis seu Gallis accipiunt. Quandoquidem cæteroquin nomẽ hoc utrisque, hoc est, Germanis & Gallis, ut postea distingui cœpere, commune fuit.

DOLIONES, CHALCEDONII & BOEOTI Græci sunt: & Dolionum nomen ad Ionas alludit. Ab his enim propago. Bœoti sunt ab Æolibus, teste Thucydide: Chalcedonij à Megarensibus.

RELIQVAS quatuor, Mygdonas, Bebrycas, Mariandynos, Bithynos, ex perpetuo scriptorum consensu Thracas facimus. Neque audiendus Pausanias, qui Bithynos ex Mantinea Arcadiæ propagat. Est autem THRACVM & origo & nomen à Thira, filio Iaphet, teste Iosepho. Nam Græcorum opiniones & etyma, ut commenticia & ficta rejcimus. Neque de Mygdonibus & Bebrycibus plura hoc in loco addimus: cùm quidem annotârit Plinius, Bebrycas suo tempore interijsse: quod tamen cur admitti non possit, argumenta multa sunt. Et profecti ab his uidentur PHRYGES, mutilato uidelicet principio, quos Strabo & Breges & Bregos uocatos, scribit. Atque de Bithynis institutæ expositionis seriem ut pertexamus, omissis, quæ de ipsorum tam origine quàm nomenclatura nõnulli prodidere, hos cum Mariandynis ut nominis, ita stirpis eiusdem facio: quæ est à THYNIS, gente Thraciæ, ut in cæteris auctor est Strabo, qui idem & Thyniam insulã nominat, quomodo Stephanus, Catullus, & Ammianus Thyniam regionem. Sic enim Claudianus:

Thyni Thraces erant, quæ nunc Bithynia fertur.

Et inter subditas SEVTHÆ, regi Thraciæ, gentes Xenophon Thynos nominat: quorum ibidem meminere Plinius, Solinus, Eustathius. Refero etiam ad eandem originẽ MÆDOBITHYNOS & OETHYNOS, quos posteriores Herodotus inter gentes à CROESO debellatas recenset. Nam Mædobithynos Stephanus in Macedoniam collocat. Nec tamen unde istæ nominum in Thynorum natione mutationes extiterint, sciri certò potest. Quod si sentire

cum ijs libet, qui in Bithynia Henetæ linguæ usum fuisse, affirmant, sonant BITHYNI Thynorum accolas, eadem nempe deriuatione, qua POMERANI & BORVSSI à maris & Russorum confinio nomen accepere. Atque uidetur rursus à Mædis composita appellatio MÆDOBITHYNI, quòd utrosque fortè gens hæc conditores habuerit. Nominant enim ueteres inter Thracicas gentes Mædos: de quorum cõiunctione cum Dardanis Mysis, & irruptionibus in Macedoniam multa Romanæ historiæ commemorant. Vnde & postea temporis tum hos tum Thynos & Bithynos, eos nempe, qui in Thracia sedes retinuère, gentes nostras in Germaniã consectatos opinor. Nam à Mædis deriuo nomen urbis MADEBVRGÆ, ut à Bithynis Vuittini, & Vuittinburgæ, seu quæ enunciatio iam recepta est, Vuittenbergæ. Et habet Thynorum nobilem familiam Thuringia, quæ & ipsa à gente conseruasse nominis id uidetur, ut in Vuestualia ab Henetis Slauis, quorum pagi dicuntur Die Wendischen Börde, nobiles Vuendi. Nam tenuisse oram ad Salam & Albim Henetos, adeoq; in ipsam Saxoniam & Vuestualiam colonias deduxisse, prorsus dubium nullum est. An uerò è Thracia Bithyni in Asiam migrârint, quod uelle ueteres uideo, seu potius hinc ad Thraciã accesserint, non disquiro nunc enodatiùs. Sanè Eusebius & tempus migrationis huius definiuit, quod facit annum sextum DORYSSI regis Lacedæmoniorum. A' quo ita dissentiunt Appianus & Eustathius, ut ille post bellum Troianum Bithynos, quos Thraces & RHESI socios nominat, in Asia mansisse, hic uerò post eiectos CIMMERIOS sedes easdem occupasse illos, tradat. Id quidem certè nos literę sacræ docent, instauratum humanum genus in orientali Asia. Ideo & Bithynos inde in terram aliam progressos, necesse est: quam seu Thraciam seu Asiam existimare uoluerimus, nullam in partem peccabitur. Quandoquidem postea & Galatas nostros ex Europa isthuc immigrasse, constat.

IMPERIA principiò Bithyniam diuersa habuisse, inuenimus. Nam quod scripsit Diodorus, Bithynos à NINO subactos, sub Assyriorum deinde dominatu fuisse, fide caret. E' Bebrycum regibus nominant Plutarchus & Polyænus MANDRONEM: è Mariandynis LYCVM, Hyginus. Sed obscurauit utrosq; atq; oppressit, felicioribus aucta & firmata incrementis Bithynorum potentia: apud quos ante Romanos regnatum à Regibus XLIX. Appianus tradidit. Quanquam qui ex his uetustiores fuere, eorum historiæ omnino obscuriores sunt, ac parte maxima ignorantur. In tempora expeditionis Argonauticæ collocat ex Pherecyde Scholiastes Apollonij AMYCVM & PHINEA. Nam de hoc quidem alij uariant, &

Thraciæ imperasse, aiunt. Neque qui deinceps regnârint, literis proditum est, usque ad PRVSIAM, qui cum CROESO belligerauit, quomodo est auctor Strabo. Nam Stephanus tẽpore facit paulò posteriorem, & ad Cyri imperium refert: quod ab historiæ ueritate alienum esse, etiam Herodoti testimonio liquet, qui Bithynos à Croeso domitos, cum cæteris huius prouincijs in Cyri uenisse potestatem narrat. Desinit igitur hoc Bithynorum regnum, quod gentis eius primum est, in PRVSIA: & seruitutem illi deinde Persis seruiũt. Nam XERXIS in Græciam expeditioni Bithynos interfuisse, ex Herodoto planum est: ac Xenophon sub ARTAXERXE Mnemone Satrapam eis attribuit PHARNABAZVM. Neque libertatem recuperare gens potuit usque ad ALEXANDRVM. Qui cùm Bithyniam planè intactã reliquisset, ut scripsit Iustinus, & deinde duces eius in seditiones & bella intestina distracti essent, ZIPOETES eã inuitatus & usus occasione prouinciam illam inuadit, & occupatam feliciter, tandem etiã de consensu Ptolemæi, ducis & propinqui ANTIGONI, retinet. Collocat Diodorus tempus id in Olympiad. 116. annum secundum, Coss. Sp. Nautio Rutilio & M. Popilio Lenate. Vnde quidem nos etiam noui huius Bithynorũ regni, quod alterum possedere, initium sumimus. Quod autem Zipoetis illius genus fuerit, quæ origo, à scriptoribus traditum non est. Pausanias ex nomine Thracem fuisse, opinatur, quod relinquo in medio. Nec de successoribus & posteris conuenit cum Stephano Zetzes: quorum ille Nicomedem Magnum patre Zela natum affirmat; & filium huius Zelam; quem & Zielatum nominat, PRVSIÆ patrem attribuit: hic uerò Nicomedem Zipoetis filium facit, & editos eo astruit Prusiam & Zielam. Ac uidetur suffragari Stephano Strabo, nisi quod Zela Prusiæ cognomentum intelligit: Quod tamen magis exemplaris deprauati, quàm auctoris erratum, crediderim. Sed potior nobis Zetzæ est sententia: quippe qui sententiæ suæ nominet auctorem Arrianum. Qui cùm peculiari scripto de Bithynico regno explicarit, maximè uera afferre uoluisse, uidetur. Enimuerò Nicomedes Magni contra Zipoetem bellum de fratre quàm de patre prodita ab auctoribus uirtus eius uerisimilius facit. Etenim regem hunc ita claruisse, ut qui ei successere nomine ipsius, sicuti à Ptolemæo Ptolemæi uterentur, Strabo affirmat. Et cùm de Zela consentiat cum Zetze Stephanus, etiam de Prusia maior huic fides debetur. Etsi quod huic Zetzes Zielam præponit, nequaquam admittimus. Nam præter alias circumstantias disertè hoc impugnant Athenæi expositiones. Atque haud scio, an non errorem de genito Prusia è Ziela pepererit, quod hic eum in regno antecessit. À PRVSIA deinceps regum & familiæ successionem per-

texit diligenter & fide summa Appianus. Nam aliorum inuenimus opiniones alias, adeoq; inter se plane discrepantes. E quibus Iustinus præterquam quod NICOMEDEM Epiphanem omittit, etiam belli Mithradatici initia in Nicomedis postremi imperium collocat: Et Suidas cognomentum κονίδης Nicomedi Epiphani attribuit, eundemq; ab ATTALO II. Romanorum interuentu Bithyniam recuperasse ait. Sed ab his ea quidem parte discedimus: Quandoquidem Appiani narrationes, ut sunt exquisitiores, ita ideo etiam uidentur uerisimiliores; quod de Socrate Chresto consentiat Iustinus. Atq; nos quidem his ita insistemus, ut è Iustino assumamus, quæ quàm minimè cum Appiano pugnent. Et quia idem disertè hoc affirmat, Nicomedem Philopatoris F. Bithyniam Romanis reliquisse, & tamen alibi historiæ de Philopatoris restitutione id mox subijcit, ut eundem accipere uideatur, ego hæc ita disiungo, ut Philopatora post reditum non diu fuisse in uita, itaq; regnum mox ad filium peruenisse existimē. Estq; hinc fortè & Iustini error, qui ut diximus, tum bellum MITHRADATI illatum, tum restitutionem factam à Romanis, Nicomedi ultimo asscribit. Quanquam interim & hoc accidere potuit, quod Philopator multum filij opera usus sit: indeq; quod utrisq; commune esset, uni tributum sit. Relinquitur iam dubium postremum de Nusa, quem Salustius genitum Nicomede ultimo, & cum regni successor ab eo appellatus esset, à Romanis exclusum, refert: Cùm alij scriptores magno cōsensu regem illum masculis liberis orbum decessisse, ideoq; Romanis testamento Bithyniam reliquisse, tradant. Idcirco ab hac sententia discedendū non est: Etsi fieri potuit, ut è concubinis, quas Asiatici reges multas semper habuêre, filium illum Nicomedes susceperit. Vnde oriundū ab eadem hac familia censemus NICOMEDEM Bithynium, quem memorant Hirtius & Appianus: ita quidem ut regium ipsius genus è Cappadocia, de materna origine intelligamus. Nam patrem ei attribuo Socratem Chrestum. Neque dehinc alij ex Bithynica stirpe, referuntur, ut concidisse hanc in eo totam, opiner. Quandoquidem & Romani Bithyniæ possessionē semel occupatam, nunquam deinde dimisêre, cùm tam Bosporus quàm Pontus ad Mithradatis Eupatoris hostis posteros redierit.

FAML

FAMILIA REGVM BITHYNIÆ, QVAE REGNAVIT ANNOS CCXXXIIX.

I. ZIPOETES, Thrax, occupat Bithyniã, dissidentibus inter se ciuili bello ducibus ALEXANDRI: atque Chalcedonenses adortus, & ingenti strage deuictos obsidere aggressus, depellitur à Ptolemæo, duce ANTIGONI, & cùm pacis admittere conditiones, tum obsides dare cogitur. Mox noui hostis LYSIMACHI armis oppugnatur, & iterum à fortuna destitutus, amittit Astacum urbem, quam cõdiderat cum Zipoetio. Diodorus, Strabo, Plutarchus, Pausanias, Stephanus, Scribunt hoc nomẽ alij Zibyta, alij Zepoetus, alij Zyboeta, alij Pedalsus.

GENITI sunt ZIPOETE filij, NICOMEDES & Zipoetes.

II. NICOMEDES. I. cognomento Magnus, excipit successione patris regnum: de quo hoste usus Zipoete fratre, GALATAS eos sibi auxiliares adiungit, qui cum LVTHARIO in Asiam inuaserant, & mox ducem horum alterum LEONORIVM, qui Byzantij subsiterat, in Bosporo traijciendo adiuuat: Itaque per utrunque Zipoete pulso, Bithyniam omnem in potestatem suam suscipit. Liuius. Tradidere Strabo & Stephanus, cõditam ab Nicomede Nicomediam urbem, translatis eò Astaci habitatoribus, quam destruxerat LYSIMACHVS: à qua sententia nonnihil dissentientes Pausanias, Eusebius, Cedrenus, tantummodo hanc ampliatam ab hoc rege, indeq; à nomine ipsius Nicomediam dictam, uolunt. Meminit idem Pausanias statuæ Nicomedis in foro Traiani.

ZIPOETES, contendit de regno cum fratre, & armis eius pulsus, in Macedoniam exul profugit: Vnde reuocatus tandem à Byzantijs, & PRVSIÆ hostis oppositus subito morbo extinguitur. Polybius libro 4. Liuius Decad. 4. lib. 8. quorum ille Thibetem hic Zybœam nominat.

FVIT cum NICOMEDE connupta DITIZELE: è qua iuxta Zetzam liberi procreantur: ZIELA, PRVSIAS & Lysandra. Plinius eandem Consingin nominauit, & uariat modicè de historia, quã Zetzes in hanc sententiã exposuit: Temporibus MICHAELI, Theophili F. perfossum fuisse monumentum sepulcri Nicomediæ, in quo conditum esset corpus DITIZELES, coniugis Nicomedis, regis Bithyniæ, quæ mortem obijsset, cùm canis regius abripuisset mordicus dexterum humerũ illius amplexantis regem, quod canis eam gente Phrygiam nondũ satis notam haberet. Et fuisse mo-

numentum illud lapide inaurato extructum, & inuiolatum ad tempus usque suprà indicatum. Cadauer etiam, quale fuerat depositum cum ueste textili aurea: eaque conflata auri inuentū pondus librarū CXIII.

III. ZELA, coniunxit patris exemplo amicitiam cum Galatis: Quorum principes inuitatos ad conuiuium per insidias conatus tollere, his detectis, ijsdem ipse petitur, & quam perniciem alijs struxerat, subit. Athenæus lib. 2. cap. 18. Stephanus Zielam Cappadociæ ab eo conditam, & Cressam Paphlagoniæ occupatam, ait.

IV. PRVSIAS, cognomento κυνηγὸς, oppugnauit cum Rhodijs Byzantios, & grauiter afflictis, CAVARI Galli interuentu pacem reddit. Hinc armis Gallorum prouocatus, qui ab ATTALO. I. in Asiam attracti, nec multò pòst dimissi, cōmune Asianis omnibus bellum fecerant, acri prælio uictos tractat crudeliter, neque ætati neque sexui parcens. Contra Cianos infelici consilio PHILIPPVM, regem Macedoniæ, attraxit. Nam urbe ui capta atque euersa, nihil præter aream recipit. Idcirco & amicitiā cum eo deinde remissam habet, & PERSEVM successorem tantum promissis contra Romanos dubijs suspensum tenet: impudenter etiam & stolidè senatui uictoriā de eo gratulatus. In bello Antiochi, literis Scipionis à societate huius auertitur. Atque infestissimis usus EVMENE. II. & ATTALO. II. fratribus, illi astu ANNIBALIS uicto, quem Annibalem post debellatum Antiochum ad se profugum domo & hospitio susceperat, per Romanos conciliatur: huic uerò fraudulentè circumuento etiam Pergamum adimit, ausus inter reliquam prædam Æsculapij statuam auream, cui antea sacrificârat, auferre: nec multò pòst iussu Romanorum satisfacere eidem cogitur. Neque cessârunt de hinc odia & insidiæ inter utrunque. Cumque ad facinora cętera, quibus suorum animis uehementer abalienatis, beneuolentiam horum omnem in Nicomedem F. conuerterat, cædem eiusdem addere, & natis ex altera coniuge liberis, regnum relinquere, instituisset, ijsdem artibus oppugnatus, & destitutus post legatorum Romanorum discessum, & institutam contra se apud eosdem à proceribus subditis accusationem, ope omni, Nicomediæ filij iussu perimitur. Polybius, Strabo, Plutarchus, Appianus, Lucianus, Eusebius, Liuius, Florus, Iustinus, Probus, Orosius. Fuit regij nominis maiestate planè indignus, & adulationis tam abiectæ, ut pileatus capite raso, obuiā legatis ire, libertumque se P.R. ferre, & ideo insignia ordinis eius gerere, solitus sit: fautor omnium humilimorum, hoc est, qui cupiditatibus ipsius improbis obsequerentur: & fidei incertæ: Vnde & ANNIBALEM, cuius forti opera usus fuerat, dedere T. QVINCTIO instituit. De quibus eius moribus cùm elegāter explicet Suidas, uerba eius adijcere uisum fuit.

fuit. PRVSIAS REX, inquit, odioso aspectu, quamuis ex ratio« cinatione melior, dimidius uir externa specie, & ad res bellicas inuti« lis & muliebris. Nec enim timidus duntaxat erat, sed & à tolerandis « ærumnis alienus, denique & animo, & corpore per omnem ętatem ef« fœminatus. Multa enim libido eius erat & petulantia in cupiditatibus « corporis. Doctrinæ & Philosophiæ, & quæ in his sunt præceptorū, « prorsus rudis: & quid honestas esset, ne cogitârat quidem unquam, « sed barbaram Sardanapali uitam agebat noctes diesq́. Itaque cum ij, « qui regno eius parebant, uel exiguam spem concepissent, toto impetu « ferebantur, non modò ad defectionem, sed & ad pœnas de eo sumen« das. Hactenus Suidas. Condidit ex ruinis Cij, quam Colophonio« rum coloniam nominat Mela, Prusam ad Hippium fluuium: à qua di« uersa est Prusa ad Olympum montem, condita à PRVSIA primo, hoste CROESI, quæ & nostro tempore superest, præbuitq́ regiam sedē OTHOMANNIS Turcis, usq́ ad AMVRATHEM. I. & MAHOMETVM. II. quorum ille Adrianopolin, hic Constantinopolin transtulit. Nominat etiam à Prusia Athenæus poculum quoddam Prusium, eumq́ ob delicias & mollitiem celeberrimum fuisse, scribit.

LYSANDRA memoratur nomine tenus, à Zetze.

HABVIT PRVSIAS in matrimonio, APAMEN, Die« gyllis Thracis F. & N. Filiam PHILIPPI, regis Macedonum. Ex Apame genitos censemus, NICOMEDEM. II. & Prusiam. Al« tera quos ediderit liberos, non est literis proditum: etsi hos ex ea susce pisse Prusiam, constat: Quandoquidem ut regnum in eos transferret; Nicomedem de uita tollere conatus est, teste Iustino.

V. NICOMEDES. II. cognomento ἐπιφανής, adductus à pa« tre Romam, magno studio Senatui commendatur. Cuius cùm bene« uolentiam non minorem, quam qua apud populares florebat, uirtute & moribus optimis sibi conciliasset, apud patrem in offensa esse inci« pit: Atque per Menam de insidijs eius edoctus, has ATTALI au« xilijs in eum retorquet, destitutumq́ ab omnibus, & post deditā Ni« comediam captum, de uita tollit: regnumq́ occupatum in se transfert. Appianus, Florus, Iustinus, Eutropius. Scribunt Stephanus & Eusta« thius, conditam ab eo Apameam urbem, quam à matre ita appellârit: quod Strabo Prusiæ tribuit. Meminêre Plinius & Solinus Nicome« dis, cuius equus ex interfecti domini desiderio uitam finierit. Id nos de hoc Rege accipimus, ut qui pœnam talionis luerit, nempe passus à filio, quod in patrem ipse commiserat: & fortè huic inde per ἀντίφρασιν φιλοπάτωρ nomen mansit.

PRVSIAS, cognomento μονόδους, pro superiori ordine dentium

unum os æqualiter extentum habuit, nec ad speciem deforme, nec ad usum ulla ex parte incommodum. Valerius, Plinius, Solinus, Florus. Variat de cognomento Zetzes, idq; patri accommodat.

RELIQVIT NICOMEDES. II. Nicomedem III. & Socratem.

VI. NICOMEDES. III. cognomento φιλοπάτωρ, regnauit ex S.C. post patrem. Cum MITHRADATE Eupatore tentauit Paphlagoniam, in qua stirps regia tum interijsset: eaq; deinde fraudulentè solus potitus, etiam ad Cappadociam animum adijcit, quæ pareret tum Mithradati. Ideo à Romanis & Paphlagonia discedere iubetur: & Mithradate hoste usus, per Socratem fratrem ab eo oppugnatur: regnoq; eiectus, aliquantò pòst restituitur à Romanis. Quorum eorundem hortatu contra Mithradatem bellum temerè renouare ausus, & à retrocedente ad Amnium fluuium decertare prælio coactus, funditur, fugaturq;, ac regno iterum expulsus, exul deinde Romana castra usq; ad SYLLÆ uictorias sequitur. Hoc tempore redire in regnum permissus, non multò pòst cedit è uita. Strabo, Appianus, Florus, Eutropius, Orosius. Quomodo uariet de ipsius & filij historia Iustinus, suprà ostendimus. Meminit Diodorus in fragmentò libro 36. & MARIVM contra CIMBROS copias auxiliares ab eo rogauisse, ait. Loquitur de eodem C. GRACCHVS apud Gellium lib. 11. cap. 10.

SOCRATES, cognomento χρηστὸς, immittitur Bithyniæ à Mithradate Eupatore: apud quem postea in odium adductus, iugulatur. Appianus, Iustinus.

NICOMEDES, donatur post PHARNACEM debellatum à Cæsare sacerdotio Bellonæ in Comanis Ponticis, excluso ARCHELAO, cui Pompeius id concesserat. Hirtius, Appianus.

NICOMEDIS. III. coniunx nominatur à Iustino, LAODICE: è qua quam susceperit prolem, incertum est. Nam filij, NICOMEDES. IV. & PYLEMENES, iam antè ei nati fuêre: & Iustinus in epistola Mithradatis ex his Nicomedem saltatricis filium uocat.

VII. NICOMEDES. IV. retinet regnum sub Romanorum clientela: eosq; præterito Nusa filio, deinde testamento hæredes instituit. Obijt anno V.C. DCLXXVI. Florus, Eutropius. De mortis tempore uariat Appianus lib. 1. de bellis ciuilibus, idq; collocat in Olymp. 176. Creditũ fuit C. IVLIVM Cæsarem, qui sub Thermo prætore tum prima in Asia stipẽdia faceret, Regi huic pudicíciã prostituisse.

tuisse: Vnde acerbo carmine in illum inuehitur Catullus. Idem & milites ei obiecisse in triumpho Gallico, testantur in ipsius uita Suetonius, Dion libro 43. Meminit hospitij Cæsaris cum Nicomede Gellius libro 5. capite 13.

NVSA, memoratur à Salustio in epistola Mithradatis ad Arsacē, ut qui regni successione, quam destinârat ei pater, è Romanis exclusus sit.

FILIA ἀνώνυμος, defenditur à CÆSARE in Senatu: Qui cùm & NICOMEDIS patris in se commemoraret beneficia, ridetur ideò & obliquè notatur à Cicerone. Suetonius.

PYLEMENES, creatur Paphlagoniæ Rex à patre, fingente originem ipsius è Paphlagonum regum stirpe: quod regnum pòst Romanorum iussu dimittere coactus, tandem ope eorundem à Mithradate recuperatum retinet, atque testamento eis legat. Iustinus, Eutropius, Sex. Rufus.

NVMMVS PRVSIÆ.





REGNVM PONTICVM.

QVAM VETERES REGIONEM PONTVM APPELLARINT: QVAS IN EA COLLOCARINT GENTES: QVAE FVERINT IBI *imperia: quæq; tenuerint ea familiæ.*

PRINCIPIO Euxinum Pontum, quòd neque profundus sit, & fluctuosus atque fermens, & accolarum feritas immensa esset, ἄξενον appellatū accepimus, quod Latini dicerent accessu peregrinorum carentem, seu, ut Horatius Poëta reddidit, inhospitalem. Horum accolarum moribus pòst aliquantum, ut Mela ait, mollitis, ita ut adiri iam tutò possent, & Ponto simul nomen mutatum, cœpitq; is pro ἄξενος uocari εὔξενος, hoc est, hospitalis. Ac singulariter mare illud Pontus appellatum κατ' ἐξοχὴν, ut auctor est Strabo, quòd antiqui illius æui homines quendam arbitrarentur esse Oceanum, & qui eò usq; nauigarent, non aliter se in exteriora maria ingredi crederent, quàm qui extra fretum Herculeum prouehérentur: quia, inquit, inter ea, quæ nos admiramur, hoc maximum est. Cæterum à mari Græci deinde regionem, quæ Bithyniæ, Paphlagoniæ & Cappadociæ obiecta, ei adiacet, Pontū denominārunt: quomodo & uicina ipsi COLCHIS ab hoc principio uidetur appellata, uoce, ut ego existimo, Germanica. Nam gurgitem Saxones adhuc hodiè propriè ita nūcupant, & fuisse olim Germanicæ linguæ usum in Colchide (sicuti ne nunc quidem ibi desijsse dicitur) Strabo planum facit libro 5. ubi ex Callimacho Polam Histriæ à Colchis conditam, & lingua Colchica exules denotare, ait, cùm sit Germanicum Wallen, hoc est, peregrinatio. Etsi mallem ipse à sinu, cui Pola adiacet, nomen id urbi datum, ut respondeat Saxonico Poel, id est, sinus seu aqua collecticia. HISTROS quidem Colchorum fuisse colonos, Iustinus tradidit: ut nomen ipsorum non discernam à Germanico Oster, quasi dicas Orientales, seu ex Oriente profectos. Vnde & Danubium cognominatum aliqui Istrum uolunt, quòd uersus ortum fluat. Nec tamen fines Ponti certi & immoti constitui possunt, cùm & antiquiores, inter quos Xenophon, regionem hanc Cappadociæ accensere uideam. Quod Strabo explicans, Cappadociam à Persis in duas Satrapias distinctā memorat, quarum maiorem, quæ est Taurum uersus, postmodum Macedones propriè Cappadociam, alteram Pontum nuncupārint: ut ita tum

primum

primum regionis hæc appellatio esse uerè cœperit. Ac mutauit Pontus etiam post id tempus fines suos sæpissimè, prout scilicet reges ipsi eos uel protulissent uel contraxissent: uictoq; tandem MITHRADATE Eupatore, multipliciter discerpitur à Pompeio, qui partem eius adiecit Bithyniæ, cum qua & Ptolemæus Pontum comprahendit, partem distribuit principibus, quorum auxilijs usus fuerat. Tamē me haud repugnantem habituri sunt, qui cum Strabone uocare Pontum malint tractum eum, qui in partibus Paphlagoniæ, Cappadociæ, Mariandynis, Cauconibus, paruit Mithradati Eupatori, cui postmodò à POLEMONE Rege Polemoniaci cognomentum accessit.

COLLOCAT Strabo in Ponto gentes septē: MARIANDYNOS, PAPHLAGONAS, CAPPADOCAS, MOSYNOECOS, CAVCONAS, CHALYBAS & TIBARENOS: quibus alij addunt MACRONES.

MARIANDYNOS cum Paphlagonibus, Cappadocibus, Mosynoecis & Macronibus ab Heneta deduco stirpe, & originē eorum refero ad RIPHAT & MESECH. Nam Scholiastæ Apollonij fabulæ, quibus à Mariandyno gentem ad Cimmerios uel Cimbros conditores referre uoluisse uidetur, meritò reijciuntur: Etsi cognatio hinc utrorumque rectè astruitur atque retinetur: quandoquidem à GOMER tam Galatas, hoc est, Germanici nominis gentes, quàm Henetos conditos, constat. Nomē Mariandynorū est à THYNIS, à quibus & Bithynos, Mædobithynos, & Oethynos propago: ac significatione interpretor Thynos maritimos, sicut Bithyni Thynorum sonant accolas seu finitimos. Quos quæ exceperit istis in sedibus tandem fortunæ acerbitas, Suidæ docent Miscellanea. Nam oppressi ab Heracliensibus, conditione deinde planè seruili fuēre, ita ut nomen etiam contemtus esset. Cuius rei de ueteribus gentibus exempla in auctorum monumentis non pauca alia inuenias. Neq; alio ferè hodie sunt loco apud Germanos & Boiemos Sorabi, apud Venetos Slaui. PAPHLAGONES sunt, qui à Paphlagone, Phinei F. denominatos existiment: quòd relinquo iam in medio, sicuti illud etiam, quòd Plinius fluuiū Cappadocē genti CAPPADOCVM nomen dedisse, ait: cùm ex Iosepho constet, antea MESCHINOS dictos, à MESECH, à quo & MAZACÆ urbis appellatio defluxit, quæ pòst Cæsarea cognominata Episcopum habuit BASILIVM Magnum. MOSYNOECORVM nomen Græci trahunt à ligneis casis seu propugnaculis, quæ sua lingua μόσυνας uocata, gens hæc inhabitârit. Ego à conditore MESECH id dimanasse, cur dubitem, nō uideo, neq; disiungendū censeo à uoce MESCHINI,

NI, quam de Cappadocibus initio usurpatam diximus ex Iosepho: suntque eiusdem gentis denominationes, MOSCHI & MOSYNOECI, à quibus postea ijs in locis reliqua mansit appellatio Moschicorum montium. Ipsi enim inde progressi, paulatim ad Occidentem & Septentrionem accesserunt, ubi condidere MOSCHOVITAS seu RVSSOS: qui Tartarici imperij iugo excusso, latè iam ibi, ac uersus ortum etiam, dominantur.

CAVCONAS neque nomine, neque origine discerno à CAVCIS Germanis. Horum enim fuisse uidentur reliquiæ: quòd cæteris unà cum Ascanijs & Cimbris ex Asia digressis, isthic fortè remanserint. Quanquam & in Peloponneso Cauconum nomen reperiatur, ut ibi quoque partem eorum consedisse, opiner. Diuersos enim, & stirpis atque originis diuersæ, Græcia habuit initiò colonos: suntque gentes ipsæ in perpetuis istis primorum temporum migrationibus uariè & inter se & cum alijs commixtæ. Enimuerò Strabo annotauit, tenuisse THRACES Atticam, Bœotiam, Phocidem, Eubœam: quos à nostris gentib. non omnino separandos, alibi demonstrauimus: Cùm quidem à Mysis, quos alij his accensent, memoret Mysiã in Peloponneso Pausanias. Sicuti quoque idẽ Strabo nominat in Laconica TEVTRONAM, quam Germanicam uocem esse, & eandem prorsus cum TEVTHRANIA, planè haud ambigo. Sed euidentius adhuc istam de Ponticorũ Cauconum cum nostratibus cognatione sententiam confirmat, quòd annumerentur Scythis: quorum nomen nostrarum propriè fuisse gentiũ, & ab hisce reliquis deinde Septentrionalibus communiter tributum, conuenit inter eruditos omnes.

CHALYBIBVS & TIBARENIS originem eandem assigno, quam refero ad THVBAL, à quo Iosephus propagat HISPANOS. Nomen Chalybum aliqui uolunt esse ab Ebræo IOBEL, quod significat res nascentes in terra (Ein gewechs der Erden) nonnihil transpositis literis. Mihi uerisimilius fit, profectum id à conditore THVBAL, ut tantùm enunciatio uariata sit. Sicuti & Strabo eiusdẽ gentis appellationes facit: CHALYBES, ALYBES, CHALDÆI, HALIZONES. Tametsi ea interim minimè impugnem, quæ de studio ipsorum circa res metallicas prodidere ueteres: qua occasione & in Hispaniam eos peruenisse, annotat Iustinus. TIBARENOS, Diodorus à regione, quæ TIBARIS ipsi est, denominationem accepisse, putat: quod quam mereatur fidem, apertum est omnibus. Ego idem duco cum Hiberorũ appellatione, præposito tantum Germanico articulo: quod idem factum docti censent de appellatione TVISCONES, cùm sit ab ASCANE. Ac significant HIBERI fossores (Bergkhewer) ab inquirendis metallis,

lich vom bleiben. Nam huius rei gentem istam unà cum Chalybibus studiosissimam extitisse, tradunt omnes: Unde factum puto, quòd & in Sicilia sedes quæsiuere, quo duce SICANO eos appulisse, indeq; SICANOS cognominatos, Solinus scripsit. Cumq; ibi instituto patrio diligenter metalla scrutarentur, & in eo labore assidui essent, occasionem id figmento de Cyclopibus, qui in terræ antris habitarint, dedisse arbitror. Dicerem etiam fluuium Tiberim in Latio Tibarenorum nomen conseruasse: siquidem loca ea à Siculis initiò possessa, ex Halicarnasseo notũ est. Addit his Strabo, Hiberos Asiaticos considisse Europæos in Hispania: ut uerisimile sit, cum Chalybibus huc eos migrasse. Habuit enim Hispania metalla semper uberrima: & refert Diodorus, Carthaginienses prouentibus horum exercitus maximos è Celtis & Iberis seu Hispanis conducere solitos, itaq; alienis opibus & sanguine imperiũ propagasse. Apollonius TIBARENOS πολύῤῥηνας cognominat, à pastionibus, ut CHALYBAS ταλαεργοὺς ἄνδρας, propter patientiam scilicet laborũ & duriciem, Das sie sich schmiegen vnd leiden konten.

TAMEN præter expositas hasce octo gentes & Græcorum, maximè uerò Milesiorum, fuere in Ponto coloniæ plurimæ, ac nominat ibidem Strabo HENETOS, à quibus propagat VENETOS in Gallia & Italia. Adijcit Scholiastes Apollonij SYROS, cùm ipse ibi Assyriæ meminerit.

QVÆ habuerit initiò Pontus imperia, dicere certò non habeo. Diodorus gentes ibi Barbaras à NINO subactas paruisse deinceps Assyrijs, memorat. Id quod de hisce nostris an intelligi conueniat, dubitari non immeritò ab attento lectore posset. Neque omninò fidem meretur, quòd Florus communes omnibus Reges attribuit, è quibus antiquissimum nominat ARTHEAM: cùm de Cappadocibus certum hoc sit, etiam ante Persicam monarchiam Regibus eos peculiaribus usos. Ac præterquam quòd Ponticorum nomen sub Macedonibus primùm in usu esse cœpit, ut iam ostẽdimus ex Strabone, & Chalybas, Mosynœcos & Tibarenos adhuc ARTAXERXIS Mnemonis temporibus sui iuris fuisse, prodidit in ἀναβάσει Xenophon. Cui Strabo addit, Chaldæorum & Tibarenorum imperio Mithradati Eupatori cessisse Antipatrum quendam, cùm antea loca ea ferè potentiores occupassent. Tametsi Herodotus Tibarenos & Mosynœcos Persicis Satrapijs annumeret. Ergo ut ne in re obscura & dubia περιεργότεροι uideamur, omissis hisce, accedo ad eius temporis Ponticam historiam, quo cum reliqua Asia cessere Cappadocia & Pontus primùm Medis, deinde Persis: cùm exinde etiam regio peculiaris Pontus esse cœperit, distincta, ut dixi, Cappadocia à Persis in duas Satrapias, & alteri

alteri ex his postmodum Ponti nomine conseruato à Macedonibus. Est & ipsum hoc regnum nostrum tum conditum, quibuscunque sanè in gentibus collocare id uoluerimus. Nam Græcas quidem colonias ab eo planè excludo. In quibus facilè principes SINOPENSES, cùm oppresi TIMESILAI tyrannide, restituti essent in integrum à PERICLE Atheniense, iterum Ptolemæi Lagi tempore regem SCYDROTHEMIN habuêre, ut est auctor Tacitus, & primùm à MITHRADATE Euergete edomantur. Altera ab hac HERACLEA Clearchi paruit familiæ: cui inhiantem MITHRADATEM, quomodo Tyrânus ille eluserit, Iustinus tradit. Cumque nepos eius DIONYSIVS nulla ex Amastri Persica suscepta prole tyrannidē coniugi eidem reliquisset, hæc deinde dotis loco ad LYSIMACHVM attulit. Nec tamen qua uel occasione uel tempore, Pontus regnum esse cœperit, sciri certò potest. Tantum enim hoc annotauit Polybius, traditū maioribus MITHRADATIS, quem nos quintum facimus, à DARIO, non addita ulla præterea notatione, quo uel numero uel cognomēto Rex ille Persis imperârit. Verùm ego ut DARIVM Hystaspis putem accipiendum, in cæteris hoc quoque permoueor, quòd Cappadociæ regnū tum ANAPHÆ, cuius maiores inde Medi eiecerant, redditum inueniam: cumque DARIVS omnium primus regnum Persicum in Satrapias distinxerit, imposito singulis tributo, etiam Cappadociam, ita ut demonstrauimus, ab illo diuisam, & Mithradatis progenitoribus partem alteram, nempe quæ ad Pontum Euxinum uergeret, traditam reor.

INCIDVNT *igitur prima regni Pontici initia in imperium* DARII Hystaspis. Quanquam qui Mithradatem Ariobarzanis præcesserunt, ferè non nisi Satrapæ in histórijs nominentur, & secuti hanc rationem Plutarchus & Appianus, in eodem quoque Mithradate Ponticum regnum ordiuntur.

CÆTERVM quis ille, cuiusue nominis fuerit, cui Ponticum regnum concesſit DARIVS, denique quod ipsius hanc ad rem interuenerit meritum, nusquam literis próditum legimus. Tamen cùm Florus proximè ARTHEÆ subiungat ARTABAZEN, rectè de eo intelligi hoc posse, censeo: etiamsi non genitum ipsum è septem illis Persarū principibus, sed ex his unum fuisse, mallem, id quod & ipsa tempora arguunt. Neque obstat hîc, quòd non reperiatur id uiri nomen apud Herodotum. Fieri enim potuit, ut quod haberet ille proprium Herodotus retulerit, Florus uerò quod officium ei dedisset, quomodo id Persicarum rerum scriptoribus est usitatisſimum: & scimus esse hanc causam præcipuam, quòd Persarum Monarchæ adeò discrepantibus nominibus referuntur in literis sacris & Græco-

rum historijs. Approboq́ eorum coniecturam, qui terminationem BAZVS seu BAZES eandem faciunt cum usitata hodie Turcis appellatione, BASSA, sicud etiam Turcorum nomina, qui in ista dignitate constituti fuere, cum ea componi uidemus à Paulo Iouio: ut ARTABAZES idem sit, quod magnus Bassa. De eo quidem certè ut sententiæ scriptorum conueniunt magis, ita certiores etiam sunt, hanc Ponticorum regum familiam ab ACHÆMENIDIS duxisse prosapiam: licet de propagine eius non omnes idem sentiant, quippe alij è septem Persarum principibus, de quibus à nobis dictum, alij à CYRO & DARIO, deriuant, ita quidem, ut faciant MITHRADATEM Eupatora à DARIO ultimo, cognomento Codomano, decimum sextum. Sed priorem sequi sententiam rectius fuerit: cùm alteram illam non solùm temporis ratio conuellat, sed & Cyrus & Darius ipsi distinctis procreati fuerint familijs, quæ tamen stirpis & originis essent eiusdem, ut est apud Herodotum: & fuisse cæteroquin Persicos hosce Principes, quos è septem familijs propagat Iosephus, ex Achæmenidarum satu oriundas omnes, suprà ex Æliano & Iustino, demonstrauimus, quorum ille Achæmenem Persicæ nobilitatis conditorem uocat. Vt credibile sit, DARIVM regia dignitate ARTABAZEN ornasse, ut sibi nouoq́ regno suo eò magis ipsum deuinciret: cùm alioqui inter eos, qui genere sunt pares, impares autem fortuna & dignitate, facilè æmulatio existat, quæ deinde in rebellionem & seditionem erumpere ferè assolet.

ADMINISTRANT itaque Ponticum regnum primi ACHÆMENIDÆ Persæ, seu ex Achæmenidis ARTABAZÆ familia. Tametsi quibus sobolis gradibus is ab Achæmene descendat, & contingatur uicissim à RHODOBATE, cuius in hac propagine, prima ab eo apud scriptores mētio occurrit, sciri omnino nequeat: Quomodo etiam de ARIOBARZANE, quæ MITHRADATE Rhodobatę eum genitum fuisse, docerent, alia nulla historiæ nobis argumenta suppeditant, quàm quòd illi in regno succesit, & uterque Persa nominatur. Nec minor hac offertur difficultas de successoribus MITHRADATIS. III. quorum proximi duo quibus fuerint nominibus, nusquam traditur. Nisi quòd Appianus alterum ex illis Mithradatem appellatum, eo significare uidetur, quod MITHRADATEM Eupatora eius nominis sextum uocat, qui nobis est septimus, annumerato uidelicet Mithradate Rhodabatæ. Vt neque ijs repugnârim, si quibus filium huius Pharnacem nominare libuerit. Nam hæc nomina ceu alternatim usurpasse reges hosce reperimus. Interim tamen generis series inde à Mithradate Ariobarzanis, usq́ ad Mithradatem Eupatora, certissima est, &

indubitata prorsus: cùm tam Appianus quàm Plutarchus hunc ab illo nominent octauum. Et consentaneum uero est, de prioribus familiæ huius Regibus pauciora in literas relata, quòd potentia essent tenuiori, uel etiam præpotentum agnatorum in Perside metu, quibus parebant, nihil auderent. Id iugum primus ARIOBARZANES excussit. Cuius uestigijs cùm insisterent posteri, nouis accessionibus paulatim aucti, & in his Græcorum colonijs cum parte Cappadociæ, quam & uniuersam interdum tenuerunt, indies ut imperij amplitudine, ita quoque rebus præclarè & fortiter gestis, facti sunt celebriores. Finijt Achæmenidarum in Ponto regnum DARIVS, Pharnacis. III. F. cui post uictoriam in Philippis restituerat id M. Antonius Triumuir, redactum antea in prouinciæ formam à Pompeio. Qùm interim in Bosporo Cimmerio sese aliquanto conseruârit familia diutius, concesso eo primùm Pharnaci. III. à Pompeio, & demum MITHRADATI. IIX. à Claudio principe. Hunc enim Ponticum ab origine nominatum à Plutarcho, Darij nepotem facio: & in patre auum Darium aui itidem sui Mithradatis Eupatoris repetijsse nomen arbitror. Certè ut Dario ipso genitum Mithradatem hunc credere uetat, quòd fratrem eius COTYN Tacitus iuuenta rudem uocat, ita ab Eupatore oriundum fuisse, prodidit Dion: & ipse apud Tacitum inter maiores suos nominat Achæmenem. Ac retinuit auitum ibi regnum Romanorum beneficio & permissu post Mithradatem idem COTYS frater: à quo quæ sit profecta posteritas, & num illa hoc dignitatis fastigium conseruârit, nusquam legitur. Etsi & post id tempus regnatum in Bosporo, non obscurè scriptores indicant: inter quos Eutropius & Sex. Rufus TRAIANVM Imp. Bosporanorum Regem in deditionem accepisse, scribunt. Addit his Capitolinus, datum Bosporanis RHYMETALCEM Regem ab ANTONINO Pio.

IMMISCVERANT etiam sese Achæmenidis Ponticis aliæ & nouæ paulatim familiæ: quæ quidem res potentiam illorum, quæ post uictum Mithradatem Eupatora utcunque adhuc ipsis reliqua erat, ferè sola euertit. Ac fuere aliæ ex familijs his alijs diuturniores. MITHRADATIS Pergameni, ASANDRI, SEMPRONII, cum ipsis simul interière: Quamuis Asandrum ab Achæmenidis non planè alienum fuisse opiner, quòd fortè in familias plures se diuisissent, quomodo ex ijs Phœnicem quendam nominat Appianus. POLEMON eiusq; posteritas ceu partitò Ponto & Bosporo cum Achæmenidis præfuerunt. Idcirco hanc alteram Regum Ponticorum faciemus familiam. Quanquam neque hæc diu floruit, extincta uidelicet in Polemonis filijs: inter quos POLEMON Iunior,

nior, cum permutatione facta accepiſſet à CLAVDIO Imp. pro Boſporo Ciliciæ partem, Neroni Pontum uolens permiſit, paruitq; prouincia hæc ab eo tempore imperio Romano. Enimuerò multa docent, cæteroquin etiam Romanos familias regias cùm omnes, tum eas maximè, quæ potentes anteà fuiſſent, creſcere in prouincijs noluiſſe, facileq; interire paſſas (Vnde & Mithradates apud Iuſtinum communes Regum hoſtes uocat) ut ne ſcilicet quis demum ſupereſſet, qui generis ſublatus fiducia, ipſorum uſurpatam in eas dominationem impediret: Contrariâ planè Perſis conſuetudine, qui Regum filios in honore habere, ac ſi parentes fortè defeciſſent, his tamen principatus reſtituere ſolebant, quomodo eſt apud Herodotum.


EFFIGIES ALIQVOT PONTICÆ, E NVMMIS ANTIQVIS DESVMPTAE.

MITHRADATIS EVERGETÆ.





MITHRADATIS EVPATORIS.





HYPSICRATÆÆ.





Nummorum horum copiam fecerat nobis Georgius Fabricius: & Mithradatis Eupatoris haud pridem ipsi comparauimus. Apposuimus autem primo Mithradatis Euergetæ nomen, ex ea coniectura, quam Strabonis de ætate ipsius præbet historia. Ac scribo Mithradates per a in antepenultima, eorundem nummorum fidem secutus: quo loco impressi codices y habent.

FAMILIA ET POSTERITAS ARTABAZÆ, QVÆ PRIMA PONTO IMPERAVIT.

ARTABAZES, oriundus ex regia Achæmenidarum in Persia de prosapia, donatur Ponti regno ab DARIO Hystaspis: quod innuunt Florus lib. 2. cap. 5. Polybius lib. 5.

* * *
* *

RHODOBATES, memoratur à Laërtio in Platone: & desiderantur hîc Reges, qui ab ARTABAZE regnârunt sub XERXE & ARTAXERXE Longimano, Persarũ monarchis. Nam Rhodobaten ad DARII Nothi tempora refero.

MITHRADATES. I. conspirauit cum CYRO iuniore contra ARTAXERXEM Mnemona, Regem Persarum: cui per TISSAPHERNEM reconciliatus, Græcos auxiliarios frustra insidijs appetitos aperto Marte oppugnat, & repulsus, plurimos suorum amittit. Pòst iungitur amicicia cum CLEARCHO, tum exule, pòst Tyranno Heracliensium, quem reuocatum à ciuibus dimittit, pactus cum eo primùm patriæ proditionem: in qua re ab homine perfido

fido delusus, cum amicis capitur, & pecunia ingenti mulctatur. Locauit PLATONI statuam in Academia cum hac inscriptione: MITHRADATES, RHODOBATÆ F. PERSA, MVSIS IMAGINEM PLATONIS DICAVIT. Diodorus, Gemistus, Laertius, Suidas, Iustinus. Xenophon Cappadociæ Satrapam nominat. Notat perfidiam eius Polyænus lib. 7.

ARIOBARZANES, augetur ab ARTAXERXE Mn. Lydiæ, Ioniæ & Phrygiæ satrapia. Ea potētia usus insolentiùs, & procerum quorundam territus supplicijs, cōiungit se cum maritimorum locorum præfectis defectoribus: Cùm impunitatis faceret spem, quòd & TACHOS rex Ægypti & Græcorum ciuitates in Asia & Lacedæmonij arma contra Barbaros expedirent. Nec tamen ex diuinæ Adrastiæ uindicatione effugere periculum planè non potuit. Nam Assi ab Autophradate obsidione infesta premitur, & subditam ipsi Sestum Cotys oppugnat. Quare ad externa Agesilai & TIMOTHEI Atheniensis confugere auxilia coactus, hæc prompta & fida experitur.: Cumq; utrique gratum se declaraturus, illum pecunijs remunerasset, huic Erichthonem & Sestum colonias permittit. Inde iterum cū DATAME fide fluxa cōspirat: & res Græciæ potiores ducens, per Philiscum quendam Abydenum pacem inter Lacedæmonios & Thebanos facere satagit: eamq; operam uanam expertus, diligenter pecunijs iuuat Lacedæmonios. A Mithradatis obitu Ponto potitus, regnauit annos 26. Xenophon in ἑλλην. & de laudibus Agesilai, Demosthenes, Diod. libro 15. & seq. Plutarchus, Polyænus, Gemistus. Meminit Athenæus libro 10. capite 1. Ab Aristotele traditum est, occisum à Mithradate: qui filius ne accipiendus sit, an alius ὁμώνυμος, sanè quæratur licet.

MITHRADATES. II. cognomento κτίστης, recuperauit cum regni successione ARTAXERXIS gratiam: & DATAMIS cum eo pactus cædem, fraude huius circumuentum interficit. E Persici regni mutationibus adiunctus ALEXANDRO Magno, hoc mortuo, ad Antigonum se confert. Cui ob somnium quoddam factus suspectus, monitu DEMETRII Poliorcetæ clàm fuga salutem quærit, nec nisi sex comitatus equitibus, recipit se in Paphlagoniam. Ibi Ciniatis, quod castellum fuit munitissimum, usus receptaculo, regnum inde paternum recuperat, & transmittit ad posteros. Strabo, Appianus, Plutarchus, Polyænus. Diodorus, Cium Mysiæ & Arrinam Mithradatem tenuisse, & quòd ad Casandrum defecisse

putaretur, Antigoni iussu interfectũ refert, anno regni uicesimo quinto. Produxit uitam usq; ad annum ætatis octuagesimum quartum, teste Luciano Μακροβίοις.

MITHRADATES. III. regnauit annos 36. Protulit regni fines in Cappadociam & Paphlagoniam, eaq; re posteris æmulationis & contentionum perpetuarum cum uicinis hisce regnis causam dedit. Diodorus libro 20.

MITHRADATES. IV.

PHARNACES. I.

NEVTRVM ex his scriptores nominant: sed familiæ gradus hosce cum aliqua alterius ex ipsis nominis significatione cõseruauêre nobis Plutarchus & Appianus.

MITHRADATES. V. fecit bellum Sinopensibus, quod Rhodiorum auxilio tum ab ijs defensum fortiter, pòst maximarum calamitatũ ipsis initium extitit. Vsus est amicissimo ANTIOCHO Magno, cui è filiabus alteram collocauit. Polybius lib. 4. 5. 7. Meminit Iustinus lib. 38. & quæ dotis nomine ipsi à SELEVCO Callinico concessa fuerint, exponit: gloriaturq; ibi de ista sua origine Mithradates Eupator.

NVPTA fuit Mithradati Filia SELEVCI Callinici, regis Syriæ, è qua nascuntur, PHARNACES & duæ Laodicæ.

PHARNACES. II. renouat bellũ contra Sinopenses, & grauissima obsidione defatigatos imperij iugum accipere cogit. De qua iniuria pòst frustrà à Rhodijs accusatur apud Romanos. Liuius libro 10. Decad. 4. Strabo lib. 12. ubi quidem Mithradatem Eupatora Sinope natum fuisse, & propterea exornatam hanc magnificè regni metropolin fecisse, ait. Meminit etiam Pharnacis Iustinus, & à Romanis per cognationum arbitria succedaneum Eumeni. II. regi Pergameno, datum scribit. Nam fuisse cum hoc ipsi, itemq; ARIARATHE. V. rege Cappadociæ, rerum quarundam controuersiam, docet Liuius ibidem. Puto eundem esse, à quo Plinius libro 25. capite 4. Pharnaceon

ceon herbam denominatam tradit. Nam & Mithradatem Eupatora, nepotem, rei herbariæ studiosissimum extitisse, & Eupatoriæ herbæ de se nomen reliquisse, constat.

LAODICE maior, fuit cum ANTIOCHO Magno, rege Syriæ. Polybius lib. 5.

LAODICE minor, educatur adolescentula honore & nomine Filiæ apud Logbasin Selgensem. A quo collocata ACHÆO, qui contra ANTIOCHVM Magnum Asiæ se regem nominauit, de Bolidis & Cambyli insidijs diligenter hominem præmonet: interfectum crudelissimè gemit: & diffisa militũ studijs, hosti se cum arcibus permittit. Polybius lib. 8.

PHARNACES. I. Filium unicum reliquit, MITHRADATEM.

MITHRADATES. VI. cognomento εὐεργέτης, iuuat Romanos cõtra Carthaginienses, bello Punico postremo, & cum ijsdem oppugnat ARISTONICVM, qui post ATTALVM Philometora hæreditatis nomine Asiam sibi uendicabat. Ideo socius & amicus P.R. appellatus, donatur maiore Phrygia. Inde controuersiam, quę patri cum Cappadocibus fuerat, renouat, eosq́ quoad in uita manet, hostiliter persequitur. Interficitur per summam fraudem Sinopæ à familiaribus. Strabo lib. 12. Appianus in Mithradat. Iustinus lib. 37. & seq. Orosius lib. 5. cap. 10.

LIBERI fuêre MITHRADATI Euergetæ, MITHRADATES, LAODICÆ duæ, Filius ἐπώνυμος, Rhoxane, Statira, Nissa.

MITHRADATES. VII. cognomento Magnus καὶ Εὐπάτωρ καὶ Διόνυσος, suscipit paterni regni successionem, annum ętatis nondum egressus undecimum: euitatisq́ tutorum & coniugis Laodices insidijs, & matre, cum his sentiente, ueneno interfecta, ut retulit è Salustio Seruius Grammaticus, regnat annos 56. seu ut alij habent, 60. qui & uixisse eum uolunt annos 72. Auxit regni auiti amplitudinem in cæteris prouincijs Bosporo Cimmerio, tradito ipsi à PARYSADE ultimo, cùm contra Barbaros uicinos is defendere se principatũ posse desperaret. Quos Barbaros deinde DIOPHANTVS, unus è regijs ducibus, bello adortus, cõflixit acie cum RHOXANIS, qui nunc sunt RVSSI & MOSCHI, cæsis eorum ad 50000. Iussus à Romanis abstinere Paphlagonia, quam Rege uacuam, ut inquit Iustinus, inuaserat cum NICOMEDE Bithynio, etiam Cappadociam occupat, interfectis ibi duobus Regibus, & fugato tertio: cumq́ non multò pòst contra Nicomedem, qui Paphlagonia sibi soli uendicata, etiam ad Cappadociam adiecerat animũ, immisisset Bithyniæ fratrem

illius SOCRATEM Chrestum,& aduersaretur Romanis, reducturis in Cappadociam ARIOBARZANEM, in Bithyniā eundem NICOMEDEM exulem, spoliatur maiore Phrygia. Eam ut recuperaret, simulq; Nicomedis ulcisceretur iniurias, quas Romanorum impulsu is Ponto intulerat, bellum & ipsi & Romanis fecit grauissimum, quod binis inducijs interruptum extendit sese in annum trigesimum, seu, ut alij habent, quadragesimum, alij quadragesimum secundum, alij etiam quadragesimum sextum: suntq; utrinque acceptae & datae clades maximae, necatis per Asiam uno Mithradatis edicto, & quidem die uno, 150000. Romanorum ciuium. Tandem uictus à Pompeio ad Stellam Armeniae, ubi patrum nostrorum memoria dimicauit cum TAMERLANE Tartaro BAIAZETES. I. Imp. Turcorum, fugaq; perdifficili reuersus in Bosporum, opprimitur per seditionem à PHARNACE F. cùm è tot aduersis casibus alienationis suspicione, & amicorum liberorumq; plurimos antea occidisset, & exercitum profectione ad CELTAS, quò ducere hunc constituerat, bellum isthic contra Romanos renouaturus, planè à se alienasset. Appianus, Plutarchus, Dion, Strabo, Pausanias, Suidas, Cicero, Florus, Iustinus, Augustinus, Orosius, Eutropius. Scribunt Plinius, Solinus, Valerius, Quintilianus, Gellius, duarum & uiginti gentium, quas sub ditione haberet sua, MITHRADATEM calluisse linguas, ita ut sine interprete alloqui singulas posset. Pro uno amico fideli, LEONICO, capto à Rhodijs, omnes hostium captiuos permutauit, ut idem Valerius: aliquando fortuna, semper animo maximus, ut Velleius. Quippe qui cladibus suis, unde rei militaris scientiam comparare sibi uberiorē uidebatur, ferè terribilior fieret. Vi corporis tanta fuit, ut equos sexiuges regeret, ut ait auctor de uiris illustribus. Inter scriptores herbarum & plantarum Epiphanius Mithradatem Regem recenset: ac assignatur ei inuentio antidoti cuiusdam, Mithradatici nomine hodiè quoque noti, quo contra uenena ita se muniit, ut postea à filiò obsessus, frustra uitam his expellere conatus sit, & ne in hostis perueniret potestatē, BITHICO Gallo (Sic enim pro Bithoco lego, cùm sit Germanicum Wittich) iugulum feriendū praebuerit. De qua eadem re sic canit Martialis lib. 5. ad Cinnam.

„ *Profecit poto Mithradates saepe ueneno,*
„ *Toxica ne possent saeua nocere sibi.*

Vsus est canibus ad custodiam corporis, quibus hostes ac insidiatores arceret, item, ut Aelianus tradidit, tauro, equo & ceruo, mansuefactis, qui dormiente ipso aduentantes proderent suis uocibus. In elogio quodam Pompeij, quod incisum Romae fuit tabulae aeneae, uictoria de

ria de Mithradate cum factis eius insignibus commemoratur, & ipse apud Lucanum de ea sic gloriatur:

Idem per Scythici profugum diuortia Ponti
Indomitum Regem, Romanaq; fata morantem,
Ad mortem, Sylla felicior, ire coëgi.

LAODICE maior, fuit in matrimonio fratris Mithradatis: quo profecto in Asiam, speculatum ibi regionum & urbium situs, cùm in amicorum concubitus se proiecisset, & reuerso uenenum parasset, iussu eius interficitur. Iustinus lib. 37.

FILIVS ἀνώνυμος, occiditur à fratre. Strabo libro 12. Appianus in Mithrad.

LAODICE minor, nupsit ARIARATHI. VI. regi Cappadociæ, deinde Nicomedi. III. regi Bithyniæ. Iustinus.

RHOXANE & STATIRA permanent innuptæ ad annum ætatis usq; quadragesimum: tandemq; fratris iussu uenenum bibere coactæ, ut ne scilicet in LVCVLLI potestatem uiuæ peruenirent, Rhoxane quidem multa ob id in Regem execrata est, Statira uerò eum laudauit, quòd in discrimine uitæ, ipsarum, ut liberæ & castæ morerentur, curam gereret. Plutarchus in Lucullo.

NISSA, uenit in Luculli potestatem, captis Cabiris, uitaq; donatur. Plutarchus in Lucullo.

CONIVGES MITHRADATES Eupator plures & diuersas habuit: è quibus nominantur, LAODICE soror, quæ peperit Drypetinen & filium ἀνώνυμον; MONIME Milesia, BERENICE Chia.

DRYPETINE, duplici ordine dentium, admodum deformis, fugæ patris, à Pompeio deuicti, comes extitit: à quo ob morbum, quo affligtari cœperat, in Sinhorio castello cum Menophilo Eunucho relicta, obsidetur mox à Manlio Prisco: cumq; nulla euadendi spes esset, Eunuchus, ut utriusq; pudori consuleret, ferro illam seq; trucidat. Valerius lib. 1. cap. 8. Ammianus lib. 16.

FILIVS, nascitur patre Asiam perlustrante. Iustinus.

CONCVBINAS etiam MITHRADATI scriptores plurimas attribuunt: in quibus non nisi duarum referuntur nomina, nempe Stratonices & HYPSICRATÆÆ.

STRATONICE nascitur Xiphares F. Plura de ea Appianus & Plutarchus. Dion uxoribus Mithradatis accenset.

XIPHARES, interficitur à patre, eadem ex aduerso matre spectante: Cùm ob ara

cem Symphorium cum thesauris Pompeio traditam, hanc ille ulcisci ita satageret. Plutarchus in Pompeio, Appianus in Mithradat. Dion lib. 37. Orosius Exipodram uocat.

HYPSICRATÆA, in concubinis MITHRADATEM tam constantissimo amore prosequitur, ut eius causa præcipuum formæ suæ decorem in habitum uirilem conuerterit, tonsisque capillis, equis & armis se assuefecerit, ut laboribus eius atque periculis interesset: uictoque demum à Pompeio, ac per efferas gentes fugienti, fida comes adhæserit. Valerius lib. 4. cap. 6. Qui idem & coniugem Mithradatis, & reginam, uocat: cum quo nummus suprà positus conuenit. Nos sequimur Plutarchum.

RELIQVÆ MITHRADATIS tam coniuges quàm concubinæ quibus fuerint nominibus, ignoratur. Tamen liberi inde eius nominantur sedecim, de quibus hanc sequor seriem: Ariarathes, Arcathias, MITHRADATES, MACHARES, PHARNACES, CLEOPATRÆ duæ, Mithradatia, Nissa, Artaphernes, Cyrus, Darius, Artaxerxes, Oxatres, Orsabaris, Eupatra.

ARIARATHES, expulit patris iussu è Cappadocia ARIOBARZANEM Regem: Cumque tam præclaro facto mox sibi inuidiam illius parasset, mandato eius ueneno necatur. Appianus in Mithradat. Plutarchus in Pompeio, Iustinus.

ARCATHIAS, missus à patre cum copijs in Macedoniam, quæ exiguis Romanorum præsidijs firmata esset, breui uniuersam perdomat: moxque inuasurus in SYLLAM, oppugnantem ATHENAS, morbo oppressus, moritur circa Tydeum. Appianus in Mithradat.

MITHRADATES, Colchis deposcentibus Rex à patre datus, eaque re illi de insidijs factus suspectus, atque cōpræhendi iussus, trucidatur in uinculis. Appianus in Mithradat.

MACHARES, donatur à patre regno Bospori: Quo uicto & pulso, cum societatem iniuisset cum LVCVLLO, promissa ipsi corona aurea, sic patrem exacerbauit, ut desperatione ueniæ, quam frustra per legatos petiuerat, & grauioris supplicij metu, manus sibimetipsi intulerit. Appianus in Mithradat. Plutarchus in Lucullo. Florus in Epit. lib. 98. Lacharem uocat. Dion ait, per familiares occisum suos, à Mithradate pecunia corruptos.

PHARNACES. III. Mithradatis filiorum honoratissimus, & ad regni successionem destinatus, uictum à Pompeio tollere per insidias conatur. Qua re prodita, cum salute donatus, apertam seditionem concitasset, & conciliatis sibi ijs, qui ad compræhendendū ipsum missi fuerant, patrem Panticapæi obsedisset, etiam fugæ illi, quantumuis sup-

uis suppliciter roganti, copiam denegat, arceq; dedita, spirantem adhuc & palpitantem satellitibus conficiendum praebet. Ergo parricidio & scelere Bosporo potitus: quę regio sola è tot prouincijs Mithradati reliqua manserat: traditoq; patris cadauere, Rex atque amicus à Pompeio appellatus, regnat annos 15. Sub initium belli ciuilis spe recuperandi regni paterni rebus nouis studet: & Caesare post pugnam Pharsalicam nouo Alexandriae bello implicito, inuadit Colchidem, peruastataq; Armenia, Cappadocia, Bithynia; & Domitio Caluino, cui Caesar Asiam cum finitimis prouincijs cōmendârat, in fugam coniecto, Pontum quoque non magno negotio recipit. De quo facinore Caesari se purgare aggressus, & tanquam meritum ingens referre ausus, quòd nulla Pompeio misisset auxilia, perfidiae & desertae amiciciae insimulatur. Cumq; prouincijs occupatis cedere nollet, & ultrò etiam Caesari bellum inferret, profligatur ad Zelam adeò & celeriter & facilè, ut is uictoriam amicis significaturus, Romam scriberet: Veni, uidi, uici: ac reuersus ex fuga in Bosporum, interficitur ab Asandro, anno aetatis quinquagesimo. Strabo, Iosephus, Plutarchus, Appianus, Dion, Suidas, Hirtius, Velleius, Suetonius, Florus, Eutropius, Orosius.

CLEOPATRA maior, fuit connupta cum TIGRANE, rege Armeniae. Plutarchus, Appianus, Iustinus.

CLEOPATRA minor, à patre unicè dilecta, eripitur Phanagoriensis obsidionis periculo, dicrotis ad hoc praemissis. Appianus.

MITHRADATIA & NISSA, destinatae in connubium Aegypti & Cypri regibus; ueneno se necant, obsesso patre à Pharnace. Appianus.

ARTAPHERNES, CYRVS, DARIVS, ARTAXERXES, OXATRES, ORSABARIS, EVPATRA, capti Phanagoriae à Castore, & Pompeio traditi, Romae in triumpho ducuntur. Appianus in Mithradatico: qui cum de filijs Mithradatis conuenit Plutarchus, sed pro filiabus sororem eis adiungit. Aliter de eadem re Orosius lib. 6. cap. 5.

PHARNACE. II. geniti sunt, DARIVS, & DYNAMIS: Meminit Strabo & aliorum Pharnacis filiorum, qui Arsacem quendam res nouas molientem, & occupato Sagylio castello, tyrannidem affectantem, captum trucidârint, sed nominibus ipsorum omissis.

DARIVS, recepit Ponticum regnum à M. Antonio Triumuiro, uictis ad Philippos Cassio & Bruto. Appianus libro 5. de bellis ciuilibus.

DYNAMIS, à patre inter pacis conditiones Caesari Dictatori in matrimonium oblata, nupsit post caedem illius Asandro: à quo regni

gni hæres instituta, dotis loco primùm id Sempronio, deinde Polemoni attulit. Appianus, Dion.

¶ CÆTERVM cùm Bosporanum regnum PHARNACI III. ademtum paruerit aliquantisper alienis, qui tamen partim necessitudine, partim affinitate Achæmenidis iuncti essent, prætereundi hîc à nobis minimè fuêre. Quorũ nomina sunt: MITHRADATES, ASANDER, SEMPRONIVS.

MITHRADATES, Pergamenus, natus è pellice Mithradatis Eupatoris, patre Adabogione, tetrarchicæ Galatarum stirpis uiro, & regijs disciplinis apud eundem Mithradatem imbutus, adduxit auxiliares Cæsari copias contra Alexandrinos. Ob id meritum post uictum Pharnacem & Galatiæ tetrarchia cum regio nomine augetur, & ulcisci ASANDRI rebellionem iubetur. Cum quo contendere prælio ausus, dum militis & ducis obeundo munus fortissimè inter primos dimicat, occumbit in acie. Strabo, Iosephus, Appianus, Egesippus, Hirtius.

ASANDER, præpositus Bosporo à Pharnace Rege, longius illi in Romanorum fines progresso fidem frangit & rebellat, nec multò pòst uictum à Cæsare occidit: cumq; Dynami uxore ducta, regnum ad se transtulisset, id fortiter à MITHRADATE Pergameno defensum retinet, & Ethnarchæ dignitate ab AVGVSTO Cæsare augetur. In qua etsi ità uiueret, ut neq; equestri neq; pedestri pugna ullo conspiceretur uspiam inferior, tamen ad extremum rem militarem Scribonio cõmendatam indignatus, cibo abstinens diem suum obijt, cùm uixisset annos 93. Dion, Strabo, Lucianus μακροβίοις: è quibus Strabo nunc Casandrum, nunc Lysandrum uocat, corruptis sine dubio exemplaribus. Appianus aliter nonnihil de his explicat.

SEMPRONIVS, accipit rei militaris præfecturam ab AVGVSTO Cæsare. Qua occasione MITHRADATIS se nepotẽ, & ipso regno Bospori se donatum fingere ausus, ducit post Asandri fata Dynamin: regnumq; ita fraude adeptus, fraude rursum amittit, interfectus paulò pòst suorum conspiratione. Dion.

DARIO procreatum censeo Mithradatem, qui fama & nomine obscuro uixit. Liberos tamen ei attribuo MITHRADATEM & COTYN.

MITHRADATES. IIX. consequitur Bosporanum regnũ à CLAVDIO Imp. cui pro parte Ciliciæ concesserat id Polemon: nec multò pòst à Romanis extorris actus, profugit ad EVNONEM, regem Adorsorum. Huius rogatione atq; opera salute donatus, Romam captiuus abducitur: nihil prorsus ista calamitate fractus, sed omnem fortunæ impetũ fortiter perferens. Quare & à NERO-

NE

NE poſt modo ueniam promeretur. Quo oppreſſo, cùm procaciter in GALBÆ caluiciem & rugas luderet, atq; adhuc abſentem pro aliquo haberi, ubi aduenisset dedecus imperij habitum iri, diceret, iuſſu eius perimitur. Plutarchus in Galba, Dion lib. 60. Tacitus lib. 12. Plinius lib. 6. cap. 5.

COTYS, floruit adoleſcentulus ſingulari gratia apud Imp. Cæſarem CALIGVLAM: & Armenia minore cum partibus quibuſdam Arabiæ ab eo donatus, poſtmodo ſub CLAVDIO Mithradatem fratrem cum Romanis oppugnat: eoq; facto uti regnum illi ademptum familiæ conſeruat, ita proditionis infamiam è fraterna criminatione turpem ſuſtinet. Inter neceſſarios amicos coluit præcipuè AGRIPPAM Magnum, regem Iudææ, quem cum regibus aliquot uicinis Tiberiade uiſit. Ioſephus, Dion, Tacitus. De poſteritate ipſius atque ſucceſſoribus nihil ab auctoribus proditum reperitur: etſi & poſt ipſum regnatum in Boſporo, conſtat.

FAMILIA ZENONIS LAODICENSIS, QVÆ ALTERA IN BOSPORO REGNAVIT.

ZENO, orator Laodicenſis, affecit patriam multis & magnis ornamentis. Strabo lib. 12. Reliquit filium POLEMONA.

POLEMON. I. donatur ab Antonio poſt prælium in Philippis Ponti parte ea, quæ ad Cappadociam uergit. Eundem in Parthos ſecutus, peruenit in hoſtium poteſtatem poſt Statiani Ducis cladem: Atq; à Medorum rege pacis ad Antonium interpres ablegatus, hanc illi honorificam, ſibi Armeniam minorē impetrat. Bello Actiaco pro eodem Antonio propugnat: nec multò poſt Cæſari conciliatur: ac miſſus ab AGRIPPA contra Sempronium, Boſporanos cæſo illo nihilominus arma contra ſe ferre auſos, prælio ſuperat, ductaq; in matrimonium Dynami, cum Colchis in poteſtatem ſuam ſuſcipit. A' quo tempore cùm ſocijs ac fœderatis P. R. aſcriptus, uarijs bellis uicinos Barbaros fatigaret, interq; hos Aſpungitanos per inſidias & amiciciæ ſimulationem opprimere conaretur, proditis ijs, prælio ab hoſte excipitur, & captus in fuga, trucidatur. Strabo lib. 11. Plutarchus in Antonio, Appianus lib. 5. de bellis ciuilib. Dion lib. 49. 53. & 54.

FVERE Polemoni coniuges duæ: DYNAMIS, Pharnacis II. F. & PYTHODORIS, Pythodori Nyſſaēnſis, hominis præ-

diuitis F. è qua posteriore suscepti sunt, ZENO, POLEMON, Filia ἀνώνυμος.

ZENO, cognomēto Artaxia, euocatus ad regnum ab Armenijs, inauguratur à GERMANICO Cæsare, Artaxatę diadema & sceptrum ei tradente: cùm æmulatione morum & cultus, quibus iam inde à pueritia insueuerat, id gentis studium sibi cōciliasset. Moritur anno Tiberij Cæsaris uicesimo secundo, & uindicat Armeniam Arsaci filio ARTABANVS Parthus. Tacitus.

POLEMON. II. obtinet paterni regni successionē à CALIGVLA Imp. sed pro Bosporo accipit post à Claudio partem Ciliciæ. NERO etiam permissu ipsius Pontum in prouinciam redegit, qui Polemoniacus inde uocari cœpit. Vt potiretur nuptijs Berenices, filiæ AGRIPPÆ prioris, regis Iudæorum, quo usus familiarissimo fuerat, circumcidi se passus est: cumq; illa ebrietate eius & intemperantia offensa, rursus matrimonium eius deseruisset, ipse quoque Iudaismo abiecto ad gētiles superstitiones redijt. Iosephus lib. 20. Antiquit. Iudaic. Dion, Suetonius, Victor, Eutropius. De liberto eius præpotente Aniceto, & excitato ab hoc bello seruili, Tacitus lib. 19.

FILIA ἀνώνυμος, nupsit Cotyi Sapæo: quo interfecto, in uiduitate permansit. Strabo libro 12.

REGNVM MEDICVM ATROPATENES.

DE ATROPATENES SEV MEDIÆ MINORIS REGNO: QVOD COEPIT ET DESIIT IN VNA ARTOPATI *familia.*

CESSERAT Media ab ARBACIS familiæ interitu dominatui externo Persarū: & mulctata à CAMBYSE acerbius, & post defectiones nouas edomita iterum à Dario Hystaspis & Dario Notho, regitur exinde à præfectis horum usq; ad imperium DARII Codomani. Nam qui tum Mediam tenuit, ATROPATES, ut nominat Arrianus, etsi pro rege suo propugnaret fideliter, oppressus tamē fati ui, in ALEXANDRI fidem sese confert. Is prouinciam hanc commisit primum OXYDATI, & hoc iterum amoto, ARSACI. Quanquam sub idem tempus etiā PARMENIONIS in Media præfecturæ meminit Curtius, & cæsum hunc ibi affirmat. Ab obitu Alexandri, surrogatur Arsaci PYTHON

(facimus

(facimus enim nos cũ Diodoro & Curtio, à quibus uariãt Iustinus & Orosius) quẽ secutus ORONTOBATES, successorẽ habuit rẽgia potestate ANTIGONVM μονόφθαλμον. Hic enim quia & Alexandrum propinquitate contingebat, & multum iam ex eius uictoriæ successu poterat, quam reportârat ab EVMENE & Perdiccana factione oppressa, Spiritus, quàm priuatum deceret, maiores sumserat, atque cùm prouincias alias, tum Mediam uendicarẽ sibi propriã cœpit, eiq; præfectũ pro se imposuit Nicanora. Quo pulso à SELEVCO Nicatore, Medi imperio eius subduntur: & manẽt itidem in posterorum fide. Etsi enim rebellauit ANTIOCHO Magno Molon, potentia tamen huius opprimitur, & accipit iterum Media præfectum DIOGENEM, hac in serie postremum. Neque enim dehinc qui munus hoc gesserint, alij nominantur, & peruenit non multò pòst prouincia ista in Parthorum potestatem.

INVENIO autem primùm sub Macedonibus Mediæ discrimen maioris & minoris inuectum, factò huius rei initio, pòst Alexandri mortem. Suntq; de maiore accipiendæ mutationes tantùm, quas à successoribus illius, & postremò à Parthis extitisse, ostendimus. Nam altera, quæ alijs Atropatia, alijs Atropatene est, regnũ esse cœpit: cùm quidem & ipsa Alexandro paruisset, &, si credimus Iustino, à PERDICCA fratri Alcetę tributa esset. Qua de re cùm solus, quod equidem sciam, explicet Strabo lib. 11. uisum fuit uerba eius subijcere: Media, inquit, est in partes duas diuisa, quarum alteram maiorem uocant, cuius metropolis sunt, Ecbatana, magna ciuitas & Medici imperij caput, qua nunc etiam Parthi regia utuntur: Nam reges ibi æstatem agunt (frigida enim est Media) hyemem uerò Seleuciæ, quæ secus Tigrim est prope Babylonem. Altera pars est Media Atropatia, ab ATROPATO duce nominata, qui ne ea Macedonibus subigeretur, obstitit, cùm maioris Mediæ pars esset. Is postea rex declaratus, regionẽ hanc per sese posuit, & ex illo successores ad hoc usq; tempus perdurant. Ii postea cum armeniorum regibus affinitatem coniunxere, postea cum Syris, postremò cum Parthis. Hactenus Strabo. Quo- circa fuerit hoc in Medis, respiciendo ad primũ & antiquissimũ HYDASPIS, regnum tertium, quod pertinet partim ad tertiam, partim ad quartam Romanorum monarchiam. Atque habebimus id nos in præsenti solum explicationis institutæ argumentũ. Cæterũ ATROPATVS conditor, idem ille est, quem antea ex Arriano Atropaten, & Medis satrapam nominauimus. Quò crediderim allusisse Iustinum & Orosium, qui à Perdicca, maiori Mediæ præfectum uolunt, quod idẽ de Pythone, ut diximus, tradidere Diodorus & Curtius. Ac tametsi ATROPATVS tanta ex mutatione iam ad fortunam priua-

sam redactus, sine honore, sine imperio publico esset, tamē quod multos sui è Medis studiosos haberet, & Alcetæ interitu omnia in Media minori turbata essent, audendi hanc occasionem arripit, manū è clientibus cogit, & subactam illam negocio non magno sibi usurpat, nomineq; suo insignitam transmittit ad posteros. Tamen & regnum hoc & fam ilia Atropati omninò obscurior deprehenditur, quodq; in hac po tiss m im laudes, unica ferè est antiquitas & imperij continuatio. Amplectimur enim hac de re, quod è Strabone retulimus, & propagamus inde DARIVM illum, quem bello Mithradatico Pompeius hostem habuit. Etsi quibus nominibus maiores is inter medios habuerit, sciri planè nequit. Attribuit autem Dion ei filium ARTVASDEM: de cuius historia cùm ne secum quidem ipse consentiat, sequi nos ea malumus, quæ habet lib. 51. Vt sit idem, quem uocat libro 54. Medum regem, & regnasse in Armenia minore, ait. Nam pulsus à Parthis, id fortè regnum ab AVGVSTO Cæsare donum accepit. Atq; editū eo censeo ARIOBARZANEM, qui Armeniæ maiori imperauit, cùm, quæ nostra est coniectura, ne quid ob Mediam moueret, hanc ipsi itidē Romani permisissent. Etenim Mediam post Artuasdis exilium, retinuisse Parthorum beneficio cognati uidentur, sed seruitute ea, ut reges creandi ius ab Arsacidis penderet. Vnde nō mul tò post familiam oppressam interijsse, & Atropatenen Parthis cessisse, opinor. Hoc quidem certum est, nusquam ab auctoribus Artuasdis successores nominari: & summa nostra de familiæ post hunc imperio assequeratio, è Strabonis testimonio.

DE regia Atropatenes id unum adhuc monendū duximus, diuersis opinionibus de ea ab auctoribus uariari. Nam Dioni Praaspa, Plutarcho Phraata, Straboni Gaza dicitur. Sed inhæremus nos autoritati Dionis, à qua Strabo etiam nomine potius quàm re discrepasse uidetur, quippe quod è lingua Medorū ita interpretatus sit. Nam Mela uocem Gaza ærarium, Curtius pecuniam regiam, Seruius censum, Persis, quos Medis ὁμογλώττους fuisse constat, significare tradiderunt.

FAMILIA REGVM ATROPATENES, SEV MEDIAE MINORIS.

ATROPATVS, gente Persa, munere Mediæ Satrapa, præstitit fortem DARIO Codomanò operā cōtra ALEXANDRVM. Cui quadam rerum desperatione sub fide dedere se coactus, ab obitu eius, rebus nouis in Media minori studet, hancq; in potestatem redactam, & à Macedonibus defensam, sibi uendicat, & cum Atropatenes cognomento possidendam posteris relinquit. Strabo, Arrianus.

DESI

¶ DESIDERATVR Atropati posteritas ad annos circiter 200. Qua in re merito temporum, quę Romani imperij occasum secuta sunt, deploranda infelicitas, deploranda in bonis auctoribus conseruandis negligētia turpis. Neq; enim historiam hanc obscuram fuisse, Strabonis superius à nobis adductum testimoniū, planū facit, & qua ipse est diligentia, plura de ea addidisset, nisi concedendum hac parte alijs, qui ingenij laudem inde quæsiuissent, putasset. Teneatur tamen firmiter, quod itidem antea ex eodem Strabone de familiæ propagatione & successione monuimus: in qua successione primus nomine exprimitur Darius.

DARIVS, præfuit regno, quod præalta maiorū series ad ipsum propagasset, in eo tempore, quo bellauit cum MITHRADATE Eupatore Pompeius: Quo & ipse seu ob societatem cum ANTIOCHO Commageno, seu quod TIGRANEM prius armis oppugnasset, hoste usus, cum clade profligatur, & pacē prece redimere, nomen inter uictos reges in Pompeij triumpho aspicere ceu captiuum, cogitur. Plutarchus, Appianus, Zonaras.

|

ARTVASDES, regnat post patrem: cum ARTVASDE Armenio simultates graues exercet: & inflatu huius bello ab ANTONIO petitur. Quod etsi cum Parthis socijs defendit fortiter, liberatis obsidione Praaspis, regia, in qua ceu ὁρμητηρίῳ uxorē & liberos abdidisset, post tamen, ob iniquius secum diuisa Romana spolia, his se immutat, & iunctus amicicia cum Antonio, eaq; liberorum connubijs cōfirmata, tum hostis regis Armeniorum caput ab eo munus accipit, tum copias contra Parthos & Armenios auxiliares impetrat, & suos ei uicissim milites permittit. Quibus deinde importunè detētis, & reuocatis simul Romanis auxilijs, cùm bellum Parthis renouantibus, etiam prælij fortunam tentasset, clade ingenti prosternitur, regnoq; omni eijcitur. Ideo de rebus suis desperans, ad Augustum Cæsarem in exilium abit, & habitus honorificè, in regni amissi solatium tenere Armeniam minorē permittitur. Plutarchus, Appianus. Variat de historia eius Dion, qua de re lege lib. 4. circa finem.

GENITI Artuasde liberi fuere, ARIOBARZANES & Iotape.

ARIOBARZANES, excidit cum patre, auito in Medis regno, & præficitur à C. Cæsare, Augusti F. ob corporis formam insignem, & animum præclarum, Armenijs uolentibus: neq; tamen morte absumto fortuita stirps succedit, sed ad alienos iterum regnum id transfertur. Tacitus.

IOTAPE, despondetur Alexandro, Antonij è Cleopatra filio: & in Ægyptum educanda abducta, & capta post Actiacam uictoriam ab Augusto Cæsare, humaniter patri redditur. Dion, Zonaras.

REGNVM PERGAMENSE.

DE PERGAMI VRBIS, SITV PROVINCIAE DETERMINATAE, ORIGINE, COLONIS, IMPERIIS: DE PHILETAERI, SEV REGVM Attalicorum familia, & quæ eius propagatio, quis interitus.

PERGAMVS, Teuthraniæ urbs est in orientali Mysia. Quam ita discriminis causa appellare libet, cùm alia sit occidentalis uel Europæa ad Istrum fluuiũ, quæ eadem & Mœsia ab auctoribus nominatur, sono nimirum enunciationis nonnihil uariato. Etenim origine appellationes ambæ eædem sunt: qua origine neq; gentes incolæ discernendæ: id quod alibi explicatione uberiori à nobis demonstratum, hîc ut repetatur, opus non est. Et præter tertiam Peloponnesi, quam nominauit Pausanias, habet adhuc quartam Mysiam Germania nostra in ueteri Hermundurorum sede ad Albim, de qua neq; ipsa nobis hîc attingenda plura, & remittimus de hac etiam lectorem ad ea, quæ cõmentarius noster de Mysis habet exposita plenius. Quanquam alij spectando ad sonum Germanicum hanc Mysniam uocare malunt, pro qua è ueteribus, quas dixi, appellationibus duabus rectè reuocauit alterã, Mœsia, Onuphrius Panuinius, Italus. Nec sanè ipsius nominis Teuthraniæ usum in auctoribus eundem reperimus: nam & regioni, & urbi commune fuit, eo modo, quo in Germanica lingua per Mysos, & gens, & urbs ὁμώνυμος intelligitur, & Stephano Mysia terram & urbem denotat. Estq; credibile, ab urbe ad regionem translatum, quòd potentia præemineret, adeoq; imperio reliquas tractus illius urbes haberet subditas. Primam enim & uetustissimam Mysorum regiam Teuthraniam facio: quò alludens Solinus: „ Teuthrania regio, inquit, primò Mysorum fuit patria. Ac mansit forte Teuthraniæ denominatio à Teuthrante, cuius ętas bello Troiano paulò superior est. Hunc enim conditorem ei atttribuo, & nomen è Germanica lingua interpretor coniectorem celerem, Deütrasch. Enimuerò Mysos à Germanica propagatos stirpe, & lingua itidem usos Germanica, dubium prorsus nullum est. Tametsi neque ea uideatur improbanda

probanda coniectura, si quis ab Ascaniorum seu Tuisconum (hoc enim ex illo deductum, ut ab Tuisconibus Teutones denominati) confinio tractum uellet. Nam uicinæ, uel potius permistæ in ista ora gentes fuêre, ASCANII, CAYCI, MYSI, quod de Caycis & Mysis fluuij ὁμώνυμοι, de Ascanijs præter terram Ascaniam, & fluuius & lacus Ascanius, testantur. Sed tamen extitit posterioribus temporibus celebritatis fama digniore PERGAMVS, quæ quidem eadem & Teuthraniam obscurauit. Vnde Pausanias hoc etiam nomẽ ad regionem transtulit, in Atticis. Sic enim explicat, quòd paulò pòst eadem de re tradit obscurius: Pergameni, inquit, eam quæ olim Teuthrania " appellata est, regionem tenent. Cæterum quæ Pergami origo fuerit, " qui eius habendi conditores, quod afferam è scriptorum monumentis, certi nihil habeo. Nam Pausaniç de PERGAMO, Pyrrhi Neoptolemi filio, narratio uerisimilis non est: etsi regnasse illum in Mysia non negârim. Atque omnino Græcæ linguæ etyma incõcinniora sunt: ut regem illum ab urbe, quàm hanc de illo nomen id traxisse malim. Quod nomen è Mysorum, hoc est, conditorum & incolarũ antiquissimorum (nam in eam sententiam magis inclinatione propendeo) deductum lingua, facio Germanicum **Berghcim**, à situ nempe montoso. Huiçenim Pergamum eiusmodi habuisse, è geographis planum est, in quibus Strabo etiam metalla in uicinia eius nominat. Et frequentes occurrunt in nostra lingua compositiones à uoce **Heim**, non solùm in urbium, sed etiam in regionum denominationibus: qua de re exempla alibi à nobis plura tradita, inde à lectore diligẽti repeti, quàm com memoratione nostra noua exponi, satius fuerit. Videtur autem prima Pergamus accepisse incremẽta sub TELEPHO. Nam Arcadicam Pergamensium originem, de colonis, isthuc ab eo deductis accipio: cum quibus fortè & ueteres Mysi ita coaluêre, ut linguã cum ijs communem assumerent. Auxit paulò pòst noua dignitate PERGAMVS Pyrrhi, regia ibi collocata, cuius instituti rex iste hanc maximè secutus causam uidetur, quòd uiuere cum gentilibus mallet, & à moribus externis abhorreret. Ac mansit quidem exinde Pergamus regum Mysiæ sedes ad CROESVM usque. Tum enim cum gente ipsa ad peregrinos dominatus peruenit, & primùm Lydis, deinde Persis subdita fuit. A' quibus cùm DEMARATVS Spartanus dono concessam accepisset, & posteri itidem hæreditate retinuissent, tandẽ pronepotes Eurysthenes & Procles iterum in Lacedæmoniorum fidem ob AGESILAI arma concessêre. Hoc reuocato in Græciam, pace ANTALCIDÆ cum reliqua Asia, Pergamus ad Persas rediit. Qui clades exinde à Græcis nullas passi, iamque res horum securè despicantes, euertuntur ab ALEXANDRO Magno. Ideo paret ab

obitu eius Pergamus primũ ANTIGONO μονοφθάλμῳ, inde LYSIMACHO. Huic hostis factus PHILETÆRVS, Pergamũ subito impetu occupat, & post Seleuci cædem retentam ac conseruatam, successione quoq; ad familiã propagat, & regni noui, ab his tam exiguis rebus aucti postmodo in immensum, primordia iacit. De quo regnò & Philetæri familia, institutam in præsenti explicationem iam persequemur.

DEFINIT autem Athenæus PHILETÆRI imperium sola Pergamo, & Boca regione. Sed protulit amplificando hos tam angustos fines adiectionibus uarijs EVMENES successor, confirmauit regio nomine ATTALVS. I cuius utriusq; felicitatem complexus EVMENES. II. Asiam ad Taurum usq; montem sub ditionem suam subiunxit, & Pergamum magnificè ornatam, tantam fecit, ut regno etiam tanto sedes digna facta fuerit. Familiæ origo ignobilis prorsus est: neq; PHILETÆRI uel patria uel genus certum traditur. Nam Strabo à seipso dissentiens, nunc Cappadocem Tyanensem, nunc Bithynum Teionitensem, nuncupat. Sed sequimur nos Pausaniam & Athenæum, qui ambo è Paphlagonia deriuant. Ac ut nomen parentis neutrius exprimitur, ita de matre prodidit singulariter è Carystio Athenæus, eam arte tibicinam, instituto amicam fuisse. Quò respiciens apud Liuium Philippus, rex Macedonũ, Eumenem & Attalum propè regij nominis puduisse, ait. Propagârunt autem familiam Philetæri fratres: nam ipse Eunuchus erat. Quorum utriq; soboles genita mascula, sed coniugio & fortuna dissimili. Nam Eumenem ut fæcinus illustre nullum commendauit, ita coniugium ei obscurum contigit. Quæ utraq; conspectiora fuere in Attalo, quippe qui nuptijs potitus sit filiæ ACHÆI, qui Achæus deinde ad regium nomen ascendit. Veruntamen regni opes & potentia penes EVMENEM. I. mansere. De quo uariantes Laërtius & Iustinus, ille quidem Philetæro patre genitum tradit, hic uerò regem Bithyniæ nominat. Sed neutrum sententia nostra probamus, & fortè Laërtius Eumenis genus repetendo altius, ad Philetærum auum retulit, quod, scriptura temporum iniuria deprauata, ætas posterior de patre intellexit. Neq; negat Iustinus, suos & peculiares Bithyniam in isto tempore reges habuisse, è quibus ipsemet primum nominat PRVSIAM κυνηγόν. Tametsi post ad eundem errorem relabitur de EVMENE. II. nam & hũc regem Bithyniæ facit. Excipit uerò Eumenis imperium successione ATTALVS. I. qui ceu parens familiæ alter uideri potest. Hæc enim ut in ipso solo constiterat, ita noua eius propagine amplificata succreuit felicius, & potentiam obscurè antea possessam, nec non multorum inuidiæ cum periculo expositam, ipsius præcipuè uirtute stabilitam

tam conseruauit, adeo que in lucem primum exeruit. Vnde est, quod ferè Attalicorum regum nomẽ utitur de stirpe hac Strabo. Quanquam forte & ad regiæ dignitatis ab Attalo partum decus allusum eo fuit. Hanc enim rex ille post deuictos GALATAS constanti usurpatione retinuit, & hæreditate item ad successores transmisit: Cùm Philetærus & Eumenes. I. tam nomen quàm honores regios recusassent perpetuò, adeo que in tẽpora ea incidissent, quæ maximè id prohiberẽt. Nam uti hac parte iterum nos oppugnantem Iustini errorem de Eumenis utriusque in Bithynia regno, antea improbando reiecimus, ita Laërtij in Arcesilao narrationem, qua è regibus EVMENEM. I. præcipuè à Philosopho illo honoratum ait, non ad nomen regium ab eo usurpatum, sed ad potentiam, quam regiæ parem possedit, referimus. Est autem de ATTALO & reliqua eius posteritate dissensiõ ferè auctorum nulla. Et euenit de illa; quod Attalo ipsi responsum ab oraculo fuerat: quod oraculum Suidas habet eiusmodi:

Θάρσει ταυρόκερως ἕξεις βασιληΐδα τιμὴν,
Καὶ παίδων παῖδες, τούτων γε μὴν οὐκέτι παῖδες.

Concidit enim regnum in nepote ATTALO. III. à quo Romani hæredes testamento instituti, id sibi uendicârunt, ARISTONICO excluso: quẽ iniuriã istam armis uindicare ausum, per M. PERPENNAM Proconſ. debellârunt, & captiuum abductum, strangulârunt in carcere. Attamen ea quoque breuiter ut attingamus, quæ dubia de Attalo posteris que in historijs pauca occurrunt: primum de ipso proditum legimus apud Strabonem, editum fuisse matre Antiochide, Achæi F. Quod equidem mirari cogit, quæ exposita habet Polybius: nam Achæum Attali hostem facit, hunc que pertinacia tanta oppugnasse, ait, ut finibus eiecto, uix Pergamus conseruata sit. Id enim sanè ab auo planè alienũ uidetur. Sed diuulsit forte uel maximè propinqui sanguinis uinculo iunctos in utroque ambitio, & dominandi cupiditas. Neque enim solum Cæsarem cepit, ut est apud Ciceronem & Suetonium, sed potentum ferè omnium animos occupauit Euripidæum illud in Phœnissis;

Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι
Κάλλιστον ἀδικεῖν, τ' ἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών.

Nam si uiolandum est ius, imperij gratiâ
Violandum est, alijs rebus pietatem colas.

Variatur etiam de Attalo. II. cognomento Philadelpho, superioris filio. Nam Strabo tutelæ nomine regnum tenuisse, censet, ideo que hoc à morte eius ad Attalum Philometora redijsse. Negant hoc Plutarchi expositiones, & ab EVMENE assumptum Attalum successorem affirmant, sed qui deinde eandem beneuolentię uoluntatem filio reddiderit, liberis proprijs præteritis. In qua posteriore sententia, quæ & aliorum

liorum aliquot scriptorum argumentis confirmatur, nos quoque manemus. Nam inter Attali Philometoris cędes, eas etiam, quibus in cognatos sæuijt, memorat Iustinus: quos cognatos nos Attali Philadelphi liberos accipimus. Et fortè ab ijsdem oriunda fuit ACTE, Imp. Cæs. NERONIS concubina. Etenim relatam in Attali familiam, decreto Senatus publico, Dion scripsit. Cùm Suetonius, qui eius originis testes adhibiti fuêre infamis periurij accuset. Vt omninò curiosè de his inquirendum non sit. Ac apparet, Acten etiam genere ementito commendare se Tyrannio, uel hunc potius leuitatem impurorum amorum tegere ea re studuisse. Cùm quidem & antecessor CLAVDIVS idem honoris in Pallantem & Felicem libertos contulisset, natalibus his ceu restitutis è ueteri regum Arcadiæ prosapia. Restat dubium postremum de ATTALO Philometore, cui solus Iustinus non patrem sed patruum fuisse Eumenem. II. ait. Et tradidit Liuius, nullam Eumenem liberûm stirpem habuisse, nec dum ad id tempus, quo debellatū cum Perseo fuit, Attalum agnouisse. Quod ut tum natum iam hunc fuisse ostendit, ita natalium fidem in eo desideratam, non obscurè demōstrat. Estq; credibile, Eumenem hac maximè regni in Attalum fratrem transferendi causa usum: Sicuti itidem fortè in Attalo Philometore sæuitiæ iracundiam accendit, quā deinde is tam immanibus cædibus tum in amicos, tum in cognatos grassatus est. Atq; haud scio, an non ad hunc Attalum pertineat parricidium, quod in patrem ab eo commissum retulit in Icaromenippo Lucianus. Fortè enim ad adoptionē auctor hic spectauit. Vnde cognominis duplicis, quod legimus apud Plutarchum, origo esse potuit. Etsi nos ex his alterum φιλομήτορος retinemus solum. Id quod an à studijs erga matrem, quam amicorum maleficijs (ita enim credi uolebat) interfectam, ultus pòst acerbè est, & regio monumento honorauit, retinuerit, relatum in literas nusquam reperimus.

FAMILIA REGVM ATTALICORVM, SEV PHILETAERI, QVAE REGNAVIT PERGAMI ET IN ASIA Annos CLXI.

STIRPIS regum Attalicorum, ut diximus, initiū cœpit in tribus fratribus, PHILETÆRO, Eumene & Attalo. Nam genitor horum nomine nullus refertur, nisi cui fortè coniecturā nostram è Laërtio sequi libet. Sit ergo is Philetærus, homo plebeius & ignobilis, ut pote cui etiam uxor tibicina, adeoq; amica fuerit, quomodo est apud Athenæum.

PHI-

PHILETÆRVS, à nutrice infans ad funeris ſpectaculum productus, grauiter à turba, ſeſe mutuò obterente, affligitur, eoq́ casu ſpado efficitur. Attamen educatur liberaliter: & aſcitus in familiam DOCIMI, ducis Antigoni, hoc uicto & cæſo, cum eodem domino ad LYSIMACHVM tranſit. Cui probatus mirificè, ac pecunijs & rationibus præpoſitus, tandem ob Agathoclis cædem, & ARSINOES cõtra ſe inſtitutas criminationes, infeſtus eſſe incipit. Cumq́ Pergamo occupata, apertè ab eo defeciſſet, per legatũ ſe pecuniamq́, quam Strabo 9000. talentorum fuiſſe, ait, SELEVCO tradit. Etſi retinuit pòſt, euentu rerum & fortuna mirifica, utranque, & regni ea re noui initium dedit. Nam turbatis iterum Seleuci morte rebus Aſiaticis, cum præſidio in arce ſe continuit, & policitando ualidioribus, obſequendo propioribus, facile hoſtilem uim omnem à finibus auertit. Obijt anno ætatis octogeſimo, imperij uiceſimo. Strabo, Pauſanias, Appianus, Lucianus. Coluit ſumma ueneratione Seleuci memoriam, & corpus eius ingẽti pecunia à PTOLEMÆO κεραυνῷ redemtum, cremauit honorificè, & reliquias Antiocho F. miſit. Suntq́ imperij ipſius anni ab hoc tempore mortis Seleuci numerandi, quod incidit in Olympiad. 124. teſte Polybio.

EVMENES, uixit nomine & fama obſcura, & ante fratrem è uita ceſsit. Strabo.

EVMENES. I. tenet Pergamum poſt Philetærum hæreditate, potentiam amplificat uirtute atque auſis fortibus. Etenim Seleucidarum uires per inteſtinæ diſcordiæ bellum, quod inter ſe gerebant SELEVCVS Callinicus & ANTIOCHVS Hierax, fratres, conſpicatus conuulſas, perq́ eam occaſionem pro finibus proferendis audendum aliquid ratus, armis in Aſiam inuadit: loca opportuna occupat atq́ munit, & occurrentem ad Sardes cum copijs Gallicis Antiochum fundit fugatq́. Cumq́ è tanto ſucceſſu gloriam apud exteros, beneuolentiã apud ciues ſibi paraſſet, Seleuco metum inijcit, & à belli urgendi ſpe omni depulſo hoſtis grauis, maximeq́ formidabilis exiſtit. Interijt immoderata ebrietate, cum Pergamo præfuiſſet annos 22. Strabo, Athenæus, Iuſtinus. Meminit Laërtius, & munificentiã ipſius prædicat erga ARCESILAVM Philoſophum.

ATTALVS, utitur PHILETÆRI fratris potentia prudenter, & Reipub. tractandæ ab eo adhibitus, tùm in aliorũ regũ & principum familiaritatem peruenit, tùm ACHÆO, qui poſtmodò regium nomen contra ANTIOCHVM Magnum aſſumſit, ita ſe probat, ut filiam eius ANTIOCHIDEM coniugem promeruerit. Strabo. Meminit Pauſanias in Atticis.

NASCI-

NASCITVR autẽ ex hoc Attali coniugio ATTALVS. I.

ATTALVS. I. ſucceſsit patrueli EVMENI. I. & imperat annos 44. ſeu, ut habent alij, 43. Primum uirtutis & fortitudinis documentum edidit de ARIARATHE Cappadoce, quem hoſpitio liberali acceptum, laudata expeditione in regnum reſtituit. Inde bello premitur ab Seleuco κεραυνῶ, & ACHÆO auo, atque intra Pergamum concluſus, Galatas TECTOSAGES è Thracia in Aſiam euocat: opera eorum amiſſa recuperat: & tandem ob Lunę deliquium militiam detrectantes, conſidere in Helleſponto permittit. Etſi hæc cum gente illa neceſsitudo diuturna nõ fuit: cumq; Tectoſagibus iterum ſedibus à PRVSIA exturbatis, reliqui tributum, quod Aſiæ reges pendebant, exigerent acerbius, prælio uictos in eam, quam deinde retinuere, fugere terrã à mari compulit. Vt propulſaret ab ANTIOCHO Magno, quem tametſi ſocium, metuere tamen ob occupatas ab Eumene urbes cogebatur, imminens regno periculum, Romanos ſibi fœdere adiungit: oppugnat cum iiſdem bello gemino (geſtum autem prius fuit ob ÆTOLOS ſocios, alterum ob ATHENIENSES) PHILIPPVM, regem Macedonum: & utroq; fortitudinis, induſtriæ, tolerantiæ, fidei laudem eximiam promeretur. Periit apoplexia, quæ hortantem Thebanos ad ſocietatem cum Romanis iungendam, ſubitò inuaſerat, idq; paulò ante prælium ad Cynoſcephalas: die eodem quem natalem habuerat, cum annos uixiſſet 72. Polybius, Strabo, Plutarchus, Pauſanias, Suidas, Zonaras, Liuius, Polyænus, Iuſtinus, Florus. Excelluit uirtute & animi magnitudine: ſumma induſtria ſuos rexit: unicam fidem ſociis præſtitit: mitis ac munificus fuit in amicos: atq; uitam omnem uixit modeſtiſsimè & honeſtiſsimè. Petitam à Romanis è Sybillinorum oraculorum reſponſo magnam matrem Deûm, hoc eſt, grandem lapidem ſacrum, eadem ſuperſtitione & ueneratione eis permittit: Quam excipere uir optimus iuſſus, SCIPIO NASICA ad id ſenatus decreto deligitur, ut eſt apud Valerium. Daphidam Grammaticum nouo poſt ZOILVM exemplo maledicè HOMERO obtrectantem, & impiè de Deo ſentientem, captum è rupe præcipitem egit. Fuit enim doctrina atq; optimarum artium ſtudiis eruditiſsimus, relictis iis ingenii monumentis, quæ ſæpè à Plinio citantur & Strabone: & eos item, qui eruditionis laude præſtarent, uoluntate ſemper munifica coluit. Quam uoluntatem cùm erga Cteſiphontem hiſtoricũ declaratam, etiam ad Lacydem Philoſophum detuliſſet, isq; beneficium id planè reſpuens, Imagines procul eſſe intuendas, diceret, hortum, in quo doceret, extrui Athenis magnificè curauit, ut ſunt auctores Laërtius, Athenæus & Heſychius.

HABVIT ATTALVS in matrimonio APOLLONIADEM

DEM (alij Apollonidem uocant) è qua filios procreauit, EVMENEM. II. ATTALVM φιλάδελφον, Philetærum, & Athenæum. Fuit autem Apollonias patria Cyzicena, teste Strabone: quæ cùm castitatis, modestię, probitatis, pietatis erga liberos, qua quidem ipsa uicissim ab his pari coleretur, exemplum de se memorabile reliquerit, uisum fuit hîc subijcere; quæ de ea tradidit Suidas: APOLLONIAS, inquit, Attali, patris Eumenis regis, uxor: quæ plebeia cùm " esset, regina euasit, camq; dignitatem usq; ad extremum uitæ diem re" tinuit, non meretricijs illecebris, sed modestia & urbana grauitate atq; " integritate. Filios peperit quatuor, quos omnes insigni beneuolentia " & pietate usq; ad obitum est prosecuta, quamuis non paruo tempore " marito superstes. Cæterùm Attalus & fratres cùm domi essent, bonā " famam sunt consecuti, dum conuenientem gratiam & honorem matri " tribuunt. Ducentes enim matrem utraq; manu inter se mediam, in tem" pla & per urbem ibant, cum suo comitatu. Quibus de causis spectato" res magnopere probabant adolescentes, & uenerabantur: & Cleobi" dis ac Bitonis factum cōmemorantes, horum institutum & insignem " alacritatem regiæ excellentiæ fastigio æquabant. Hæc Cyzici gesta " sunt, pace cum Prusia constituta, &c. Et iterum: Attalus, inquit, Asiæ " rex matrem suam Apolloniadem defunctam in maximo Pergami tem" plo condidit, quod ipse extruxerat, uicinumq; lacum illius nomine " appellauit. "

EVMENES. II. surrogatur in regno patri, quod fratrum esset natu maximus, idq; tenet annos 49. Vt cum Romanis coniunctam ab Attalo amiciciam confirmaret, classem T. QINCTIO cum Rhodijs socijs contra NABIDEM, Tyrānum Lacedæmoniorum, auxiliariam adducit. Quo debellato, mox eosdē Romanos contra ANTIOCHVM Magnum inflammat: grauem, si pax esset, accolam ratus: eundem, si motu bellum esset, non magis parem illis fore, quàm PHILIPPVS fuisset: & aut funditus sublatum iri, aut si pax uicto daretur, multa ipsi detracta sibi accessura, ut facilè deinde se ab eo fine ullo Romano auxilio tueri posset. Et re ad bellum deducta, terra mariq; iuuat Romanos gnauiter: passus in hoc tempore clades ab hoste alias nullas, quàm quod Pergamus obsessa, & ager uastatus fuit. Id quod beneficij amplissimi ἀμοιβῇ compensārunt Romani: Nam uicto ad Magnesiam Antiocho, & ad pacis conditiones adacto, accipit dono omnia, quæ cis Taurum montem intra regni illius fines fuissent, præter Lyciam Cariamq;, usq; ad Mæandrum flumen: tum in Europa Chersonesum & Lysimachiam: & ciuitates, quæ Attali stipendiariæ fuissent, pendere etiam ipsi uectigal iubentur. Inde pace usus tuta & tranquilla; PRVSIÆ importunitate redire ad arma cogitur:

cumque terra uictor, mari ANNIBALIS astu (is enim exul tum Prusiæ hospitio utebatur) succubuisset, pacificari cum eo à Romanis iubetur. Quos ut officio nouo demereretur, PERSEI belli apparatus, quos primus olfecerat, eis enunciat: atque ut à Romanis hac re gratiam eximiam init, ita Persei scelere Delphis in extremum uitæ discrimen uenit. Quanquam deinde uisus est eam iniuriam uindicasse leuius, adeoque Romanos ipsos iuuisse segnius. Nam remissus in regnum à Licinio Cos. successori classem & equites Galatas ab eo petenti denegat, ideoque in indignationem illorum occultam incidit. Postremum bellum gessit cum Galatis: nec multò pòst morbo & senecta confectus, moritur. Strabo, Appianus, Eusebius, Zonaras, Liuius, Probus, Paterculus, Iustinus, Florus, Eutropius, Orosius. Celebrat Eumenis studiũ circa bibliothecas Plinius lib. 13. cap. 11. Quod cùm Ptolemæus æmulatus, chartas supprimeret, membranæ usus tùm primum Pergami cœpit, & Pergamenæ inde cognomentum retinet. Habuisse autem Pergamensem bibliothecam accepimus uoluminum millia ducenta: quam totam postmodo ANTONIVS dedit Cleopatræ, & Alexandriam transtulit, ut narrat Plutarchus. Vsus est fidelissimo & maximè concorde ATTALO fratre: quem ex uano cædis ipsius ad Delphos nuncio diadema sumere, & uxorem ambire, ausum, hac beneuola admonitione obiurgasse, contentus fuit: Ne properes meam antè uxorem ducere, quàm me mortuum uideas: nec aliud deinde unquam in ipsum suspectum uel dixit uel fecit, & moriens, & regnum, & uxorem ei reliquit. Cùm Romam profectus, summo omnium studio exciperetur, à solo CATONE suspectus habetur: cuius rei is causam rogatus: Rex, inquit, animal est natura carniuorum. Fit eius mentio. 1. Maccab. 8. Suidas hæc de Eumene habet: EVMENES corpore debili & afflicto, splendore animi damnum id pensabat: uir inter plurimos nulli sui temporis regum secundus, sed in rebus grauissimis & pulcerrimis maximus & splendidissimus. Qui cùm primùm à patre regnum prorsus in pauca & tenuia oppidula contractum accepisset, suum principatum maximis regnis parem effecit, non tam fortunæ suffragio & casu, quàm solertia atque industria & labore suo. Gloriæ cupidissimus fuit, è suæ ætatis regibus: & plurimis Græciæ ciuitatibus benefecit, plurimos priuatim homines sibi conciliauit. Tertium est, quòd fratres tres & ætate & uigore animorum præstantes, omnes in officio cõtinuit, ut & parerent ipsi, & satellites essent, & regni dignitatem tuerentur. Hactenus Suidas. De quibus in auctore isto hoc quoque notetur obiter, quòd perperam Macedonum rex uocatur, & falsò ei assuitur Eumenis Cardiani historia.

ATTALVS. II. cognomentum accepit φιλάδελφος, à studio scilicet

licet amoris & beneuolentiæ erga fratrem EVMENEM. Hoc enim fuisse in eo mirificum reperimus, declaratum cùm alijs in rebus, tum etiam in bellis Romanis. Quo tēpore Pergami obsessus ab ANTIOCHO Magno, atq; oppugnatus hostiliter, animo præsenti periculum illud depellit, & Romanis operam in prælio ad Magnesiam egregiam nauat. Contra GALATAS, fratre absente, Cn. Manlio Volsoni auxilia adducit: à quo propterea summo postea cæterorum assensu & laudatur honorificè, & donatur prolixè: Nam cùm uirtus eius & industria in omnibus laboribus periculisq;, tùm modestia etiā singularis extiterat, ut ait Liuius. De Eumenis ad Delphos periculo falso edoctus, eumq; interijsse ratus, quàm par erat celerius diadema assumit: quod leui obiurgatione illum arguisse contentum, ad bellum contra Persea socius consectatur, idq; pòst ab eo desertum cum Romanis urget. Quæ res cùm beneuolentiam ipsi omnium propensam, Eumeni odium occultum peperisset, pòst Romę proceres nonnullos regni petendi auctores habet: cumq; fluctuare cœpisset, STRATII Medici hortatu rursum id consilium abijcit, & fratri fidem integram seruat, nominis famam & existimationem de se honestam, regno potiorem ducens. Nec defuêre sanè tam laudabili uirtuti etiam præmia tandem digna. Nam regnum ab EVMENE morituro per manus traditum accepit. Ad quod ornandum totum se conuersurus, PRVSIÆ bello impeditur, & clade perfidia eius tanta afficitur, ut & ipsam regiam urbem Pergamum amiserit. Vnde uehementer exacerbatus, etsi Romanorum iussu mox cum eo pacificatus est, odium tamē nunquam deposuit: & de auxilijs solicitatus à NICOMEDE, hæc prompta ei suppeditat, & tum Prusiam ipsum regno exuit, atq; interfici à filio finit, tum auxiliatorem eius DIEGYLEM, regem Thracum, in potestatem redigit. Eodem successu DEMETRII. II. regis Syrię conatus reprimit, hoste ei nouo ALEXANDRO inducto: & de inflatu eiusdem Demetrij regnum Macedoniæ affectare ausum PSEVDOPHILIPPVM cum Romanis oppugnat. Perijt insidijs Attali. III. anno ætatis octogesimo secundo, regni uicesimo primo. Strabo, Plutarchus, Appianus, Lucianus, Zonaras, Liuius, Florus. De eius erga matrem pietate & obseruantia, supra è Suida explicauimus. A' Plutarcho ignauiæ notatur & animi ad ocium & gulam dissoluti: quiq; ex amicis Philopœmeni cuidam ita se dederit, ut & Romanorū dicteria incurrerit. E' Philosophis maximè coluit LYCONEM Troadensem, & inter familiares ascitum regia magnificentia donauit. Condidit in Lydia Attaliam & Philadelphiam urbes, à nomine & cognomine nuncupatas. Memoratur in socijs Romanorum regibus 1. Maccab. 15. Meminit etiam Cicero in orat. pro Deiota-

ro, & SCIPIONI Æmiliano magnificentissima usque ad Numantiam misisse dona, ait.

PHILETÆRVS, uixit & ipse cum EVMENE fratre coniunctissimè: à quo ANTIOCHI M. affinitatem contemtam miratus, causas instituti huius eas audit, quæ circumspecti animi prudentiam illius eximiam testarentur, quibusque ipse etiam facilè acquiesceret. Bello Macedonico regni tutelæ præficitur: in quo munere se ita gessit, ut neque quærelis subditorū locum relinqueret, & à fratre fidelitatis & integritatis laudem promereretur. Strabo, Liuius, Appianus.

ATHENÆVS, militat cum Attalo fr. Cn. Manlio Volsoni Cos. contra GALATAS: Quo confecto bello, classem illi ad traijciendas in Europam copias adducit. Inde legatus ab Eumene Romā mittitur de deducendis è Thracia præsidijs, nec multò pòst socius asciscitur ad bellum contra Persea. In quo deinde cum Attalo perseuerans, ita probat fidem & industriam suam L. ÆMILIO PAVLO Imperatori, ut Delphos petituro solus cum Scipione F. dignus uisus sit, cui uitam is & salutem suam crederet. Strabo, Liuius.

FVIT cum EVMENE. II. connupta STRATONICE, Ariarathis. V. regis Cappadociæ F. è qua genitus ATTALVS. III. Addunt his alij concubinam ἀνώνυμον, Ephesij citharœdi filiam, quæ filium peperit ARISTONICVM. Reliquorum fratrum matrimonia ignorantur: etsi de ATTALO Philadelpho tradidit Plutarchus, coniugem huic cum regno ab Eumene relictam, cùm quidem antea etiam, ut diximus, hanc ambiuisset.

ATTALVS. III. cognomento φιλομήτωρ, utitur patre EVMENE alieniore: præteritur indignè in regni successione: & educatus negligentius, parricidio id postmodo à patruo repetit. Atque iniuriæ paternæ amicos item paternos auctores suspicatus, eisdemque matris necem imputans, crudeli illorum cæde grassatur, & ne quam à cognatis hostilem ultionem atque insidias metuere cogeretur, hos quoque per supplicia tollit. Vndè mox conscientia graui opprimitur: uitæ hilaritatem omnē fugitat: & regni cura abiecta, tum hortos fodere, tum cerdonicam tractare, tandemque sepulcrū facere matri instituit. In quo opere cùm ex solis ardore morbum contraxisset, septima die pòst decedit, & regnum testamento Romanis legat, postquam ei præfuerat annos quinque. Eusebius, Iustinus, Florus. Habuit præceptorem in bonis literis Symmachum quendam, hominē leuitatis extremæ: qui adulator deinde ipsius factus, eos de disciplina illius libros edidit, quibus omnis adulandi ars contineretur, ut scripsit Athenæus. Et sanè hac ipsa institutione corruptum maximè ingenium Attali apparet, quomodo & in Alexandro uitia hæsere, quibus puerum illum Leonidas imbuerat,

buerat, ut refert è Babylonij Diogenis historia Quintilianus. Addit Plutarchus, herbas ipsum uenenosas per ocium plantasse, nō alterum modo & ueratrum, sed cicutam etiam, aconitum, dorienium'q; in regia seminasse & seuisse, operam'q; dedisse, ut legitimo tempore succos eorum & semina legeret: Quippe quæ amicis dona mitteret, teste Iustino. Meminit Suidas νικαφόρος, & belligerasse cum Galatis, ait. Putat Seruius, uela picta aulæa dicta, quòd primùm in aula Attali inuenta essent.

ARISTONICVS, nothus, regnum fratris testamento alienatum à familia indignatus, armis id inuadit, Leucas oppidulum in partes trahit, & mari Ephesijs resistentibus, fortunam aduersam expertus, terra bellum urget, armata'q; seruorum & inopum manu, prælijs exinde aduersus ciuitates, quæ imperium eius detrectarent, secundis multis utitur. Ideo hostis à Romanis iudicatur: & Crasso Cos. cum quo facerent reges, Nicomedes, Mithradates Euergetes, Ariarathes & Pylemenes, debellandus traditus, ex auaricia hūc prædę quàm bello intentiorem per Thraces auxiliares in potestatem redigit. Iterum congressus cum Perpenna, cum clade profligatur: & dedere se hosti coactus, Romā mittitur, & Senatus iussu strangulatur in carcere. Plutarchus, Velleius, Valerius, Iustinus, Eutropius, Augustinus, Orosius. Memorabile est, quod de corrupta Romanorum disciplina huius belli tempore tradidit Florus. Nam Manlius, Perpennę successor, ut ne scilicet pateretur, quod ipse in hunc tentârat, & prouinciam pacaret maturius, fontibus ueneno mixtis deditionem ciuitatibus nonnullis extorsit. Appianus Aristonici bellum annos quatuor durasse, ait.

ATTALO. III. desponsa fuit BERENICE, quæ ante nuptias mortem obijt: nec præterea quicquā de matrimonio eius in scripta auctorum peruenit, & soboles itidem nulla nominatur.

¶ ACTE, emta ex Asia, & in palatium adducta, formæ dignitate libertatem consequitur. Qua eadem cùm & NERONEM Imp. amore tenerrimo sibi deuinxisset, ideo'q; originis illustrioris dignitatē affectaret, Senatoribus aliquot peierantibus, ut inquit Suetonius, in Attali familiam refertur, & crescente gratia, tantum apud principē potest, ut parum abfuerit, quin iusto ei matrimonio iuncta sit. Vnde postea etiam mortui memoriam ea ueneratione coluit, ut reliquias cum Ecloge & Alexandria nutricibus gentili Domitiorum monumento condiderit. Dion, Suetonius.

REGNVM PARTHICVM ARSACIDARVM.

DE PARTHORVM ORIGINE ET IMPERIIS, DE REGIA ARSACIDARVM FAMILIA, HVIVSQVE ORTV, PROPAgatione, *consuetudinibus.*

PARTHOS Eustathius, Suidas, Iustinus, Curtius, SCYTHAS faciunt: Quod nomen ut non est antiquissimum, ita uarijs & diuersis postea gentibus tributum fuisse, scimus. Nam Homerus quidem id adhuc ignorat: cæteri uerò scriptores non solùm de Germanis, quorum & proprium fuit: sicuti hodie quoque SCOTOS id conseruasse uidemus: sed & de Sarmatis, Hunnis & Tartaris usurpârunt. Qua de re ut ne omnium testimonia congerendo molesti lectori simus, Strabonis iam nobis sufficiet auctoritas, scri-
„ ptoris inprimis grauis, cuius lib. 11. hęc sunt uerba: Scytharum & No-
„ madum gentes omne Boreale latus complent. Et libro 1. Græci, in-
„ quit, sicut nobiliores ad Aquilonem partes uno nomine Scythas uel
„ Nomadas appellabant, posterioribus autem annis notiores ad occa-
„ sum CELTAS & IBEROS, uel mixto nomine Celtoscythas &
„ Celtiberos: cùm gentes omnes sub uno uocabulo per ignorantiam
„ instituerentur: ita & exposita in meridiem omnia ad Oceanũ Æthio-
„ piam uocabant. Et paulò pòst: Ephorus eam partem, quæ Subsola-
„ num spectat, Indos habitare tradit, ad Austrum Æthiopas, ad occiden
„ tem Gallos, ad Aquilonem Scythas.

Iccirco ueram id & certam Parthorum originem nondum demonstrat: tametsi ponderanti diligentiùs coniecturę aliquid ad inuestigandam eam, propiusq́ intuendam, relinquat: præsertim cùm & Persæ Scythis annumerētur ab Ammiano Marcellino: & addat his Suidas, Parthos lingua Persarum Scythas nuncupatos. Etsi enim cuiusmodi hæc fuerit, ignoratur, tamen multa habuisse eam Germanica uocabula, arguunt uoces passim inde in ueterum monumentis relatæ: inter quas tres istæ: Gaza, Carda, Caranus, respondent in nostra lingua interpretationi adductę ab Herodoto, Xenophonte, Strabone, Curtio, Mela: Nisi quòd sonus in quibusdam, ut non satis perceptis, sit detortus longius. Vnde à Germanico Schatz, fecêre Gaza, quomodo Cæsar dictionem Welsche, mutauit in Belgas: posita uidelicet pro sch. g. litera, & in reliquis illis duabus, aspiratione C. litera reddita, plane ut Latini dixêre Cheruscos, Chattos,

tos, Childebertos, Chilpericos, quæ nobis ſunt, Hertziſche/Heſſen/ Huldewerd/Hulperich, & nominauit eadem ratione Ioſephus Chebronem, quæ Ebræis eſt Hebron. Nec diſiungo appellationem MITHRA à noſtro Müter, qua Herodotus Venerem, cęteri auctores Solem, Perſas cognominaſſe, aiunt, cùm uel hũc uel illam ita forte appellarent, ut Græci CYBELEN. Nam Solem quidem uoce patria Cyrum ab illis appellatum, Plutarchus tradidit. Atque inuenias, qui nomen XERXES deriuent à Germanico Hertzog, quod ut non improbo (tametſi Herodotus bellatorem exponat.) ita hoc libenter co-feſſerim, dignitatis & officij fuiſſe potius, quàm uiri proprium. Tribuunt etiam Græcorum fabulę Acętæ, regi Colchorum, fratrem Perſen: quod & ipſum huc ſpectat. Nam uſos Colchos Germanica lingua, dubium nullum eſt: & ſunt ea de re alibi plura à nobis dicta. Proinde ſic ex his infero, cognatas fuiſſe gentes Perſas & Parthos. Enimuero de lingua Parthorum id Iuſtinus diſertè tradidit, hanc è Medica & Scythica permiſtam fuiſſe: quarũ illam à Perſica nihil planè diſcrepaſſe, ex Strabone notũ eſt: & Scythæ hi Solino MASSAGETÆ eſſe uidentur, gens Gothica, quod & ipſum, quæ de Perſicæ ling ꝗ cum noſtra cognatione diximus, ſuffragatur: quomodo de Parthica hæc regum nomina: PHARASMANES, PHARNACES, RHODOGVNE, PACORVS, SINTRICVS, ORODES, VONONES, PHRAATACES, GOTARZES, VOLOGESES, &c. quæ conueniunt cum noſtratibus appellationibus Warman/Wernele (id Saxones ex Vuernero ita pronunciant) Rathkün/Wacker/Sinreich uel Heintrich/Ehrradt/Wohne/ Freydig/Gothardt/Wolweis/unde Liuius fecit Belloueſus. Et quia in antiquiſsimis Perſarũ denominationibus memoratur nomen ARTÆI, nos ſingulariter id de Parthis accipĩmus, elemento primo κατ' ἀφαίρεσιν abiecto: ad eum nimirum modum, quo Germanicum Weſtwöhner Latini in Iſtæuones commutârunt, & ex altero, Vuernerus deprauatum nomen Irnerius. Sunt igitur PARTHI ab Elam, à quo ſupra Elymæos, Perſidis populũ, & Alemanos & Albanos, cum quibus coniungit Dion Albanos, gentem Aſiæ ad mare Caſpium, deriuatos denominauimus. An uerò notionis fuerint nomina eiuſdem, Perſæ & Parthi, tantumq́ enunciatione diſcriminata, hoc eſt, ut s. in t. commutatum ſit, ea nempe imitatione, quam retinuit in lingua Germanica dialectus Saxonica, & ex Gręcis Attici dixêre pro θάλασσα, μέλισσα, θάλαττα, μέλιττα, ſcriptoresq́ Romani pro Haſsi, Chatti, Ebræi; pro Tyrus Sor: Vnde & Latinis in uſu fuit adiectiuum Sarranus, ut Sarranum oſtrum apud Silium & Auſoniũ, quod Tyrium dicitur Virgilio: Cùm quidem ſcripſerit Gellius, Tyrum ante Sarram uocatam: de eo nõ im-

meritò quæritur. Stephanus quidem Artaxam Persidis regionem fecit distinctam. Magis itaq; isthuc inclino, & nomen Parthorum gentis ibi peculiare, & initio etiam à Persis distinctum fuisse. Atq; sicuti Persas ab Ebræo Esdrę Paras denominauimus, ita Parthorum nomen ab alio Ebræo PATHROS, quod habet Esaias cap. 11. extitisse crediderim: Vt tantum per μετάθεσιν literā transpositam intelligamus. Nam coniunguntur ibi Elamitæ uel Persæ. Quanquā de origine eius quod afferam, certi nihil habeo: & mirum de Esaiæ loco isto interpretum silentium. Ac dedere alij alia nominis Parthorum significata, sed è fontibus petita diuersis. Nam qui Ebrææ originis sectantur uestigia, interpretantur Principes, præsides. Eustathius & Iustinus lingua Scythica exules denotari aiunt: ut alludat ad nostrum Parthen, quo intelligimus seiunctos, segregatos. Hæsit tamen fortè hoc in gente nominis, cùm imperio & sedibus à cæteris ELAMI posteris se disiunxerunt. Vsitatæ enim eæ nominum mutationes ác innouationes ueteribus fuêre, & ferè cunctis in gentibus extiterunt, ut Strabo auctor est: à
» quo & hoc additur, notatu cum primis dignum: ab gentium cognatione
» & communione ueram nominis rationem explicandam. Neq; repugnauerim, si qui ut Persarum ita etiam Parthorum denominatione mores gentis, & rei militaris studium, expressum existimauerint. Quippe fuêre ambæ bellicosissimæ, id quod testantur res præclarè gestæ, & imperia, quæ per Asiam superiorē, & Persæ usq; ad Hellespontum possederunt amplissima, nec minus crudeles & rapaces. Vnde Græci finxere Parthorum nomen ἀπὸ τοῦ πορθεῖν, quia uastando omnia perderent: tametsi ipse sententiæ eorum mallem accedere, qui hoc potius ab gente mutatione unius elementi profectum censent. Et certum est, CHALDÆIS ita à rapinis & depopulationibus nomen mutatum, cùm ab ARPHAXADE cōditore ARPHAXADÆI dicti fuissent: cuius simile sentiendū de nostris SVEVIS & QVADIS, quibus significatione oppono SAXONES, RVGOS & SENONAS, sicuti à sedibus MARSOS & BRVCTEROS, ANGRIVARIIS. Estq; consentaneum uero, Sidoniorum colonos, TYRIOS, inde denominatos, quòd per seditionem patriam deseruissent, condita in mediterranei maris aditu urbe noua, quæ deinde plurimis alijs, interq; has CARTHAGINI, ortum dedit. In Saxonum Chronicis montes APENNINI, qui mediam diuidunt Italiam, uocantur Das Parther gebirge, quasi dicas Parthorum montes. Huius denominationis quod fuerit principium, aut quò caresenda sit, equidē non uideo. Nisi cui fortè id arriserit etymon, ad quod denomine Parthorum allusisse Eustathium & Iustinum ostendimus: quòd fortè coloni aliqui Germani, ueterumq; Celtarum in Gallia Cisalpinæ

Cisalpina reliquiæ, pulsi nouarum gentium aduentu, in Apennino ceu exilij locum delegissent, inde porro ab iniuria & incursionibus aduenarum se defensuri. Nominatur quoque in Illyrijs PARTHINI, qui fortè ipsi etiam in terribilibus istis antiquorum temporum migrationibus sedibus exciti suis, neque in mediterraneis locis consistere ausi, eosdem tandem montes insederunt. Quanquam neque hæc coniectura improbanda esset, si quis à LONGOBARDIS, detracta ex Italica uocis huius enunciatione κατ' ἀφαίρεσιν prima syllaba, dictos censeret. Illud quidem certè sine controuersia est, & indubitatum prorsus, neutram gentem uel à se ipsa, uel à uicinis ijsdem nominibus appellatam. PARTHOS enim à Persis Scythas nuncupatos, supra è Suida monuimus, uoce, ut existimo, Germanica, quæ Saxonibus nunc quoque sagittandi & iaculandi peritum exprimit. Qua in re Parthos ita excelluisse accepimus, ut etiam cùm fugerent, maximè hosti nocerent, Vnde Virgilius 3. Georg.

Fidentemque fuga Parthum, uersisque sagittis.

Horat.

Versis animosum equis Parthum.

Ouid. Fast. 5.

Quid tibi nunc solitæ post terga sagittæ,
Quid loca, quid rapidi profuit usus equi.

Claudianus.

Fugiens Parthorum more, sequentem
Vulnerat, — &c.

Et Persæ cùm patria lingua dicerentur MAGVSÆI, quomodo idem Suidas auctor est, à Scythis CHORSARI cognominati sunt: quam similiter ab armatura profectam denominationem, & ex Germanico Korisser nonnihil per syncopen contractam, planè haud ambigo: cùm ita adhuc hodie equites cataphractos appellemus. Multum omnino equitatu Persas ualuisse, atque etiamnum ualere, tam ueteres quàm recentes nos docent historiæ. Facitque huc, quod est apud Pausaniam, Persas ut armis ita præliandi consuetudine cum Gallis eadem usos. Idem enim nostri quoque de eis affirmant, & in morem Gallicum armis tegi & muniri totos, scribunt.

QVÆ fuerint initiò apud Parthos imperia, incertum est. Tradit Diodorus, à NINO subactos fuisse, quod neque asseuerare, neque refellere in animo est: quomodo illud etiam, quòd Suidas à SESOSTRE, rege Ægyptiorum, post deuictos Assyrios in coloniam deductos, ait. Atque libens hîc omitto, quod est apud Iustinum, nempe Assyriorum & Medorum temporibus Parthos inter orientales populos obscurissimos habitos, & translato orientis imperio à Medis ad Persas, ueluti uulgus sine nomine prædam uictorum fuisse: cùm inde

à CYRI

à CYRI temporibus Persis paruerint, Herodoto teste: qui & satrapiam illorum, cui inserit Chorasmios, Arios & Sogdos, DARIO Hystaspis talenta trecenta, hoc est, coronatorum 180000. pependisse tradit. Post cædem Darij Codomani cùm ALEXANDRVM subacturum prouincias, quas in orientali plaga Persæ tenuerant, & in ipsos etiam profectum, prælio excepissent, uicti præfectum accipiunt ANDRAGORAM Persam, seu ut Arrianus habet, AMMYNAPEM Parthum: cumque Alexandro quoque è uita sublato, & prouincijs huius inter Duces diuisis, cessissent PHRATAPHERNI, ut est apud Diodorum (nam Iustinus alibi Nicanori, alibi Satagenori, socio externo, datos scribit) qui Phratafernes antea sub Persis Parthiam & Hyrcaniã gubernârat, & cum PHARASMANE F. Alexandro sponte se dediderat: adhęserunt primum EVMENI, deinde ANTIGONO μονοφθάλμῳ. Hoc uicto ad Ipsum Phrygiæ, & occiso, possidentur exinde à SELEVCO Nicatore, & posteris huius, usque ad SELEVCVM Callinicũ, Nicatoris pronepotem. Is enim, cùm fraterno & Gallico bello impeditus, Asię superioris prouincias negligeret: ARSACES eam occasionem speculatus, & Bactrianorum Regis fugiens incrementum, Parthiam armata manu inuadit, uictoque ANDRAGORA prępfecto, perdomat uniuersam. Etsi sunt, qui mox sub Seleuco Nicatore id factum uelint: quo adhuc crassiorem secutus errorem Nicephorus, Parthicum regnum temporibus PTOLEMÆI DIONYSII conditum ab Arsace memorat: sicuti idem scriptor in eo itidem non parum ab historię ueritate recedit, quòd ARETAM, qui occiso ANTIOCHO. XI. rege Syriæ, Damascum occupauit, nominat Parthum. Versaturque in pari ignoratione Tacitus, qui temporibus ANTIOCHI Epiphanis Arsacem desciuisse à Macedonibus, censet. Nec satis inter auctores conuenit, quem in Bactris regnantem fugerit Arsaces. Qua de re quia in sequentibus explicandum nobis diligentius, hîc expositionis partẽ eam abrumpo. Ergo de uulgata probatissimorum scriptorum sententia, inchoo Parthicum Arsacidarum regnum sub SELEVCO Callinico: eiusque cum Iustino primum certumque pono principium in consulatum C. Attilij Serrani, & L. Manilij Volsonis, qui fuit annus tertius Olympiad. 132. conditi orbis ter millesimus septingentesimus decimus quintus.

SED hîc multiplex occurrit opinionũ pugna & discrepantia tam de gente quàm de stirpe, quæ ARSACEM produxerit. Ammianus & Suidas Parthum, & ille etiam latronem fuisse, scribunt. Strabo Scytham facit è Daarum gente, à quibus & DACOS seu DANOS nonnulli deriuant. Iustinus & à se ipso & ab alijs dissentiens, alibi incertæ

certæ stirpis hominē uocat, quiq; rapto uiuere solitus fuerit, alibi propagat ab ANDRAGORA Persa, quē præfecerit Parthis ALEXANDER. Sed malo eos ipse sequi, qui Parthum Arsacem faciūt: cùm de Andragora illo Persa, præterquam quæ Iustinus habet, nihil præterea literis proditum sit: & testetur hoc Strabo, Arsacidarum Parthos ualde amantes fuisse, quod de externis credibile non est. Cumq; præfectus ille, quē sustulit in Parthia Arsaces, Andragoræ nomen habuerit, fieri potuit, ut librariorū seu inscitia seu incuria idem illi etiam, quē constituit ALEXANDER, hoc est, AMMYNAPI Partho (ita enim ex Arriano uocare malim) tribuerit, quòd fortè generis hunc auctorem Arsaces habuisset. Certè & alios quosdam Alexandri & successorum in gentibus illis præfectos, uel eorum posteros, ad regij nominis fastigium ascendisse, constat: & apparet, hanc ipsam ob causam libentius à Parthis Arsacem admissum. Occurrit hac alia, de familiæ scilicet Arsacidarum propagatione, difficultas haud minor. Et solus quidem Iustinus successionem eorū usq; ad PHRAATEM. I. continuam nobis conseruauit: post quem deinde sibiipsi non constat. Nam cùm PAMPATIVM nonnisi filios duos reliquisse dixisset, aliquantò pòst ARTABANVM. I. Phraatis patruum uocat. Tametsi huic posteriori nos etiam inhærere uoluerimus contrà Orosium, qui MITHRADATEM. I. uocat ab Arsace sextum. Nec meminit auctor ille in Parthicorum Regum historia belli, quod uictus à Tryphone DEMETRIVS. II. mouit, cùm alibi ab Arsacide gestum scribat, quem fuisse MITHRADATEM. I. ex Iosepho & Zonara planum fit, qui PHRAATEM. I. à quo Demetrius dimissus est, Mithradatis filium appellant. Tribuit etiam idem Iustinus ARTABANO. I. filios duos, Mithradatem Magnum & Orodem. Horum utriq; præponūt Dion, Xiphilinus, Plutarchus, Florus, PACORVM & PHRAATEM: qua in re sequendos illos duximus, ita ut PACORVM Artabani filium faciamus, nepotem PHRAATEM. II. & huius demum filios MITHRADATEM Magnum & ORODEM. Etenim tradunt hoc Appianus & Dion disertè, PHRAATEM. II. paulò antè quàm TIGRANEM debellauit Pompeius, patris principatū adeptum: etsi de nomine huius nōnihil uariatur. Nam quem Xiphilinus Pacorum, Dion Arsacem, uocant, Appiano SINTRICVS dicitur, additq; idem Dion, fratrem Orodi fuisse Mithradatem. Iosephus quoque uictoriā de DEMETRIO Eucæro, rege Syriæ, tribuit MITHRADATI Magno, quod nos de Pacoro accipimus. Estq; uerisimile, interdum Reges, quę habuissent antea nomine, post regnum susceptum mutasse (id quod & Persicos quosdam fecisse reperimus) indeq; hanc

de ipso-

de ipsorum rebus gestis subsecutam auctorũ discrepantiam. Nec dubito, quin de MITHRADATE hoc Appiani sentẽtia quàm Diodori uerior sit, qui in Media tantummodo regnasse illum, & Phraati patri mox successisse Orodem, ait. Et licet ad breue tempus regnum in Parthis MITHRADATES tenuerit, nos tamen & Magni cognomentum, & quas Iustinus ei ascribit res gestas, retinere uoluimus. Porro autem ab ORODE iterum sibi Arsacidarũ ut progenies, ita successio quoq; certa constat, usq; ad PHRAATACEN; à quo utraq; interrumpitur: etsi oriundum fuisse ab Arsacidarũ satu ORODEM alterũ, affirmat Iosephus, cùm Tacitus eius itemq; Phraatacis non meminerit. Neq; ARTABANI. II. progenitores scire possumus: etsi multa arguunt, PHRAATI. III. sanguine proximè coniunctum fuisse: & quia apud DAAS educatus fuit, adducor eo, ut è fratrum ipsius aliquo genitum putem, atq; ex media horum cæde ereptum, ita illis & educandum, & asseruandum traditum. Ac malui de tota ARTABANI historia, huiusq; successoribus & posteris, sequi Iosephum, ab eo solummodo si discedas, quòd per Vitelliũ cum TIBERIO Imp. pacem fecisse illum, memorat, quod Romani scriptores magno consensu CALIGVLÆ tribuunt. Narrat etiam Tacitus, oppositos à Romanis GOTARZI MEHERDATEM, VONONEM & TIRADATEM, quorum nihil habet Iosephus, cũ quo & VOLOGESEM. I. quẽ Tacitus Vonone prognatum, ait, Artabani filium facimus. Estq; ab hinc denuò uidere maiorem scriptorum negligẽtiam, qui sequentium regum successionem ut minùs accuratè descripserunt, ita familiæ continuationem & propagationem omiserunt prorsus. Quod factũ ob bella ciuilia, quæ omissis Romanis & aliis externis hostibus, Arsacidæ inter se gesserunt, dubium nullum est. Nam inde fortè minus iam illis noti fuêre: quanquã alioquin nihil ferè de ipsis historiæ attingũnt, quàm quod ad Romanas res pertineat. Xiphilinus quidẽ in uita TRAIANI annotauit, Parthorum uires bellis ciuilibus admodum imminutas fuisse, atq; in isto tempore adhuc seditionem durasse. Tamen VOLOGESIS. I. filius credi posset ARTABANVS. III. sicuti huius rursus PACORVS. II. COSDROES & PARTHANASPATES, quos etiam ciuilium illorum tumultuum ac seditionum auctores facio, cùm fortè de regno concordare non possent. Enimuero Pacorum post aliquot annorum exilium tandem LAZORVM regno donatum ab ANTONINO PIO, Capitolinus scripsit, & fortè PARTHANASPATES Parthis à Traiano Rex datus est, quòd contra COSDROEN ei adhæsisset. Addit his Suidas, traditum à Pacoro Edessanum regnum ABGARO: quam licentiam

tiam cùm in Armenijs etiam usurpasset COSDROES, belli contra se Traiano, non tam αἰτίαν, quàm πρόφασιν præbuit, uult Dion, quòd ille ius hoc ad Imperatorem pertinere contenderet. Quemadmodùm uerò è fratribus hisce regnum tandem retinuit COSDROES, ita & in sobolem propagauit: ac genitum ipso arbitror VOLOGESEM. II. quem etiam non nisi Mediæ imperasse apparet, quando à direptione huius auertit ALANOS, cùm fortè à COSDROE, ad exemplum PACORI, fratris VOLOGESIS. I. regionem hanc accepisset. Vologesi rursus liberos attribuo VOLOGESEM. III. Tiradatem, & ARTABANVM. IV. Nam priores quidem duos illos fratres fuisse, Xiphilinus docet: & meminit apud eundem CARACALLÆ ad Senatum epistola, discordiæ regum Parthicorum fratrum, cùm constet regnasse tunc Vologesem & ARTABANVM, & paulo pòst Tiradatem CARACALLÆ dediderit Vologeses. Tametsi omninò hac parte historia Parthica sit obscurior. Nam Herodianus non Vologesem sed Artabanum à Seuero bello oppugnatū, ait: Quem errorem fortè imperia per ista dissidia ceu alternatim mutata pepererunt. Facimus igitur nos cum Xiphilino: & ARTABANI regnū ordimur paulò ante cædem CARACALLÆ. A' quo cùm ARTABANVS fraudulentè circumuentus, & clade affectus grauissima, uix tandem respirasset, inuaditur domi ab ARTAXERXE Persa: cui etsi resisteret fortiter, tamen fortuna usus infestiore, tribusq; prælijs fusus à rebellibus, occiditur in acie, ac finē dat Parthico regno, cùm stetisset id annos 475. Sunt tamen qui Mediam, defensam tum ab Artabani filijs contra Artaxerxem, Arsacidas deinceps usq; ad LEONIS Magni imperium retinuisse, uelint. In eò tempore cùm ARTABANVS cum CLIENE fratre regno eiectus, Byzantium profugisset, susceptus ab Imp. humaniter, & Nicææ Macedoniæ cum uxore & liberis habitare iussus, demum ab HERACLIO Adrianopolin transfertur: ubi familia eius propagata, & à cæteris incolis ceu discreta, produxit Imp. BASILIVM Macedonem. Nicetas etiam MVCHVMETVM, Turcarum Sultanum in Cappadocia sub CALOIOANNE Comneno, Arsacidarum stirpis facit, de quo tamē quisq; quod uolet, sentiat. Sanè ut certi nihil de Arsacidis post Parthici regni interitum, & Artabani cædem, scire possumus, sic familiam tum nequaquā interijsse, censeo. Herodianus quidem nō obscurè eò inclinat, fuisse hanc amplissimam, & in alias ceu particulares diuisam. Nam ARTABANVM regem initiò filiæ connubium denegantem CARACALLÆ, quòd fraudem, ut erat, subesse suspicaretur, gloriantem inducit, quòd non deessent sibi Arsacidę, quibus eam collocaret, sicut haberet

x Caracallæ

Caracalla Romæ Patricias, unde coniugem aliam deligeret. Cæteroquin etiam gentes illas regij nominis regiarumque familiarum studiosissimas extitisse, docent de Persis Herodotus, de Cappadocibus Iustinus. Vt credibile sit, diligenter pro Arsacidis propugnatum fuisse, itaque conseruatos non solùm apud Byzantinos, sed & apud Barbaros floruisse.

ADDO autem hîc παρέργως, quod à nonnullis annotatum est, distinctam à Parthis gentem fuisse PARTHYÆOS (nam alij id nomen etiam Parthis tribuunt) & regnum eos possedisse peculiare. Nec tamen id in præsenti disquiro curiosius. Et nominantur quidem à Luciano Reges, SINARTHOCLES & MNASCIRES, de quibus nihil præterea literis proditum reperio: estque credibile, regnũ hoc, quod potentiæ non magnæ esset, deletum ualidiorum Arsacidarum armis, his cessisse.

DE Parthicorum Regum ex Arsacidis consuetudinibus prodidere nonnulla Athenæus, Polyænus, Seneca, Plinius: è quibus id præcipuè referendum hoc in loco censuimus, quòd sine munere à nemine se salutari passi sunt. Etenim fastu & arrogãtia incredibili fuêre, utpotè qui fratres Solis & Lunæ, ac reges regum salutari uellent: fortè ad eum modum, quo ANTONIVS sese Bacchum & Osiridem, CLEOPATRAM Isidem & Lunam dixit, ex eaque susceptos liberos alterum Solis, alterum Lunæ cognomentis insigniuit: ob quam quidem causam & AVGVSTVS Cæsar eos in triumpho duxit. Quanquam posteriorem titulum, Regis regum, & ab TIGRANE Armenio usurpatum inueniamus: tribuitque hunc CLEOPATRÆ idem Antonius, Reginã regum eam appellando: Quos tamen utrosque Arsacidę potentia superârunt, cùm tenuerint regna unde uiginti, quomodo est apud Plinium: sed qui interim ALEXANDRO Magno impares essent, qui etsi multis & nomen regis, & regnum dedisset, tamen regem regum se nunquam dixerat, teste Plutarcho. Ac tradidit Dion, adeò sibi Arsacidas hac in re detrahi nihil uoluisse, ut PHRAATES. II. per legatos cum Pompeio de iniuria expostulârit, quòd in literis ipsius tantumodo Rex audiret. Et postea PHRAATES. III. & VOLOGESES. I. missis ad Augustum & Vespasianũ literis idem nomen arroganter usurpârunt, cùm Imperatorios titulos planè omitterent. Tandem etiam ARTABANVS postremus ad imitationẽ Persarũ ueterũ Regẽ magnũ se uocauit, & primus omniũ gemino diademate usus est. Familiæ conditori Arsaci tantum detulerunt, ut nomen eius ceu dignitatem peculiarem unà cum regno susciperent: sicuti Reges Ægyptij è stirpe Macedonica à primo Ptolemæo PTOLEMÆI, è Saracenica à Calipha CALIPHÆ, Syriaci ueteres

teras ab Adado ADADI, Romani Impp. à Cæsare & Augusto, CÆSARES & AVGVSTI, dici uoluerunt, & hodie Romanos Pontifices priorum aliquod assumere nomen uidemus. Laudi sibi maximè ducebant, si cuspides iaculorũ ipsi exculperent & acuerent: quomodo & AEROPVM Macedonum lucernis fabricandis, Attalum Philometora uenenosis herbis plantandis, otium terere solitos, scribit Plutarchus. Comam Arsacidas more Scythico aluisse, Suetonius planum facit in Vespasiano, cùm alioqui ueluti regni insignibus uterentur tiara recta, & lecto aureo, tum cultu talari, unde fluxos uestium nominat Apuleius. De quo cultu uisum fuit adijcere, quę habet Claudianus in Phœnice.

Talis barbaricas fluuio de Tigride turmas
Ductor Parthus agit, gemmis & diuite cultu
Luxurians, sertis apicem regalibus ornat:
Auro frenat equum, perfuso murice uestem
Assyria signatur acu, tumidusq; regendo
Celsa per Tyrias acies ditione superbit.

Addidit de sigillo Polyænus, hoc imaginẽ impressam habuisse, Rhodogunen seu Semiramidem, disiectis capillis præditam. Apud Nicephorum legimus, Medos ex instituto DARII Hystaspis in septem ordines distinctos fuisse, è quibus Arsacidæ regnum & ius diadema regibus tradendi, habuerint. Quod quam mereatur fidem, diligens lector iudicabit: quandoquidem Plutarchus de SVRENA, qui uicit M. Crassum, id singulariter tradat, habuisse eum à maioribus hunc honorem, ut creato regi Parthorum primus diadema imponeret: & refert idem de altero SVRENA Tacitus, qui TIBERII Cæsaris temporibus Tiradatem diademate Ctesiphonte redimiuerit. Vnde etiam Pomponius Lætus nomen id dignitatis fuisse censet, non uiri proprium: quod idem postea à Persis retentum, docet Marcellinus lib. 30. Adijcitur his à Strabone, Parthorum collegium duplex fuisse, cognatorum(συγγενῶν) & Magorum, è quibus utrisq; Reges crearentur: de quo similiter quid credendum sit, non uideo: nisi forte cognatos Arsacidas, & Magorum nomen de sacerdotio aliquo, quod unà cum regno peculiariter illi possederint, accipere uelimus, cùm quidem cõsentiant de eo scriptores omnes, solis Arsacidis regiam dignitatem cõmendari solitam. Regijs Parthici reges usi sunt ECBATANIS Mediæ & CTESIPHONTE: atq; in illis sepulturam etiam eos habuisse, auctores sunt Iosephus & Zonaras. Nam Xiphilinus uariat, & locum hunc Arbela uocat, atq; disturbatam sepulturam eam ait ab CARACALLA, disiectis ossibus. Iosephus Danielem uatem primùm Mausoleum id condidisse, narrat, eiusq; custodiam Sacerdoti Iudaici generis suo etiamnum tempore commissam, cùm initiò reges

Medorum & Persarum eò usi fuissent. De populi subiecti in Arsacidas studio & beneuolentia suprà è Strabone nõnulla attigimus. Quò respiciens Virgilius Georg. lib. 4. sic canit.

Prǽterea regem non sic AEgyptus, & ingens
Lydia, nec populi Parthorum aut Medus Hydaspes
Obseruant, &c. —

Vbi Seruius commentator, quasi per epiphonema quoddam ex Salustio subiungit: Adeò illis ingenita est sanctitas regij nominis. In libidines eorum turpissimas & incesta nefanda inuehitur Lucanus lib. 8. ubi & uictorias eorum præcipuas his uersibus describit:

Primi Pellæas arcu fregere sarissas,
Bactraq; Medorum sedem, murisq; superbam
Assyrias Babylonis domos, nec pila timentur
Nostra nimis Parthis, audentq; in bella uenire,
Experti Scythicas, Crasso pereunte, sagittas.
Spicula nec solo spargunt fidentia ferro
Stridula. sed multo saturantur tela ueneno:
Vulnera parua nocent, fatumq; in sanguine summo est.

FAMILIA ARSACIDARVM, QVÆ IN PARTHIS REGNAVIT ANN. CCCC. LXXV.

I. ARSACES. I. Parthus, è posteritate AMMYNAPIS, regis Bactriani THEODOTI ueritus incrementum, profugit ad PARNOS, gentem DAARVM. Quibus usus auxiliarijs, Parthiam hostiliter inuadit, uictoq; ANDRAGORA, præfecto SELEVCI Callinici, qui fraterno & Gallico bello tum distinebatur, occupat feliciter. Mox Hyrcaniã inuadit, & negotio non magno subigit: cumq; Bactrianis fœdere sibi coniunctis, uicisset Seleucum, bello Parthiam repetentem, captum βασιλικῶς tractat, ut scripsit Posidonius Stoicus: ac confirmata potentia regnoq;, legibus hoc deinde fundat, & oppidis munit atq; amplificat. Oppetijt in prælio, quod ad Araxem fluuium cum Cappadocibus iniuerat, una plaga cum equo transfossus à Thracensi scutato quodam: uir & corpore pulcerrimo atq; conspicuo, & animo planè regio, & rei militaris peritissimus. Idem ut erga suos clementissimus, sic in euertendo aduersario acerrimus, & Parthis maximè desideratus. Strabo, Dion, Herodianus, Eusebius, Athenæus, Suidas, Eustathius, Lucianus, Iustinus.

II. ARSACES. II. successit patri. Impetitus bello ab ANTIOCHO Magno, Seleuci F. qui 100000. peditum & 20000. equitum

tum haberet in exercitu, mira contra hunc uirtute pugnat, atq; in societatem ab eo ut reciperetur, impetrat. Polybius, Iustinus.

III. PAMPATIVS, regnauit post patrem annos duodecim, nec præterea quicquam memoria & commendatione dignum peregit. Iustinus.

FVERE PAMPATIO liberi secundum Iustinum, PHARNACES, MITHRADATES. I. & ARTABANVS. I.

IV. PHARNACES, uicit Mardos, gentem Mediæ ualidissimam, quæq; ante ALEXANDRVM inuicta permanserat: nec multo post cedit e uita, multis relictis liberis, quibus omnibus præteritis, in fratrem imperium transtulit: plus regno quàm patrio nomini " ratus deberi, potiusq; patriæ quàm liberis consulendum, ut ait Iu- " stinus.

V. MITHRADATES. I. belligerauit cum EVCRATIDE. II. rege Bactriano: Medos & ELYMÆOS prælijs cædit felicibus, & illis in ditione retentis præfectum primum BACCABAZVM imponit. Hinc in Babylonem inuadit & occupat, & bellum DEMETRII. II. regis Syriæ, quod uictus à Tryphone is Parthis fecerat, non sustinet solum fortiter, sed & ipsum uiuũ captum, & in Hyrcaniam missum, benignè & iuxta cultum pristinæ fortunę habet. Iosephus, Iustinus. 1. Maccab. 14. Arsaces uocatur.

MITHRADATE editi sunt, PHRAATES. I. & RHODOGVNE.

VI. PHRAATES. I. oppugnat bello ab ANTIOCHO Sedete: tribusq; ingentibus prælijs superatus, DEMETRIVM iam bis e fuga retractũ, cum copijs in Syriã remittit, ad hostium isthic res disturbandas. Cumq; ciuitatum, quæ defecerant, studio recuperato, & ope earundem præsidiarijs hostium militibus interfectis, Antiochum suos defensurum prælio excepisset, uictum occidit, & regijs exequijs honorat. Dehinc Syrię bellum facturus, Scytharum motibus ad defendenda sua reuocatur: cum quibus prælio congressus, deseritur à militibus Græcis, quos Antiochi bello captos, & superbè crudeliterq; tractatos, unà duxerat, uictusq; perimitur. Iosephus, Athenæus, Eusebius, Florus, Iustinus, Orosius. Fit & huius mentio 1. Maccab. 15. Vbi Arsaces nominatur.

NVPSIT PHRAATI N. Filia DEMETRII. II. regis Syriæ, teste Iustino, e qua quam procrearit sobolem, non traditur.

RHODOGVNE, collocatur à patre in matrimonium DEMETRIO. II. quem in Syriam postea reuersum, necauit propterea Cleopatra coniux. Appianus, Iustinus.

VII. ARTABANVS. I. tertius PAMPATII filius, suffectus in regno fratris filio Phraati, bellum facit Colchatarijs, uulneratusq; in brachio, statim decedit. Iustinus.

IIX. PACORVS. I. iniit societatem cum SYLLA, quo tempore is ARIOBARZANEM Cappadocibus Regẽ dedit: cũq; OROBAZVM legatum cum Ariobarzane medium in consessu locum Syllæ concessisse, didicisset, excruciatum necauit. Renouauit eandem postea cum L. LVCVLLO, subministratis nihilominus clàm auxilijs hosti eius TIGRANI: quod is bello uindicaturus, militum impeditur tumultibus. Xiphilinus in epit. lib. 35. Dion, Plutarchus. Appianus Sintricum nominat, Sex. Rufus Arsacem.

IX. PHRAATES. II. contendit bello de Corduene regione cum TIGRANE: cuius filium Tigranem cùm generum ascitum contra patrem defendendum suscepisset, cinxit obsidione Artaxata. Hanc longiorem fore pertimescens, cum genero copiarum ibi partem relinquit, domum ipse reuersus: ac territus Pompeij felicitate, de fœdere, quod iam antè cum Romanis fecisset, confirmando, ad hunc legatos mittit, eoq; frustratus, bellum renouat ob Sariastrem, alterum generum, contra Tigranem, & uictum in gratiam recipit. Interficitur tandem à filijs. Plutarchus, Dion, Xiphilinus, Florus.

RELIQVIT PHRAATES liberos, MITHRADATEM. II. ORODEM. I. Filias duas ἀνωνύμους.

X. MITHRADATES. II. cognomento Magnus, accensus uirtutis æmulatione, claritatem parentum animi magnitudine supergreditur, multisq; populis Parthico regno additis, etiam cum Scythis pugnat prosperè. Inde ARTVASDEM Armenium bello infelici lacessit: nam aucto inde crudelitatis odio, à Senatu Parthico absens regno abdicatur: cumq; GABINII ope frustra implorata, Arabum auxilijs id recuperasset, & Babylone ab Orode fratre obsessus, cognationis fiducia ultrò se illi dedidisset, iussu huius perimitur. Appianus, Dion, Iustinus.

XI. ORODES. I. potitur regno expulsione & cęde fratris, idq; paulò pòst amissum rursus, SVRENÆ ope recuperat. Petitus bello à M. CRASSO, eundem SVRENAM ei cum copijs opponit, ipse profectus in Armenios, ac re utrinq; gesta feliciter & gloriosè, Crassi caput ad se perlatum, cùm in cõuiuio inter concubinas sederet (cum uxoribus enim epulas non adibant, teste Macrobio) & Iasonem Trallianum, Tragœdum, audiret, ut scribit Polyænus, inspectauit, & in id publicè infundi aurũm iussit: Vt cuius animus arserat auri cupiditate,

ditate, eius etiam mortuum & exangue corpus auro impleretur. Cæteris tamen Romanis militibus captis usus humaniter est: quippe quibus & coniuges Parthicas dederit, ut ex ijs procrearentur uiri fortes: in quos milites & maritos turpes inuehitur ad Augustum Cæsarem Horatius 3. Carm. Od. 5. Mox maioribus cladibus acceptam à Romanis belli iniuriam uindicaturus, Pacorum F. cum OSACE duce ad Syriam peruastandam emittit. Vbi cùm Osace à Cassio superato & occiso, Pacori exercitum domum reuocasset, deinceps à Romanis bellis quieuit usque ad Triumuiratum ANTONII, LEPIDI, CÆSARIS. Eo tempore LABIENI opera in percussorum Cæsaris partes traductus, eundem post pugnam Philippensem cum Pacoro in Syriam remittit, uictoque utroque à VENTIDIO, ex mœrore in insaniam incidit. Vnde demum reuersus ad animum pristinum, cùm filiorum tranquillitati consulturus, Phraatem regni hæredem constituisset, nefario conatu ab eo de uita tollitur, cui ipse uitam & hæreditatem tradidisset. Plutarchus, Polyænus, Appianus, Xiphilinus, Velleius, Plinius, Florus, Iustinus, Eutropius, Orosius.

FILIÆ Phraatis ἀνώνυμοι nupsere Tigrani & Sariastri, filijs TIGRANIS Magni. Dion.

NASCVNTVR ORODE in cæteris liberis, PACORVS & PHRAATES. III.

PACORVS, mittitur à patre post uictoriam de CRASSO in Syriam: Quam Osace cæso, inuadere ulterius uetitus, & ab reuocante in regni consortionem assumtus, tandem post pugnam Philippensem repetit, atque unà cum Phœnicia & Cilicia occupat: tentata etiam LYSANIÆ, Chalcidis reguli, impulsu Iudæa, quam captis HYRCANO Pontifice & Phaselo, fratre HERODIS Magni, reddidit ANTIGONO. II. Nec diu pòst, Labieni & Pharnabatis uindicaturus cædem, prælium init cum VENTIDIO in Syria Cyrrhestica, in quo ingenti accepta clade uictus, morte occumbit, & quidem eo ipso die, quo Crassum occiderat Surena: relicto & patri & subditis omnibus, quibus ob iustitiam & clementiam esset charissimus, ingenti sui desiderio: ac triumphauit de Parthis tum VENTIDIVS omnium primus. Iosephus, Plutarchus, Appianus, Dion, Eusebius, Zonaras, Egesippus, Tacitus, Florus, Eutropius, Orosius, Gellius. Meminit Horatius 3. Carm. Od. 6.

Iam bis MONAESES, & Pacori manus
Non auspicatos contudit impetus
Nostros, & adiecisse prædam
Torquibus exiguis, renidet.

Vbi ait Parthos lætari splendidè, & se efferre magnificè, quòd tor-

ques suos auxerint auro Romano. De eodem Pacoro, quo tempore Euphratem transierit, Cicero V. Epist. ad Atticum, & XV. lib. famil.

HABVIT PACORVS coniugem N. Filiam Tigranis Magni, regis Armeniæ, ut est apud Appianum.

XII. PHRAATES. III. nominatus à patre regni successor, interfecit fratres 30. & patrem indignè id ferentem, ac ueneno frustra tentatum, immaniter suffocauit: grassatus deinde pari sæuitia in optimates, inter quos MONÆSES, cùm ad ANTONIVM profectus, bellum is Parthis ut inferret, obtinuisset, mox cum rege conciliatur: manente nihilominus in armis Antonio, & post frustra repetita CRASSI signa atque captiuos, demum Praasporum etiam obsidionem soluere coacto, desideratis ea expeditione ad 20000. hominum. A' TIRADATE quodam bello lacessitus, uictum regno expellit: cumque ad Romanos profugum ab AVGVSTO Cæsare repetiuisset, tantummodo filium recipit, quem Tiradates secum abduxerat: & reddit illi uicissim præter Armeniam signa Crasso ademta. De qua signorum restitutione extat aureum numisma, cuius alterius partis inscriptio hæc est: IMP. CÆSARI AVG. COS. XI. TRI. POT. VI. S.P.Q.R. Alterius uerò eiusmodi: CIVIB. & SIGN. MILIT. A' PART. RECVP. Est autem arcus triumphalis, in quo stant equi quatuor, & uir super equos eminens, cum uiris alijs duobus, qui à lateribus equorũ insignia tenent militaria. HYRCANVM Asmonæum, captum à PACORO, habuit comiter & benignè, ac uinculis solutum, Babylone degere, tandemque Hierosolymã ad Herodem reuerti permisit. Vt à filiorũ insidijs tutus esset, eos quos habebat legitimos, Augusto Cæsari dedit obsides, & dimissa iterum Armenia, societatem cum eo renouauit. Tametsi ne sic quidem, quæ ex uindicta diuina imminebat ipsi, euitare patrati parricidij pœnã potuit. Etenim cùm THERMVSÆ blanditijs euictus, Phraatacen regno destinasset, nefario & crudeli huius scelere interficitur. Strabo, Iosephus, Plutarchus, Appianus, Dion, Zonaras, Velleius, Tacitus, Florus, Iustinus, Sex. Rufus, Orosius. Tiradatis, hostis Phraatis, meminit Horat. lib. 1. Carm. Od. 26. Vbi Acron & Porphyrio, interpretes, perperam regem Armeniæ uocant: cùm qui hoc nomine regnauit sub Nerone floruerit, ab eoque regnum id impetrârit. De Phraate idem lib. 2. Carm. Od. 2. ubi regno pulsum eique redditum innuit, qua de re omitto fabulam Acronis, qui & Cyri filium facit.

CONIVGES PHRAATI more Parthico plures fuêre. Ex his nominatur à Iosepho solo THERMVSA, ancilla Italici generis: quæ dono ei missa ab AVGVSTO Cæsare, & in concubinarum numerum recepta, tandem ob formam excellentem etiam coniugalem

galem torum promeretur. Quod tantum decus pòſt ſcelerata immanitate contaminans, filio Regis iugulandi hortatrix fit. Edidit autem hunc unicum, PHRAATACEN.

XIII. PHRAATACES, conſtituitur à patre regni ſucceſſor: ac tædioſum ratus, expectare quoad hoc à decedente acciperet, cum matre conſilio communicato eum obtruncat: cumꝗ tum ob hoc facinus, tum quòd cum matre inceſtam haberet conſuetudinem, popularium in ſe concitaſſet odium, per tumultum occiditur. Ioſephus.

RELIQVÆ PHRAATIS coniuges atꝗ concubinæ ignorantur: quas concubinas itidem magno numero regem hunc habuiſſe, accepimus. E filijs tamen legitimis referuntur à Strabone, Saraſpades, Ceroſpaſdes, PHRAATES, VONONES.

SARASPADES & CEROSPASDES dãtur à patre obſides cum Phraate & Vonone fratribus, nec non uxoribus duabus & filijs quatuor, AVGVSTO Cæſari, cùm is ſubditorum metuens rebellionem, ducem his ceu præripere ſatageret: & Romæ publicè & regaliter educantur. Strabo lib. 16.

PHRAATES, euocatus ad regnũ cõtra ARTABANVM II. interijt in Syria, cùm omiſſo Romano cultu, Parthorum inſtituta reſumeret. Dion, Tacitus. lib. 5.

XV. VONONES, Tacito Phraatis filiorum uetuſtiſsimus, habetur & ipſe obſes ab AVGVSTO Cæſare. Poſt Orodis II. cædem ad regnum euocatus, perfidioſè à ſuis deſeritur, qui hoſtium artibus infecto, & inſtituta eorum patrijs præferenti, parére dedignarentur: uictusꝗ acie ab ARTABANO, abit in Armeniam. Ibi procerum ſtudijs rex ſalutatus, ob Artabani minas in Syriam ad Romanos profugit: ac habitus honorificè, tandem à Germanico Cæſare Pompeiopolin Ciliciæ amouetur: unde cuſtodibus deceptis elapſus, ac intercepta rurſum, interficitur à Remmio Euocato. Ioſephus, Suetonius, Tacitus. Strabo Boonem uocat.

= XIV. Orodes II. de quo pag. seq.

MEHERDATES, datus ab auo Phraate AVGVSTO Cæſari obſes, ſub CLAVDIO ad regnum reuocatur: cumꝗ ad Euphratem à Romanis perductus, deſereretur ab IZATE Adiabeno & Abbaro Arabe; uictus acie à Gotarze, atque captus, mutilatur auribus. Tacitus.

¶ HOC loco ARSACIDARVM ſeries continua deſinit. Et TIRADATIS quidem tantummodo auus PHRAATES, rex, nominatur: ut è quatuor fratribus illis, quos accepit obſides AVGVSTVS Cæſar, genitum opiner. Quippe liberos quatuor cum ijs Romam miſſos, è Strabone diximus. ORODES & ARTABANVS

BANVS quibus nominibus progenitores habuerint, scriptores planè non tradiderunt: etsi utrunque Arsacidarum satu editum fatentur. Atque ARTABANVS cùm regnum bis amissum tertiò recuperasset, liberis & posteris possidendum deinde reliquit.

XIV. ORODES. II. Arsacides, præficitur regno post Phraatacen, nec multò pòst occiditur à coniuratis in conuiuio: inuisus multitudini propter crudelitatem, iracundiam & mores planè efferatos. Iosephus.

TIRADATES, nepos Phraatis. III. surrogatur à TIBERIO Phraati seu patri seu patruo: & Ctesiphonte regio diademate cinctus, destituitur mox à suis: cumque ideo in Mesopotamiam regredi coactus, Arabum etiam auxilia infida experiretur, recipit se in Syriam. Dion, Tacitus.

XVI. ARTABANVS. II. educatus apud DAAS Scythas, tenuit Mediã: unde ad regnum accitus cõtra VONONEM: & primo congressu fusus, mox uires reparat, pulsoque aduersario, rex à populo assumitur. Iunxit societatem cum GERMANICO Cæsare, & collocato filio in Armeniam, bella aduersus finitimos confecit feliciter. Ideo cùm insolentior factus, superbiam in Romanos, quibus & à Cyro possessa ademturum se minabatur, in subditos sæuitiam sumsisset, procerum in se odium concitat, & successores ei dantur Phraates & Tiradates: cumque copijs ipsius debellatis à PHARASMANE Hibero in Armenia, Vitellij apparatu terreretur, profugit in Hyrcaniam. Inde reuocatus tandem, & adiutus à DAIS & SACIS, dominatum recuperat, factaque cum Romanis pace, sacrificat Augusti & Caligulæ statuis. Iterum procerum insidijs attentatus, confugit ad IZATEM, regem Adiabenorum, à quo adiutus fideliter, spontanea CINNAMI cessione, quem Parthi ei surrogârant, regnum recipit, pauloque pòst è uita excedit. Iosephus, Dion, Suetonius, Tacitus.

LIBERI ab ARTABANO procreantur, ARSACES, DARIVS, BARDANES, GOTARZES, Orodes, VOLOGESES. I. PACORVS, TIRADATES & Filia ἀνώνυμος.

ARBACES, impositus à patre Armenijs, trucidatur à ministris, subornatis ad id scelus à MITHRADATE & PHARASMANE, Hiberis. Dion, Tacitus.

DARIVS, datur à patre obses TIBERIO Imp. Iosephus, Dion. Meminit Suetonius in Caligula.

XVII. BARDANES, patris beneficio regnũ adeptus, bellũ facere Romanis instituit: à quo cùm dehortantẽ IZATEM Adiabenum inuasisset, obtruncatur à suis. Iosephus, Zonaras.

XIIX. GO-

XIIX. GOTARZES, succeßit fratri Bardani: nec multò pòst per insidias de uita tollitur. Iosephus, Zonaras: à quibus discrepant, quæ de ipso ac successoribus habet Tacitus.

ORODES, mittitur à patre cum copijs in Armeniam contra Mithradatem & Pharasmanem, Hiberos, & confligere cum ijs ausus, grauiter à Pharasmane uulneratur, uixq; urgenti hosti à suis eripitur. Tacitus.

XIX. VOLOGESES. I. natus è pellice Græca, regnauit post Gotarzem: cumq; Izati Adiabeno ob susceptum Iudaismum bellum fecisset, DAARUM & SACARUM eruptione domum reuocatur. Commissus cum Romanis per id bellum, quod de Armenia intulerat RHADAMISLO Hibero, legiones duas cum PÆTO duce ita obsessas, ut euadere non possent, dimittit incolumes, factaq; mox pace cum NERONE Imp. tanta hunc exinde constantia dilexit, ut cùm occiso eo Romam de renouanda societate legatos misisset, memoriam eius coli petiuerit. VESPASIANO, ad Imperiũ contra Vitellium euecto, 40000. auxiliariũ equitum policitus est: ac pressus non multò pòst ALANICO bello, rursus cum auxilijs etiam alterum è filijs mitti ab eo sibi postulauit. Condidit in Seleuciæ uicinia VOLOGESOCERTAM urbem, cùm ad exhauriendam illam nihil Ctesiphonte profici perspexisset. Iosephus, Dion, Eusebius, Suetonius, Tacitus, Plinius, Aurelius Victor. Meminit Stephanus Βολογεσίας.

PACORUS, donatur à Vologese fratre regno Mediæ. Iosephus, Dion, Tacitus. Stephanus ex Quadrato regẽ Armeniæ uocat.

TIRADATES, datus rex Armenijs à VOLOGESE, pellitur à DOMITIO Corbulone: ad quem post dimissas Pæti legiones acrius bellum instaurantem in castra profectus, diadema imagini Neronis subijcit, nec multò pòst Romæ ab Imperatore recipit. Iosephus, Xiphilinus, Plinius, Suetonius, Tacitus, Victor.

FILIA ἀνώνυμος fuit in matrimonio MITHRADATIS cuiusdam nobilis, de quo Iosephus lib. 18. Ant. cap. ult.

VOLOGESI liberos tribuimus, ARTABANUM & Vardanim.

XX. ARTABANUS. III. offenditur grauiter à T. VESPASIANO Imp. & Asianum quendam, qui NERONEM se simularet, tum cumulatè tractat, tum reducere Romam instituit. Zonaras: à quo nonnihil dissentiens Suetonius, post NERONIS interitum annos circiter 20. se adolescente, quendam originis incertæ, qui Neronẽ se iactaret, tam fauorabile apud Parthos nomen habuisse memo-

memorat, ut uehementer adiutus, uixq; redditus sit. De eadem re aliter Xiphilinus in Othone, Tacitus lib.18.

VARDANIS, memoratur ut Vologesis patris æmulus à Tacito libro 13.

ARTABANO procreatos censemus, PACORVM. II. COSDROEM & PARTHANASPATEM.

XXI. PACORVS. II. uendidit magna pecunia Edessanum regnum ABGARO: qui cùm id postmodū TRAIANO sponte permisisset, & belli imminēs periculum à finibus auertit, & gratiam ab Imp. init. Tandem Rex hic per intestinas discordias in exiliū actus, diuq; uagatus, donatur ab ANTONINO Pio Lazorum regno in Colchide. Suidas, Capitolinus.

XXII. COSDROES, tradidit inaugurando regni diadema PARTHAMASIRI, regi Armeniæ. Ob id tam insolens factum bello petitus à TRAIANO, & Nisibi amissa, regno deiectus, paulo pòst suorum studio id recuperat, iunctaq; amicicia cum ADRIANO, præter Mesopotamiam, Assyriam, Armeniam, Filiam etiam recipit, quam Traianus abduxerat, unà cū promisso de sella regia, itidem à Traiano capta, recipienda, quod tamē interuertit postea ANTONINVS Pius, denegata ea Vologesi. Xiphilinus, Spartianus, Capitolinus, Sex. Rufus. Pausanias Osroën uocat. Meminit Lucianus in libello, Quomodo historia scribenda sit.

PARTHANASPATES, coniunxit se cum Traiano contra Cosdroën, eoq; pulso, regnū ab Imp. consequitur. De qua re eiusmodi Traiani nummus extat æneus, ex una parte: IMP. CÆS. NER. TRAIANO. OPT. AVG. GER. DAC. PARTHICO. P. M. TR. P. COS. VI. P. P. Ex altera parte eiusmodi imago. In basi quadrata uir sellæ insidet, habens astantem à sinistra alterū gladio accinctum. Ante basin sublata dextra alius stat erectus, cui genu flexo alieno habitu supplicat quidam peregrinus, Circumscriptū est: REX PARTHIS DATVS. Sed exutus iterum PARTHANASPATES honore illo, præficitur proximis Parthico regno gentibus ab ADRIANO: qui quidem ob id maximè, quòd Parthis hunc Regem detraxisset, eos deinde pacatos habuit. Spartianus, Xiphilinns, quorum ille PsamatosSorin uocat.

COSDROE genitum censemus VOLOGESEM. II.

XXIII. VOLOGESES. II. auertit ALANOS à Mediæ depopulatione, idq; non ui & armis, sed muneribus placatos. Bellum facturus ANTONINO Pio Imp. eo uita defuncto, uertit hoc in successorem ANTONINVM Philosophum, & Romanorū exercitum, quem collocârat ad Elegiā Armeniæ Seuerianus, interclusum

undiq;

undique unà cum ducibus telis confixit. Mox Cassium adortus, quem VERVS Imp. ei opposuerat, & repulsus ac desertus quoque à suis, amisit Artaxata, Ctesiphontem, & (ut Martianus ait) Parthorũ urbem maximam, Seleuciam. Vnde Impp. splendidissimum de se triumphũ præbuit, quod docet nummus Antonini Veri, in quo trophæum erectum est & exsculptum, appensa galea, scutis, lorica, thorace. Ante id homo captiuus in clypeo, & armis alijs subiectis, residet mœstus, capite suffulto manu dextera, in sinu manu altera iacente. Inscriptio hæc est, ex Senatusconsulto. L. VERVS AVG. ARM. PARTH. TR. POT. V. IMP. III. COS. II. Tandem hic Rex pacem cum Antonino init, cùm Cassio occiso, res Orientis ille componeret. Eusebius, Xiphilinus, Zonaras, Spartianus, Orosius. Capitolinus bellũ Parthicum annos quatuor durasse, & Vologesem ab Armeniaco bello solis ANTONINI Pij literis reuocatum, ait.

RELIQVIT Vologeses liberos, VOLOGESEM. III. Tiradatem & ARTABANVM. IV.

XXIV. VOLOGESES. III. occupauit Mesopotamiam, distento tum ciuilibus bellis SEVERO Imp. A' quo postea Ctesiphõte subitò oppressus, uix fuga elabitur, amissis thesauris omnibus. Reconciliatus Tiradati fratri, cum Antiocho Cynico Philosopho ad se profugum recipit, nec multò pòst à Caracalla repetitum, reddit. Xiphilinus.

TIRADATES, coniunxit se cum SEVERO contra VOLOGESEM: à quo iniuriæ huius ueniam consecutus & susceptus humaniter, tanquam transfuga reposcitur à CARACALLA, deditusque in uinculis asseruatur. Xiphilinus, Suidas.

XXV. ARTABANVS. IV. cõtendit armis de regno cum fratre Vologese, idque defuncto illo solus obtinet. Circumuentus per fraudem ab CARACALLA, quem spe nuptiarũ, quas filiæ ipsius homo subdolus ambire se simulabat, in regnum cum exercitu receperat, magnam cladem accipit, pro genero hostẽ expertus acerbissimũ, nuptiasque in multam cædem conuertentem, quam & ipse uix effugit. Ergò cùm tantũ scelus ulturus, bellum cum Romanis suscepisset, placatur à MACRINO, qui Caracalla occiso, Imperium inuaserat, acceptis ab eo ad bis mille sestertiûm. Tandem domestico ARTAXERXIS Persæ, quem alij obscuro & ignobili loco natum, alij Magum fuisse scribunt, bello lacessitus, cùm bis superatus, tertiò certamen repetiuisset, occiditur in acie, & finem facit Parthico regno, quod Artaxerxes occupatum transtulit ad Persas. Herodianus, Xiphilinus, Zonaras, Nicetas, Nicephorus, Lampridius.

REGNVM BACTRIANVM.

DE NOMINIS ET GENTIS BACTRIANAE ORIGINAE: DE IMPERIIS IN HAC DIVERSIS: DE REGIAE THEODOTI FAMILIAE PROPAGATIOne, interitu, queq; eam secutæ in Bactrianis mutationes.

BACTRIANA denominationem accepit ab urbe Bactris, quæ eadem & Zariaspa auctoribus dicuntur, imitatione nempe & consuetudine ea, qua ab Argo, Peloponnesus Argos cognominata, ab Athenis Attica, & à noua Roma, hoc est, Constantinopoli (id enim nomen in frequentiori usu mansit) Thracia Romania appellari cœpit. Habuit enim prouincia illa Bactra caput, seu quod Greci dicunt μητρόπολιν. Et nominauit ita ab altera MARACANDA Arrianus regionē Sogdianæ Maracandā: Quæ Maracanda ut ueteribus tēporibus celebratissima extitit, ita postea etiam multis se seculis cum dignitate eadem cōseruauit, uariata tantùm modicè nominis enūciatione. Vocatur enim à recentioris historiæ scriptoribus è Tartarorum Zagataiorum lingua, quos hodie Bactriana colonos habet, Samaracanda. Vnde prodijt tyrānus potentissimus & sæuissimus, TAMERLANES, seu, ut Græci nuncupant, Temyres: qui patrum nostrorū memoria Asiam tantis copijs oppleuit, quibus præter NINVM, si fides habenda Diodoro, regum nullus maiores, XERXES solus pares habuit: & capta Babylone, ipsoq; CALIPHA inter thesauros suos fame necato, BAIAZETHEM I. regem Turcarū, qui haud multò antè uicerat ad Nicopolin Imp. Cæs. SIGISMVNDVM, prælio superatum uiuū cepit, & cauea inclusum, ad ludibriū circumduxit, haud aliter eo, quam uilissimo cane usus. Legimus autem Bactris nomen id impositum à fluuio Bactro, qua de re & alia passim apud auctores maximè uerò de Siciliæ urbibus, exempla similia inuenias. Sic enim Stephanus ἀκράγαντες: φησὶ Δοῦρις, ὅτι αἱ πλεῖσαι τῶν σικελῶν πόλεων, ἐκ τῶν ποταμῶν ὀνομάζονται. Plura in eandem sententiam exposita habet Marcellinus lib. 23.

ORIGINEM gentis Bactrianę Iosephus deduxit à GETHER filio Sem, nepote Nohæ. Quod in præsenti non disquiro enodatiùs, cùm alij posteritatem huic attribuant GETAS seu Gotthos, quorum uirtus bellica, & in Romani imperij prouincijs regna condita, è recentioribus historijs nota sunt. Iustinus Bactrianos Scythas facit,

quod

quod neque ipsum rem explicat: quandoquidem nostris id gentibus primum atque proprium fuisse, & ab his deinde ad reliquas septentrionales translatum, cōstat. Regnatum in Bactriana creditur ab ipsis gentium incolarū primordijs. Et refertur ad NINI imperium ZOROASTRES, à quo Magorum disciplinam Græci profectam uolunt: & prodita de eo legimus eiusmodi, quæ fide dubia, probāda meritò auctoribus suis relinquuntur. Cùm quidem hoc addiderit Berosus, significatum per Zoroastrem CHAM, filium Nohæ. Victus autem à Nino Zoroastres, uitam ipse, gens libertatem amittit. Etenim peruenit tum Bactriana in Assyriorum potestatem. Quod imperij externi iugum perdurauit usq; ad Sardanapalum. Huic Bactriani auxiliaturi contra ARBACEM, in partes ab eo pertrahuntur, & libertate frui permissi, reges iterum è sua gente deligunt. Etsi quæ extant monumenta nomen ex his nullius exprimunt: & qui CYRI tempora attigit, cùm infelici conatu uictrica arma ipsius prouocasset, clade funesta cæditur, & gens tota debellata, seruitute noua Persarum mulctatur. Quæ seruitus ita ibi deinceps continuata fuit, ut ne quidem cum Persici regni excidio desierit. Nam post DARII Codomani cœdem regnum in Bactris inuasit BESSVS: de quo cùm peculiari mentione annotârit Curtius, uocari tum ipsum Artaxerxem uoluisse, prius nos nomen dignitatis uel officij fuisse censemus: ut sit Turcicū BASSA: sitq; omnino uerisimile, etiam finalem terminationē Bazus, quæ in Persicis nominibus quibusdam obseruatur, inde desumtam. BESSI præfecturā excepit OXYARTES, gente Persa, ut scripsit Curtius. Cuius uxorem & filiam RHOXANEN cùm cepisset in Petra arce ALEXANDER, hancq; in matrimonium duxisset, Oxyartes ea inuitatus humanitate, sponte se dedidit. Quapropter subditur tum peregrino imperio, quod Macedonum est, Bactriana tertio. Et primum quidem ab Alexandro præfectum eis impositum prodidere scriptores ARTABAZVM, socerum ipsius alterum. Is aliquantò pòst senectutem causatus, munere eo sponte se abdicat, & successorem accipit AMYNTAM. Cui ab Alexandri obitu surrogatur Philippus, & huic iterum STASANOR, seu, ut Iustinus habet, Amyntas. Tametsi fortè, quæ reliquas prouincias ex Alexandri ducum laniena conquassârunt turbæ, & Bactrianam peruasère, cùm præsertim è ueteribus Persarum præfectis bellorū tubæ haud deessent. Tradidit igitur Iustinus, expugnatos Bactrianos à SELEVCO: Cuius posteri imperium ibi retinent, usq; ad fratrum SELEVCI Callinici & Antiochi Hieracis bella. Hæc enim cùm clades grauissimas alias Asiæ attulère, tum defectionibus præfectorum multiplicibus occasionem cum impunitate præbuere. Vnde tum partim cœperunt,

y 2 partim

partim confirmârunt sese regna postea temporis celeberrima, Pergamense, Parthicum, Armeniacum, &, de quo explicandum hîc suscepimus, Bactrianum. Etsi de conditore eius reliquisque successoribus proximis, auctorum opinionibus uariatur. Nam Strabo in EVTHYDEMO initium facit, eumque primum commissæ prouinciæ regimen in se transtulisse, ait: ac filium itidẽ eius nũcupat DEMETRIVM. Iustinus idem de THEODOTO memorat, & filium huic ὁμώνυμον adiungit. Quam posteriorem sententiam amplecti & tueri nos quoque maluimus: nec conciliare cum eo Strabonem difficile fuerit, quippe qui & ipse Diodotum, qui Iustino Theodotus est, nominet. Habuit autem fortè Theodotus præter Theodotum ὁμώνυμον etiam EVTHYDEMVM & MENANDRVM filios. Nam Euthydemum tandem oppugnauit ANTIOCHVS Magnus, cùm fratri Theodoto pacem præstitisset cum ARSACE. I. initum fœdus, qui SELEVCVM Callinicum, orientis prouincias bello repetentem, prælio uictum ceperat. Neque à uero alienum est, MENANDRO regnum post Euthydemum tutelæ nomine mansisse, cùm eximia uirtus fidem ei apud fratrem fecisset. Etenim Demetriũ, quem è Strabone ipsi filium attribuimus, à Menandro primùm regnasse, certum est. Demetrio genitus EVCRATIDES, filium & successorem Eucratidem reliquit, regem in hac familiæ serie postremum. Nam exigente ab eo parricidij pœnas diuina Adrastia, Scytharum bello uexatus, & hostes mox nouos accipit PARTHOS: cumque utrisque occursurus, neutros sustineret, regnum eis prædam relinquit, Parthis Aspioniam & Thuriuam, reliqua Scythis occupantibus. Ac regnatum quidem à Scythis hisce (quascunque sanè nomine eo gentes intelligere uoluerimus: etsi ego Hunicas malim) etiam sequentibus temporibus in Bactris reperimus. Nam in Hadriani historia nominat Bactrianos reges Spartianus. Addit Victor, petitã ab eis per legatos ANTONINI Pij amiciciam, quam postea etiam sub VALERIANO ea coluere constantia, ut ne capto quidem fidem fregerint, & SAPORIS Persæ literas cum indignatione reiecerint. In recentioribus historijs traditum est, nupsisse ATTILÆ, regi Hunorũ in Pannonia, HILDICO, regis Bactriani filiam. Quæ aliorum narrationibus exposita plenius, repetitione nostra attingi, non inculcando explicari debebant. Quandoquidem neque Scythas illos Bactriana colonos retinuit, quippe quæ orientalium Barbarorum irruptionibus perpetuis exposita sit. Ac ostendimus suprà, terram eam hodie incolere Tartaros ZAGATAIOS, de quorum origine alibi plura retulimus. Cæterum de potentia Bactriani regni sub Theodoti familia diligenter explicauit Strabo lib. 11. Iustinus in eo urbes nominat mille. Quo annorum spacio

ſpacio durârit, affirmari certò nequit, ignoranturq́ regum ipſorum anni penitus. Ac ſanè ut dignitate & opibus ampliſsimum fuit, ita in eo meritò infelix cenſendum, quod ſcriptoribus cõmodis caruit. Nam noſtro tempore, qui de eo ſcripſêre, uel potius ſcribendo eius meminêre, ſoli extant Polybius, Strabo, Iuſtinus.

FAMILIA REGVM BACTRIANORVM.

I. THEODOTVS. I. mille urbium Bactrianorum præfectus, ut ait Iuſtinus, deficit à SELEVCO Callinico, & REGEM ſe cæpto audaci appellari iubet. Ideò peroſus, ſeu potius formidatus ab ARSACE, pòſt idem hunc in Parthis auſum, potentiæ terrore intra fines perſiſtere, & abſtinere à uicinis cogit. Strabo, Iuſtinus.

THEODOTO liberos attribuimus, THEODOTVM. II. EVTHYDEMVM & MENANDRVM.

II. THEODOTVS. II. potitur regno à patris obitu: & fœdere cum Arſace iunctus, uictoria eius SELEVCI Callinici bellũ à finibus auertit, & pace exinde ampla fruitur. Iuſtinus.

III. EVTHYDEMVS, excipit ſucceſsione, quæ noſtra opinio eſt, fratris imperium. Ab ANTIOCHO Magno bello laceſſitus, prælio equeſtri cum eo contendit, magisq́ ſuorum temeritate, quàm uirtute hoſtis ſuperatus, in regnũ interius ſe recipit, & regi mora pacẽ extorquet. Polybius. Quomodo de hiſtoria eius uariet Strabo, ſuprà oſtendimus.

IV. MENANDER, præfuit regno tutelæ nomine poſt EVTHYDEMVM. Quod auſis fortibus amplificare aggreſſus, Hypanim Indiæ, qui expeditionum ALEXANDRI terminus fuerat, tranſcendit, prætereà Pattalenam, & Teſarioſti oram & Sigertidis regnum occupat. Periit morbo in ipſo uictoriarum curſu: & uitæ frugalitate atq́ clementia id apud omnes ſui deſiderium reliquit, ut cunctæ ciuitates regni, cunctiq́ populi, inferias de more & iuſta magnificè communi conſenſu ſoluerint. Cumq́ & de reliquiis diu decertatum eſſet, quibus potiſsimùm commendaretur, uox tandem inter omnes conuenit, ut æquè partitæ ſingulis diſtribuerentur pro rata parte, nempe quò monumentum illius uiri apud omnes pariter cum ueneratione exiſteret. Strabo, Plutarchus.

RELIQVIT EVTHYDEMVS filium Demetrium.

V. DEMETRIVS, recuperat regnũ obitu MENANDRI patrui. Cuius æmulatus uirtutem, facinora illuſtris fortitudinis multa

edit, & ab eo acquisitas bello prouincias non solùm conseruat feliciter, sed & accessionibus nouis amplificat. Strabo.

VI. EVCRATIDES. I. init regnum sub tempus idem, quo MITHRADATES Magnus regnare in Parthis cœpit: condit de nomine suo Eucratidiam urbem: & bella multa gerit feliciter. In quibus cùm Indico grauissimo, in obsidionis periculum imprudens incidisset, hanc eruptione prospera soluit: DEMETRIVM regem facere imperata cogit, & dehinc Indiam omnem in potestatem redigit. Vnde regnum repetiturus triumphabundus, filij scelere in itinere opprimitur. Iustinus. Meminit Strabo lib. 15.

VII. EVCRATIDES. II. assumitur patris indulgentia in regni consortionem. Quem ad Indicum bellum consectatus, domum repetentem nefario conatu de uita tollit: ac ueluti in hostem non in patrem facinus id commisisset, & per sanguinem eius currum agit, & corpus abijci insepultum iubet. Ideo Adrastia diuina ultionem in eum parante, à Scythis bello uexatur: quibus Parthorum armis accedentibus, dum occurrere hosti utrique studet, neutrum sustinet: tandemque ueluti exanguis oppressus, regnum cum uita amittit, & familiam scelere & interitu suo finit. Strabo, Iustinus.

REGNVM ARMENIACVM.

QVI ARMENIAM TERMINARINT VARIARINT'QVE LIMITES: QVAE EIVS NOMINA CELEBRENTVR, QVI COLONI, QVAE IMPERIA, *& hec per quas administrata sint familias.*

TERRA Armenia cùm finibus principiò angusta esset, regum amplificata uirtute creuit. Qua de re à Geographis explicatum diligentiùs, hîc accuratiore explicatione plura ut adijciamus, opus non est. Strabo tamen isto maximè nomine ARTAXIAM & ZADRIADRIN celebrat. Hi enim cùm regno per uim acquisito, nondum tamen cupiditates suas expleuissent, in prouincias uicinas inuaserunt, idque successu tanto, ut de singulis aliquid decerpserint,

rint. Nam Medis Caspianam ademerunt & Phauniten & Basoropedam: Iberis circummontanam Paeadri regionem, & Chorzenam & Gogarinam trans Cyrum: Chalybum gentibus & Mosynœcis Parenetam & Xerxenam, quae Armeniae minori conterminae, uel eius partes sunt: Cataonibus Aclesinam & regionem, quae circa Antitaurum est: Syris uerò Tamonitam. Quibus quidem certè tot & tantis aucta Armenia accessionibus, finium amplitudine, potentia & dignitate ea esse cœpit, ut cùm inter sui temporis regna primas Parthiae deferat Iustinus, hanc secũdo loco ponat. Et introducta hac occasione primùm est eius in maiorem & minorem distinctio. Tametsi Strabo maiorem propriè Armeniam nuncupet, quam eandem consuetudinem & alios quosdam sequi uidemus, qui de Armenia loquentes, maiorem ferè intelligunt, & ab hac alterã, expressa minoris appellatione, discernunt.

PRIMVM de Armenia & antiquissimum literae sacrae nomen usurpant ARARAT, quod extat Gen.8.4.Reg.19.Esaiae 37. Habet idem Ieremias cap.51. sed alterum ei subĳcit, MENNI, de quo certi nihil interpretes afferunt. Quanquam si spectare & sequi sonum licet, uicinae huic sunt appellationes, MENNES & MÆONES, quibus Strabo Mysos accipit. Nisi quòd situs gentis huius ab Armenia longinquior est: cùm fieri tamen hoc potuerit, ut aliqui cum Ascanĳs, de quibus pòst à nobis mentio fiet, isthuc immigrârint. Apparet autem hoc terram illam uocatam nomine fuisse à montibus, qui eam ueluti indagine quadam cingunt: modo nempe & consuetudine nõ dissimili, quo in Germania urbs & ditio Bergensis à situ montoso denominatae. Har enim Ebraeis mons est: à quo neq; Graecum ὄρος multum deflectit, ac conuenit proprius Henetum Hora. Et creditur, è Graecis ARCADAS ab eadem notione nomen accepisse, cùm fuerint Cetei. Vt neq; improbanda illorũ sit coniectura, qui ARBELA. (Fuit autem id urbis nomen in Assyria, à qua diuersa est Gaugomela, nobilitata Alexandri tertia de Persis uictoria) interpretantur montem Beli uel Baal: fortè à templi religione & cultu, quo Deastrum illum Asiaticae gentes solennibus aliquibus conuentibus, uel ad oraculorum responsa sciscitanda, uel ad sacrificia peragenda, institutis, ibi uenerataè sunt. Nam Belus Graecis Apollo fuisse uidetur, sono appellationis utriusq; non ita multum uariante. Meminit montis Armenĳ commentator Dionysĳ, Eustathius. Is fortè interpretatione Ararat est, idem uidelicet, qui arcam Nohae excepit, unus è Gordyaeis montibus. Hos enim per Ararat praeter Haytonem etiam Boccatius accipit. Et alludit huc nomen BARIS, quod de eodem monte citat è Nicolao Damasceno Iosephus Ant.Iudaic.lib.1.cap.4. quem locum uisum fuit adĳcere: Est, inquit, super regionem Minyarum magnus mons in Armenia, "

„ nomine Baris, in quo multos profugos diluuij tempore seruatos fe„ runt, & quendam arca uectum in huius uertice hæsisse, ac reliquias li„ gnorum eius longo tempore durauisse. Nec discrepat Berosi testimo„ nium, adductum ibidem in hanc sententiam: Fertur & nauigij huius „ pars in Armenia apud montem Gordyæorum superesse, & quosdam „ bitumen inde abrasum secum reportare, quo uice amuleti eius loci ho„ mines uti solent, &c. Et transcripsit hæc ex Abydeno historico Euse„ bius Euangelicæ præparationis lib. 9. cap. 4. Sisithurus, inquit, prin„ cipatum deinde accepit: Cui Saturnus magnam uim aquarum futu„ ram significauit. Quare saluare se cupiens ad Armeniam nauigio con„ fugiebat: sed aquæ ipsum in uia oppresserunt. Tertio autem die post„ quam aquæ cessârunt, aues emisit, ut per eas sciret, sicubi terra extaret, „ quæ cùm omnia pelagi facie tegerentur, ad Sisithrum (nullibi enim „ consistere poterant) reuersæ sunt. Post aliquot dies similiter factum „ fuit. Tertiò emissæ, reuersæ ad eum fuerunt limo pedes refertæ: & tūc „ dij ab hominibus Sisithrum rapuerunt. Nauis autem adhuc inueni„ tur in Armenia: cuius ligna remedium hominibus aduersus multos „ mirabiliter morbos afferunt, &c. Quanquam Iosephus ipse alibi hac de re uarians, in Cæro regione asseruatas arcæ reliquias, ait. Cui Hieronymus addidit, ad sua tempora usq; uestigia eius permansisse, & locum ipsum ab Armenijs exitum uel egressum appellatum fuisse. Sed usu nomē Ararat obtriuit uel aboleuit alterum recentius, & à scriptoribus Græcis retentum solum, ARMENIA. Quod tamen ipsum etiam alludere ad primum, Ararat, uidetur, Nam quæ Græci afferunt etyma ab Armeno, quem alij Rhodium, alij heroa Thessalum, Iasonis socium faciunt, repudiamus. Et quia Ieremias, ut diximus, cum Ararat coniungit MENNI, nos ex utroq; cōposito, & in dictionem unam contracto, appellatam Armeniā censemus. Tametsi posterioris, Menni, & origo & causa ab auctoribus nulla traditur. In nostri temporis uiris doctis Iohannes Mathesius ad metallorum ubertatē retulit, Armeniam significato exponendo minij uel metallorum montes. Estq; ei sono uicinum, uel potius idem, uocabulum Meni apud Esaiam uatem cap. 65. quo Mercurius denotatur, cultus à mercatoribus, ut feliciores essent in negotiationibus. Certè opulentiam Armeniæ ingentē extitisse, etiam Strabo probare inde conatur, quod TIGRANES mulctatus à Pompeio 6000. talentorum, mox Romanorum copijs dona uiritim distribuit, militi quidem quinquagenas drachmas, centurioni millenas, chiliarchis talentum. Et fortè Armeniæ denominatione origo ea expressa est, qua & IBERIS uicinis nomen datum, hoc est, à metallorum perscrutatione. Nam Bor, unde appellatos aliqui Iberos uolunt, Ebræis foueam significat, item cisternam. Etsi ipse Germanicam

manicam potius notionẽ probârim, die Hieber/Bergkheuer. Etenim adhuc hodie Iberiam uenas uberes habere, certum est. Cumq; quæstus & lucrum, cuius è re quauis odorem bonum pronunciauit Satyricus, etiam studium in Iberis circa metalla accendisset, colonijs ĳs origo data est, quas deduxere primùm in Siciliam & Italiam, deinde in Hispaniam. Nam utrosq;, orientales & occidentales, stirpis eiusdem fuisse, consentiunt omnes. Enimuerò & in eo Armenĳs & Iberis (ut hoc quoque παρέργως inferamus) par fortuna accidit, quod sicuti religionis Christianæ professionem in tempore eodem amplexi sunt, ita deinde perpetuò, & ad nostra usq; tempora cum Albanis ex Asiaticis gentibus soli eam retinuere. Vnde Iberi singulariter infestissimos habent Turcos: qui & de nomine ipsorum (est hoc hodie Georgiani) Christianos omnes per contumeliam nuncupant, barbarica enunciatione, Gyaur.

COLONI Armeniæ, præter ueteres ARMENIOS, bellis regum accessêre: MEDI, IBERI, CHALYBES, MOSYNOECI, SYRI: quibus Græci & Nicolaus Damascenus apud Iosephum addunt MINYAS, ad quos quidem Minyas, etiam refe renda tantùm, quæ de origine Armeniorum ĳdem tradidêre. Nam cæteros hoc in loco planè præterimus, & extant de illis alibi expositiones nostræ exquisitiores. Ac suas Herodoto & Stephano probandas relinquimus fabulas, quibus Armenios Phrygum faciunt sobolem, & Phrygiæ linguæ uocabula multa retinuisse, memorant. Etsi Phrygas colonos, hoc est, ASCANIOS insedisse in Armenia, non negârim. Quippe & Ieremias uates cum Ararat & Menni nominat Ascenas, posito scilicet Ebraicæ linguæ consuetudine conditoris nomine pro gente ipsa. Atq; haud scio, an non per eosdem Germanicæ linguæ usus in Armeniam primùm introductus sit. Enimuerò neque posterioribus seculis hunc cessasse, FRIDERICI Barbarossæ historia docet. Nisi forte quis GALATAS, irruptionum Saracenicarum & Turcicarum formidine, isthuc quasi secedendo confugisse, malit: Quam sententiam Iouĳ de ALADVLO historia non obscurè confirmat. Fitq; omnino uerisimile, etiam nominis, ARTAXIAS, nostras gentes auctores fuisse, cùm sit Saxonicum Hertoge, dux. Etenim dignitatis quoq; fuisse, inde patet, quòd ZENONI Polemonis post regnum susceptum tributum est. Et GVRAS, alludit sono ad Germanicum Cunradus, abiecta nimirum n. litera eo modo, quo Mysnica dialectus ex Henrico pronunciat Hericus, quod adhuc crassius mutando Cordus Hessus in Euricium detorsit. Nec discerno tertium, Artuasdes, à nostro Ehrnuest, quod enunciatione similiter deprauata Cæsari est Ariouistus, Floro Ariobisto, Polybio Arnoëstus.

noctus. Quanquam omnino hæc magis coniecturis, quàm argumentis certis & euidentibus nituntur. Porrò autem Iosephus explicans de Armenijs enodatiùs, gentem deriuauit ab Otro filio Arami. Is in literis sacris HVL nominatur, teste D. Hieronymo, qui quidem & ipse ab ea stirpe Armeniorum propaginem deduxit. Vt mirari quis de Iosepho meritò posit, quas nomen illud immutandi rationes secutus sit: etsi suspicari possumus, ut in alijs plærisque, Ebræorum usum commentarijs. Ergo origo Armeniorum Syriaca est. Nam conditos Syros ab Aramo, filio Sem, Esaiæ liquidum facit uaticiniũ cap. 7. Et pertinet huc, quòd Strabo Syris, Armenijs, Arabibus, ut mores & corporis figuram, ita & linguam eandem attribuit. Neque nomina hæc: ARAMEI (id de se Syri lingua patria usurpârunt) Arabes, Armenij, aliter idem auctor, quàm usurpatione discernit, & gẽtem unam in tres distinctam censet, ita ut tantummodò in nominis enunciatione facta
„ sit mutatio: Quia, inquit, nominum mutationes permultæ sunt, præ-
„ sertim barbarorũ. Et alibi: Vocabuli mutatio multa & cunctis in gentibus extitit. Tametsi de Arabibus, ut de nomine quidem facilè hoc cõcesserim, ita de origine prorsus dissentio. Est enim hæc ab ISMAELE, filio Abrahami: quam de se peculiariter ut testificarentur SARACENI, eam appellationem pro antiquiore, AGARENI, induisse, creduntur. Atque è contrario, ut originem istam Armeniorum retineo, ita nomen non in terram Armeniam eos inuexisse, sed ab hac mutuatos accepisse, statuo, deposito auito & gentilitio Aramei: planè ad eum modum, quo BOIEMIA primùm Marcomannis, à quibus Bauarorum est prosapia, deinde Czechis Slauis denominationẽ dedit. Neque à uero alienũ est, etiam apud uicinos usum eius faciliùs inualuisse, quo sono ad alterum, Aramei, accedit propius.

DE regno Armeniæ sanè id credamus, quod scripsit Berosus, nempe hoc cum gente ipsa cœpisse: cùm fortè in coloniæ ductorem primùm translatum esset. Quanquam cæteroquin uetustißimorum regum potestas maior non fuerit. Ac nomen regis primi idem Berosus SCYTHA facit, eique subiungit BARZANEM. Quod de hoc equidem ut libenter admiserim, ita illud, ceu figmentum inane, reijcio penitus. Nam præterquam quòd nominis Scytha usurpatio longè posterior est, etiam de Barzane mox in errorem crassum prolabitur, hunc à NINO superatum affirmando: cùm uerior & grauior auctor Diodorus tradiderit, sponte cum NINO pacificatum, itaque regnum ipsum conseruatum, retinuisse. Ergo à BARZANE rectè Armeniaci regni sumitur initium: quod etiam in dominatus alieni seruitute mutationes habuisse uarias, argumẽta multa docent. Plinius quidem certè innuit, in regna plura Armeniam discerptam fuisse: in quibus re-

gnis ADRAZARVS Sophenus bellū ingens fecit contra DAVIDEM. Neq; SARDANAPALI interitu libertatem Armeniis rediisse, Sadrassaris & Adramelechi, filiorum SENNACHERIBI, ostendit historia. Hi enim patre iugulato, isthuc confugêre, cùm fortè beneficiis aliquibus gentem sibi obligassent, itaque ad belli societatem perduxissent. Et infestiores mox hostes ursere Armenios Medorum reges, è quibus ASTYAGES eos uectigales fecit, ut testatur Xenophon. Attamen tùm etiam Armenia in regum indigenarum potestate mansit. Atq; is, quem CYRVS bello oppugnauit, filios reliquit TIGRANEM & SABARIM. In quibus equidem stirpem regiam defecisse totam crediderim, & translatam Armeniam ad Persas. Nam inter Xerxis auxilia absq; regum mentione nominat Armenios Herodotus, cùm tamen subiiciat his Phœnices, & singulariter ARTEMISIÆ historiam explicet diligentissimè. Legimus etiam apud Diodorum, sub ARTAXERXE Mnemone, Satrapæ imperio Armeniæ præfuisse TERIBAZVM. Cui addit Iustinus, DARIVM Codomanum ex Armeniæ præfectura ad regnum euocatum. Quin & Strabo tributum definiuit, quod Armeniæ Satrapa quotannis regi Persarum pependerit, nimirum pullos equinos 20000. Nam Herodotus uarians, Armeniæ cum uicinis aliquot tractibus ac regionibus imperatum à DARIO Hystaspis stipendium ait talenta 400.

CESSAT igitur regum in Armeniis imperiū sub Persarum monarchia. Quam cùm uicto, & peremto suorum perfidia Dario Codomano, occupasset ALEXANDER Magnus, Satrapam Armeniæ præfecit MYTHRENEM, qui Sardiū antea Prætor fuerat. Huic postmodo surrogatus à Perdicca PHRATAPHERNES, successorem habuit ORONTEM, oriundū à stirpe Hydarnis, unius è septem, teste Strabone: in quo Satraparum huius temporis dominatum cessasse, & Armeniam iterum regibus subditam, Diodorus falsò scripsit. Possedit enim eam & ANTIGONVS μονόφθαλμος, & hoc euerso itidē retinuit atq; ad posteros transmisit SELEVCVS. Ac mansère in fide horum præfecti, qui pro regum arbitrio constituerentur, usq; ad ANTIOCHVM Magnum, Seleuci abnepotem. Tùm enim ZADRIADRIS & ARTAXIAS, illecti impunitatis spe, quam & regni turbæ multiplices, & regis ætas immatura policerentur, per defectionem rebellant, Armeniam ui & armis sibi uendicant, & auctam accessionibus nōnullis in regna duo, maioris & minoris Armeniæ nominibus distincta, diuidunt, eaq; fortiter ab Antiocho defensa, possidenda etiam posteris relinquunt. De quibus regnis, quæ post uetera illa terræ huius uideri secunda possent, proposita explicatio

plicatio nostra consumetur. Cesserat autem ista in diuisione Armenia minor ZADRIADRI, maior ARTAXIÆ. Nam sequor Strabonem, à quo dissentiens Appianus, belli ciuilis temporibus regnasse in Armenijs ciseuphratenis ARTAPEN, ait: ut plura tribuere Armeniæ regna uideatur. Atque factum sanè è causa eadem, ut & posteri illorum potentia dissimili regnârint: cùm obscuritate nominis initiò essent. Etenim desiderantur in utraq; familia successores proximiores. Quod transgrediendo iam ad minoris Armeniæ regnum, de ZADRIADRIS posteritate primùm ut enodemus, solus inde adeoq; postremus, nominatur ARTANES. Nam uictus à TIGRANE, uitaq; expulsus, occupandum huic regnum reliquit, & familiam simul interitu suo finijt. Sed tamen excutit aliquanto pòst TIGRANEM rursus POMPEIVS & regnare in Armenia minore DEIOTARVM permittit. Cuius familiam in hac serie alteram facimus: Quanquam diuturna non fuerit, extincta nempe in successore filio. Quam quidem huius successionẽ, etsi nusquam ab auctoribus traditam, nos tamen inde colligimus, quòd ANTONIO bello Actiaco auxiliares copias adduxit. Quia enim absq; sumtu ingenti id fieri nequiuit, in imperio aliquo fuerit necesse est: & apparet regnum ei ad Cæsarem transfugio conseruatum. Post hunc deinde diuersorum in minori Armenia imperia memorantur. E' quibus ARTVASDEM Medum excepere POLEMON, ARCHELAVS Cappadox, COTYS. Verùm horum familias, ut nihil admodum ad institutum pertinentes omittimus: Estq; de Polemone & Coty, quorum genus ad reges Ponticos & Bosporanos pertinet, explicatum à nobis alibi diligentius. Surrogatur autẽ Cotyi à Nerone Imp. ARISTOBVLVS, Herodis Magni ex Aristobulo F. pronepos: & peruenit deinde eadem dignitas ad propinquum illius TIGRANEM. Sed extat & de hac stirpe historia nostra plenior: Cui adiungatur itidem commentarius reuerendi uiri D. Pauli Eberi. Cumq; Tigranis filius ALEXANDER, paternæ hereditatis successione exclusus, in Cilicia regnârit, teste Iosepho, regnum hoc Romani imperij prouinciam factum tum suspicor. Neq; enim reges deinde huius alij referuntur. Et nota VESPASIANI Imp. cuius temporibus hæc accidêre, infamis, & poëtarum Satyris exagitata auaricia, cùm alioqui princeps ille minimè malus esset, & ut Suetonius ait, pecuniã malè partam collocaret optimè. Nam præter collectum ex urina tributum, & institutas per spongias (eo notabantur nomine, quorum istam ad rem uteretur ministerio) expilationes, etiam Græciæ concessam à Nerone libertatem ademit, cauillatus, eam seruitio assuetam, uti iam illa dedidicisse. Vt omnino uerisimile fiat, & Armeniæ minori compedes iniectas,

iectas, nihil non scilicet Imperatore tentante, ut ærarij angustias supplerct.

IN maiore Armenia ex ARTAXIÆ familia, quæ ipsa, ut diximus, réges aliquot famæ & nominis obscuri habuit, primus inclaruit TIGRANES. I. cui rerum gestarum amplitudo Magni cognomentũ peperit. Eius posteritas, exposita præcipuè à Iosepho, Dione & Tacito usq; ad pronepotẽ durauit. Nam ARTVASDEM. II. quem solus Velleius nomine exprimit, Artaxiæ. II. filium facimus. Etsi qua potentia regnũ, bellis feliciter gestis extulit Tigranes, ea pòst cladibus suis seruitute depressit. Etenim cum Romanis pacificatus conditionibus grauissimis, hoc etiam imprudens admisit iugum, ut rectores dehinc à Romanis Armenia acciperet, ut loquitur Florus. Quæ res ut regno clades multiplices attulit, ita familię interitum accelerauit, acerbè ius illud post Antonium usurpante AVGVSTO Cæsare. Cumq; tandem inuidia huius regno illa excluderetur, conseruare se amplius in fortuna priuata nequiuit, atq; extinguitur mox sub TIBERIO successore. A' quo quidem tempore fortuna uaria à regibus uarijs regnatum in Armenia accepimus. Quos inter post primum ARIOBARZANEM Medum, imperauit ERATO mulier. Hanc insecuti sunt ZENO, ARSACES, MITHRADATES, RHADAMISLVS, TIGRANES, TIRADATES, è familijs regum Bosporanorum, Parthicorum, Ibericorum & Iudaicorum. Sub Traiano Cæsare floruit PARTHAMASIRIS, seu Sarmatus, ut uocat Eutropius: quo uicto & cæso, etsi Armeniam in prouinciam Traianus redegit, mox tamen dimisit Adrianus, & regnum concessit PARTHANASPATI. Ac meminêre exinde regum, SANATRVCIS Suidas, ARTABASDIS & ARSACIS, quorum ille ad Valeriani, hic ad Iouiniani imperiũ pertinet, Trebellius Pollio & Marcellinus. Cùm interea etiam nunc Romanis ducibus, ut nuncupat Lampridius, nunc Parthis & Persis, Armenia paruisset, & sequentibus tẽporibus inter Romanos & Persas causa ærumnarum perpetua esset, ut scripsit Ammianus. Iccirco commemorationem de his nostram abrumpo, neq; de familijs quidquam adijcio, quòd repeti Bosporani, Iudaici & Parthici è commentarijs nostris, scripto huic insertis, rectiùs possint. Atq; præter Ibericos reliqui omninò sunt obscuriores: & de SANATRVCE ne tempus quidem, quo uixit, annotatur, cùm tamen uirtus eius eximia fuerit. Sic enim Suidas: Sanatruces, Armeniorum rex, corpore mediocri, animo ad omnia magno, inprimis uerò ad res bellicas. Fuit & iustitiæ accuratus custos, & in uictu non minus quàm optimi quique Græcorum & Romanorum frugalis, &c. Quapropter de Ibericis so-

z lis

Y immo et Tacit. lib. 2. nisi qui Artauasden vocat.

+ immo post eam regnauit Vonones. Tac.

lis nonnnulla admonitionis loco subijciemus. Quorum initium facio in ARTOCE. Hoc genitus PHARNABAZVS, filium reliquit Mithradatem, à quo deinde reliquam propaginẽ usq; ad RHADAMISLVM postremũ Dion deducit. Is enim cùm parricidio in patruum, sæuitia in optimates, populi à se studia alienasset, per seditionem pellitur, & regnum iterum ad Parthos transfertur.

FAMILIÆ REGVM ARMENIÆ.

ORDIOR de Armeniacis familijs explicationem in minoris Armeniæ regibus, quòd uti fama nominis obscuriore, ita & tempore breuiore regnârint. In quibus, ut demonstrauimus, prima est stirps & posteritas ZADRIADRIS.

ZADRIADRIS, enituit inter duces ANTIOCHI Magni. Cuius munifico studio Armeniæ præfectura honoratus cum collega ARTAXIA, nouorum hunc consiliorum socium assumit, & prouinciam armis communibus in potestatem redactam, ac iam quaqua uersus accessionibus auctã, ei parte maiore permittit, altera, qua nempe Ciliciæ uicinior est, cùm Armenię minoris nomine sibi retenta. Igitur bello regis graui oppugnatus, pacem ei mora & ausis fortibus extorquet, ac usurpatum inde nomen & dignitatem regiam, Romanorum societate tuetur, atq; ad posteros transmittit. Strabo.

DESIDERATVR ZADRIADRIS posteritas ætatum aliquot serie interrupta, usq; ad ARTANEM, qui quidem ex ea solus & postremus nomine exprimitur. Nam TIGRANIS armis lacessitus, & confligere cum eo ausus, cadit in acie. Strabo.

FAMILIA DEIOTARI.

DEIOTARVS. I. gente Galata, surrogatur patri in TOLISTOBOGIORVM tetrarchia. Iunctus societate Romanis contra MITHRADATEM, duces huius oppressos memorabili prælio cædit. Ideò honoratur à LVCVLLO, augetur à POMPEIO: & præter Galatiæ omnis acquisitum imperium, REX Armeniæ minoris, quam Pompeius attribuerat, & amicus P.R. à Senatu salutatur. Bello ciuili pro optimatum partibus cum Pompeio propugnat, adductis ei auxiliarijs equitibus 600. atq; in hoc perseuerando, depugnare in prœlio Pharsalico ausus contra Cæsarem, interea Armeniam à PHARNACE occupatam amittit, nec multò pòst cladem nouam cum Cn. Domitio Caluino accipit. Quibus tot circumuentus & fractus difficultatibus, cùm Pharnace debellato supplex in Cæsaris

ſaris fidem ſe contuliſſet,regijs inſignibus depoſitis, BRVTI opera ueniam impetrat,mulctatus tamen tetrarchiæ Galatiæ imperio, & pecuniam dependere grandem iuſſus. Iterum de ſtructis uitæ inſidijs apud Cæſarem accuſatus à CASTORE, defenditur ab eodem Bruto & CICERONE: & ſcelus id uindicat in nepote crudeliter, hoc iugulato cum filia,& caſtello,quo regia ille uſus eſſet,à fundamentis euerſo. Poſt Cæſaris cædem nouis Repub. Romana tumultibus turbata, magis gratiæ referendæ ſtudio, quàm quòd cauſam probaret, Bruto adhæret, & auxilia ei per AMYNTAM ſcribam ſubminiſtrat. Quæ cùm hic deinde trãsfugio ad ANTONIVM adduxiſſet, & ſibi ad Galatiæ regnum aditum parat, & Deiotaro tum regni tum uitæ incolumitatẽ præſtat. Moritur anno V.C. DCC. XXIV. Plutarchus,Appianus,Dion,Suidas,Cęſar,Cicero,Lucanus,Florus, Orofius,Eutropius,Sex. Rufus. Habuit coniunctiſsimos in Romanis proceribus, SYLLAM, Pompeium,CATONEM,Ciceronem, Brutum. Qua de re Cicero explicans Philip. 11. Deiotari regis,inquit, & patris & filij & magnus & noſtro more inſtructus exercitus. Summa in filio ſpes,ſumma ingenij indoles,ſummaq; uirtus. Quid dicam de patre? cuius beneuolentia in populum Romanum eſt ipſius æqualis ætati; qui non ſolùm ſocius imperatorum noſtrorum fuit in bellis, ſed etiam dux copiarum ſuarum. Quæ de illo uiro Sylla? quæ Murena? quæ Seruilius? quæ Lucullus? quàm ornatè, quàm honorificè, quàm grauiter ſæpe in Senatu prædicauerunt? Quid de Cn.Pompeio loquar,qui unum Deiotarum in toto orbe terrarum ex animo amicũ, uereq; beneuolum,unum fidelem populo Romano iudicauit,&c. Citat Bruti orationem pro Deiotaro Tacitus: & Ciceronis etiamnum hodie extat,quam in epiſtolis Dolabellæ genero communicans: Oratiunculam pro Deiotaro,inquit,quam requirebas, habebam mecum, quod non putâram: Itaque eam tibi miſi: quam uelim ita legas,ut cauſam tenuem & inopem, nec ſcriptione magnopere dignam; ſed ego hoſpiti ueteri & amico munuſculum mittere uolui leuidenſe, craſſo filo, cuiuſmodi ipſius ſolent eſſe munera. Idem elogium de Deiotaro inſigne habet lib. 15. Epiſt. Fam. A' Valerio traditum eſt,nihil eum unquam niſi auſpicato egiſſe: qua eadem de re, & maligni ſpiritus circa hanc illuſione manifeſta,plura Cicero de diuinatione. Nomen aliqui deprauatum cenſent à Germanico Ditterich: Sed ſonus propior eſt alteri item in Saxonica dialecto uſitatæ Dethard, quod ſignificatione exprimit DEI robur. Nam uſos Germanica lingua GALATAS, alibi argumentis multis oſtendimus, & affirmat idem diſertè in comment. in epiſt. ad Galatas D. Hieronymus. Vbi quidem gentile ſtoliditatis uitium,quod toties inculcant Liuius & Iuſtinus, etiam

Ayoſtolus eis exprobraſſe uidetur. Nominat enim capite 3. ἀνόητες.

CONIVGEM Deiotaro Plutarchus attribuit STRATONICAM. Quę cùm ſterilis eſſet, memorabili pietatis & moderationis Ethnicæ exemplo, ex alia ut liberos gigneret, uiro auctor fit, idq́ ubi perſuaſiſſet, ELECTRAM ipſi ancillam collocat, & genitos inde filios tanquam legitimos ingenuè liberaliterq́ educat. Nominatur autem è filijs hiſce unicus DEIOTARVS, in quem ſolum ut regnum & opes pater transferret, nefario crudelitatis exemplo reliquos iugulauit omnes, cùm fortè Caſtoris ſcelus hanc in ipſo accendiſſet. In filiabus tantum eius, quam Caſtor matrem habuit, auctores mentionem faciunt.

DEIOTARVS. II. ſalutatur Rex à Senatu, patre adhuc ſuperſtite. Cuius indulgentia reliquis liberis prælatus, regni hæreditate ſolus potitur. Bello Actiaco partes ANTONII propugnandas ſuſcepit: de quibus deinde deſperans, cum AMYNTA ad Cæſarem transfugit, itaq́ ſe regnumq́ conſeruat. Plutarchus. Meminit Cicero pro Deiotaro & Philipp. 11. ad Att. Epiſt. lib. 5.

FILIA Deiotari ἀνώνυμος, nupſit patri Caſtoris, qui Straboni SAOCONDARIVS eſt: & familiam huius antea obſcuram & abiectam è tenebris in lucem uocat. Auctor eſt Cicero pro Deiotaro. Nam Strabo ab hac ſentētia planè diſcrepans, Caſtori ipſi eam adiungit uxorem, & cum illo interfectam à patre, ait. Quod nos in medio relinquimus: cùm iterū de eadem re ita uariando explicet Suidas: CASTOR, inquit, Rhodius, uel (ut quidam tradunt) Galata: ut uerò alij, Maſſilienſis orator, Philoromæus ab amore Romanorum dictus: ducta uxore Deiotari filia, ab eo unà cùm cōiuge eſt interfectus, quòd illum apud Cæſarem criminatus eſſet. Scripſit duobus libris de Babylone: Catalogum eorū, qui in mari dominati fuerūt: Annalium ignorationes: de epicherematis lib. 5. de perſuadendo lib. 2. de Nilo, artem dicendi & alia, &c. Cæſari Caſtor Tarcondarius dicitur, quod haud ſcio an non è patris Saocondarij nomine corruptum ſit.

DEIOTARVS. II. in matrimonio habuit filiam Artuaſdis, regis Armeniæ maioris: Sed ſoboles ex ea ſuſcepta nulla additur.

FAMILIÆ

FAMILIAE REGVM ARMENIÆ MAIORIS.

FAMILIA ARTAXIÆ.

ARTAXIAS. I. adminiſtrat cum ZADRIADRI Armeniam præfectus ſub ANTIOCHO Magno. Eius deſpicatus ætatem, ac tum Zadriadris ſocietate, tum cæterorum Aſiæ ſuperioris Satraparum accenſus exemplo, arma per defectionē capit, & prouinciæ partem, qua ſeptentriones illa ſpectat, in poteſtatem ſuſceptam ſibi uendicat. Quod tam audax facinus cùm & Regem tandem ad bellum exciuiſſet, ipſe ſuam ſecutus fortunam, rem gerit fortiter, & regnum huic extortum, etiam Romanorum confœderatorum auctoritate retinet. Accepit hoſpitio ANNIBALEM exulem, & urbem hortatu huius ædificari cœptam, appellari de ſuo nomine permittit, & regia deinde cum ſucceſſoribus utitur. Ab ANTIOCHO Epiphane bello nouo laceſsitus, temerè cum eo prælium init, & clade graui proſtratus, dum effugere cum paucis tentat, ab hoſte inſequente capitur, & ſuperbi regis iuſſu inhumano in uinculis captiuus aſſeruatur. Strabo, Plutarchus, Appianus, Stephanus, D. Hieronymus in capite 11. Daniel Pag. 604.

¶ DEFICIT poſt ARTAXIAM ſtirpis ſucceſsio & propagatio continua. Qua in re fortè non tam auctorū culpanda negligentia, quàm regum temporis huius accuſanda ignauia, qui quod monumentis commendaretur, dignum nihil peregerint. Etſi quæ in uſu poſteris fuêre nomina, à maioribus primū uſurpata ad eos manaſſe, credibile. Vnde & familiæ & genti ipſi ceu hæreditaria facta, reor. Etenim ZENONEM Polemonis poſt regnum ſuſceptum Artaxiam cognominatum, conſtat: cùm fortè regni proceres neque in nomine peregrinitatem ferre uellent. Redditur autem familiæ ut potentia illuſtrior, ita & propaginis ſeries continua in TIGRANE & Gura fratribus, ad quam iam explicandam pergo.

TIGRANES. I. cognominatus à Plinio Magnus, uixit adoleſcentulus obſes apud Parthos: à quibus cùm regni parte tradita ſe redemiſſet, forti auſu hanc bello repetit, & hoſtem cladibus ijs afficit, ut regum nullus gentem illam uel laceſsiuerit ferociùs, uel afflixerit acerbiùs. Hinc Armeniam minorem inuadit, ARTANEM regem cum copijs occurrentem prælio acri ſuſtinet, ac clade funeſta ſuperatum ditione & uità expellit. Euocatus ad regnum à Syrorum proceribus, magnò id armorum apparatu petit, deturbatisq; Seleucidis, & Phœ-

nice cum Ciliciæ parte recepta, CLEOPATRAM φιλάδελφον reginam, populum ad rebellionem accendentem, captam Seleuciæ Mesopotamiæ morte plectit. E quo tanto successu dum nihil non sibi sumit, & debellatis iam uicinis regibus, omnia potētia & fortuna sua inferiora ducit: etiam ARIOBARZANEM, inflatu Mithradatis Eupatoris, finibus ejicit: & inescatus Cappadociæ præda, exitiali sibi totiq; regno instituto, huncdeinde contra Romanos defendendū suscipit. Etenim uictus ad Tigranocerta strage horribili à LVCVLLO (peditum enim 250000. equitū 50000. habuisse in exercitu traditur: cùm Romanis tantum pars huius esset uigesima, ut loquitur apud Plutarchum & Suidam Liuius) & iterum ad Artaxata, tùm domestico TIGRANIS filij bello oppugnatus, sponte se POMPEIO dedit, animi abiectione & desperatione tanta, ut & prouincijs acquisitis, sed à Lucullo iam recuperatis, cesserit, & Pompeio ipsi, quē cidari capiti detracta, & in manus eius tradita, supplex adoraturus fuerat, 6000. talentorū mulctam, militibus singulis minam dimidiam argenti, centurioni minas decem, Tribuno talentum dona dederit, solumq; regnum paternum conseruarit. De quo ipso quoq; post Tigranē hoste nouo usus SARIASTRE, ab hoc quidē per PHRAATEM, II. regem Parthorum, bello aperto, ab illo accusationum criminibus atq; insidijs nefarijs oppugnatur: passurus itidem & à MITHRADATE clades graues, nisi fata hunc oppressum præuertissent. Nam serò tandem cum Phrygibus (ut est in prouerbio) sapiendo, hunc tantæ suæ ruinæ causam agnoscens, uictum nocturno prælio ad Stellam montem, finibus prohibuit, & præmiū centū talenta in eius caput atq; uitam cōstituit. Obijt anno ætatis quinto & octogesimo. Strabo, Plutarchus, Appianus, Dion, Lucianus, Suidas, Zonaras, Xiphilinus, Cicero, Velleius, Valerius Maximus, Iustinus, Florus, Orosius, Sex. Rufus. Fuit fastu & arrogantiæ leuitate incredibili: Quippe qui præter uanissimum REGIS REGVM usurpatum titulum, reges etiam multos haberet administros. Ex his quatuor tanquam stipatores semper eum comitati ita fuère, ut equitanti pedites iuxtà currerent tunicati, sedenti & responsa danti astarent consertis inter se manibus. Quo symbolo seruitus indicabatur, quasi tradita libertate, corpora domino ad patiendum magis quàm ad agendum parata exhiberent, teste Plutarcho, qui & belli contra Romanos gesti initium collocat in annum regni ipsius uicesimum quintum. Condidit Tigranocerta urbem, duodecim Græcarū urbium à se euersarum hominibus eò congregatis: quam interpretatur Stephanus è Parthorum lingua Tigranis urbem. Velleio dicitur regum maximus. Meminit Iosephus libro 13. Ant. capite 24. & in Syriam cum millibus quingentis hominum

num inuasisse, ait, regnante tùm apud Iudæos ALEXANDRA, uidua Alexandri Iannei: cui addit Iustinus, regnum eius in Syria durasse ann. 18.

GVRAS, obtinuit cum imperio Nisibin, quæ Græcis Antiochea Mygdonia est: & obsessus à Lucullo, eicp sese urbe expugnata dedere coactus, habetur humaniter. Plutarchus, Dion, Eutropius, Sex. Rufus.

CONIVGES Tigranis ab auctoribus referuntur duæ: prima CLEOPATRA, Mithradatis Eupatoris F. è qua nati filij duo ἀνώνυμοι & TIGRANES: altera ZOSIME, quæ edidit liberos, Sariastrem, ARTVASDEM & filias duas ἀνωνύμους. Plura de Zosime legantur apud Plutarchum in Pompeio, & Zonaram tomo 2. pag. 124.

E FILIIS Tigranis duobus ἀνωνύμοις alter rebellans à patre prælio interficitur, alter in uenatione, quòd prolapsum ipsum neglexisset attollere, & iacenti diadema ademtum imposuisset suo capiti. Apianus.

TIGRANES, donatur à patre corona, quòd in uenatione de uita periclitato, pij animi studium suum probârat. Quod deinde seu leuitate ingenita, seu purpuratorum inflatu, in odium crudele commutans, PHRAATIS Parthi ope, cuius filiam uxorem duxerat, bello ipsum lacessit, idcp defendentem, apud Pompeium parricidiali conatu accusat. Ideo pro se minus benignè auditus, & redire cum patre in gratiam iussus, tum ut quiesceret, donatus Armenia minore, atque in spem partis Syriæ & Ciliciæ potiundæ erectus, cùm tali munificentia nondum exaturatus, contra patrem conspiratione facta, etiam Pompeium superbè fastidiret, in uincula conijcitur, & Romam ad triumphum abducitur. Ibi depositus apud L. Flauium Senatorem, & ad P. Clodij tribunatum uscp captiuus asseruatus, astu eius pecunia corrupti, Flauio eripitur, & uel Pompeio inuito, maximecp repugnante dimittitur. Plutarchus, Dion, Velleius, Florus, Asconius Pedianus.

FILIA ἀνώνυμος, ducitur cum parente utrocp captiua in Pompeij triumpho. Plutarchus.

SARIASTER, deficit à patre post pacificationem cum POMPEIO institutam: ductacp Phraatis Parthi filia, hunc ad bellum in Armeniam consectatur. Dion. Valerius ita in patrem consensisse cum amicis ait, ut omnes dextris manibus sanguinem mitterent, eumcp inuicem sorberent.

ARTVASDES. I. manet è fratribus solus in patris fide, & huius defuncti regnum succeſsione excipit. De quo hoste usus MITHRADATE Magno, rege Parthorum, non uirtute propria, sed calamitate illius salutē cōsequitur. Bello Parthico fecit cū M. CRASSO: quod uindicaturum ORODEM, per sororem, quam Pacoro collocârat, placat. Cumq; dehinc amiciciam cum Romanis remissam haberet, ad irruptiones Parthorum in prouincias illorum ferè conniuet, & ANTONIVM, cui tamen expeditionis eius suscipiendæ auctor pręcipuus extiterat, uindicaturus scilicet per eum regis Medorum iniurias, deserit turpiter. Ideo in odium infestum omnium uenit: & fraude ab Antonio detentus, ductusq; in triumphum Alexandriā, post annorum aliquot captiuitatem iussu eius perimitur, & caput regi Mediæ donum mittitur. Strabo, Iosephus, Plutarchus, Dion, Zonaras, Cicero, Velleius, Tacitus, Iustinus, Florus, Orosius. Fuit præclarè eruditus in bonis literis: quippe qui & Tragœdias scripserit, & orationes atq; historias commentatus sit. Variant de nominis scriptura auctores mirificè: nam alij Artabazū, alij Artabanē, alij Artoadisten, alij Artauasdem, alij Artuasdem uocant: è quibus postremum retinere nos etiam uoluimus.

FILIARVM Tigranis ἀνωνύμων altera nupsit MITHRADATI Medo, altera collocatur ab Artuasde fratre, PACORO Partho, Orodis regis F. Plutarchus, Dion.

ARTVASDES liberos reliquit, ARTAXIAM. II. TIGRANEM. II. & filiam ἀνώνυμον. A' quibus Plutarchus discernit, quos cum parentibus Antonius Alexandriæ in triūpho duxit: & addit de his Dion, denegatos Artaxiæ, post Antonij interitum eos repetenti ab AVGVSTO Cæsare.

ARTAXIAS. II. Artuasdis filiorum natu maximus, ut ait Iosephus, surrogatur patri ab Antonio abducto. Cuius scelestam perfidiam bello uindicaturus, cum clade repellitur, moxq; finibus omnibus eijcitur, & ad Parthos in exilium protruditur. Vbi cùm auxilijs nouis instructus, in regnum iterum inuasisset, id uicto acie atq; profligato Medorum rege, cui permiserat Antonius, recuperat. Perijt fraude suorum, qui accusatum apud Augustum Cæsarem, ideoq; Tiberij ultioni traditum ante aduentum huius iugulârunt. Iosephus, Dion, Zonaras, Tacitus.

TIGRANES. II. euocatur ad regnū contra fratrem ARTAXIAM, & hoc peremto, absq; armis recipitur. Nec multò pòst eandem expertus procerum malignitatem, regnoq; deturbatus, tandem apud TIBERIVM Cæsarem capitis accersitur, & absq; uel familiaritatis pristinę, uel regij nominis respectu, ab hoc necatur. Iosephus,

Tacitus,

Tacitus, Suetonius: è quibus Tacitus & liberorum eius meminit, sed quibus neque ipsis, etsi sociatis more externo in matrimonium regnumque, imperium diuturnum fuerit.

FILIA ἀνώνυμος, fuit in matrimonio Deiotari. II. regis minoris Armeniæ. Cicero.

ARTAXIÆ filium facio ARTVASDEM. II. qui iussu AVGVSTI Cæsaris post liberos TIGRANIS. II. rex Armeniæ impositus à Tiberio, paulò pòst non sine Romanorum clade rursus deijcitur. Velleius, Tacitus. Defecit autem in hoc rege TIGRANIS Magni posteritas, ijs qui sequuntur, è familijs alienis ascitis.

FAMILIA REGVM IBERIÆ, QVÆ INTER EXTERNOS REGES POST TIGRANIS POSTERITATEM EXTINCTAM, TERTIA IN ARMENIJS REGNAUIT.

ARTOCES, oppugnat bello Mithradatico cum OROESE Albano Pompeium, coacto exercitu 70000. hominum: neque confligere cum hoste ausus, dumque urgentem refugit, in saltus compulsus, ijs incensis, dona & obsides liberos dare cogitur, ac triumphi uberioris de se materiam præbet. Appianus, Suidas, Florus, Eutropius, Orosius, Sex. Rufus. Est & huius nominis scriptura diuersa: nam alijs Arsaces, alijs Arthoces, alijs Artocus, alijs Artoces dicitur. Quod postremum nos etiam assumimus, ut sit Germanicum Saxonicæ dialecti Hertoge, dux, imperator. Nam qui in Colchide mansit linguæ Germanicæ usus, is fortè & Iberiam occupauit. Et usitatum est scriptoribus, ut dignitatum & officiorum nomina, pro uirorum proprijs referant. Quod idem alibi ostendimus de Colchicis Aeeta, Medea, Dericha, &c.

PHARNABAZVS, lacessitur bello à P. Canidio, duce Antonij, & prælio uictus, contra Albanos & Parthos ipsi se socium adiungit. Plutarchus, Appianus, Dion.

MITHRADATES, nominatur à Dione lib. 58. Fuere autem ei filij PHARASMANES & MITHRADATES.

PHARASMANES, retinet regnum post patrem, pulso fratre Mithradate: cum quo TIBERII Cæsaris interuentu pacificatus, Armeniæ

Armeniæ ei regnum conciliat, eiecto post Arsacis cœdem fratre huius ORODE. Veritus Rhadamisli filij ferocitatem, hanc à se in fratrem uertit: utroque nomine infelicissimus, quippe qui & fratrem per id facinus amiserit, & filium parricidam effectum, tandem Romanorū metu de uita sustulerit. Dion, Tacitus. Nomen Pharasmanes aliqui origine & significatione deducunt à Germanico Warman. Vnde Gallici scriptores fecere PHARAMVNDVS, qui Pharamundus primus regio nomine Francis imperauit in Gallijs, & sedes ibi genti suæ firmas peperit.

RHADAMISLVS, iuuenis ingenij præferocis, scelerato conatu patris adhuc uiuentis regnum ambit. Cuius periculi metu cùm ab eo contra Mithradatem patruum & socerum inflammatus, bellum huic graue fecisset, captum deditione contra datam fidem iugulat, & Armeniam occupatam etiam Romanorū permissu retinet. Igitur Adrastia diuina, parte alia in ipsum uindicationem parante, Vologesis Parthi bello petitur, pulsusq; crudelitatis odio à suis, & fuga per difficili reuersus in Iberiam, patris iussu perimitur. Tacitus.

MITHRADATES, conciliatur à Tiberio Cæsare fratri Pharasmani, & Armeniæ regno, quod permiserat ipsi idem Tiberius, per hunc potitur. Euocante CALIGVLA, habetur deinde in custodia usq; ad Claudij imperium. A quo dimissus humaniter, regnoq; redditus, etiam postmodo populi rebellione & Parthorum armis rursus amissum, ope eius atque auctoritate recuperat. Interficitur scelere Rhadamisli, cùm armis eius oppugnatus, & Romanorum destitutus auxilijs, se ei sub fide dedisset. Dion, Seneca, Tacitus.

ZENOBIA, fuit in matrimonio RHADAMISLI: quem ad bellum contra patrem secuta in Armeniam, pulsum deinde populi impetu non deserit, & fugæ eius se sociam adiungit. In quo periculo cùm ob uteri grauidi onus euadere non posse uideretur, & maritus libertati eius cōsulturus, uulnere graui affectam Araxi flumini tradidisset, conseruatur ab accolentibus pastoribus: ductaq; ad TIRIDATEM Parthum, Rhadamisli successorem, habetur honorificè. Tacitus.

REGNVM

REGNVM IVDAICVM.

DE IVDÆORVM TRADITA TAM A SCRIPTORIBVS PROFANIS, QVAM LITERARVM SACRARVM MONVMENTIS, ORIGINE ET IMPERIIS: DE REGNI, *quod in gente illa poſtremum extitit, & partim in tertiam, partim in quartam monarchiam incidit, familijs, & quæ harum primordia, quæ propagatio, quis interitus.*

QVANQVAM ex euidentibus & firmiſsimis ſanctæ ſcripturæ teſtimonijs certa eſt gentis Iudaicæ origo, tamen & aliorum ſcriptorum paucis perueſtigare ſententias atq; enodare, uiſum fuit. Cùm fieri hoc de Dialecticorum præceptione utiliſsima ſoleat, ut contrariorum cõſideratione res fiat dilucidior & planior. Ac principiò quidẽ Dion ſolus dubitare ſe ait, quod nominis Iudæorum fuerit principiũ, id ſimul ſubijciendo, poſtea temporis alios quoque, qui ſecundum ſtatuta eorum uiuerent, hoc geſsiſſe, etſi alienigenæ eſſent. Quintilianus infamiæ labem aſpergere Iudæorum origini uidetur: Et parentes, inquit, malorum odimus, & eſt conditoribus urbium infame, contraxiſſe aliquam pernicioſam cæteris gentem, qualis eſt primus Iudaicæ ſuperſtitionis autor, &c. Reliqui, qui in argumento hoc explicando uerſati ſunt, tribus potiſsimum diſcrepare opinionibus inueniuntur. Nam alij Ægyptios Iudæos faciũt, alij Cretenſes, alij Damaſcenos. Primam tuentur præcipuè Diodorus & Strabo, & ille quidem breuiter, hic uerboſius, ita ut exemplis ſimilibus facere ſibi fidem conetur: Fama, inquit, quæ plurimum obtinet de rebus creditis circa Hieroſolymorum templum, aſſerit Ægyptios fuiſſe eorũ progenitores, qui nunc Iudæi appellantur. Nam MOSES, unus ex Ægyptijs ſacerdotibus, cùm partem quandam regionis haberet, ac moleſtè ferret, eorum inſtituta, hinc eò commigrauit. Diſceſſere cum eo multi, quibus diuina curæ erant. Docebat enim ille quomodo Ægyptij non rectè ſentirent, qui ferarum ac pecorum imagines Deo tribuerent, nec Libyes, nec Græci, qui Deos hominum figuris inſignirent. Et quòd id ſolum Deus eſſet, quod nos contineret, terram ac mare, quod cœlum & mundum, & rerum omniũ naturam appellamus, cuius profectò imaginem nemo ſanæ mentis noſtræ ſimilem audeat effingere. Oportere itaque relicta omni ſimulacrorum effigie, & digno ei fano ac templo conſtituto, ſine forma colere, &c. Et paulò pòſt: Diuinatores in precio erant, ut etiam imperio digni iudicarentur, ut qui diuina nobis

» nobis præcepta ac documenta ederent & uiui & mortui, quemadmo-
» dum Tiresias,

» *Cui dederat uita functo Proserpina mentem*
» *Vt saperet, pariterq; homines leuis umbra iuuaret.*

» Talis fuit Amphiaraus & Trophonius, & Orpheus, & Musæus, &
» Getarum Deus, Zamolxis Pythagoreus, ætate nostra Decineus, qui
» Byrebistæ respondit, & apud Bosporanos Achaicarus, apud Indos
» Gymnosophistę, apud Persas Magi, & qui Necyomantici & Lecano-
» mantici & Hydromantici appellantur, apud Assyrios Chaldæi, apud
» Romanos Hetruriæ aruspices. Talis erat Moses, & successores eius:
» qui cùm initia nō mala habuissent, postea in deterius delapsi sunt. Ha-
» ctenus Strabo. Altera apud Tacitum extat annal. lib. 21. tametsi plu-
» res aliæ ibi miscentur: ideò & hunc locum subijcio. Iudæos, inquit,
» Creta insula profugos, nouissima Libyę insedisse memorant, qua tem
» pestate Saturnus, ui Iouis pulsus, cesserit regnis. Argumentum è no-
» mine petitur. Inclytum in Creta Idam montem, accolas Idæas, aucto
» in barbarum cognomento, Iudæos uocitari, quasi Idæos. Quidam
» regnante Iside, exundantē per Ægyptum multitudinem ducibus Hie-
» rosolymo ac Iuda, proximas in terras exoneratam. Plærique Æthio-
» pum prolem, quos rege Cepheo metus atq; odium mutare sedes per-
» pulerit. Sunt qui tradant Assyrios conuenas, indigum agrorum popu
» lum, parte Ægypti potitos, ac mox proprias urbes Ebræasq; terras, &
» propiora Syriæ coluisse. Clara alij Iudæorum initia: Solymos, carmi-
» nibus Homeri celebratam gentem, conditæ urbi Hierosolymam no-
» men è suo fecisse. Plurimi autores consentiunt, orta per Ægyptum ta-
» bē, quæ corpora fœdaret, regem Bacchorum adito Ammonis oracu-
» lo, remedium petentem purgare regnum, & id genus hominum ut in-
» uisum Deis alias in terras auehere iussum. Sic conquisitum collectūq;
» uulgus, postquam uastis locis relictum sit, cæteris per lacrymas tor-
» pentibus, Mosen unum exulum, monuisse, ne quam Deorum homi-
» numue opem expectarent, ab utrisq; deserti, sed sibimet duci cœlesti
» crederent, primo cuius auxilio credentes, præsentes miserias pepulis-
» sent. Assensere, atq; omnium ignari fortuitum iter incipiunt. Sed nihil
» æquè quàm inopia aquę fatigabat. Iamq; haud procul exitio totis cam
» pis procubuerant, cùm grex asinorū agrestium è pastu in rupem ne-
» more opacam concessit. Secutus Moses, cōiectura herbidi soli largas
» aquarum uenas aperit. Id leuamen, & continuū sex dierum iter emen-
» si, septimo pulsis, cultoribus, obtinuere terras, in quibus urbs & tem-
» plum dicata sunt, &c. Tertia est Iustini, qui Damascum regem facit: Ei
successores subiungit Iudam & Ioseph, filios, & ab illo, ante patrē de-
functo, nomen Iudæorum profectum, opinatur. Nam Ioseph uendi-
tum

tum in Ægyptum, & regi artium Magicarum scientia percarum factum, ait: quas cùm deinde & Moses F. coleret, ab Ægyptijs, qui scabiem & pruriginem paterentur, cum ægris oraculi monitu eiectum, Damascenam patriam antiquam repetiuisse, & gentem sacraq; Iudęorum condidisse, astruit. Ac uidetur ad hanc Iustini sententiam allusisse Alexander Polyhistor ad Stephanum, qui Iudæorum conditores nominat Iudam & Idumæam, filios Semiramidis. Etsi ibidem alia quoq; è Claudio Iolao nominis huius notio attexitur à Iudæo, Spartonis & Thebes filio. Quæ fabula, haud scio, an non originem dederit commento, quòd Spartani pro fratribus haberi à Iudæis uoluere, atque Abrahami & ipsi genus iactârunt, ut meminit Iosephus. Etenim inter reginas ciuitatis huius Eusebius Sparten nominat, & urbis Spartæ denominationem inde deducit.

SED hæc neq; inter se consentientia, & alienissima ab ea ueritatis euidentia & certitudine, quam tradidere sacrarum literarum monumenta, ut uanitatem stultam, ita malitiam quoq; atq; odium gentilium in Iudæos ingens testificantur. Neq; opus est, pluribus ut refutentur: & quæ singulariter figmento de origine Ægyptia opponi possint, leguntur exposita prolixiùs apud Iosephum contra Apionem Grammaticum. Cùm quidē uerisimile in primis sit, ab Ægyptijs potissimū talia profecta: de quorum cum Iudæis æmulatione alibi plura diximus. Et tendunt isthuc omnia, ut Iudæorū infametur, atq; in dubium uocetur, religio. Vnde est, quòd de Mose, quo administro gentis illius politiā Deus Opt. Max. cōstituerat, tam nugatoria quàm impia, Ethnicorū petulantia sparserit. Quæ breuiter perstringendo hîc monuisse, sufficiat. Reliquum iam est, ut certius aliquid de Iudæorum origine è certioribus itidem & liquidioribus sanctæ scripturæ fontibus afferamus. Quibus erudimur, gentem illam propaginem Chaldæorum esse. Nam Arphaxado (is Chaldæos condidit) genitus auo EBER, Ebræis ortum dedit. De quo tamen nomine neq; illud prætereundum, quod aliqui scripserunt, nimirum tributū fuisse in extraneis ijs etiam, qui ab Eber traditam cœlestem doctrinam amplecterentur, & Ecclesiæ eius se adiungerent. Neq; audiendus hîc Stephanus, qui è Charace historico, Ebræos ad Abrabonem quendam conditorem refert. Nam ABRAHAMVS, ad cuius nomen alluditur, Ebræus ipse progenie ab Eber sextus fuit. Huius ex ISAACO filio nepotes, Esau, cognomento EDOM, & Iacobus, cognomento ISRAEL, iterum nominum & gentium nouarum auctores extitere. Nam ab Esau sunt IDVMÆI, à Iacobo ISRAELITÆ, de cognominibus uidelicet utriusq; ita nūcupati. Atq; de Idumæis expositionem hîc nostram ut abrumpamus, in Israëlitis iterum conditores diuersi

A nomi-

nominum etiam & tribuum diuersarum discrimina inuexere. Maximè tamen floruere IVDÆI & EPHRAIMITÆ. Illorum potentia diuturnior, horum clarior atque illustrior extitit, cùm quidem & regno ipsorum appellatio Israëlitarum usitatior esset. Quocirca postmodo Iudæis è Chaldæa dimissis à CYRO, & tribuum cæterarum Israëlitis, quos cum Ephraimitis abductos collocârat in Media & Perside SALMANASSAR Assyrius, reditum in patriam, tædio migrationum & periculorum nouorum detrectantibus, ut meminit Iosephus, præualuit celebritate & amplitudine Iudæorum nomen, ita ut iam communiter de Israëlitis omnibus usurparetur. Estque inde, quòd cùm Israëlitas Græcorum scripta ignorent, Iudæos nunquam non inculcent. Nec prætereuntur Ebræi, & lingua Ebræa, hoc est Iudaica, quam & sanctam appellamus. De qua denominatione quoniam extat ratio exposita illustris apud Cedrenum, locum eum adijcio: Aiunt,
„ inquit, solum Eberum, Phaleci patrem, in substructionem turris non
„ consensisse, itaque etiam reliquorum linguis confusis Eberi sermo inte-
„ ger permansit. Ea est lingua, qua Adamus usus fuit: & ab hoc posteri
„ se gentilitio nomine Ebræos, ac linguam Ebraicam nominauerunt.

IMPERIA Iudæorum, repetendo ea à conditoribus Ebræis & ABRAHAMO, gentis principe, initiò paterna fuisse reperimus, regentibus scilicet suas parentibus familias. Hæc libertas etiam in Chananæis conseruata, primùm Iacobi in Ægyptũ migratione cessat. Nam Ægyptij immemores beneficiorum, quæ accepissent planè diuinâ IOSEPHO, seruitute Israëlitas acerba mulctârunt, conati etiam ex de masculorũ nefaria gentẽ totam excindere. Quod tametsi indignè ferentes EPHRAIMITÆ, Chananæam populabundi inuasere, tamen cum clade repelluntur, & pari cum reliquis uiuere conditione usque ad tempora MOSIS, coguntur. Is auctoritate diuina dux miserè afflictis præpositus, Ægyptijs, ostentis multis dimissionem extorquet: politiam & religionis ritus, itidem acceptos diuinitus, nouam condit. Cumque sub IOSVA, qui post Mosen, imperiũ occepit, Chananæam Israëlitæ edomuissent, parent deinde in Reipub. statu Aristocratico IVDICIBVS: quod nomen phrasi Ebræa exprimit Principes, duces. In his postremo SAMSONE capto & exoculato à Palæstinis, hostibus Israëliticæ gentis ἀσπόνδοις, fuit cum summa potestate Helis, Pontifex Max. oriundus ab Ithamaro, filio Aaronis natu minimo. Eius successor SAMVEL Propheta ob filiorum flagitia à populo exautoratus, de mandato diuino REGEM primum creat SAVLVM. Quod quidem est in gente hac genus imperij tertium. Nec tamen salua dignitas ista, ob numinis cœlestis offensam, Saulo fuit, & cedit ab interitu eius regnum DAVIDI, quem adolescentu-

lum

ſum SAMVEL inunxerat. Huius è Salomone filio nepos ROBOAMVS, cùm ſtultè à ſe populum alienâſſet, mutationi iterum & regno nouo cauſam præbet. Quod auctore IEROBOAMO in Ephraimitis, quibus adiunctæ eſſent tribus aliæ nouem, conditum, ſolum deinde ISRAELITICVM, & ab urbe regia Samaritanū, appellatum fuit. Nam alterum familiæ Dauidis à ſubiecta tribu Iudę, cui ſoli adhærerent BENIAMITÆ, nomen ὁμώνυμον retinuit. Ac certatum fuit inter regna iſta odiorū contentionibus ſempiternis atq; grauiſſimis: id quod paſsim ſanctorum uatum oſtendunt monumenta: nec niſi cum excidio utrorumq; conſopiri illæ potuêre. Primum enim Iſraëliticum deſtruxere reges Aſſyrij, & tribus illas decem ad perpetua exilia deportârunt. Alterum Iudaicum, tentatum infeliciter à SENNACHERIBO, & ab infeſtioribus hoſtibus Babylonijs uexatum, aboleuit tandem NABOCHODONOSOR Magnus, Iudæis ipſis in Babyloniam abductis. Qui poſt decurſum 70. annorum ſpatium, quod exilij tempus definierant Ieremiæ uaticinia, humaniſsimo CYRI Magni edicto patriæ redditi, & ab ARTAXERXE Longimano fanum & urbis munitiones inchoatas abſoluere permiſsi, reguntur deinde à DVCIBVS, è poſteritate Dauidis, ſed qui Perſarum regibus parerent. Vnde cùm potentia hi non magna eſſent, præualuit paulatim Pontificum auctoritas. E quibus etſi IADDVS genti immunitatem impetrauit ab ALEXANDRO Magno, occupantur tamē poſtea Hieroſolyma à PTOLEMÆO Lagi, & retinent etiam poſteri huius Iudæos uectigales uſq; ad ANTIOCHVM Magnum. Is gente hac uſus beneuolè, hoc effecit, ut Pontifices, iam patriæ tyrannidem affectantes, poſt ANTIOCHVM Epiphanem F. attraherent, eiq; ſe, abdicato Ptolemæorum imperio, ſubijcerent. Quæ res ut exitium ipſis, & genti toti clades innumeras attulit, ita regno nouo initium dedit. Cùm enim ſceleratè impius Tyrannus non contentus imperio, etiam religionē abolitam extirpare conaretur, è ſacerdotum ordine MATATHIAS quidam ſe illi opponit, & filijs ad inſtitutum idem urgendum auctor fit. Ab his præclariſsimarum uictoriarum ſucceſſu partum principatum, augent mox adiectionibus uarijs poſteri, & tandē ARISTOBVLVS φιλέλλην in regnum commutat. De quo regno, quod in Iudæis poſtremum fuit, & familia in eo gemina, inſtitutam iam expoſitionem pertexo.

COGNOMINAVIT autem Ioſephus MATATHIA editam progeniem ASAMONÆOS. Id nomen aliqui interpretantur poſteros Simeonis: quippe quem auum Matathias habuerit: Cùm Ioſephus & Zonaras Simeonem Aſſamonæo patre genitum,

uelint. A' quibus iterum uarians Eusebius, Matathiæ patrē Assamonæum attribuit. Sed propior uero est eorum coniectura, qui à dignitate profectum censent, ut sit Ægyptium HASMONAI, magnates, principes: eritq; ita scriptura eius, Asmonæi, omissa post primam syllabam a litera. Originem familiæ sunt, qui deducant è tribu Dania. Hoc mirari eò magis libet, quòd sacerdotem Matathiam fateantur omnes, quos sacerdotes tantùm è Leuis prosapia legi solitos, è sacrarū literarum indubitata ueritate planum fit. Quocirca cum Maccabæorum libris Asmonæos propagamus à PHINEE, filio Eleazari, nepote Aaronis. Vt etiam summi sacerdotij dignitas ceu postliminio ad familiam rediisse, uideri possit. Nam receperat hoc per Mosen numen cœleste Phinei, cùm ille pia quadam accensus indignatione, popularis sui turpitudinem nefariam uindicâsset publicè. Sunt autem tam dè stirpis propagatione, quàm de rebus gestis liquida omnia ex Iosepho, à quo & Maccabæorum libros conscriptos, opinatur D. Hieronymus. In Eusebij Chronologia de Iuda Maccabæo & Ionatha fratre, hic error occurrit, quòd illi post ALCIMI mortem Pontificatum fauore omnium delatum, huncuerò, mox eiecto Bacchide, suscepisse eundem ait. Id enim utrunque planissimæ refellunt libro primo Maccabæorum expositiones. Cùm de Iuda idem Iosephus etiam alicubi tradiderit, ut transcripsisse hinc Eusebium appareat. Quod hac parte minus ualere debet, tū quòd alibi hoc retractet, tum quòd neq; de plerisq; alijs Iudæ rebus gestis planè conueniat. Sicuti itidem modicè uariat de historia filiorum Simonis: neq; enim occisos sed captos indicat. Ac sanè Eusebij, quam diximus, Chronologia, ut alibi passim, ita in hac etiam historia deprauatior cognoscitur. Etenim ARISTOBVLVM, qui primus se regem appellare ausus fuit, Ionatha patre genitum affirmat. Quo haud minus labendo hallucinatus de ALEXANDRO Ianneo Sulpitius Seuerus, Ionathæ hunc filium attribuit. Neq; nihil est, quod in Strabone & Orosio desideres, quorum ille eundem Alexandrum Ianneum, hic Aristobulum, deiecto fratre Hyrcano, primum apud Iudæos regnasse, asserunt. Quę noua & discrepante sententia conuellens Dion, regiam & sacerdotalem „ dignitatem planè confundit. Hæc enim eius uerba sunt lib. 37. Regi „ nomen summi Pontificis apud Iudæos est. Et sequitur eandem opi„ nionem Iustinus lib. 36. Semper, inquit, hic mos apud Iudæos fuit, ut „ eosdem & reges & sacerdotes haberent. Sed ab his, nixi certiorum testimoniorum auctoritate, discedimus. Et culpandus præ cæteris Iustinus, quòd à filio Mosæ, quem fabulosè ARVAM nominat, institutum item fabulosum, de coniuncta scilicet cum regia sacerdotali dignitate, profectum, ait. Finijt Asmonæorum regnum ANTIGONVS,

NVS, filius Aristobuli, nepos ALEXANDRI Iannei. Hic enim cùm inhumaniter reiectus à Cæsare Dictatore, quadam uindictæ cupiditate per Parthos, qui Syriam tùm obtinerent, reditum confecisset, & Hyrcano Pontifice hosti tradito, HERODEM fugasset, adeò hoc facinore Romanos exacerbauit, ut hostis ipse, Herodes Rex pronunciaretur. Qui ut hanc dignitatem retineret, & Antigonum tolli ab Antonio curauit, & fraude Aristobulo affine sublato, Hyrcanum prosocerum, qui iam solus ex Asmonæorum mascula prosapia superasset, per calumniam oppressum necauit, itaque familiam nobilissimam à stirpe excidit. Tamen Philo & Eusebius de Aristobulo hoc postremo & MARIAMME sorore dissentientes; non auum sed patrem utriusque Hyrcanum attribuunt: consentitque de Aristobulo singulariter Nicephorus. Id quod astrui falsissimè, satis nos Iosephi addocet historia. Quanquam neque hic de morte Mariammes sibi cōstat, quod lectione quàm indicatione nostra cognosci satius fuerit.

PRÆEST igitur secundo loco rebus Iudaicis HERODIS familia, alienigena prorsus, & hactenus seruire Iudæis solita. Fuit enim ex Idumæis: quos conditos ab Esau, fratre Iacobi, supra ostendimus. Ac tametsi regnum ipsi quoque liberum habuere, tamen debellati à DAVIDE rege, & defectionem per ADADVM, hominem in stirpis regiæ, & ad populares remissum à SESACO, Ægyptio, frustra sub SALOMONE moliti, uectigales Iudæis mansere usque ad IORAMVM, filium Iosaphati. In hoc tempore arma iterum capere ausi, libertatem exinde & reges suos inter fortunā uariam retinuere, & exulantibus Iudæis in Babylone haud paucas urbes ademere. Quibus cedere regio Darij edicto iussi, fide dubia amicitiam cum eis colunt, hostes tamen sæpius, quàm amicos se declarantes. Ideo bello acri oppugnātur tandem à IOANNE Hyrcano, & uicti, Circumcisionem quoque recipere coguntur. Vnde iam planè familiares Iudæis esse cœperunt: & in aulam admissi, etiam ad regnum aditum sibi aperuere, constituto primū ANTIPATRO Iudææ PROCVRATORE à Iulio Cæsare & HERODI F. regia dignitate concessa ab Antonio & Augusto. Explicatur aūt de primordijs familiæ huius discrepantibus auctorum sententijs. Nam ut ne id iam attingam, quòd Nicolaus Damascenus Herodem, quem mendacio isto demereri studeret, è Iudæorum nobilissimis propagauit, qui Babylone reuerterant, Iosephus quidem ANTIPATRO patrem Antipam attribuit, sed de generis ortu secum ipse pugnans, alibi plebeium facit, alibi nobilitate & opibus gentis suæ principem uocat. Eusebius uerò è Iulio Africano patrem Antipatro non Antipam, sed Herodem Ascalonitam, hominem conditionis infimæ, fuisse asserit. Quam eandem sententiam

„ præter Zetzem etiam Cedrenus his uerbis tradidit: Fuit Antipater fi„ lius cuiusdam Herodis, inter æditos censi, & eos, qui ibi Apollinis „ fano inseruiunt. Atque hunc puerum quondam Idumæi prædones ra„ puerant, spe pro ipsius missione mercedis accipiendæ: sed quia pater „ erat pauperrimus, Antipater apud ipsos seruus remansit, ipsorumque „ moribus institutus est. Hactenus Cedrenus. Verumenimuero meritò hic Iosephi præfertur auctoritas. Quippe quem præstitisse etiam de se, quod sæpius policetur, hoc est, maximè uera tradidisse, dubium nullum est. Atque ut plebeium Antipatri genus non inficior, ita tamen haud prorsus ignobilem fuisse crediderim, ut consentaneum uero sit, patris dignitate primùm Hyrcano commendatum. Neque iam alia, quæ turbare admodum lectorem possint, uel multa uel explicatu difficilia de hac familia inuenias. Et sunt in medio Iosephi expositiones disertæ & illustres. Illud tamen minimè prætereundum silentio erat, ab Herode Magno successores fermè omnes nomen idem usurpasse, id quod confirmant exempla de Archelao, Antipa, Philippo, Agrippa, apud Dionem, Suidam, Cedrenum, Lucam. De Antipatro etiam id unum adhuc repeto ex Eusebio, quòd à Pompeio Procuratorem Iudææ constitutum, ait. Sed de hoc auctore, quæ nostra sit sententia, antea exposuimus, nec causa ulla est, cur ea parte à Iosepho discedatur. Quē eūdē de Herodis filijs, Archelao, Antipa, Philippo confusius, & opinionib. penè contrarijs explicantem, quomodo conciliare liceat, ex epitome Pauli Eberi repeti uolumus. Quia enim diuersas nominat Archelai & Antipæ matres, certè germani esse nequiuere. Neque Archelaus Romam iturus, regnum Philippo aliam ob causam, quàm quòd ὁμομήτριοι essent, commendasse uidetur, fortè inde, quòd & ipse cognomentum Herodis assumsit. Ac poterit eodem modo de HERODIADE discrepantia, de qua aliqui præter rationem se torquent, tolli. Primò enim nuptam fuisse censemus Herodi, Herodis M. è Mariamme Simonis, filio, deinde Philippo, à quo eam abduxerit Antipas. Nam ita & Euangelistarum, Matthæi & Marci, quos sequitur etiam Suidas, constat auctoritas debita, nec derogatur quicquam Iosepho. Etsi Salomen, quam non Philippo, sed primo marito Herode genitam reor, tantùm cum Aristobulo, Herodis Chalcidensis filio, fuisse malim, ut ne quid scilicet, quod Matthæo & Marco pugnet, admittatur. Constitit autem propagatio familiæ & Herodis posteritas, fratrum Alexandri & Aristobuli è Mariamme Asmonæa, progenie. Cùm quidem Iosephus addiderit, eam paucis exceptis, intra annos centum totam interijsse. Cæterum Alexandro editi posteri, mox ab initio patrijs desertis institutis ad religionem Græcorum Ethnicam desciuere, & credibile est, id ipsum maximè eos Romanis commendasse. Cumque de

TIGRA-

TIGRANE affirmet Iosephus, regnum ei Armeniæ concessum, nos ad hunc referimus, quæ de Tigrane, nepote Archelai Cappadocis Tacitus tradidit. Nam genitum filia eius GLAPHYRA, constat. Ad Aristobuli filium AGRIPPAM mirabili rerum mutatione regnum tandem auitum rediịt uniuersum. Quanquam Suidas & Cedrenus perperam patre Herode Magno genitum uelint. Acmansit quidem regịj nominis dignitas etiam filio AGRIPPÆ & nepoti Agrippino. Nam post hunc stirps omnino deficit, & nominauit quidem illum solus Philo.

FAMILIA ASMONAEORVM, QVÆ A PRIMO MATATHIA, VSQVE AD ANTIGONI REGIS INTERITVM, ET PRINCIPATV ET SACERdotio & regno in Iudæis floruit annos 131.

SIMEON, filius Assamonæi, ut sentit Iosephus.

IOHANNES.

MATATHIAS, sacerdos Hierosolymitanus, classis & generis Ioaribi: incoluit uicum Modinum, & fama ad homines honesta, mente ad Deum religiosa uiuit. Ideò cùm iam senex in ea incidisset tempora, quibus ANTIOCHVS Epiphanes, Iudæos, Pontificum scelere oppressos, & extremè afflictos, etiam ad auitæ religionis desertionem cogeret, & numinum Ethnicorum cultum præciperet, conquestus de hac rerũ acerbitate domi apud filios, publicè & Apellem præfectum ad sacrificandum inuitantem, & ciuem edicto, se cessante, parentem ex pia indignatione obtruncat: aram idolatricam euertit: populum ad arma uocat: & digressus in solitudines, cõfluentis ad se multitudinis extorris defensionem suscipit: sabbatho pugnandum docet: Antiochi duces pịjs insidiantes reprimit: Idola ex oppidis exterminat, & ardenti pietatis studio patriam religionem passim reuocatam instaurat. Moritur suscepti conatus huius sanctissimi anno primo, senio uidelicet confectus atque laboribus: & filịjs spe auxilịj cœlestis, & exemplo suo ad audendum confirmatis, curam religionis & exu-

lum piorum protectionem demandat. Maccab. lib. 1. Iosephus, Egesippus, Eusebius, Zonaras, Cedrenus.

GENITI autem MATATHIA filij hac serie commemorantur 1. Maccab. 2. & à Iosepho: Ioannes, SIMON, IVDAS, Eleazarus, IONATHAS. Sed de bello Iudaico lib. 1. cap. 1. idem Iosephus uarians, IVDAM natu maximum facit: quam sententiam nos etiam amplectimur, & propter historiæ continuationem proximè ei subijcimus IONATHAM.

IVDAS, cognomento Maccabæus, dux militiæ à patre morituro exulanti turbæ præpositus, magno animo munus id gerit: Iudææ urbes obitas lustrat, & religionis desertores comprehensos supplicijs capitalibus afficit. Quod uindicaturos duces régios, Apollonium & Seronem, prælijs felicibus cædit: Lysiæ copias ualidissimas dissipat, hocq; post iteratam expeditionem in Syriam reiecto, Ierosolymam recuperat, templum, Iouis Olympij cultu iam per triennium profanatum, expiat, & ædificata Sione, munit Bethsuram. Inde in Idumæos & Ammonitas inuadit, & repressis interea per SIMONEM fratrem Tyrijs, Sidonijs, Ptolemaidensibus, Timotheum, Ammonitarum ducem, prælio gemino sternit: obsidet Syriacum præsidium in Hierosolymitana arce: & cùm infeliciter tentato ANTIOCHO Eupatore, quem euocasset MENELAVS Pontifex, obsidionem huius aliquandiu in templo tolerasset, tandem pacem ab eo sponte oblatam recipit. Delatus apud DEMETRIVM Soterē ab ALCIMO, primùm Bacchidi, deinde Nicanori debellãdus traditur: cumq; illius euitatis insidijs, hunc uim intentantem ad Bethsuram prælio excepisset, uictum occidit. Iamq; à Syriæ regibus pacem se firmam obtinere posse diffisus, per legatos cum Romanis fœdus init. Quanquam re & ueritate idipsum res eius maximè euerterit. Nam Demetrij mandato iterũ oppugnatus à Bacchide, qui adiunctũ haberet ALCIMVM, & cum manu suorum exigua occurrere hosti ausus, etsi dimicauit fortiter, ipsaq; phalange perrupta, in mediam usq; penetrauit aciem, tamen uictus multitudine, generosè neq; inultus occumbit: & corpus à fratribus per inducias receptum, magnifico funere maiorum monumentis Modini infertur. Maccab. lib. 1. & 2. Philo, Iosephus, Egesippus, Eusebius, Nicephorus, Zonaras, Cedrenus, Hieronymus, Augustinus. Fuit animi magnitudine, clementia, pietate, constantia in religione propugnanda incredibili: ut excitatum, adiutum, defensum diuinitus, dubium nullum sit. Cognomentum Maccabęi à symbolo acquisiuit, usurpato ex hymno Exod. 15. cuius uerba Ebraica sunt: MI CAMOCHA BAELIM IEHOVA, Quis sicut tu in Dijs Domine? Huius enim syllabæ initiales, quibus notasse id creditur, compo-

compositæ nomen Maccabæi exprimunt. De uictoria prima ceu tro-phæo perpetuo usus est Apollonij gladio. Templi recuperati memo-riam festis diebus, qui luminũ uocati sunt, consecratam celebrari quo-tannis iussit: extititq; idem & lustrationis & profanationis dies, nimi-rum 25. Nouemb. qui Ebræis est Casleu, à sidere Kesil, quod aliqui O-riona interpretantur. Et cœperat quidem profanatio illa Olympiad. 153. Vt uindicaret Nicanoris ducis impias de templo euertendo mi-nas, interfecti caput, brachiumq; dexterum cum humero abscissum de templo suspendit, Voluitq; huius etiam uictoriæ diem, qui fuit mensis Februarij 13. solennem esse. Durârunt bella eius ann. 6. ut colligitur è Iosepho. Nam Philo ann. 5. Eusebius tres præfuisse Iudæis scribunt. Nomen IVDÆ MACCABÆI reuocatum postea fuit ab exi-mia fortitudine, qua in Gallijs cõtra Barbaros is propugnaret, in RV PERTO duce Andiũ, pronepote Vuidechindi Saxonis. Qui con-sectatus isthuc patrem Vuidechindum iuniorem, occubuit depugnan do contra NORMANOS, fuitq; ab eo genitus loco tertio HV-GO CAPETVS, conditor regiæ stirpis, quæ hodie rerum poti-tur in Gallijs.

IONATHAS, cognomento Apphus, consectatur patris & fra-tris IVDÆ militiam. Cuius suscipere principatum iussus, Bacchidis ducis insidias fuga ad solitudines euadit, eoq; sequi ausum prælio su-stinet, & traiectu Iordanis moratur: uindicat fratris Ioannis cædem: munit Bethbasin oppidum: hocq; Bacchidem obsidere aggressum ad pacis conditiones adigit. Ab ALEXANDRO Epiphane spe au xiliorum contra DEMETRIVM, PONTIFEX MAX. sa-lutatur, neq; dignitatem illam respuendam ratus, Ptolemaidem ad nu ptias inuitantem uisit, exceptusq; honorificentissimè, & inter amicos eius locum principem promeretur, & accusari à transfugis uetatur. Quæ tanta regis istius comitas cùm occultum accendisset ducum o-dium, ab Apollonio superbo bello prouocatur, & prælio felici factus superior, etiam Alexandri amiciciam deserit, & arcem Hierosolymita-nam obsidione premit. Ideò accusatus transfugarũ scelere apud DE-METRIVM. II. muneribus hunc placat, & præter Pontificatum concessum, etiam Iudæam & tres ei attributas toparchias talentis 300. redimit. Nec multò pòst eidem auxiliatur contra seditiosos Antioche nos fideliter: sed pro beneficio maleuolentiam eius & belli minas re-portat. Quocirca consilia iterũ noua init, & solicitante TRYPHO-NE, Antiochi ꝯ partes propugnandas suscipit: renouat amiciciam & fœdera maiorum cum Romanis & Lacedæmonijs, & munit opere & propugnaculis Hierosolymam. Vnde Tryphoni suspectus factus, & in Antiochum ab hoc cogitato parricidio obsistere posse creditus,

fraude

fraude Ptolemaide in uincula conditur: & quãuis pro liberando ipso à SIMONE fratre & filij obsides mitterentur, & pecunia à tyranno postulata promtè penderetur, tamen non multò pòst iugulatur: atque ab hoste in Basca oppidulo tumulatus, à Simone Modinum transfertur. Maccab. lib. 1. & 2. Philo, Iosephus, Egesippus, Eusebius, Nicephorus, Zonaras, Hieronymus. Fuit in imperio annos 18. (Philo & Eusebius habent 19.) in ijsq; Pontificatum per annos 10. administrauit. Quem Pontificatum uirtute pãrtum etiam familiæ conseruauit, cùm inde ab ALCIMI morte uacasset ann. septem. Nec Iuda se indignũ successorem præstitit, seu pietatem erga Deum spectes, seu uirtutes cęteras, quæ in uiris principibus commendari & requiri consueuere. A' uictoria de Ammonio potitus Azoto, DAGONIS Deæ tẽplum, antiquitate nobilissimum, incendit. Videtur autem Dagon hæc Ouidio Dercetis esse, Straboni & Athenæo Atergatis, Luciano Derceto, quæ & propè Ascalonem & templum & lacum piscosissimum consecratum habuit, teste Diodoro. Sunt qui nomen Dagon interpretantur piscem mœroris, qua de re fabulam habent præter eundem Diodorum Ouidius lib. 4. Metam. & Lucianus de Dea Syria. Nam Athenæus omnia ad historiam retulit.

SIMON, cognominatus in libris Maccabæorum Thassis, à Iosepho Matthes, à Zonara Thatis: ornatur à patre prudentiæ laude, & fratribus reliquis præesse consilio iubetur. Nec sanè tantùm de se προσδοκίαν parte ulla fefellit: ac sub Iuda auxilio missus Galilæis, Ionathæ contra Ammonium fortem operam nauat. Quem captum postmodò per insidias à Tryphone liberare frustra conatus, & principatum ac sacerdotium eius gerere iussus, Tryphoni uim paranti se opponit fortiter: parenti & fratribus sepulcrum magnificum extruit: genti toti immunitatem præstat, & arcem Hierosolymitanam expugnatam diruit, ipsumq; montem, in quo sita illa fuisset, triennij labore complanat. Ab ANTIOCHO Sotère facilè in partes odio Tryphonis pertrahitur, & copias ei auxiliares contra tyrannum adiungit: nec diu pòst hoste eo usus, & per Cendebæum ducem oppugnatus: rem gerit feliciter, & renouato cum Romanis fœdere reliquum uitæ & imperij tempus in pace degit. Perijt scelere PTOLEMÆI generi, apud quem Ecclesias Iudææ atque politias inspecturus ac constituturus, diuerterat, cùm Pontificatum post Ionatham tenuisse annos 8. Maccab. lib. 1. & 2. Philo, Iosephus, Egesippus, Eusebius, Zonaras, Nicephorus, Hieronymus.

IOANNES, cognomento Gaddes, suscipit cum patre & fratribus, Iuda ac Ionatha, religionis defensionem. Atque à Ionatha missus cum impedimentis ad Nabatæos Arabes (sunt hi posteri Nabaioth,

filij Iſmaëlis) in itinere ab Amorrhæis opprimitur. 1. Maccab. 9. Ioſephus, Egeſippus, Zonaras. 2. Maccab. 8. uidetur Ioſephus nominari.

ELEAZARVS, cognomento Auran uel Abaron, affuit Iudæ fratri ſocius primum in prælio contra Nicanorem, & legendo libro ſacro tum præficitur, deinde contra Antiochum Eupatora. Quo tempore in hoſtium elephantis unum præ reliquis & magnitudine & ornatu inſignem conſpicatus, ideoq; regem eò uehi ratus, conatu temerario beſtiã adoritur, atq; è uulnere collabentis pondere obtritus, extinguitur. 1. Maccab. 2. 6. 2. Maccab. 8. Ioſephus, Suidas, Zonaras. Cedrenus.

RELIQVERE è fratribus hiſce liberos tantùm SIMON & IONATHAS. Illo naſcuntur IOANNES HYRCANVS, Iudas, Matathias, & Filius Filiaq; ἀνώνυμοι. Huic filij duo & Filia, ἀνώνυμοι, attribuũtur. Quemadmodum uerò tempore & propagatione diuturnior, ita quoq; florentior extitit Simonis poſteritas. Nam Ionathæ Filij pro patre Tryphoni obſides dati, ab hoc ſimul de uita tolluntur. Filia collocata cuidam Matthiæ Aphliæ, edidit Matthiam Curtum proauum IOSEPHI hiſtorici. Quapropter ad Simonis explicandam progeniem pergo.

IOANNES, cognomento Hyrcanus, imponitur à patre præfectus Gazæ, indeq; Cendebæi ducis hoſtilem irruptionem primus ei nunciat. Ideò occurrere huic cum Iuda fratre bello iuſſus, felici prælio uictum Iudæa expellit. A patris cæde & ipſe Ptolemæi affinis inſidijs appetitur: ac ſuorum fide periculo ereptus, & poſt ſuſceptum Pontificatum obſidere parricidam in Dagone caſtello aggreſſus, matris & fratrum cruciamentis, quibus in conſpectu ipſius excarnificabantur, ab eo conatu auertitur. Inde ANTIOCHI Soteris bello uexatur, & Hieroſolymis obſidione infeſta premitur. In quo tempore præter inducias conceſſas, etiam uictimis in ſcenopegiæ feſtis diebus donatus, ad deditionem tam memorabili moderatione inuitatur, ac depenſis regi talentis 500. & munitionibus deiectis, ad bellum hunc Parthicum conſectatur: ſed euentu eo, qui Antiocho interitum, ipſi occaſionem ad rem felicius gerendam, & regnum amplificandum, attulerit. Nam cùm profligato Indate duce, ob Pentecoſtes ſacros dies progredi ulterius cum Antiocho detrectaret, & ille nihilominus bellum urgendo in prælio quodã occubuiſſet, Syriam populabundus inuadit: recuperat urbes Iudææ detractas: deſtruit Garizinum templum: ſubiugat Idumæos, & ad Circumciſionem adigit: Romanos & ALEXANDRVM Zebinam fœdere ſibi iungit, & SAMARIAM obſidione annua captam ſolo æquat, inductis illo quoq; torrentibus, ut eluuie horum fœdatis omnibus, ne ueſtigium quidẽ oppidi ſupereſſet.

esset. Postremos principatus annos propter PHARISÆORVM aduersantem factionem turbulentiores habuit: à quibus ob Eleazari cuiusdam maledicentiam factus alienior, & sanctiones horum uarias abrogat, propugnatoribus earũ supplicio affectis, & ad SADDVCÆOS palàm transit. Moritur anno principatus tricesimo primo, seu ut habent alij 26. 1. Maccab. 13. & 16. Philo, Iosephus, Egesippus, Eusebius, Nicephorus, Zonaras. Fuit tribus præcipuè rebus insigniter fortunatus habitus, nempe principatu gentis, Pontificatu & rerum futurarum præsagitione. Etenim filiorum de ANTIOCHO Cyziceno uictoriam ad Samariam, cœlesti uoce denunciatam, populo die eodem indicauit, & principatus eorum fata prædixit. Cognomentum Hyrcani Eusebius alibi ab Hyrcanis deuictis, alibi ab Hyrcano, qui cum bella gesserit, deducit.

IVDAS, oppugnauit cum Hyrcano fratre Cendebæum, ducem, & dum audaciùs se periculis offert, uulnus graue accipit. Comitatus patrem ad Ptolemæum, iugulato illo inter epulas, in uincula cõditur, & tortus cum matre fratreq; altero diriter, post Hyrcani discessum trucidatur. Iosephus Maccab. lib. 1. uariàns cæsum cum patre in conuiuio, affirmat.

MATATHIAS, iungitur & ipse patri comes in Iudæa obeunda, & Ptolemæo salutando: à quo itidem captiuus detentus, & excruciatus tyrannicè, perimitur. 1. Maccab. 16. Iosephus.

E LIBERIS SIMONIS ἀνωνύμοις Filius ab Hyrcano obses datur ANTIOCHO Soteri: Filia collocatur Ptolemæo Abubi, homini sceleste nefario. Qui dignitate & opibus amplissimis auctus à socero, & Hiericontio agro præfectus impositus, potẽtiam ei inuidet: Quam ut in se transferret, insidioso conuiuio exceptum inter scyphos obtruncat: socrum cum filijs duobus in uinculis asseruat, & IOANNEM Hyrcanũ ex ferro & manibus elapsum, opprimere fraude satagit. Ideò oppugnatus ab illo hostiliter, in matrem & fratres usurpata tormẽtorum sæuitia fractum, ab hoc conatu auertit, nec multò post cæsis illis, ad ZENONEM Cotylam, Philadelphiensium tyrannum profugit, & apud mortales omnes memoriam nominis sui execrandam relinquit. 1. Maccab. 16. Iosephus, Egesippus, Hieronymus.

PROCREANTVR IOANNI Hyrcano ex coniuge ALEXANDRA, ut uult Nicephorus, liberi: ARISTOBVLVS, Antigonus, ALEXANDER, Absolomus, & Filius ἀνώνυμος.

I. ARISTOBVLVS. I. præficitur à patre obsidioni Samariæ: quam soluere tentantem ANTIOCHVM Cyzicenum, prælio cædit: PTOLEMÆI Lathuri duces, Callicratem & Callimandrum,

drum,noua adducentes auxilia reprimit: iamq́ urbem ipsam urgendo infestius,in potestatem redigit. Vnde & populo omni commendatur mirificè,& à patre principatus successor nominatur. Quem principatum in regnum commutare ausus, REGEM se, diademate assumpto,nominari primus iubet: cum fratre Antigono dignitatē eandem communicat: matrem,petentem dominatus partem, quam concessisset Hyrcanus maritus,necat,& fratres cæteros cum matre facientes,uinculis constringit. Nec diu Antigono beneuolentiam præstat, ac per calumniam regni affectati ab inuidis accusatum,per satellites de uita tollit. Quorum tot scelerum conscientia graui oppressus, & morbo,quo sub Antigoni cædem laborare cœperat,tum inde, tum è pueri lapsu,quem redditum à se uomitu sanguinem non sine prouidentiæ diuinæ respectu,eo loco,ubi frater ceciderat,effudisse arbitraretur,aucto uehemētius, inter immanes animi & corporis cruciatus extinguitur: postquam regnârat annum unum. Philo,Iosephus,Egesippus, Eusebius,Nicephorus,Zonaras,Augustinus. Accepit cognomētum φιλέλλην,à familiaritatis nempe usu & consuetudine cum Græcis seu Ethnicis. Neque obscura etiam regni tempore in patriam beneficia contulit: & ITVRÆOS, bello domitos exilij cōminatione ad Circumcisionem adegit. Meminit Iosephus lib.20.Antiq.cap.8. appellatum alio nomine Iudam.

ANTIGONVS, urget cum ARISTOBVLO fratre obsidionem Samariæ,ab eoq́ dilectus mirificè,pòst in regni consortionem assumitur. In quo tempore belligerat feliciter in Galilæa: ac regressus Hierosolymam ad festum Tabernaculorum celebrandum, ob comitatus ornatissimi pompam & fratris regis & regiorum incurrit inuidiam: cumq́ illum salutaturus, ALEXANDRÆ reginæ hortatu fraudulento pergeret ad regiam armatus,ceu insidiator,& regni æmulus, per satellites conficitur. Iosephus, Egesippus, Zonaras, Hieronymus.

II. IOANNES, alio nomine Ianneus & ALEXANDER, cognomento Thracides,utitur patre alieniore,propterea quòd beneuolentia huius omni in filios natu maximos inclinante,cœlesti responso regnaturus prædiceretur. Quare in Galilæa extra conspectū ipsius educatur,& postmodo ab ARISTOBVLO fratre uinculis mancipatur. Inde coniugij stipulatione dimissus ab ALEXANDRA, & rex salutatus,illi quidem fidem datam seruat,è fratribus uerò superstitibus alterum regno insidiantem,supplicio afficit, alterum uitam otiosam amplectentem in honore habet. Hinc in Ptolemaidenses bellū suscipit, & uictos, atque obsidione graui fatigatos,ex desperatione ad externa PTOLEMÆI Lathuri profugere auxilia cogit. Cuius so-

cietatem palàm professus, occultè uerò cū CLEOPATRA matre fœdus machinatus, re prodita, inuaditur hostiliter: prælio ingenti funditur fugaturq́: & præter sæuitiam in imbellem puerorum & mulierum captarum turbam usurpatam, etiam agrorum & oppidorum fœdam depopulationē cernere cogitur. Attamen eijcit paulò pòst grassatorem hunc rursus per Cleopatram: tentat Cœlesyriam & Phœnicen, & occupatis Gadaris, Amathunte, Anthedone, Gazam Lysimachi cuiusdam proditione capit & euertit crudeliter. Eam felicitatē domesticus excipit motus, ab occulto PHARISÆORVM profectus odio. Cumq́ umbraculorum festis de more aris astans, & sacrificare aggressus, uulgi dicterijs ceu sacerdotio indignus incesseretur, & peteretur citrijs, indignatione è tanta petulantia uehementi accensus, per militem immissum ad 6000. occidit, ac ut in posterum tutior esset, Cilices & Pisidas corporis custodes asciscit. Vnde animis omnium exasperatis uehementius, ad tempus cedit: Moabitas & Galaaditas debellatos uectigales facit: & ausus idem in OBEDAM Arabem, cum clade Hierosolymam reijcitur. Ideò iam opprimi ipso tempore posse creditus, ciuile ipsi bellū à Pharisæis sexennale cōflatur. Quod etsi initio aduersum habuit, & in prælio contra DEMETRIVM Eucærum, quem aduersarij euocârant, amisit copias omnes, tum præter innumeras contumelias illatas alias, cedere Arabibus Moabitide & Galaatidica coactus fuit: tamen in eum finem deduxit, ut Demetrio ob Iudæorum transfugia domum regresso, seditiosorum primarios Bethomæ per obsidionem incluserit, tandemq́ expugnata illa uiuos ceperit. Horum exquisitis supplicijs cæteros coërceri posse ratus, ad 800. Hierosolymam perductos inter epulas & concubinarum accubitus in crucem tollit, eisq́ adhuc uiuentibus, liberos ipsorum & uxores in eorum conspectu iugulari imperat. Nec sanè dehinc & uel domi tranquillitas, uel in bellis cum gentibus accolis felicitas defuit. Quæ cùm per trienniūm ita gessisset, ut nullam nisi ab OBEDA cladem acceperit, indeq́ iam populi odium nonnihil mitigasset, ex ebrietate in febrim quartanam incidit. Ea toto triennio uexatus, ac tametsi uiribus planè exhaustus, belli tamen cupiditate quadam indomita in Gerasenos (sunt hi in Euāgelica historia GERGASENI) profectus, in Ragabæ arcis obsidione moritur. Expleuit ætatis annos 49. regni & sacerdotij 27. Philo, Iosephus, Egesippus, Nicephorus, Zonaras, Hieronymus, Augustinus. Meminit Strabo lib. 16. & primùm in Iudæis regnasse, falsò astruit. In bello, quod gessit cum ciuibus, cecidisse ad 50000. hominum accepimus: cuius tantæ cladis causa & initium, ut diximus, à Pharisæorum extitit malicia & scelere. Hi enim, cùm capitali odio dissidere ab IOANNE Hyrcano cœpissent, adeò id

morte

morte illius non deposuerunt, ut etiam in filijs auxerint, & populum ab Alexandro primùm occultè alienatum, deinde uerò ad rebellionē apertam inductum, ea obstinatione cōfirmârint, ut Rex pacem factus, cùm contumelia reiectus fuerit, rogantiq́ quid facto opus esset, omnes unanimiter clamârint, ut moreretur. Ideo ne filijs pericula noua crearentur, Alexander iam moriturus, Pharisæos placaret, adeoq́ sepulturam suam, ad arbitrium illorum reijceret, ALEXANDRÆ coniugi demandat. Id quod executa illa diligenter, ambitionem factionis illius facilè emollit, & filijs uti spes succesionis maneret efficit, tum funus marito honorificum impetrat, tantumq́ per Pharisæos potest, ut nec populus luctum omitteret.

ABSOLOMVS, fit Alexandro fratri in carcere & uinculis particeps. Cum quo itidem dimissus ab ALEXANDRA, priuatæ uitæ studio beneuolentiam illius retinet, & honoribus decentibus augetur. ARISTOBVLO. II. propter affinitatem contra HYRCANVM adhæret: & expugnata à POMPEIO Hierosolyma, captiuus ad triumphum adducitur. Iosephus.

FILIA ἀνώνυμος, nupsit ARISTOBVLO. II. patrueli. Quò capto à Pompeio, & Romam abducto, manet in Romanorum fide: & GABINIO usa humaniter, literis eius filijs liberationem à Senatu impetrat. Iosephus lib. 14. Ant. cap. 10. & seq.

FILIVS Ioannis Hyrcani ἀνώνυμος, mulctatur & ipse carcere ab ARISTOBVLO fratre: & apud ALEXANDRVM regni affectati reus factus perimitur. Iosephus.

FVIT cum ARISTOBVLO. I. connupta Salome (Eusebio & Sulpitio perperam Salina dicitur) quam Græci ALEXANDRAM nominârunt. Hæc à mariti obitu, ALEXANDRI Iannei adhuc captiui pacta matrimonium, HYRCANVM & ARISTOBVLVM filios edit. Inuenimus autem fœminæ illius, quæ natura imperij & honorum auida esset, fortunā & uirtutem illustrem: sed in qua tamen integritatem & fidem meritò desideres. Nam prǽter geminatum cum fratribus coniugium, Antigonum scelerata perfidia sua euertit. In Alexandri imperio & prudentiæ & pietatis, & moderationis laudem promeruit. Ideo regnum, testamēto eius legatum, etiam populi uoluntate retinet, Hyrcano solo Pontificatu concesso. Id quod cùm ita administraret, ut uicinis etiam terrori esset, corrūpit nimio in Pharisæos studio. Hos enim sibimet ipsi imperare ausos, & sanctiones à Ioanne Hyrcano abolitas reuocare, & sæuire in Alexandri amicos, qui crudelitatis illius auctores dicerentur, permittit. Cumq́ eum ira-

cundiæ furorem tandem Aristobuli intercesio cohibuisset, superstites è regia dimissos, castellis præfectos imponit. TIGRANEM Armenium ex Syriaco regno Iudæam ingressum muneribus & pecunia auertit. Nec multò post morbo affecta, consternatione animi ob filij Aristobuli aduentum hostilem, & castellorum defectionem exanimatur: anno regni nono, ætatis 73. Philo, Iosephus, Egesippus, Eusebius, Zonaras, Hieronymus, Augustinus.

III. HYRCANVS, homo ingenio segni, & otij ignaui cupido, accipit à matre uiuente Pontificatum, à moritura regnum. De quo utroque hoste usus ARISTOBVLO fratre, & post infelicē ad Hiericuntem pugnam cum amicis obsessus, itidem utrunque illi permittere, & uitam uiuere priuatam cogitur. Nec sanè acerba hæc ei futura fuisset fortunæ mutatio, ni ANTIPATRI Idumæi, quem familiariter diligeret, adhortationes insidiosæ uel segniter cessantem ad consilia noua impulissent: sed unde & ipsi, & familiæ, & genti toti calamitates extremæ accesserint. Huic enim bellis funestis implicitæ, seruitutem tristissimam attraxit. In quibus bellis cùm primum ARETÆ Arabis, mox alterum Pompeij (conciliârat autem Hyrcano utrunque Antipater) excepisset, & Pompeius à patribus urbe susceptus, ut ait Orosius, à plebe muro templi repelleretur, ui hoc expugnatur: ciuium strages ingens editur: uiolatur oraculi adytum: deijciuntur urbis muri: Iudææ, spoliatæ prouincijs, quas maiorum uirtus acquisierat, & ueteribus restitutæ limitibus, tributum imponitur, ita ut illa tempore non magno plus quàm 10000. talentorum, hoc est, tonnas auri 60. pependerit: & ipse absque regio nomine tantùm Pontificatum tenere iubetur. In hac dignitate seruit deinde seruitutem perpetuam ducibus Romanis, Gabinio, Crasso, Cassio, Cæsari. Cui postremo per Antipatrum contra Alexandrinos auxiliatus, tum ETHNARCHÆ honore augetur, tum reficiendorum murorum Hierosolymę potestatem impetrat. Cùm quidem hoc urgeret ambitiosius, quòd eam, ante Gabinij proconsulare imperium, maximè belli mouendi ἀφορμὴν habuisse meminisset Alexandrum. Nec multò pòst Antipatrum necari ueneno à MALICHO passus, ac PHASELVM & HERODEM, suo testimonio Antonio commendatos, ferre adiunctos sibi Tetrarchas coäctus, ab ANTIGONO bello petitur: cum Phaselo fraude à Parthis auxiliaribus, quibus præessent PACORVS, regis Orodis F. & BARZAPHERNES, capitur: mutilatusque auribus ab Antigono, ut ne scilicet potiri iterũ Pontificatus honore unquam posset (excludebantur enim mutili) in Parthiam captiuus abducitur. Ibi postmodo à PHRAATE rege uinculis solutus, & Babylone degere cum gentilibus Iudæis, qui ceu Pontificem ac Regem uenerarentur,

rentur, permissus, ab HERODE per legatum reuocatur, & astuta simulatione aliquandiu habetur honorificè. Nam detegente illo paulatim in Asmonæam domum odium, & Pontificatum ab ea alienari, & ad hunc admotum Aristobulum nepotem, perimi nefariè conspicit. Ac res ipse nouas per literas ad Malchum, Aretæ successorem, interceptas moliri deprehensus, seu potius per calumniam oppressus, iam octogenarius supplicio afficitur. Strabo, Philo, Iosephus, Egesippus, Dion, Eusebius, Nicephorus, Zonaras, Cedrenus, Florus, Hieronymus, Augustinus, Orosius. Suidas historiam Hyrcani ceu permutando, Aristobuli ei res gestas attribuit, & ad hunc uicissim retulit, quæ Hyrcani sunt.

ALEXANDRA, patri ingenio, non autem fortuna dissimilis: illud acre, sed inquietum, hanc per omnem uitam calamitosissimã habuit. Vidit enim funestos domus suæ casus atq; interitum, uidit gentis ærumnas & dominationis asperrimæ seruitutẽ grauissimam. Fuit autem cum ALEXANDRO patruele. Hoc Antiochiæ necato, in Herodis familiã propter Mariammen filiam ascíscitur. Quem ad Parthorum cauendas insidias hortata prudenter, habetur aliquandiu ab aula honorificè, amatur à populo. Post patris reditum, Pontificatus dignitatem à familia alienatam, & in ANANELVM translatam indignata, per CLEOPATRAM & Antoniũ eam ARISTOBVLO F. recuperat: sed odium regis sibi ingens conflat, & custodiri dehinc iussa diligentius, aliquantò pòst etiam filiũ amittit. Quod im potẽtis iracundię conatu uindicatura, Herodem apud Antoniũ accusatũ in uitæ discrimen ingens cõijcit, & tùm alia curiosè agit, tum patrẽ Hyrcanum ad res nouas impellit, & Mariãmen filiam ab marito alienat. Atque proditum illum hac circumuentũ scelerate conspicata, hanc fictis criminibus accusatam, incessere ne ipsa quidem conuicijs destitit, cùm scilicet hoc quæreret, ne qua de se quoq; suspicio sinistra oriretur. Nec tamen sic etiam uel dolorem suum dissimulare, uel quiescere potuit. Etenim uerita Antipatri successionem, propterea quod in aulam mater eius DORIS reuocata esset: Herode ex Mariammes interfectæ desiderio lethaliter decumbente, cum præsidiarijs arcium urbis militibus de permittendis hisce regis ex Mariamme hæredibus, per internuncios occultos agit. Eo tantæ audaciæ facinore enunciato, sæuo mandato illius rapi ad supplicium iubetur. Vixit annos 60. Iosephus, Egesippus, Zonaras.

IV. ARISTOBVLVS. II. uixit sub matre priuatus: & perosus Pharisæorum potentiam, adiungit se patris amicis, quos premere illi primùm machinationibus occultis, deinde ui manifesta cœperant.

rant. Ab ijsdem contra Hyrcanum auxilijs instruitur, cùm sub obitum matris studio rerum nouandarũ ex aula se subduxisset: & uictum hũc ad Hiericuntẽ, atq; in fani munitionibus obsessum, & regno & Pontificatu cedere cogit. Quam iniuriam tandem post quadriennium illo ulciscente, ARETAM Arabem hostem accipit, & clade graui mulctatur. Cumq; occurrere ei cum copijs nouis permissus à SCAVRO, & Hyrcanum accusare apud POMPEIVM ausus, hunc deinde de causa cogniturum eluderet, & pecuniam promissam denegarent milites, in custodia asseruatur, & Hierosolymis ui expugnatis, captiuus ad triumphi ludibria abducitur, tumultus huius auctoribus amicis securi percussis. Tamen post septennij captiuitatem è uinculis iterum elabitur, & clàm in Iudæam reuersus, nouas dat turbas: manum ad 8000. lectissimorum militum facit: & confligere ausus cum M. ANTONIO, qui tum Gabinio militaret, prælio uincitur, ac expugnata Machærunte, in quam è fuga se receperat, iterum uinculis cum Antigono F. mancipatur, Romamq; asseruandus Pompeio mittitur. Ibi sub belli ciuilis initium dimissus à Cæsare, & tentare cum legionibus duabus Syriam iussus, à Pompeianis in eo conatu ueneno necatur, & cadauer, principio in Melite insula conditum, postea Antonij Triumuiri mandato in patriam reportatur, & regijs monumentis infertur. Strabo, Philo, Iosephus, Egesippus, Plutarchus, Appianus, Dion, Nicephorus, Zonaras, Florus, Eutropius, Hieronymus, Augustinus, Orosius.

HABVIT in matrimonio ARISTOBVLVS. II. Filiam Absolomi patrui ἀνώνυμον: è qua liberos sustulit, Alexandrũ, ANTIGONVM, Alexandram & Filiam aliam ἀνώνυμον.

ALEXANDER, capitur cum patre à POMPEIO, & triumphi eius spectaculo destinatur. Quam contumeliam intolerabilem ratus, elusis in itinere custodibus, in Iudæam regreditur, eaq; incursionibus uexata, munit receptacula Alexandrium & Machærunta: contra Gabinium, euocatum ab Hyrcano, in bellum apertũ descendit, & prælio uictus, ac Alexandrij obsessus, deditione se hosti permittit, nec multò pòst cum patre, itidem capto denuò, Romam remittitur. Vbi deprecante Gabinio iterum dimissus, Iudæam repetit, eamq; absente illo in Ægypto nouis tumultibus complet: copias cogit ualidissimas: Romanos milites captos crudelibus supplicijs afficit: & prælio nouo congressus cum Gabinio, ea clade sternitur, uix ut fuga salutem consequeretur. Pòst tamen pacificatur cum CASSIO, qui Crassiani exercitus reliquias in Syriam reduxerat, & à turbis abstinet usq; ad belli ciuilis initium. In quo tempore cùm ob patris aduentum iterum manum faceret, opprimitur à Pompeianis, adductusq; ad Scipionẽ Antiochiam,

tiochiam,& de rebellione atq; in Romanos milites usurpata ſęuitia accuſatus,ſecuri feritur. Ioſephus,Egeſippus,Zonaras.

V. ANTIGONVS,patri in captiuitatis geminę dedecore conſors factus,& Romę in triumpho ductus à Pompeio,ob maris fidem, Senatui à Gabinio commendatam,cum Alexandro fratre dimittitur. Huius auerſatus cōtra Romanos temeritatem,apud Ptolemæū Chalcidenſem conſidet,adoptionem eius uirtute & affinitate promeretur, & demum à CÆSARE, ab Alexandrino bello reuertente, regnum prece fruſtra contendit. Quod indignè ferens, tametſi tum metu potentiæ Cæſaris quieuit,tamen cæſo illo,armis rem tentat, & profligatus ab HERODE, ita inſuper à fortuna mulctatur, ut Antonij ſtudio debitam familiæ ſuę potentiam transferri in hunc & fratrem Phaſelum conſpiceret. Eam depulſurus iniuriam,Parthos,tum in Syriam, PACORO & BARZAPHERNE ducibus infuſos,promiſſo talentorum mille & mulierum 500. per LYSANIAM, ſibi adiungit: bellum Herodi & HYRCANO ingens conflat: cumq; hunc cum Phaſelo fraude captum, & crudeliter mutilatum,abducendum in Parthos curāſſet,itaq; regnum cum Pontificatu in ſe trāſtuliſſet, illum fuga elapſum, & Romæ dignitate regia ornatum ab Antonio & Auguſto Cæſare,hoſtem deinde grauem habet, & decreto Senatus Romanis ducibus debellandus traditur. Ex his quanquam Silonem muneribus corruptum aliquandiu ſuſtinuit, & ſucceſſore Machæra rem adminiſtrante negligentius,Ioſephum,fratrē Herodis,oppreſsit, tandem tamen à SOSIO, quem cum copijs nouis ab Antonio Herodes impetraſſet auxiliarium, intra Hieroſolymam concluditur. Qua militum uirtute ui expugnata, quadam erga ciues commiſeratione, quos crudeliter mactari paſsim cerneret,& templi cōſeruandi ſtudio, Soſio ſe ſponte dedit,habitusq; ſuperbè & contumelioſè; ac Antonij triumpho deſtinatus, Herodis artibus, & metu turbarum nouarum, Antiochiæ ſecuri percutitur. Ioſephus, Egeſippus, Euſebius,Nicephorus, Zonaras, Oroſius. De morte eius addidêre Plutarchus & Dion,cruci alligatum(quo ſupplicio nullus unquam Rex à Romanis affectus eſſet) flagris cæſum fuiſſe,& deinde iugulatum: etſi Dion alibi perperam Ariſtobulum nominat.

FILIA ἀνώνυμος, fuit in matrimonio Antipatri, filij Herodis Magni. Ioſephus lib. 17.

ALEXANDRA,ducitur cum patre captiua in Pompeij triumpho: ac demum cum fratribus redire in Iudæam permiſſa, Aſcalone à Ptolemæo Chalcidenſe per Philippionem filium accerſitur. Huic for-

mæ excellentis gratia mox matrimonio iuncta, eadem patrem Ptolemæum, & ad filij cædem, & ad incesti amoris uesaniam pellicit: atque in torum illius succedere iussa, fratribus deinde hospitium tutum protectionemque impetrat. Iosephus.

FILIA ἀνώνυμος, sequitur patrem Romam captiua, & reditus in Iudæam cum fratribus consors fit. Iosephus.

CONNVPTA cum Alexandro fuit Alexandra, Hyrcani F. unde geniti ipsi liberi, Aristobulus & MARIAMME.

ARISTOBVLVS, amisit patrem infans quadriennis: & traductus à matre in aulam Herodis, ea gratia floret, ut is ab Antigono & Parthis eiectus, regnum ipsi petiturus fuerit, nisi in se dignitas illa præter spem collata fuisset: Pontificatum tum matris artibus, tum sororis Mariammes precibus, deiecto ANANELO, obtinet. Qua de causa occultè à rege perosus, nec multò post cum matre res moliri nouas deprehensus, etsi tum salute donatus fuit, tamē cùm populi studio apertiore tyrannicum animum iterum irritasset, per insidias Hiericunte de uita tollitur. Philo, Iosephus, Eusebius, Nicephorus, Zonaras. Egesippus alio nomine Ionatham uocat.

MARIAMME, despondetur ab HYRCANO auo, Herodi. Quo Romam ituro, Massadæ collocatur, & reuerso inde feliciter, & dignitate regia aucto, Samariæ nuptijs cōiungitur, amoreque dehinc tenerrimo amatur. Huic dum fasto quodam muliebri parum respondet, & nimium matris obsequitur morositati, tum regis matrem atque sororem contemtas, contentionibus importunis prouocat, & uitam & fortunam sibi acerbiorem reddit. Quanquam neque alienationis istius causæ ipsi iustæ defuere, amisso primùm submersione insidiosa Aristobulo fratre, & auo Hyrcano crudeliter peremto. Quibus additum à rege mandatum occultum de necanda ipsa, si quid ab Antonio pateretur, dum inconsideratius effutit, & indici Iosepho necem accersit, & intentatam sibi à Salome adulterij suspicionem adauget. Sed tamen sedata tum adhuc ista quasi tēpestas regis amore, increbescit non multò pòst uehementius, iterato ab illo mandato eodem ad Soëmum ante profectionem ad Augustum post Actiacam uictoriam. Id enim cùm itidem homini leui elicuisset, Herodem iam palàm auersatur, & contumelia non rarò affecto, tandem etiam fratris Aristobuli & Hyrcani necem exprobrare audet. Vnde illo indignatione tanta accenso, uix ut manibus temperaret, à Salome per subornatum pincernam ueneficij accusatur. Quod crimen dum defendere negligit, & rex oratione acerbiore eius damnationem in amicorum cōsilio urget, de sententia horum supplicio afficitur. Iosephus, Egesippus, Zonaras. Fuit forma & dignitate corporis, pudicitia, comitate, quam eximia quædam

maiestas.

maiestas ornaret, insigni. Ac tametsi in regem maritum esset acerbior, nec dissimularet, quo animo suorum ferret casus, obsequijs tamen beneuolentiæ ab eo perpetuis culta fuit: cumque tandem iracundiæ furore eius uitam amisisset, id tyranno desideriũ sui reliquit, ut in morbum ille periculosissimum inciderit, adeoque etiam mente motus sit.

FAMILIA ANTIPATRI, E QUA IUDÆÆ TOTI CUM REGIO NOMINE IMPERARUNT HERODES MAGNUS, ET AGRIPPA Prior.

ANTIPAS, impetrat patriæ Idumææ præfecturam ab ALEXANDRO Ianneo: iungit amiciciam cum Arabibus, Gazæis, Ascalonitis: & ALEXANDRA beneuola utus, in Antipatrum F. dignitatem eandem propagat. Iosephus lib. 14. Ant. cap. 2.

PROCREANTUR Antipa liberi, ANTIPATER & Cephalion: quibus Iosephi interpres, Sigismundus Gelenius, addidit Iosephum. Nam Castalio uarians, auunculum Herodis fecit. Quam discrepantiam peperit uox Græca à Iosepho usurpata, θεῖος. Ea enim & patruus & auunculus ueniunt.

ANTIPATER, retinet patris præfecturã: HYRCANUM, à matre Alexandra Pontificem salutatum, & regni successioni ob ætatem destinatum, spe loci dignioris, & opum amplificandarum, magno studio colit, ac contra Aristobulum propugnat fideliter. Ideo ab hoc in odio habitus, & post deiectum Hyrcanum præfecturæ honore spoliatus, ut se uindicaret, Hyrcanũ ad res nouas impellit, & primùm ARETAM Arabem, deinde POMPEIUM ei defensores conciliat. Cumque illo iam uictore redire in regnum iusso à SCAURO, hunc ab optimatibus in urbem receptũ in templi oppugnatione adiuuisset strenuè, & Hyrcano mox Pontificatum recuperat, & suam ipse potentiam atque auctoritatem confirmat mirificè, nihil non ob tam præclarè nauatam operam ipsi indulgente Hyrcano. Cui ad duces Romanos demerendos, liberalis in hos munificentiæ auctor factus, gratiam ipse omnem solus reportat: ac dum nullo non loco adesse eis studet, Scaurum Aretæ Arabi pacatum reddit: Gabinio transitum in Ægyptum per Pelusiacos Iudæos aperit, moxque itidem contra Alexandrum Aristobuli præstò est: & placatis Crasso & Cassio, Cæsarẽ contra Alexandrinos tum suis, tum sociarum gentium copijs iuuat, ac ut

MI-

MITHRADATES Pergamenus & tutius & maturius, adeoq; cum hostium clade (nam expugnato Pelusio, ad Delta prælio decertatum fuit) ad ipsum perueniret, efficit. Vnde uictoris gratiam pro meritus illustrem, ciuitate Romana & immunitate donatur, & reiectis ANTIGONI accusationibus, Iudeę protector imponitur. A' quo tempore cùm & filiorum commodis consulturus, Phaselum Hierosolymorum ciuitati, Herodem Galilææ præfecisset, Iudęis suspectus esse incipit, & criminibus grauibus ab optimatibus apud Hyrcanum oneratur. Attamen tum etiam munus & dignitatem suam retinet, & imperato Iudææ plus quam 700. talentorum tributo à Cassio, celeriter per filios summam eam conficit, & Malicho tardanti, ideoq; cædi destinato, talentis centũ uitam redimit. Pro quo beneficio insidijs se eius appeti edoctus, dumq; facinus id uindicare armis cogitat, placatus ab Hyrcano, non multò pòst per pincernam huius, pecunia à Malicho corruptum, ueneno inter epulas necatur. Iosephus, Egesippus, Eusebius, Zonaras, Cedrenus, Augustinus. Excelluit prudentia, industria, fide, moderatione: & familiam suam antea obscuram primus in lucem uocauit, & Herodi F. ad regiam dignitatem aditum aperuit. Actamsi etsi odia Iudæorum in se manifesta cerneret, tamen asperum in quenquam nihil unquam fecit. Nec conseruare sacerdotij dignitatem, ipso ceu custode ac defensore amoto, diu Hyrcanus potuit, quod & ipsum gloriam uiri clariorẽ reddidit. Cùm enim is antea perpetuò ab agnatis apud Romanos duces accusaretur, Antipatri artibus facilè machinationes illæ omnes elusæ sunt.

CEPHALION, affuit Aretæ & Hyrcano in prælio contra ARISTOBVLVM. II. fortiterq; dimicans, perimit. Iosephus Ant. lib. 14. cap. 4. & de bello Iudaico lib. 1. cap. 5. Egesippus corruptè Falionem uocat.

IOSEPHVS, accipit regni curam ab HERODE, ituro ad Antonium, & MARIAMMEN reginam, siquid durius illi accidere, interficere iubetur. Quod dum leuitate stulta apud Mariammen effutit, neq; illa ad Herodem dissimulat, & huic regis odium occultũ, & sibi interitum accersit. Iosephus lib. 15. Ant. cap. 4. Zonaras.

FVIT cum ANTIPATRO connupta Cypris, loco illustri apud Arabas nata, unde liberi ipsi geniti, Phaselus, HERODES Magnus, Iosephus, Pheroras, Salome.

PHASELVS, præpositus à patre Hierosolymæ & agro finitimo, gerit se in eo munere per sexennium laudabiliter: cædem eiusdem Herodi uindicandam arte suadet: reprimit Elicis, ducis Cassiani, seditionem, & in turri obsessum, ac deditione incolumitatem pactum, dimittit. Post pugnam Philippensem ab Antonio cùm Herode Iudææ

TETRAR-

TETRARCHA constituitur, reiectis penitus Iudæorum accusationibus, hisque, dum instant pertinaciùs, uinculis & supplicio coërcitis. Nec diu ea dignitate gauisus, à Parthis & Antigono bello petitur: cumque PACORO in urbem recepto, & hospitalibus honorato muneribus, hortatu huius pacificandi gratia ad Barzaphernem satrapam cum HYRCANO se deportasset, contra fidem datam in uincula conijcitur, & excruciandus Antigono traditur. Ab eo extrema omnia metuens, caput parieti illidit, neque sic etiam exanimatus, uulneri ueneno indito necatur. Iosephus, Egesippus, Zonaras, Cedrenus. Meminit Stephanus φασαηλίς.

HERODES, cognomento Magnus, honoratur à patre adolescentulus annorum 15. Galilææ præfectura: neque ignauiæ & luxus materia, sed ostendendæ uirtutis occasione ea usus, Ezechiam prædonem compræhensum cum socijs Iudæis supplicio afficit. Qua ex re cùm Syris omnibus (nam & Syriam Ezechias incursionibus uexabat) tum Romano Prætori, Sex. Cæsari, commendatus mirificè, suorum incurrit inuidiam: cumque causa ducta in iudicium SANHEDRIN (est uox ista è Græco συνέδριον corrupta: & prodidit Philo, fuisse id 72. seniorum, qui è posteritate DAVIDIS legerentur, consilium) Hyrcani monitu, qui damnationem ipsius metueret, maturè se subduxisset, & bellum è Cœlesyria, quam acceperat à Sex. Cæsare, moliretur, placatur à patre & Phaselo. A' Cæsaris cæde, percussorem eius Cassium celeri imperatæ pecuniæ collectione adeò sibi deuincit, ut etiam regno destinaretur, & in Malicho, interfectore patris tollendo, opera promta adiuuaretur. Inde reprimit ANTIGONVM Aristobuli, & ab Antonio cum Phaselo Iudææ TETRARCHA nominatur. Qui tantæ prosperitatis successus cùm iterum ad bellum exciuisset Antigonum, Phaselū hostis perfidia amittit, & uix ipse cum mulierum turba elapsus, & Arabia exclusus, per Ægyptum Romam contendit: regnum annitente Antonio à Senatu impetrat, & restitui à Silone & Ventidio iubetur. Hos gerere negotiū id negligentius conspicatus, dumque illud Antonio conquestum abest, præter clades alias fratre Iosepho orbatus; cùm ducem Socium tùm copias ab eo nouas impetrat. Vnde hosti iam instādo acriùs, & amissa recuperat feliciter, & Antigonum Hierosolymæ inclusum, hac expugnata, ad deditionē cogit, atque interfici Antiochiæ ab Antonio curat. A' quo tempore regno ad libidinem utitur licentiùs, & mulctatis ijs, qui cum Antigono fecerant, populum tyrannicè pecunijs spoliat. Ideo ut inuidiam declinaret, reuocat Babylone Hyrcanum: Aristobulum affinē Pontificem salutat, nec multò pòst tyrannicis obsecutus suspicionibus suis, de uita tollit, & restitutam ANANELO Sacerdotij dignitatem dehinc

uenalem

uenalem habet. Sed luit scelera hæc pœnis mox dignis: periculo uidelicet apud Antonium ex accusatione Alexandræ ob cædem Aristobuli clade ab Arabibus tempore belli Actiaci illata, & tempestate periculi noui ab Augusto Cæsare imminente. Quare factus efferatior, Hyrcanum fraude circumuentū iugulat, & crudele de necāda uxore MARIAMME, si quid ipse à Cæsare pateretur, mandatum renouat. Quod postmodo Soëmi futilitate enunciatum, turbarum iterum grauium atq; sæuiendi initium habuit. Etenim cùm dimissus à Cæsare honorificè, Mariammen inde alieniorem experiretur, idq; palam exprobrantem Salome ueneficij accusaret, damnatam amicorum sententia capite plectit, ac aliquātò pòst ob morbum ipsius, quo è Mariammes desiderio laborare cœperat, præsidiarios de arcium deditione solicitare ausam socrum Alexandram, itidem interfici imperat. Neq; dehinc nihil sibi sumit, aut moderatè quicquam agit: ausus etiam multis in rebus patriæ & maiorū instituta temerare. Nam Hierosolymis & Theatrum & Amphitheatrum, Cæsaris ornatum titulis & trophæis, extruxit, & in honorem eius agonem quinquennalem celebrauit. Quare coniuratorum insidijs appetitus, ut in posterum tutior esset, urbes aliquot uel nouas condit uel munit, & famem, æstum diuturnū ex agrorum sterilitate secutam, liberali munificentia subleuat. Tametsi hinc quoq; acquisitam gratiam mox effundit, consecrato Cæsari templo ad fontes Iordanis in ditione Zenodori, quam dono ille concessisset. Ideo ut beneficio eam alio recuperaret, fanum Hierosolymitanum à fundamentis dirutum, immensis sumtibus extruit magnificè. Nec multò pòst iterum domesticis turbis uexatur. Cùm enim Romam salutatum Cæsarem profectus, abductos inde è Mariamme filios ad spem regni erexisset, & immutatus eis Salomes & Pheroræ calumnijs, apertiore studio Antipatrum complecteretur, indignatos inde, & dolorē suum professos liberius, de insidijs habere suspectos incipit. Ac quanquam à Cæsare placatus, eos in gratiam recepisset, tamen offensos iterū Antipatri successione, beneuolentia dehinc dubia habet, & post conciliationem nouam ab ARCHLAO Cappadoce institutam, ab EVRYCLE delatos, & circumuentos Antipatri artibus, Beryti apud consilium Romanū accusat, & damnatos Sebaste strangulat. Eadem postmodo acerbitate in Antipatrū utitur, sed in insidijs ueris depræhensum, & quarum adeò frater Pheroras, & mulieres aliquot consciæ essent. Quæ res cùm refricuisset dolorem de Aristobuli & Alexandri nece, quippe quos iracundiæ furore suo, & scelere Antipatri interfectos serò nimis cognosceret, & debilitaretur senecta, morbo graui corripitur. Hoc factus asperior atque immitior, adolescentes 40. hortatu præceptorum, Iudæ & Matthiæ, auream aquilam, in Cæsaris honorem

rem supra maximam fani portam contra gentis instituta extructam, demoliri ausos, cum ipsis præceptoribus uiuos cremat. Iamque de salute desperans, quòd putrescentibus intestinis, caro per totum corpus uermibus scateret, ne de morte sua lætari Iudæi possent, ijsque uel inuitis luctum exprimeret, optimates, prætextu consiliorum cõmunicandorum de Repub. constituenda euocatos, quàm primum animam efflasset, trucidari à sorore Salome, imperat. Cumque cruciatuũ uictus acerbitate, necem sibi ipsi illaturus, ab Achiabo, qui iam libratã ad hoc facinus manum retentasset, prohibitus esset, indeque coortus clamor atque tumultus Antipatrum ad spes nouas erexisset, capite hominis audaciam punit, & inter immanes dolores quintò die pòst cedit è uita. Regnauit ab euerso & capto Antigono ann. 34. Vixit 70. Strabo, Philo, Iosephus, Egesippus, Plutarchus, Appianus, Dion, Eusebius, Suidas, Zonaras, Cedrenus, Zetzes, Tacitus, Hieronymus, Augustinus, Orosius. Prædicatur in HERODE industria & fortitudo bellica: sed taxatur iracundiæ immanitas, ἀστοργία in coniuges & liberos, perfidia, impietas. Ac sicuti foris omnia ei ex sententia cessere, ita domi calamitosissimus fuit, & semper in familia ueluti bellũ aliquod ciuile habuit. Senatores consilij SANHEDRIN, quòd aliquando ad sui damnationem inclinassent, proximo ante mortem anno trucidauit ad unum omnes: & submota DAVIDIS posteritate, cui hactenus ista dignitas hæreditaria fuerat, alienigenas, sed legis peritos, in id legit. Vndè cùm iam ius & potestas regni penes solum regẽ esset, uerè tum completum fuit uaticinium Iacobi Patriarchæ, non ablatum iri sceptrum à Iuda, donec adueniret Silo. Etenim natus est anno eodem è semperuirgine Maria promissus generi humano liberator & seruator IESVS CHRISTVS, ut scripsit Epiphanius. Quo tempore editum etiã ab Herode fuit immane illud crudelitatis in infantes Bethleemiticos exemplum, quod narrat Euangelista Matthæus. Nam monitus de tanta re à Magis, qui eo nomine seu è Persia, seu ex Arabia Hierosolymam appulissent, dũ rem certiùs per homines aduenas explorare, & cauere tumultũ cogitat, hosque Bethleemo (inde enim proditurũ Messiam conuocati mandato regis uiri in sacra scriptura eruditi confirmârant) ad se redire, & renunciare omnia iussos, præceptum id planè neglexisse, & itinere alio patriam repetiuisse cognoscit: metu furoreque plenus, tum Bethleemi oppidi, tum agri finitimi cõquisitos infantes, qui bimuli aut minores essent, mactari iubet. De quo eodem facinore inter Augusti Cæsaris iocos Macrobius explicans lib. 2. Saturnal. cap. 4. Cùm audisset, inquit, inter pueros, quos in Syria Herodes, " rex Iudæorum, intra bimatum iussit interfici, filium quoque eius occi- " sum, ait, Melius est, Herodis porcum esse quàm filium. Meminit etiam "

Philo,& filium ideo ab eo iugulatum scribit, quòd diceretur iam in lege promissus CHRISTVS natus esse. De ministria Herodis posterorumq́, ac religionis horũ deprauatæ sectatoribus, retinuere Matthæus & Marcus Euangelistæ nomen HERODIANI, quos exagitat Persius Sat. 5. Quomodo in fano Hierosolymitano asseruatas Iudaicarum familiarum descriptiones tyrannica eius uiolentia aboleuerit, ut ne scilicet generis ipsius nouitas cuiquam despectui esset, memorat ex Africano Eusebius Ecclesiast. hist. lib. 1. cap. 11. In urbibus abrege hoc conditis præcipua fuit CÆSAREA, antea turris Stratonis nominata, quæ cùm præsidibus Romanis aliquandiu sedem præbuisset, post destructam Hierosolymam Palæstinæ caput facta est. Atque inuenimus eius in externas gentes beneficentiam eximiam: quippe qui & in ipsa Græcia ludorum Olympicorum instaurationem annuis reditibus adiuuerit: Sed genti suę nunquã nõ grauis extitit. CLEOPATRÆ Gallorum satellitium ab Augusto Cæsare donum impetrauit, habuitq́ hos administros in Aristobuli affinis cæde: & militem item alium legit è GERMANIS, ut auctor est Iosephus. Aperuit iterum sepulcrũ DAVIDIS, sed pecuniæ nihil, monilia aurea multa inuenit: ac progressus ad ipsa regum Salomonis & Dauidis conditoria, satellites duos amittit. Habet de draconis erga puellam Idumæã Herodis temporibus amore historiam memorabilem Ælianus lib. 7. de animal. cap. 17.

IOSEPHVS, administrat sub patre Idumæam. Hoc defuncto, ejicitur cum Herode fratre Hierosolymis. A' quo in Massada castello mulieribus præsidio relictus, Antigoni hostilem oppugnationem sustinet fortiter, & mox grauius ex aquæ penuria periculum imminens, cœlestis numinis benignitate depellit. Hinc cùm copiis in Idumæam mittitur, & Herode ituro iterum auxiliorum nouorum petendorum causa ad Antonium, præesse interea exercitui cum imperio iubetur. Quod munus dum gerit incautiùs, & temerè ad frumẽtationes excurrit, ab hoste oppressus iugulatur, & caput ceruicibus auulsum per ludibrium circumfertur, uixq́ ingẽti pecunia à Pherora redimitur. Iosephus, Egesippus, Zonaras.

PHERORAS, militat Herodi fratri contra Antigonum: instaurat Alexandrium: & usus rege sui amantissimo, precibus illius ab Augusto Cæsare TETRARCHÆ dignitatem consequitur. Nec tamen uel gratiam ei dignam retulit, uel bene sibi consuluit. Nam cùm tyrãnicè suspicacem, ab Alexandro & Aristobulo filiis alienasset, hos
" iterum contra patrem instigat, & committit deniq; utrosq; cum Salo-
" me. Ac inuitatus humaniter ad regias fratris filiæ nuptias, ancillæ a-
" morem præfert. Quorum facinorum per Archelaum ueniam confe-

cutus,

tutus, cum Antipatro conſpirationes nouas agitat: & ob cõiugis molitiones deprehenſas in tetrarchiam dimiſſus, morbo ibi decedit, ac ſceleſta in fratrem conſpiratio atque inſidiæ, primùm à morte eius deteguntur. Ioſephus, Zonaras.

FILII duo ἀνώνυμοι, nati ex ancilla, in coniugalem torum aſcita, accipiunt in matrimoniũ ab Auguſto Cæſare Rhoxanen Salomen, Herodis M. filias, cùm ſingulis addita dos eſſet 25000. coronatorum. Ioſephus, qui & filias Pheroræ ἀνωνύμας nominat lib. 17. Ant. cap. 3. & unã Antipatro Herodis M. ex Antipatro F. nepoti, nuptam fuiſſe, ait.

SALOME, nupſit adoleſcentula Ioſepho patruo: quo artibus ſuis euerſo, Coſtobaro cuidam matrimonio iungitur, & diſcedere ab hoc auſa, ac SYLLÆI Arabis coniugio fruſtrata, inuita ab Herode Alexæ cuidam collocatur. Habuit perpetuas contentiones cum Alexandra & Mariamme, à quibus ceu ignobilis & genere impar deſpiceretur. Quas iniurias ſuas ut ulciſceretur, regem ab utraque alienat: & Mariamme per calumniam oppreſſa, idem poſtea periculum filiis eius conflat. Etſi neque ipſa obtrectationibus caruit: quas à Pherora profectas, auxit amore erga Syllæum. Alienata ab Antipatro, clandeſtinis delationum accuſationibus, patri inuiſum reddit. Cumque adeò reliquis omnibus infida eſſet, ab Herodis beneuolentia nũquam diſceſsit. Ideo & mandatum ab eo poſtremum de necandis Iudæorum optimatibus accipit, & teſtamento illius opulentiſsimis urbibus tribus, Azoto, Iamnia, Phaſelide, & argenti ſignati 50. myriadibus donatur: quibus poſtmodo ab Auguſto Cæſare arce regia Aſcalonis munere addito, ex annuis redditibus 60. talenta percipit. Vixit poſt Herodis obitum ann. 12. Quo ipſo in tempore nihil ab artium ſolitarũ molitionibus diſcedens, Antipæ contra Archelaum regni petendi auctor fit. Ac ut ergà Cæſarem ſe gratam oſtenderet, Liuiæ urbes poſſeſſas teſtamento legat. Strabo, Philo, Ioſephus, Euſebius, Zonaras. Fuit Herodi non diſsimilis ingenio moribusque: id quod & beneuolentiam inter eos firmiorem conciliaſſe uidetur: ὅμοιον γὰρ ὁμοίῳ φίλον. Nec aliud quicquam, quod memoriam eius commendaret, reperimus, quàm quòd Iudæorum proceres ab Herode morituro interfici iuſſos, dimiſit. Quanquam fortè & ſeditionis metus eam clementiam expreſsit: quandoquidem hæc mox excepit grauiſsima Archelaum. Liberi eius è Coſtobaro nominantur à Ioſepho.

ANTIPATER, exercuit inimicicias cũ AR-

BERENICE, fuit in matrimonio Ariſtobuli, ſ

» CHELAO sobrino: cumq; facũdia pręstaret, adiungit se in oppugnando illo ANTIPÆ. Duxit in matrimonium Cypron, Herodis M. Filiã, unde genita.

CYPROS, nupsit Alexæ, & filiam ὁμώνυμον Cypron edit. Iosephus.

ij Herodis M. filij. A' quo matris artibus alienata, etiam secreta eius enunciat, & calumnias matris atque maleuolentiam scelere suo auget. Habuit familiarissimam ANTONIAM maiorem, per eamq; AGRIPPÆ filio ad amiciciam Drusi Cæsaris, TIBERII filij, aditũ parat. Iosephus.

RELICTA est ab Antipatri liberis hisce omnibus soboles. Et quam Pheroras & Salome posteritatem habuerint, iam exposuimus. Reliquum est, fratrum, Phaseli, Herodis & Iosephi progeniem explanemus. E' quibus cùm Herodi ut coniuges, ita & liberi plures fuerint, pòst de ijs separatim agemus, iam proximè Phaseli & Iosephi posteros subijcientes.

NASCITVR autem Phaselo filius ὁμώνυμος, Phaselus.

PHASELVS, uixit nomine & fama obscura. Ab Herode patruo Salampsionis filiæ nuptijs honoratus, liberos ex ea suscipit, Antipatrum, Herodem, Alexandrum, Alexandram & Cypron.

ANTIPATER, nihil præter nominis memoriam, quòd in auctorum monumenta peruenerit, de se reliquit. Iosephus.

HERODES & ALEXANDER moriuntur adolescentes ephebi. Iosephus.

ALEXANDRA, nupsit Timio cuidam Cyprio, nec prolem ullam gignit. Iosephus.

CYPROS, fuit connupta cum AGRIPPA. I. quem priuatum & inopem tutata opibus suis fideliter, primùm Herodi Antipæ commẽdat, & præfectura Tiberiadis ornari curat, deinde iuuat ad iter Italicum, & uadimonium Alexandro Alabarchæ pro commodata pecunia promittit. Iosephus, Zonaras.

IOSEPHVS, filium itidem ὁμώνυμον, Iosephum, habuit, de quo illud solum Iosephus retulit, quòd Varum Hierosolymam petentem, componendæ ibi seditionis gratia, excitatę contra Sabinum, cum gentis optimatibus exceperit. Reliquit autem è coniugè OLYMPIADE filiam unicam MARIAMMEN, quæ nupsit Herodi regi Chalcidis.

POSTE-

POSTERITAS HERODIS MAGNI.

¶ CONIVGES Herodi Magno à Iosepho & Zonara decem tribuuntur.

¶ I. DORIS, Idumæa, filium enixa est Antipatrum.

ANTIPATER, abdicatur à patre post nuptias Mariammes, & Hierosolymam tantùm ad festorum trium præcipuorum solennitates uenire permittitur. Pòst tamen beneuolentiam illius alienatione erga Alexandrum & Aristobulum recuperat: quibus oppositus æmulus, Agrippæ & Cæsari educandus traditur. In quo tempore absens uarijs in eosdem fratres utitur machinationibus: ijsq; in regni successione præpositus, haud antè quiescit, quàm prorsus eos oppressisset. Ideo diris ultricibus agitatus, regni cupidine cum Pherora in patris necem conspirat, & huic negotio isto commisso, se à Cæsare Romam accersi iterum curat. Cumq; interea & Pheroram mors abripuisset, & indicio patri insidijs detectis, literis huius reuocatus esset, in uincula conijcitur. Vbi dum spe temeraria de patris morte custodes solicitat, necq; tantam audaciam cælare illi à rege audent, iussu huius perimitur. Iosephus, Egesippus, Zonaras.

¶ CONIVGES Antipatro duæ fuerunt: prima, Filia Antigoni Asmonæi, Vnde filius ei genitus Antipater: altera Mariamme, filia Aristobuli fratris. Nec de filio Antipatro aliud scriptorum monumenta tradidere, quàm quòd Filia Pheroræ ei collocata fuerit.

¶ II. MARIAMME, Asmonæa, secunda Herodis cõiunx, liberos ei procreauit, Alexandrum, Aristobulum, Salampsionem & Cypridem.

ALEXANDER, mittitur cum Aristobulo fratre Romam, salutatum Cæsarem, & per decennium eruditur in literarum studijs apud Asinium Pollionem. Inde à patre in Iudæam reducitur, & Glaphyræ Cappadocissæ cõnubio honoratus, atq; in spem regni erectus, etiam populi studio beneuolo colitur. Id quod cùm metum incussisset Salomæ amitę, necq; ipse ab insectationibus huius atq; Pheroræ abstineret, calumnijs utriusq; infestis oppugnatur, & affectati regni suspicione grauatur. Ideo patre dehinc alieniore usus, etiam Antipatrum æmulum accipit. E qua iniuria dum conceptam indignationẽ ostendit liberius, structarum patri insidiarũ ex accusatione ipsius apud Augustum Cæsarem reus fit. Sed clementi principis interuentu periculo tum liberatus, offenditur iterũ, quòd in regni successione Antipatro postpositus esset. Ac tametsi nouis criminationibus ab inuidis delatum reduxisset cum patre in gratiam ARCHELAVS socer, tamẽ

Antipatri ſcelere periculis nouis obijcitur, & proditur tandẽ ab EVRYCLE Spartano. Quare in cuſtodiam accuratam includitur, & apud Cæſarem per literas, Beryti apud Romanum conſilium coràm à patre accuſatur: damnatusq́ ab utrisq́, ſtrangulatur. Ioſephus, Egeſippus, Zonaras. A' morte Herodis Iudæus quidam Sidonius, Alexandrum ob corporis ſimilitudinem ſe fingere auſus, ideoq́ cùm Iudæos gẽtiles alios, tum in primis Melios & Romanos ludificatus, punitur à Cæſare. Collegit audaciæ ſimilis exẽpla Valerius lib. 9. cap. 16. & habent aliqua noſtræ gentis annales, in quib. maximè memorabile eſt, quod de FRIDERICO. II. incidit in Rhodolphi Habſpurgenſis imperium.

ARISTOBVLVS, & ſtudiorũ & fortunæ & periculorũ fratris omnium cõſors factus, & tempore cauſaq́ cum eo damnatus eadem, uitæ etiam finem eundem habet. Ioſephus, Egeſippus, Zonaras.

SALAMPSIO, fuit in matrimonio Phaſeli iunioris, nati patre Phaſelo Herodis M. Ioſephus, Zonaras.

CYPRIS, collocatur Antipatro, filio Salomes. Ioſephus.

FLORVIT autem diùtiſsimè omnium in Herodis progenie Alexandri & Ariſtobuli poſteritas. Quocirca hîc eam prætermittimus, pòſt de ea explicaturi diligentius.

¶ III. MARIAMME, Simonis Pontificis F. tertia Herodis coniux, genuit filium Herodem.

HERODES, ſubſtituiť loco ſecũdo Antipatro fratri hæres teſtamento patris primo: cum quo Antipatro cõſpiraſſe mater deprahenſa, & dignitatis ipſe tantæ ſpe excidit, & auus Simon ſacerdotio exuitur. Ioſephus, Egeſippus.

COLLOCAT autem Herodi huic Ioſephus HERODIADEM, neptẽ Herodis M. ex Ariſtobulo F. è qua naſciť filia SALOME. Nam q Cedrenus patrẽ huic Philippũ attribuit, repudiamus.

SALOME, conſectať matrem adulterã ad ANTIPAM: quẽ natalem celebrantẽ ſaltatione puellari demerita, & quod uellet per interpoſitã iuriſiurandi religionẽ, denegatũ ipſi nihil iri, petere iuſſa, matris ſceleſtiſsimæ cõſilio caput IOANNIS BAPTISTÆ & poſcit & impetrat. Pòſt Ariſtobulo nubit, & liberorũ ex eo aliquot mater fit. Ioſephus. A' Nicephoro ex epigrãmatis cuiuſdam lemmate Salomes exitus horribilis deſcribitur, nẽpe hyemis tẽpore in amne ſubmerſam, ita ut corpus motu aquarũ ſubſiluerit, caput eminens glacie reſectum ſit. Cedrenus de eadẽ his uerbis explicauit. Herodiadis, inquit, filiã quæ ſaltãdo impetrârat, ut prӕcurſori caput amputareť, terra uiuã abſorpſit. Alij ferunt eã, cùm in glacie paluſtri luderet, rupta glacie ita in fundũ decidiſſe, ut caput abſciſſum ſupra glaciem extaret.

¶ IV. MAR-

IV. MARTHACA, Samaritis, quarta Herodis coniux, edidit, quæ nostra est sententia, liberos: ARCHELAVM, PHILIPPVM & Olympiadem.

ARCHELAVS, dedit bonis literis operā Romæ: In quo tempore ab Antipatri amicis per literas patri accusatus, ideoque testamento eius secūdo præteritus, tertio successor regno destinatur. Sed quod dederat fortuna, abstulit rursus cognatorū improbitas, & morū truculentia. Etenim Romā profectus ad impetrandā paterni beneficij confirmationē à Cæsare, & SALOMES amitæ artib. ab æmulo ANTIPA fratre, cui se adiūxisset Antipater Sobrinus, oppugnatur, & gentis legatione solenni crudelitatis, quā exercuerat ob flagitatos ad supplicium Herodis amicos quosdā, qui necis 40. scholasticorum auctores fuisse credebantur, accusatur. Iccirco tātum ETHNARCHÆ nomine præesse Idumææ, Iudææ & Samariæ iubetur, relicta tamē spe, neque regiam dignitatē denegatū iri, si regno se dignū præstaret. Id quod quidem certè facere adeò neglexit, ut & tyrannide noua sæuiret, & Pontifices bis mutaret. Addidit quoque coniugium incestum: nam repudiata Mariamme cōiuge, uiduam Alexandri fratris Glaphyram uxorem duxit. Quapropter à legatis Iudæis & Samaritis iterum apud Cæsarem accusatus, Viennā Galliæ relegatur, ibique exul moritur, cùm fuisset cum potestate annos nouem. Strabo, Philo, Eusebius, Zonaras, Cedrenus. Meminit Euangelista Matthæus cap. 2. Facultates eius fisco cessere: prouinciæ subditæ deinde per præsides administratæ fuère, è quibus T. PONTIVS PILATVS seruatorem IESVM CHRISTVM ad crucis supplicium condemnauit, anno TIBERII Cæs. 18. Dion Herodem Palæstinum uocat, & accusatum postremò à fratribus, ait. Narrat Iosephus de somnio ipsius, quod exilij calamitatem ei præsagijt, historiam memorabilem Ant. libro decimoseptimo cap. ult.

PHILIPPVS, adiungitur Romæ fratri Archelao studiorum socius: itidemque testamento patris secundo præteritus, tertiò TETRARCHA Gaulonitidis, Trachonitidis, Batanææ, & Paneadis nominatur. Neque dehinc ullo tempore & loco Archelao deest: apud quem eam integritatis opinionē promeret, ut dum Romæ ille abesset, administrandū regnū acceperit, & periclitāti, præsidio uenerit. Eandē iustitiæ, moderationis & clemētiæ laudē è sua tulit tetrarchia. Cumque bellorū fugeret turbas, & tutā tranquillāque pacē traheret, condidit Cæsareā, ab ipso Philippi cognominatā, & Bethsaidæ oppidulo ampliato, & publicis priuatisque ędificijs exornato, nouū Iuliadis nomē dedit. Fuit in magistratu an. 37. & uita defunctus Iuliade monumentò, quod ipse sibi extruxerat, infertur. Iosephus, Eusebius, Zonaras. Suidas &

Cedrenus Herodem Philippum uocant. Notabile eſt, quod de diligentia eius in iure dicendo auctorum monumenta prodidere. Nam etiam cùm iter faceret, ſellam, in qua cauſas audiret, ſecum duxit, & ſi quis fortè ex occurſu opem eius inuocaret, illa ſine mora poſita, reſidebat, aut ſontem damnaturus, aut liberaturus innoxium. Cōiugium ei infelix contigit: & deſertrix huius HERODIAS, palàm deinde cum Antipa fuit. Tetrarchiam Philippi TIBERIVS Cæſ. prouinciæ Syriæ attribuit. Meminere Euangeliſtæ Matthæus cap. 14. Marcus cap. 6. Lucas cap. 3.

OLYMPIAS, collocatur Ioſepho, filio Ioſephi, fratris Herodis Magni. Ioſephus.

V. CLEOPATRA, Hieroſolymitana, Herodis quinta coniunx, filium procreat HERODEM Antipam.

HERODES, cognomento ANTIPAS (creditur nomē hoc mutilatum à Græco ἀντίπατρος, ut Cleopas à κλεόπατρος) donatur ſecundo patris teſtamento dignitate regia: eoq́ iterum abolito, tantum Galilææ & Perſeæ TETRARCHA cōſtituitur. Hoc iniuriam ratus, & in ſpes nouas erectus à Salome & Irenæo Oratore, Romæ ab Auguſto Cæſare contra ARCHELAVM regnum ambit: ac tametſi audiretur benignè, aliud tamen nihil, quàm ut à patre relicta tetrarchia ſibi confirmaretur, impetrat. Qua in re meritò prouidentiæ & iuſticię diuinæ, ſcelera hominum perpetuò punientis, mirari reſpectum licet. Cùm enim in Romano itinere deflexiſſet ad Philippum fratrem, & hoſpitalibus muneribus cultus eſſet prolixè, hanc ei gratiā retulit, ut cum HERODIADE cōiugium clàm paciſceretur, & in reditu raptam, deinde ſecum haberet. Ideo ab ARETA Arabe, ad quam filia, coniux prior, hoc odorata inſtitutum, reuerterat, prætextu uindicandi agri Gamalitici, bello oppugnatus, exercitum internecione amittit. Ac pace iterum Cæſaris interuentu firmata, adeò ad frugem non redit, ut IOANNEM BAPTISTAM, facinus idem taxantem, primùm carcere, deinde capite mulctârit. Iamq́ maleficijs & dolis aſſuetus (unde in Euangelica hiſtoria uulpes nominatur) etiam CHRISTVM opprimere inſidijs ſtudet, & miſſum denique illum ad ſe à PILATO captiuum, & ſupplicio deſtinatum, cùm oſtēta ab eo, ceu circulatore & mago, fruſtra expectaſſet, habet contumelioſè, atq; occaſione iſta ſcelerata iterū Pilato, qui cum antea inimicicias geſſerat, conciliatur. Cętera tamen uirum induſtrium & gnauum fuiſſe reperimus: nec defuit ei in tetrarchia exornanda ſtudium. Etenim ampliatis ſumptu ingenti Autocratoride & Iuliade urbibus, condidit TIBERIADEM ad lacum Genezareth, appellatam ita ab Imp. Cæſ. Tiberio, Auguſti ſucceſſore. A' cuius obitu cùm propinquo AGRIPPA ad

regiam dignitatē euecto à CALIGVLA, eandem ipse sibi ab Imp. despondisset, & urgeretur ad id assiduis uxoris hortatibus, Romam cum ea iter suscipit. Nec pro spe exceptus, & dum commendare se studet, accusare Agrippam aggressus, de armorum apparatu (indicârat hunc per literas & legatum Fortunatum idem Agrippa, & conspirationem inde cum Parthis arguerat) interrogatur; Quem habere se fassus regium, ad exilium ceu imperij Romani hostis deportari Lugdunum iubetur, & Tetrarchiæ ipsius imperium Agrippæ permittitur. Matthæus, Marcus, Euangelistę, Philo, Iosephus, Zonaras. A' Cedreno perperam Antipas & Agrippa cognominatur: Quod cōtraria, sed itidem errante sententia impugnans Eusebius, ex uno ipso duos fecit, Herodem uidelicet & Antipatrū. Iosephus nunc Herodem, nunc Antipam uocat. Ab Hegesippo traditum est, fugisse in Hispanias, & animi ægritudine ibidem consumptum.

❧ VI. PALLAS, sexta Herodis coniux, filiū ex eo habuit Phaselum, cuius res gestæ nullæ commemorantur.

❧ VII. PHÆDRA, septima Herodis coniux, filiam Rhoxanen suscepit.

❧ IIX. ELPIS, octaua Herodis coniux, itidem filiam enixa est Salomen.

AMISERE autem puellæ hæ duæ patrem uirgines adolescentulæ. Ideo ab Augusto Cæsare collocantur filijs Phærore, & præter legatam patris testamento dotem, donantur argenti signati uicenis quinis myriadibus, hoc est 25000. coronatorū. Iosephus, Zonaras.

❧ NONA Herodis coniux, neptis è fratre, ut & decima, soror eius patruelis, ἀνέψιαι sunt, nec soboles ex illis ulla memoratur.

❡ ADIICIO autem hîc ACHIABVM, Herodis Magni ἀνεψιὸν, ut nominat Iosephus, hoc est, uel patruelem uel consobrinum uel sobrinum (nam hæc omnia uoce ista Græca ueniunt) Qui cùm adesset regi ægrotanti, necem è dolorum magnitudine sibi illaturum impedit. Inde ueteranis illius defectoribus se opponit, atque à Varo oppugnandos ad deditionem pellicit. Iosephus.

POSTERITAS ALEXANDRI, FILII HERODIS MAGNI E' MARIAMME ASMONAEA.

HABVIT Alexander in matrimonio GLAPHYRAM, Archelai, regis Cappadocum, filiam: Vnde liberos suscepit, Alexandrum & TIGRANEM.

ALE.

Alexander, nullis rebus gestis inclaruit, & retulere nomen solum Iosephus & Egesippus.

TIGRANES, uixit aliquandiu obses Romæ. Vnde cùm familiarem sibi fecisset NERONEM Imp. Armeniæ regno donatur, idq; ut defenderet à Parthis facilius, præsidium legionariorum mille, tres cohortes sociorum, & equitum alas duas accipit. Nec tamen retinere sic etiam dignitatem eam diu potuit. Etenim depopulari Adiabenen ausus, à VOLOGESE, rege Parthorum, bello oppugnatur: & obsessus Tigranocertis, etsi sustineret hostilem impetum fortiter, & promptis iuuaretur Romanorum auxilijs, abscedere tamen Armenia artibus Corbulonis, qui duce huic peculiari opus esse cōtenderet, cogitur. Iosephus, Tacitus.

Alexandro filius nascitur TIGRANES.

TIGRANES: donatur & ipse regno Armeniæ à NERONE: nec aliud de eo in literas relatum est; ut credibile sit, neque ipsi dignitatem eam diuturnam fuisse.

ALEXANDER, creatur à VESPASIANO Imp. rex Lesidis in Cilicia. Vxor eius nominatur IOTAPE, Antiochi Commageni F. nec additur progenies.

POSTERITAS ARISTOBVLI, ALTERIVS HERODIS MAGNI E MARIAMME FILII.

FVIT cum Aristobulo connupta BERENICE, filia Salomes, quæ liberos ei enixa est, AGRIPPAM, HERODEM, Aristobulum, HERODIADEM & Mariammen.

AGRIPPA, cognomēto Magnus, mittitur Romam puer annorum octo: & consuetudine domestica (nam in Cæsaris ædibus educabatur) commendatus DRVSO, Tiberij filio, etiam ANTONIÆ maioris familiaritatem intrat, confirmante hanc matronæ illius beneuolentiæ propensionem matre Berenice. A' cuius obitu cùm & uitæ lautioris cultu, & prodigalitate in Cæsaris libertos, ad inopiam redactus, gratia insuper huius, Drusi demortui amicos auersantis, excidisset, in Iudæam regreditur, uexatusq; acerbissimè à creditoribus, & ope omnium destitutus, etiam in se per desperationem grauius aliquid commisisset, nisi à tali instituto opportunè reuocasset Cypri coniugis pietas. Ab hac enim commendatus HERODI Antipæ, Tiberiadi præficitur. Etsi neque hanc ei fortunam patrui insolentia diu

inco-

incolumem reliquit: atque Aristobuli fratris inuidia Flacco, Syriæ Prætore, alieniore usus, Cypro ope in Italiam redit. Vbi similiter Cæsarem alieniorem cognoscit, eoque uix pecuniæ debitæ solutione placato, iterum in periculum nouum immodico erga CALIGVLAM studio, quem Imperatorem, Tiberio mortuo, fieri quàm primum exoptauerat, incidit. Ideo in uinculis per tempus semestre asseruatur: euentum tamen eum tandem expertus, quem in acerbitate illa ex augurio quodam miles Germanus ei prædixisset. Nam post mortem Tiberij mox solutus à Caligula, tum Philippi & Lysaniæ tetrarchijs cum regij nominis dignitate honoratur, tum catenam auream, quæ pondere ferream, qua uinctus à Tiberio fuerat, æquaret, donum accipit. Nec multò pòst adijcitur his Herodis Antipæ ditio, quem apud Imperatorem periculum sibi intentantem, per literas præuenerat. Inde Romam regressus, mitigat Caligulæ in gentem suam cogitatam sæuitiam, & CLAVDIVM in imperio acquirẽdo promta ope adiuuat. Quod beneficentia illo eximia remunerante, præter eas, quas auus Herodes Magnus tenuerat prouincias, hoc est, Iudæam & Samariam, & Abela & Ciliciæ parte & Commagene augetur: & regnum Chalcidis, deprecante ipso, Herodi fratri permittitur. Cumque de tãta prosperitate Deo patrio gratum se declaraturus, catenam auream à Caligula donatam, in fano Hierosolymitano suspendisset ἀνάθημα, etiam urbem ipsam apparatu tanto, qui Imperatori suspectus esset, munire cœpit. Nec destitit deinde gentem suam beneficijs demereri. Cui dum etiam religionis quendam addere Zelum studet, IACOBVM Apostolum, Ioannis Euangelistæ fratrem, ad supplicium rapit, idem in PETRVM ausurus, nisi cœlestis numinis prouidentia periculo hunc eripuisset. Quocirca pœna ei iusta imminente, ludos Cæsareæ pro salute Cæsaris celebrat magnificos: in quibus insanientis plebis adulatione ob uestis aureæ fulgorem Deum se salutari passus, à Domini angelo percutitur, erosusque à uermibus, extinguitur. Regnauit annos 7. Vitæ 54. expleuit. Philo, Iosephus, Hegesippus, Suidas, Zonaras, Cedrenus. Lucas in Actis Herodem uocat, & Eusebius mox à Caligula Iudææ regem salutatum, ait. Addit Dion, hominum sermonibus diuulgatum fuisse, Tyrannum illum ab Agrippa ad sæuitiam instigatũ, tum à Claudio honores ei consulares concessos. Nec regnum mansit posteris: & contendentibus Claudij libertis, minimè id puero, hoc est, Agrippæ iuniori, committendum, iterum in prouinciam redigitur, ut meminit Tacitus.

HERODES, obtinet fratris precibus à CLAVDIO Cæsare dignitatem Prætoriam, & regnum Chalcidis, quod tenuit ann. 8. Gessit inimicicias cum Sila, quem ab Agrippa in carcerem coniectũ, à morte

morte eius occidit. CVSPIO Fado præside stolæ Pontificiæ custodiam sibi arrogare auso, gentis suę patrocinium suscipit, ac tum ius hoc Pontificibus conseruat, tùm constituendorum eorundem potestatem cum templi ac sacri ærarij custodia familiæ recuperat. Iosephus, Dion, Zonaras.

ARISTOBVLVS, dissidet infesto odio ab AGRIPPA fratre, eiq; ab Herode Antipa discedenti, etiam Flaccum Procons. Syriæ alienat. Eodem ad regnum euecto, legationem ad PETRONIVM, deprecatum templi profanationem & CALIGVLÆ statuam suscipit, huncq; oratione commoda ad moderationem flectit. Vixit autem atq; obijt priuatus, sed tamen regias promeritus Iotapæ, filiæ SAMPSIGERAMI, regis Emeseni nuptias, è qua filiam reliquit Iotapam, Surdastram.

HERODIAS, nupsit patruo Herodi, & hoc mortuo, alteri Philippo. Cuius deserere uiuentis matrimonium ausa, & fratri eius Antipæ iuncta, IOANNEM Baptistam scelus id piè culpantem, primùm in carcerē condi, deinde plecti capite curat. Cumq; exinde in incesto illo impudenter perseueraret, & cladem ab Arabibus toti regno funestam attrahit, & se deniq; maritumq; euertit. Etenim AGRIPPÆ fratri concessam à CALIGVLA dignitatē regiam inuidens, insana ambitione Antipæ ad eandem petendam auctor fit. Quo ista in re nimis temerè obsecundante, sed ab Imperatore, ex Agrippæ criminationibus offenso grauiter, pro diademate, exilij pœnā reportante, etsi suas retinere facultates permitteretur, tamen dum simulat, se ab afflicto discedere non posse, cui florenti adhæsisset, conata nimirū hac techna Cæsaris animum mitigare, illo responso hoc excandescēte uehementius, ipsa quoque beneficio isto spoliatur, atq; in exilium simul protruditur. Matth. 14. Marc. 6. Iosephus, Egesippus, Zonaras. Sunt qui nomen Herodiadis in Magorum & ueneficorum carminibus, tanquàm præcipuè dirum adhuc nominari, perhibent. In Ecclesiæ doctoribus, IOANNES Chrysostomus, Episcopus Byzantinus, in contentione contra Eudoxiam Augustam, isthuc prouectus acerbitatis, ut Herodiadem eam appellaret, artibus illius exilio mulctatur.

MARIAMME, destinatur ab Herode auo coniux Antipatro, Antipatri filio: sed ducitur postmodo ab ipso Antipatro. Iosephus, Egesippus.

AGRIPPA Magnus coniugem habuit CYPRON, Phaseli iunioris filiam, è qua liberos sustulit: AGRIPPAM, Drusum, BERENICEN, Mariammen, DRVSILLAM.

AGRIPPA, orbatur patre adolescentulus annorum 17. Cui cùm ab alumno Imp. Cæs. Claudio destinaretur successor, libertorum ma-

lignitate

lignitate spe illa frustratur: Quippe qui prouinciarum præfecturis inhiantes, regni tanti administrationi imparem Agrippam contenderent. Post quinquennium patrui HERODIS ditionem accipit, & retinere potestatem in templi thesauros, & ius Pontifices creandi, permittitur. Quo usus impotentius, tempore non magno Pontifices aliquot exautorat, prout scilicet quis licitaretur dignitatem eam carius. Iterum ita augetur à Claudio, ut pro Chalcidis regno, Philippi tetrarchia, hoc est, Trachonitide & Batanea, tum Abela & Lysaniæ dynastia donatus sit: quibus NERO deinde addidit partem Galilææ, & urbes, Tiberiadem, Taricheas & Iuliadem. In Cæsarea Felicis successorem, PORTIVM Festum, salutaturus, audit occasione ea PAVLVM Apostolum, causam dicentem: cuius cognita innocentia, etiam à doctrina eius haud alienũ se ostendit. Nec multò pòst in grauem incidit Hierosolymis cum Sacerdotum ordine contentionem, extructa in templi uicinia domo quadam altitudine tanta, ut con spici inde posset, quicquid in templo ageretur. Hoc enim illi nefas arbitrati, murum alium oppòsuere, cuius demolitionem dum urget obstinatius, desistere à POPPÆA Augusta iubetur. Ideo alienatus à Pontifice Iosepho, substituit ei ANANIAM: & remoto hoc iterum ob IACOBI Apostoli cędem, Iesum Damnei Pontificem creat. Vt impediret gentis à Romanis defectionem, furiosè tumultuantes adhortatione graui compescit: & cùm benignè auditus, etiam Floro eos parere, quoad mitteretur successor, iuberet, indignatione tanta excipitur, ut etiam urbe mox eiectus sit, atque in uitæ discrimen graue uenerit. Quocirca & optimatibus deinde auxilia contra plebem mittit, & bellum cum Cestio & VESPASIANO urget. Quo tempore cum TITO ad Galbam Imp. Romam iturus, & hoc cæso nec multò pòst Othone oppresso, iterũ à suis in Iudæam reuocatus, iuuit in imperio obtinendo Vespasianum, & à Tito Prætorijs honoribus honestatur. Moritur anno regni 27. ætatis 49. Lucas Act. 25. Philo, Iosephus, Hegesippus, Zonaras, Cedrenus, Tacitus. Eusebius perperam à Claudio surrogatum patri, ait, & tribuit ei ann. 26. Detulit plurimùm IOSEPHO historico, & meminit ipse epistolarum 72. ad se ab Agrippa missarum. A' Iuuenale sat. 6. incesti accusatur cum sorore BERENICE.

AGRIPPINVS, seu Agrippa ultimus, nominatur à Philone: qui ad annum ultimum ætatis suæ decrepitæ regnasse annos 36. ait.

DRVSVS, moritur ante pubertatis annos. Iosephus.

BERENICE, despondetur Marco, Alexandri Lysimachi filio: quo ante nuptias defuncto, collocatur HERODI patruo, regi Chalcidis. Neque diu huius quoque coniugij felicitate salua usa, & apud fratrem commorata, Cæsareę cum eo PAVLVM Apostolum audit, & ob familiaritatem nimiam incesti suspicionem incurrit. Eam à se depulsura, nubit POLEMONI, Ciliciæ regulo: cùm circumcisionem ei & religionem patriam persuasisset: & offensa iterum hominis temulentia, ad Agrippam redit. In quo tempore Florum pro gente sua frustra deprecata, pòst cum eodem Agrippa in uitæ discrimen uenit. Ac magnificentia munerum Vespasiano patri, forma TITO commendata, hunc auxilijs bello Iudaico iuuat, & Romam secuta, palàm cum eo in palatio habitat: Cumq́ iam in coniugij erecta spem, populi indignatione ea excidisset, pòst imperio potitum frustra tentat. Lucas Act. 25. Iosephus, Egesippus, Dion, Tacitus, Suetonius, Victor. Meminere Quintilianus lib. 4. Instit. Oratoriarum cap. 1. Vbi causam pro ea se dixisse, ait, & Iuuenalis Sat. 6.

MARIAMME, destinatur à patre decennis coniugio Archelai, Chelciæ F. eiq́ collocata ab Agrippa fratre filiam Berenicen edit. Pòst iungitur matrimonio Demetrio, homini inter Iudæos Alexandrinos tam genere quàm opibus primario, & filium ex eo Agrippinum gignit.

DRVSILLA, puella formæ præcellentis, despondetur itidem à patre ANTIOCHO Epiphani, Commageno: quo postmodo religionem Iudaicam & circumcisionem detrectante, nubit AZIZO, regi Emesenorum. Cumq́ muliebri accensa æmulationis contentione, quam haberet de forma cum sorore Berenice, per Simonem quendam solicitaretur à CL. FELICE, contra leges patrias ei connubio iungitur, & filium ei Agrippam enititur: qui iam adultus, perijt cum uxore Vesuuiani incendij clade. Iosephus. Meminit Lucàs Act. 24.

HERODI Chalcidensi, Agrippæ Magni fratri, coniuges duæ fuere: prima Mariamme, è qua natus ARISTOBVLVS: altera BERENICE, neptis ex Agrippa, quæ edidit Berenicianum & Hyrcanum.

ARISTOBVLVS, fuit cum patre in honore apud CLAVDIVM Cæsarem, & à NERONE regno minoris Armeniæ donatur. Iosephus, Tacitus.

BERNICIANI & HYRCANI sola extant nomina absque rebus gestis.

CVM ARISTOBVLO Armenio connupta fuit SALOME,

LOME, Herodiadis F. quæ liberos procreat, Herodem, Agrippam, & Ariſtobulum. Ex his priores duo fama nominis obſcura uixere: Ariſtobulo regnum Chalcidis conceſſum arbitror, ut ſit idem, qui cum Ceſennio oppugnauit ANTIOCHVM Commagenum, teſte Ioſepho.

¶ PROPAGAVIT etiam Ioſephus è regia Herodis familia, ANTIPAM, LEVIAM & SOPHAM, nec tamen addit maiores. De his idem plura lib. 4. de bello Iud. cap. 5.

REGNVM COMMAGENES.

DE FAMILIÆ REGVM COMMAGENAE SERIE ET SVCCESSIONE.

COMMAGENE parua Syriæ regio eſt, quomodò eſt auctor Strabo. Huius reges primùm nominantur in bellis Cn. Pompeij, Neque additur origo: etſi à Seleucidis nō planè alienos fuiſſe opinor: id quod oſtendere etiã uoluiſſe uidetur Antiochus Epiphanes, qui patris auxiliares copias in bello Iudaico in morē Macedonicum armauit. De ANTIOCHO. I. ſtirpis conditore, uariare à Dione nonnihil uidetur Plutarchus. Nam inter Aſiaticos Reges, qui pro Antonij partibus contra AVGVSTVM Cæſarem propugnauêre, refert MITHRADATEM Cõmagenum: cùm in iſto tempore adhuc in uita fuerit ANTIOCHVS, isq; primum poſt annorum aliquot interuallum ſucceſſorem acceperit Mithradatem. Idcirco fratrem hunc ANTIOCHO attribuimus: cum quo poſtea ei lites fuiſſe, prodidit Dion. Etſi idem ſucceſſorem Antiocho datum ab Auguſto, ait non Mithradatem fratrem, ſed alium, cuius parentem antea Antiochus occidiſſet. Atque pertinuerit'ne Mithradates is ad hanc familiam, planè incertum eſt. Tamen mox ad illam regnum reduxit ANTIOCHVS. II. quem primi filium facimus, cùm quidem ſucceſſorem Antiochum. III. hoc natum tradat Dion, & ſequentium propago certa ſit ex Ioſepho. Habuit igitur Commagene reges tantummodo quinque: qui regnârunt annos circiter 135. Nam etſi Romani etiam in regionem hanc interea inuolârunt, tamen ad ſuos illa reges redijt: penes quos manſit usq; ad imperium VE-

SPASIANI. Tum enim ANTIO'CHO deiecto, iterum à Romanis occupata prouinciæ Augustophratensis, seu ut habet Ammianus, Euphratensis nomine eis deinceps paret. Regia Cõmageni Reges usi sunt Samosatis, ut sunt auctores Ammianus & Strabo.

FAMILIA REGVM COMMAGENÆ, QVÆ REGNAVIT ANNOS CIRCITER CXXXV.

I. ANTIOCHVS. I. oppugnatur à CN. POMPEIO post debellatum TIGRANEM: nec multò pòst in amiciciam receptus, donatur Seleucia Mesopotamiæ. Bello ciuili eidem auxiliares copias mittit contra Cæsarem: cumq; postea attractum à Labieno in Syriam PACORVM Parthum palàm iuuisset, à Ventidio Samosatis obsessus, & mulctandus ANTONIO relictus, talentis 300. redimere pacem cogitur. Euocatus Romam ab AVGVSTO Cæsare, quòd legatum fratris, cum quo litem habebat, ibi dolo occidisset, & in Senatu damnatus, capite plectitur. Strabo, Iosephus, Dion, Cæsar, Orosius. Meminit Cicero ad Q. fratrem, & Epist. famil. lib. 15.

II. MITHRADATES. I. Antiochi. I. frater, propugnauit pro ANTONII partibus contra Augustum Cæsarem. Inde discorde Antiocho usus, legatum ea de re Romam missum insidijs eius amittit. Plutarchus, Dion.

¶ III. MITHRADATES. II. donatur regno ab Augusto Cæsare, quod patrem Antiochi. I. fraude amisisset. Dion. Neque aliæ huius regis res gestæ commemorantur: estq; æquè incertum quot in regno annis fuerit.

ANTIOCHVS. I. liberos suscepit, ANTIOCHVM. II. & Filiam ἀνώνυμον.

IV. ANTIOCHVS. II. reducit regnũ ad familiam: mortuus sub TIBERIO. Cumq; contentio inter plebeios & nobiles orta esset, his regnum in prouinciæ formam redigi postulantibus, illis contrà sub rege uiuere cupiẽtibus, Prætor eò mittitur à Tiberio Q. Seruæus. Iosephus, Tacitus.

FILIA ἀνώνυμος, nupsit ORODI. I. regi Parthorum. Dion libro 49.

ANTIOCHO. II. nascitur ANTIOCHVS. III.

V. AN-

V. ANTIOCHVS. III. recuperat regnum à CALIGVLA cum parte CILICIÆ: nec multò pòst spoliatus utroque, restituitur à CLAVDIO. Compescuit tumultuantes Clitas Cilices, Trosobore duce in potestatem redacto. VESPASIANVM contra Vitellium ad imperiũ euectum copijs auxiliaribus iuuit: cumq; Iudæos cum eodem oppugnasset, pòst in suspicionem societatis Parthicæ à Cesennio uocatur: & subito bello oppressus, atq; in Cilicia dedere se coactus, ad Imperatorem captiuus mittitur. A' quo uinculis solui iussus, primùm Lacedæmone, inde Romæ uiuere permittitur. Iosephus, Dion, Tacitus, Suetonius. Floruit potentia & opibus: quæ utraq; cùm tam leui momento iam senex amiserit, suo nos casu docet: Nullum ante mortem dici beatum oportere, ut ait Iosephus.

RELIQVIT ANTIOCHVS. III. liberos, Antiochũ, Callinicum, & IOTAPEN.

ANTIOCHVS, cognomento ἐπιφανὴς, pugnauit cũ OTHONE contra Vitellium. Bello Iudaico Vespasiani, præfuit auxiliaribus patris copijs: quibus Hierosolymã temere adortus, cum clade repellitur. Post patris fugam proficiscitur in Parthos: unde reuerti permissus, ad eundem Romam se deportat. Iosephus, Hegesippus, Tacitus. Fuit ei desponsata MARIAMME, Agrippæ. I. regis Iudæorum F. quam desponsationem unà cum circumcisione promissa posteà renunciat.

CALLINICVS, memoratur à Iosepho libro 7. de bello Iudaic. cap. 27.

IOTAPE, connupta fuit cum Alexandro, rege Lesidis in Cilicia. Iosephus.

QVOD postulasset expositionis series, ut ad Monarchiam quartam, quæ ROMANORVM est, iam explicando pergeremus, id cur prætermittendum nobis censuerimus, alibi ostendimus. Quia uerò in historia Romana præcipuè regnum NVMIDICVM & MAVRITANICVM celebratur, hoc tanquam adiumentum illustrandæ illi haud postremum futurum, subijcere hîc adhuc solum placuit. Enimuerò de familijs externis nullis, quàm de Numidicis, à Romanæ historiæ conditoribus illis, Salustio & Liuio, explicatum diligentius, constat. Cuius auctoris utriusq; lectionem, quia omnibus tum ob rerum cognitionem, tum ob eloquentiæ Latinæ studium, commendatissimam esse conuenit, has quoq; familiarissimas habere, maximè intererit.

REGNVM NVMIDICVM.

DE NVMIDARVM ORIGINE, IMPERIIS, REGIIS FAMILIIS, ET QVAE HARVM PROPAGATIO, QVAE *consuetudines fuerint.*

NVMIDIAM Solinus Amsaga fluuio & Zeugitano limite definit. Est autem Zeugitana Martiano regio, quæ propriè Africa uocatur. E gentibus Numidiæ Strabo præcipuè celebrat MASÆSYLOS & MASSALIES. Hos Mauros fuisse, in cæteris argumentis id etiam cõuincit, quòd ut aliàs, ita de ipsis peculiariter Maurorum & Numidarum nomen sæpe cõfunditur, & pro gente eadem usurpatur. Estq; inde, quòd Herodianus Mauritaniam Romanis subiectam, ab ipsis Numidiam uocari, ait. Nam quòd Salustius Persicam Numidis originem attribuit, id prorsus reijcimus. Et pertinet fortè huc Suidæ narratio de Chananæis pulsis à IOSVA,
„ populi Israëlitici ductore, quam subijcere placuit: Chananæi, inquit,
„ cùm à Iosua profligarentur, per maritimam Ægyptum & Libyam in
„ Africam confugerunt, cùm eos Ægyptij non suscepissent, ob memo-
„ riam eorũ, quæ propter Ebræos in rubro mari perpesi fuerant. Itaq;
„ ad Afros profugi, desertam eorum regionem incoluerunt, eorum ha-
„ bitu & institutis susceptis: & causam, cur è Chananæa terra in Africam
„ migrassent, lapideis tabulis inscripserunt. Quæ tabulæ adhuc sunt in
„ Numidia, & ita habent: NOS CHANANÆI SVMVS,
„ QVOS PROFLIGAVIT IESVS LATRO. Hactenus Suidas. Cæterum origo Maurorum existimatur esse à PHVT, filio

Cham, qua de re alibi pluribus edisseremus. Nomen Numidæ, est Græcum νομάδης, ἀπὸ τῶ νομεύειν, nempe, ut Plinius ait, à permutandis pabulis, quòd mapalia sua, hoc est, domos plaustris circumferrent. Nam ante Masanissam, tantùm pecuariam Numidas exercuisse, cõsentiunt omnes. Vnde Athenæus eos Libyæ Nomadas uocat, ad differẽtiam Septentrionalium Scytharum, quorum mores adhuc hodie referunt TARTARI. Fuitq; nominis istius usus tantummodo in sermone Græco & Romano, eo modo, quo ijdem Græci Æthiopas uocârunt, qui lingua patria dicerentur Chusæi, teste Iosepho, & alias de gentibus alijs appellationes assumsere atque retinuere. Etenim Numidas ipsos aliud de se nomen usurpasse, dubium nullum est. Quod Strabo lib.17. Masæsylorum facere uidetur, fortè inde, quòd regnum horum, maximè per Masanissam auctum, reliquam deinde Numidiam totam complexum sit. Fuit enim præcipuis hoc gentibus familiare, ut ab una aliqua, quæ celebrior esset, appellationem communem induerent. Atqui Masæsylorum inter Numidas nomen illustre fuisse, supra ex eodem Strabone ostendimus: qui & fines eorum definit fluuio Molochat, & Trito promontorio. Cùm Stephanus regionem eis attribuat peculiarem, quam Masæsyliam uocat, & gentem ipsam Masæsylos, Masæsyles & Masæsylitas. Eustathius etiam in Dionysium ex Polybio νομάδας καὶ μασσυλεῖς nuncupat. Quibus addit Plinius lib.5. cap.3. suo tempore ob bella continua Masæsylos penè deletos fuisse.

DE primis Numidarum imperijs nihil ab auctoribus proditum est. Etsi hæc uetusta fuisse, etiam Diodorus planum facit, qui tempore belli Peloponnesiaci eos Reges suos habuisse, ait. Neque obscurè Liuij & Appiani narrationes testantur; ante Masanissam seu regulis seu principibus diuersis paruisse: è quibus bello Punico secũdo ab ijsdem nominantur LACVMACES, MASINTHA, MEZETVLLVS, & alius ἀνώνυμος Areacidarum regulus. Sed eos nos hic præterimus, propterea quòd familiæ ipsorum, utpote obscuriores, ignorentur. Et credibile est, MASANISSAM, tot iam accessionibus SYPHACE euerso auctum, neque à reliquorum regulorum ditionibus abstinuisse, hasq; eiectis illis ad se pertraxisse, itaque paulatim Numidiam omnem suam fecisse: cùm fortè belli contra eos προφάσει uteretur, quòd pro Carthaginiensibus propugnassent. Id enim de Masintha & Mezetullo disertè affirmat Appianus. Certè tempore belli Iugurthini, nulli uel inter Romanorum uel Iugurthæ auxiliares è Numidicis Regibus memorãtur. Tantùm ergo de duabus illustrioribus Numidarum familijs explicabimus, SYPHACIS uidelicet & MASANISSÆ. Enimuerò Syphacem inter gentis huius regulos honore maximè præeminuisse, in cæteris etiam Appianus tradi-

dit. A' quo ut Masanissæ familia semper potētia secunda fuerat, ita uirtute huius tùm Syphacis ditione, tùm cæteris, ut diximus, Numidiæ tractibus potita, regnum exinde possedit opibus amplissimum. Tametsi de gentibus Numidicis, apud quas tàm Syphax & quàm Masanissa regnârunt, sententijs nonnihil uariatur. Nam Liuius alibi utrique Masæsylos, alibi Masanissæ Massylos seu Massalias solos subijcit, & Syphacis regnum Masæsylorū finibus terminat. Quorum neutrum nos recipimus, ac ut Masanissam è Masæsylorum gente propagamus, ita Massylorum regnū Syphaci tribuimus. Sic enim Silius:

Massylis regnator erat ditissimus oris,
Nec nudus uirtute Syphax; quo iura petebant
Innumeræ gentes, extremaq; littora Thetys.

Memoratur autem è Syphacis familia post ipsum solus VERMINA F. & nepos Archobarzanes: qui quia iterum cum Carthaginiensibus se coniunxerat regni auiti parte, quam Vermina retinuerat, excidit, & simul stirpem hanc finit.

MASANISSÆ familiam in GALA & DESALCE fratribus Liuius orditur. Nos è Polybio præmittimus NARVAM, eumq; fratribus ijsdem genitorem attribuimus. Nam ut tempora recte considerata conueniunt, ita & Gala fortè ob memoriam amicitiæ, quæ patri cum Carthaginiensibus fuerat, hanc coluit constantius. Neque à uero alienum est, à LIVIO Naruam prætermissam, quòd nihil ad res Romanas historia eius pertineret, ad quas præcipuè illustrandas tàm ipsum quàm Salustium adeò diligenter de prosapia illa explicasse, ne ipsi quidem negare uidentur. Vehementer autem de MASANISSA dissentit à Liuio Appianus. Sed facimus nos cum Liuio, assumentes ea tantummodo ex Appiano, quæ cum Liuianis narrationibus non pugnant. Ac familiæ quidem propagationem præter eosdem etiam Salustius certam habet usq; ad HIERTAM & HIEMPSALEM. Horum enim neutrius progenitores nomine exprimuntur. Attamen quia Iugurthæ regnū promiserat GAVDÆ Marius, neque hoc capto illo in prouinciam redactum, Romanæ historiæ testentur, & promissum id Gaudæ persolutum, & eundem HIERTÆ, quem filium facimus, hęreditate reliquisse, opinione certa auguramur. Estq; uerisimile, eam maximè ob causam Hiertam pro Marij partibus cū Domitio postea propugnauisse, & Hiempsalem finibus expulisse: cùm alioqui hunc cognatum haberet. Nam Masanissæ nepotibus Hiempsalem, accensemus, quos è filijs plurimos Regem illum habuisse, tradunt omnes. Et fortè Marius F. ad Hiempsalem profugit, quòd patris & ipse beneficijs in bello Iugurthino ornatus esset. Etenim Cirtham post uictum Hiertam primum ei à Pom-

ei à Pompeio concessam, arbitramur. Quæ cùm & Syphacis & Masanissæ regia fuerit, & Hiertæ regno donatum constet Hiempsalem, minus iam nos de hac cognatione ac successione dubitare conuenit. De " qua Strabo explicans lib. 17. Post Syphacem, inquit, Masanissa obti- " nuit regionem, postea Micipsa, deinde eius successores, per nostra tem " pora Iuba, Ptolemæi pater (sic enim cum Camerte lege ex Plinio) nu- " per mortuus, &c. Neque hanc nostram sententiam oppugnat, quòd " ex quorundam opinione Plutarchus Iubæ genus ab Herculis F. Syphace deducit. Nam id Regis illius, qui cæteroquin in historijs & literis eruditissimus esset, gratiæ datum, expressa asseueratione ipse ostendit. Et nominant eodem modo Maurorum Reges Masanissam & Iubam priorem Lucianus, Sex. Rufus & Florus. Videtur etiam suo nobis testimonio suffragari Lucanus lib. 8. ubi de Iuba sic canit:

Hinc anceps dubij terret solertia Mauri:
Namq; memor generis Carthaginis impia proles
Imminet Hesperiæ, multusq; in pectore uano est
Annibal, obliquo maculat qui sanguine regnum,
Et Numidas contingit auos, &c.

Porrò sicuti redierat regnum Masanissæ uniuersum ad HIEMPSALEM, ita IVBA F. simul cum uita id amisit, & Cæsar in prouinciam redactum, nouam Libyam, ad differentiam eius, quæ Carthaginiensibus adempta ueteris Libyæ nomen tulit, appellauit. Nam sequimur nos Appianum & Dionem, à quibus Sex. Rufus, & Messala dissentientes, Iugurtha deuicto, Numidiam in Romanorum potestatem peruenisse, scribunt: Nisi fortè hoc accipiendum quis ita putet, ut apud Salustiũ Adherbal id procurationẽ uocat, & ius atque imperiũ penes Romanos fuisse, ait. Restituta tamen est dignitas regia Iubæ alteri ab Augusto Cæsare, concessis ipsi Bocchi Bogudisq; ditionibus in Mauritania: cuius filius PTOLEMÆVS cæsus Caligulæ scelere, & regno illi, & familiæ interitum attulit. Quippe cessit tum Mauritania Romanis. Nec quisquam deinde ex hac familia nominatur. Nam quòd Gildonem Claudianus Iubæ progeniem nuncupat, in eo usitatam Poëtis licentiam secutus est, neque de generis & familiæ propagine, sed de populo, qui utrunque edidit, id intelligi debet.

CONSVETVDINES Regum Numidicorum minus notæ sunt. Comam eos aluisse, docet oratio Ciceronis contra Rullum. Cui addit Valerius, mortalium nulli osculum ferre solitos: Quicquid " enim, inquit, in excelso fastigio positum est, humili & trita consuetudi- " ne quo sit uenerabilius, uacuum esse consueuit. Regia Syphax & Ma- " sanissa cum posteris usi sunt Cirtha, testibus Strabone, Liuio & Orosio. Nam Plinius Syphacis regiam Sigam facit. Iubæ regni sedem Cæsar nominat Zamam urbem. Cuius filius Iuba iunior, instaurata urbe

Iol, quàm Iuliam Cæſaream appellauit, habitare ibi cœpit. Et ſunt, qui hodie eam Algieram dici exiſtiment, enunciatione latina in barbaricam mutata, quam anno 1541. infelici bello oppugnauit Imp. Cæſar Carolus V.

REGES NVMIDIAE, QVI POST BELLVM PVNICVM PRIMVM, VSQVE AD DEBELLATVM IVBAM, REGNARVNT ANNOS *circiter* CXCVI.

FAMILIA SYPHACIS.

SYPHAX, tenuit regnum partis eius Numidiæ, quà Maſæſylorum illa fines attingit: cumq́ legatione P. & Cn. Scipionum perſuaſus, Romanorum partes contra Carthaginienſes propugnandas ſuſcepiſſet, GALÆ armis per Maſaniſſam laceſsitur, ac cruento prælio uictus, profugit in Mauritaniam. Vbi uiribus mox inſtauratis, regnum felici conatu recipit: MASANISSAM ditionem paternam à LACVMACE & MEZETVLLO repetentem, profligat, & ſocietate Romanorum, quam temerè deſertam renouârat cum Scipione Africano, Aſdrubalis ſoceri impulſu poſtremò renũciata, cum eodem Scipionem in Africam profectum bello oppugnat. In quo cùm caſtris exutus bis certamẽ repetiuiſſet, eq́uo grauiter icto effuſus, capitur: abductusq́ in Italiam à C. Lælio, & primùm Albæ inde Tybure in cuſtodia aſſeruatus, fato ibi ſuo fungitur, publicoq́ effertur funere. Polybius, Polyænus, Appianus, Zonaras, Liuius, Florus, Silius, Eutropius, Oroſius. Meminit Suidas his uerbis: Syphax pacificationem moliebatur, æquum cenſens, ut neq́ Romani Africam, neque Carthaginienſes Italiam hoſtiliter inuaderent. Vtri autem ſecus feciſſent, ſe ijs opem laturum, qui obtemperaſſent. Ab Appiano traditum eſt, Syphacem à Scipione ob prudentiam inter domeſticos receptum, eum tenuiſſe apud hunc locum, quem apud Cyrum CROESVS, & conſilij cæterorumq́ participem factum. Cladem & captiuitatem ipſius collocat Ouidius in quartum diem Iunij. De qua Valerius explicãs: Caduca, inquit, & fragilis, puerilibusq́ conſentanea crepundijs ſunt iſta, quę uires atq́ opes humanæ uocantur. Affluunt ſubitò, repentè dilabuntur, nullo in loco, nulla in perſona ſtabilibus nixa radicibus conſiſtunt: ſed incertiſsimo flatu fortunæ huc atq́ illuc acta, quos in ſublime extulerunt, improuiſo recurſu deſtitutos, in profundo cladium miſerabiliter immergunt: itaque neque

debent

debent existimari, neque dici bona, quæ inflictorum malorum amari-
tudinem desiderio sui duplicant.

E CONIVGIBVS Syphacis nominatur SOPHONIS-BA, Asdrubalis Carthaginiensis F. neque soboles ex hac additur. Reliquit tamen liberos, VERMINAM & filium alium atque filias tres ἀνωνύμους.

VERMINA, militauit patri in bello contra Masanissam. Eo à Romanis capto, cùm regni parte maxima retenta, etiam urbes Masanissæ partim ui, partim deditione reciperet, nouas Carthaginiensibus auxiliares copias adducit, prælioque uictus, uix inter tumultũ cum paucis effugit. Quam culpam per legatos apud Senatum deprecatus, eam in adolescentiam ac Carthaginiensium fraudem cõuertendo, cùm insuper & rex sociusque & amicus P.R. ut appellaretur, peteret, pacis tantummodo leges impetrat. Liuius, Appianus.

FILIVS ἀνώνυμος capitur cum patre à Romanis. E' filiabus una coniux Masanissæ offertur sub initium expeditionis paternæ contra Romanos: Appianus.

VERMINA genitum censemus Archobarzanem, de quo Florus in epit. lib. 48.

ADDO etiam Syphacis familiæ TYCHÆVM, quem affinem eius nominat Polybius, & Annibalem copijs equestribus iuuisse, ait. Fortè autem idem est, quem Areacidarum regulum uocat Appianus.

FAMILIA NARVÆ.

NARVA, coniungit se cum AMILCARE contra defectores Hispanos, Gallos, Ligures, qui defraudati stipendijs post bellum Punicum primum, armis Carthaginienses oppugnabant, ascitis ducibus Spendio, Mathone & AVTORICO: Et gener ab eodẽ Amilcare ascitus, fortem ei & strenuam operam nauat. Polybius.

NARVÆ liberos tribuimus GALAM & DESALCEM.

GALA, partis alterius, ut loquitur Liuius, Numidiæ Rex, pertrahitur à Carthaginiensibus in belli societatem contra Romanos, & Syphacem partes horum secutum per Masanissam F. oppugnauit, regnoque expellit. Moritur militante pro ijsdem Carthaginiensibus in Hispania Masanissa. Liuius, Florus.

DESALCES, uixit apud fratrem priuatus: Quo mortuo, iam gran-

grandis natu regnum è Numidarum institutis obtinet, nec multò post extremum uitæ diem morte conficit. Liuius.

CAPVSA, accipit hæreditate paternum imperium; Quod cùm magis autoritate inter suos quàm uiribus regeret, à Mezetullo bello inuaditur: ac descẽdere in aciem, & dimicare armis coactus, cũ multis principibus cadit. Liuius.

LACVMACES, præficitur regno à MEZETVLLO, adhuc ætate puer: cumq; ad Syphacem profecturus, incidisset in Masanissam, ac fusus fugatusq; non meliore fortuna certamen repetiuisset, in Carthaginiensium agrum profugus secedit. Liuius.

¶ INTERSERO hîc MEZETVLLVM, qui nõ alienus sanguine Regibus, sed familiæ semper inimicæ, ac de imperio uaria fortuna cum ijs certantis, seditioso conatu contra Capusam populum inflammat, atq; ad arma exciet: Cumq; uicto illo & cæso, inuidiam ueritus, neque sibi regnum asserere ausus, id in Lacumacem transtulisset, ductaq; Annibalis è sorore nepte, Carthaginienses sibi conciliasset, ac mox cum Syphace hospitium renouasset, post cladem geminam à Masanissa illatam, ad eundem Syphacem profugit: beneuolentiamq; Masanissæ, impunitatem & bonorum restitutionem promittentis, aspernatus, postea cum Annibale Scipionẽ oppugnat. Appianus, Liuius.

GALÆ liberi fuere, MASANISSA & Filia ἀνώνυμος. Namsequimur nos eam Liuij sententiam, quam habes lib. 7. Decad. 3. A qua idem lib. seq. uarians, Masiuam fratre Masanissæ genitum, ait. Matris Masanissæ meminere Appianus in Libyco, Zonaras Tom. 2. pag. 93.

MASANISSA, educatus & in literis eruditus Carthagine, adolescens annorum 17. à patre contra Syphacem bellum deposcit. Hoc prælio uno confecto feliciter, & hoste finibus eiecto, ab Asdrubale ob indolem & uirtutẽ regiam gener cooptatur: traductusq; mox ad bellum in Hispaniam, & nuptiarum spe scelere huius, & regno patris obitu, ibi excidit. Quam geminam acerbitatem ferendam ita ratus, ut iniuriam illam dissimularet, hoc maturè repeteret, uitatis solerti astu Asdrubalis insidijs, clàm in Numidiam reuertitur, patris ueteres milites ad arma reuocat. Cumq; Mezetullo & Lacumace profligatis, regnoq; recuperato, nouo Syphacis bello peteretur, à fortuna denuò ita deseritur, ut ingentium ausorum tandem successu omni frustratus, ad minorem Syrtim se deportârit, & ad classis usq; Romanæ aduentum ibi exul consederit. Tum enim à P. Scipione, cùm quo iam antè occulta

agitârat

agitârat consilia, belli contra Carthaginienses assumptus socius, fortem ei operam nauat, & præter paternum regnum, etiam Syphacis ditionem, ceu militiæ præmium, à Romanis consequitur. Ideò hos deinde ut fide summa coluit, missis etiam auxilijs contra Philippum, Antiochum & Persea, ita irritare Carthaginienses nũquam destitit: cumq; agrorum ademtorum iniuriam bello uindicaturos prælio repulisset, deinde in obsidione inclusos detinet, & exercitum eorum, qui 50000. constabat, internecione delet. Obijt bello Punico tertio, cùm regnasset annos 60. uixisset 90. seu ut aliqui habent 97. alij etiam 100. Polybius, Lucianus, Suidas, Zonaras, Liuius, Florus, Plinius, Silius, Iustinus, Eutropius, Orosius. Appianus regnum Masanissæ Mauritania & Cyrenaica terminat, & Numidas, qui plurimum olere uictitare consueuissent, ad mitiorem cultum ab eo primùm traductos, ait. Qua eadem de re libuit subijcere quæ habet Strabo lib. 16. Totam, inquit, regionem Carthaginiensibus subditam Romani prouinciam effecère, atque Masanissam ei præfecerunt, & Micipsæ posteros. Nam Masanissa ob uirtutem & amiciciam plurimum Romanis curæ fuit, & ipse Numidas ciuiles & agri cultores reddidit, & pro latrocinio eos militiam docuit, &c. Addunt Diodorus & Suidas, ea firmitate corporis Regem hunc fuisse, ut stans in uestigijs totum diem manserit immotus, & sedens non surrexerit usq; ad noctem. Meminit eiusdem rei ex Cicerone Valerius lib. 8. cap. 14. Qui & gratitudinem eius in Scipionum domum celebrans: Et sanè, inquit, amplissimæ & speciosissimæ diuitiæ sunt, feliciter erogatis beneficijs latè posse censeri. Idem tamen alibi solicitæ cuiusdam diffidentiæ erga suos Masanissam accusat, & salutem suam custodia canum uallare solitum, tradit. Quærentibus simias coëmere: Nimirum, inquit, apud uos, ò uiri, mulieres pueros non pariunt, teste Athenæo. Quippe delectabatur pueris, & nepotes apud se nutriebat ad triennium eos educando, deinde ad parentes remittens. Moriturus P. Scipionem Æmilianum è castris ad Carthaginem euocauit, & regni inter liberos diuidendi ei potestatem fecit. Nomen Masanissa Philippus in Chronico interpretatur remittentem tributa.

FILIA GALÆ ἀνώνυμος, ut nomen, ita & res gestas de se nullas reliquit. Liuius tamen ei filium attribuit Masiuam.

MASSIVA, orbus à patre relictus, & educatus apud Galã auum, consectatur Masanissam in Hispaniam. Vbi in prælio quodam captus à Romanis, humaniter conseruatur à Scipione, & donatus magnificè, ad Masanissam remittitur. Liuius, Florus.

MASANISSA, quos & quot numero liberos reliquerit, scriptores non consentiunt. Nam Valerius filios 54. Eutropius 44. ei attribuunt. Appianus ut numerum horum non exprimit: ita nascentibus decedentibusque, nũquam minus decem habuisse scribit, è quibus tamen non nisi tres è legitimo toro procreati fuerint, nempe MICIPSA, GVLVSSA, MANASTABALES. Neque adduntur matres: quam eandem scriptorum negligentiam & de filijs illegitimis inuenire licet, qui hisce nominibus recensentur: Misagenes, Masgaba, Stemba. Filia non nisi una memoratur ἀνώνυμος.

MICIPSA, accipit à SCIPIONE regium nomen commune cum Gulussa & Manastabale, fratribus, & Cirtham regiã retinere permittitur. His uitę muneribus perfunctis, regnum solus obtinet, & Cirtham munitam, & cum Græcis colonis communicatam, tantam facit, ut emitteret 10000. equitum, peditum 20000. Misit Fabio Maximo Æmiliano auxiliares copias contra VIRIATVM Lusitanum, & Scipioni contra Numantinos IVGVRTHAM. Quem cùm ab eodem Scipione, ob eximiam nauatam operam, per literas commendatum adoptasset, discessurus è uita, tùm illi, tùm cęteris filijs duobus, concors animorũ studiũ hac γνώμῃ persuadere conatus, traditur: Concordia paruæ res crescunt: Discordia maximæ dilabuntur. Strabo, Appianus, Zonaras, Salustius, Florus. Fuit doctrina atque opt. artium studijs eruditissimus. Meminit Plutarchus in C. Gracho. Orosius auctor est, hominum luem sub eo tantam fuisse, ut in Numidia 80000. circa oram maritimam 200000. perierint. Orationem Micipsæ à Salustio de concordia à filijs defendenda attributam, etiam Seuerum Imp. ad Antoninum & Getam filios misisse, Spartianus prodidit.

GVLVSSA, & ipse regio nomine à Scipione honoratus; belli pacisque curam gerere iubetur. Nam excelluit militiæ studijs & prudentiæ ciuilis laude: quam cùm patri legationibus aliquot ad Romanos & Carthaginienses probasset, à Scipione etiam contra hos belli socius assumitur. Quanquam cæteroquin odisse Carthaginienses coeperat acerbius, propterea quòd legationis munere perfunctum, temerè ex insidijs adortus esset Hanno. Appianus, Suidas, Zonaras, Salustius, Liuius, Florus.

MASSIVA, coniunxit se contra IVGVRTHAM cum Adherbale & Hiempsale. Ideo cùm post Cirtham deditam, & Adherbalis necem clàm elapsus, Romæ instinctu Sp. Albini regnum petere intendisset, Iugurthæ insidijs perimitur. Salustius, Florus.

MANASTABALES, assuetus sub patre iura dicere, contro-

uersiarum

uersiarum inter subditos finiendarũ à Scipione iudicium accipit, nec multò pòst morbo absumitur. Appianus, Salustius, Florus. Zonaras Manastamum, & inter fratres legitimos medium, uocat.

MISAGENES, mittitur à patre cum auxiliaribus equitum copijs ad bellum cõtra Persea: In quo cùm industriæ & fortitudinis eximiæ laudem promeritus, & à L. Æmilio Paulo dimissus honorificè, tempestate Brundusium nauibus tribus æger reiectus esset, Romanorum munifica cura tractatur prolixè & cumulatè, & naues, quibus in Africam traijceret, publico sumtu accipit. Liuius. Valerius Musicanem uocat.

MASGABA, fungitur de patris mandato legatione ad Romanos, habitusq́ cum comitatu honorificè, dona etiam discessurus splendida capit. Liuius. Salustius Massagradam uocat.

DABAR, uixit apud BOCCHVM, Regem Mauritaniæ: cui ob multa ingenij bona charus acceptusq́, mittitur ad SYLLAM legatus de colloquio. Salustius.

STEMBA, natus patri in extrema senecta, nempe anno eius ante mortem quarto, adoptatur postea à MICIPSA. Suidas. Valerius libro 8. capite 14. Methymatum uocat, Plinius & Solinus Methimathum.

FILIA ἀνώνυμος, fuit in matrimonio Asdrubalis Carthaginiensis, cui enixa est Asdrubalem alterum: Qui bello Punico tertio dux à populo ascitus, ob proditionis suspicionem subselliorum fragmentis in curia occiditur. Appianus, Florus, Orosius.

MICIPSA liberi geniti sunt, ADHERBAL & HIEMPSAL.

ADHERBAL, succedit patri in regno cum Hiempsale & Iugurtha: Quorum infelici discordiæ implicitus, & post Hiempsalis cædem bello à Iugurtha oppugnatus, prælioq́ uictus, Romã profugus abit. Vbi cùm Senatus auxilio implorato, per legatos in regnum reductus esset, idq́ cum Iugurtha ęquis partibus diuisisset, iterum armis eius lacessitur, & post frustra tentatam pacificationem Cirthæ obsidetur. In qua rerum acerbitate quia & à Romanis defendebatur segniùs, & deserebatur ab Italicis, quorum uirtute mœnia defensabantur, deditionem facere cogitur: & quamuis salutem pactus esset, tamen captiuus detentus, & excruciatus, necatur. Strabo, Salustius, Florus, Sex. Rufus, Orosius.

HIEMPSAL, iuuenis præferuidi & impotentis animi, graues cum Iugurtha de regno simultates exercet: ut antea generis ei ignobi-

litatem exprobrare solitus, ita tum adoptionem irritam facere ausus. Itaque insidijs eius appetitus', Thirmidæ subitò opprimitur, & è latebris extractus, perimitur. Salustius, Florus, Sex. Rufus, Orosius.

MANASTABALES, alter Masanissæ F. liberos reliquit, IVGVRTHAM & GAVDAM.

IVGVRTHA, priuatus à Masanissa auo relictus, propterea quòd ex concubina ortus erat, liberaliter à Micipsa inter liberos educatur. Cumq; & ingenio, & corporis uiribus, quas more gentis perpetuis exercitationibus augebat, præstaret, auxiliaribus eius copijs contra Numantinos præficitur. In quo tempore ob fortiter nauatam operam probatus Scipioni mirificè, & Micipsæ ab eo per literas commendatus, adoptionem huius promeretur: sed pro quo beneficio gratiam ei pessimam retulerit, necatis duobus ipsius filijs, & regno sibi soli usurpato. Ideo hostis à Romanis iudicatus, non minus largitionibus quàm armis cõtra eos pugnat, turpi pacificatione atq; mora primùm L. Calpurnium Bestiam, deinde Sp. Albinum ludificatus, & cùm Romam ideo euocatus esset, etiam regni competitorem Massiuam tollere per insidias ausus, tum de A. Albino sub iugum misso uictoriam illustrem consecutus. Ergo ducibus acrioribus, METELLO & C. Mario, debellandus traditus, uaria fortuna pugnat, cumq; exutus tandem urbibus præcipuis, ad BOCCHVM socerum se recepisset, post infelicis prælij certamen ab eodem SYLLÆ artibus proditur: & à Mario Romam ad triumphum abductus, in carcere ibi fame & frigore necatur. Strabo, Appianus, Salustius, Velleius, Florus, Eutropius, Orosius. Tradidit Plutarchus, adeò ad omnem fortunam Iugurtham se accõmodare callidum fuisse, magnæq; astutiæ admixtam ferociam tantam habuisse, ut uiuo eo uictoriam de hostibus nemo sperarit. Et addit, in triumpho inductũ, de potestate mentis exijsse: cumq; in carcerem coniecto quidam tunicam ui eriperent, quidam auream inaurem reuellere contendentes, simul auriculam auellissent, itaq; Numida nudus in barathrum detrusus esset, planè perturbatum, uultu in risum uerso, subiecisse, Hercules quàm frigidum nobis est balneum: sexq; totos dies cum fame colluctatum, usq; ad extremam horam cupiditate uitæ suspensum fuisse. Discedens ex urbe Roma, in qua inexplebilem principum & nobilitatis auariciam perspexerat: O' urbem uenalem, inquit, & citò perituram, si emtorem inueniret.

GAVDA, nominatur à Micipsa hæres testamento secundus: & ob morbos continuos mente nõnihil imminutus, militat METELLO contra Iugurtham. Cui deneganti ut sellam more regio iuxtà poneret, & turma equitum Romanorum custodiæ causa stiparetur, cum MARIO, regnum ipsi Iugurtha debellato promittente, inuidiam

grauem

grauem facit,& imperium ut abrogaretur,efficit. Salustius. Cæterum tradiderit ne regnū Gaudæ Marius, sciri ex auctoribus certò nequit. Etsi omnino in eam sententiam inclino: & filium ei attribuo HIERTAM, qui fortè postea eandem ob causam pro Marianis partibus tanta constantia propugnauit.

IVGVRTHÆ filios duos nominat Florus in epit.lib.67.& ambos cum patre in triumpho ductos,ait. Meminit etiam Salustius,alterum à patre ad Romanos legatum missum. Is fortè Appiano Oxintha est: qui cùm bello sociali à C.Papio è Venusina custodia eductus, ornatusq; purpura, Numidicis equitibus, qui sub Sex. Cæsare militabant,ostensus esset,ideoq; crebra illorum fierent transfugia,Cæsar reliquos in Africam remisit. Suetonius in Cæsare Masintham uocare uidetur.

HIERTA,Gaudæ F.tenuit regnum post patrem. In quem beneficij à Mario collati memor,& Hiempsalis in Marium F.perfidiam uindicat,& Domitium,partium Marianarū ducem,auxilijs contra Pompeium adiuuat. Ideo uicto hoc & cæso, eiusdem Pompeij bello graui petitus,à BOGVDE, Rege Mauritaniæ copijs exuitur, & Bullæ captus,trucidatur. Plutarchus,Florus,Eutropius,Orosius. Scribunt hoc nomē alij Hiarbas,alij Hierdas,alij Hiera. Nos à Francisco Fabricio citatam manuscriptorum codicum scripturam sequimur.

¶ HIC familiæ series interrūpitur,de qua nos quid sentiamus, supra exposuimus. Nam Hiempsalem, cuius post Hiertam potentia esfloruit,à Masanissa oriundum fuisse,dubium nullum est.

HIEMPSAL, Masanissæ filijs genitus,suscipit hospitio C.Marium F.cum patre Syllanis armis pulsum. Quem cùm postea discedere cum socijs cupientem uarijs prætextibus detineret, ideoq; insidias ueritum,atq; clàm fuga elapsum,armis persequeretur, bello ab Hierta petitur: regnoq; eiectus,restituitur à Pompeio, & ditionem hostis donum accipit. Plutarchus. Meminere Hirtius de bello Africano & Suetonius in Cæsare. Eutropius Mauritaniæ Regem uocat. Quomodo agros, quos in Africæ ora maritima P. Africanus P. R. adiudicârat, suos fecerit, docet Cicero in orat. contra Rullum. De nomine uariat Appianns lib.1.de bellis ciuilibus,idq; nunc Mandrestal nunc Hiempsal scribit. Nominat libros Punicos ipsius,Salustius, indeq; expositionem de colonis Africæ sumpsisse sese,ait.

IVBA I. retinet paterni imperij successionem. Alienatus à Cęsare & Curione, quorum ille adhuc iuuenis Masintham iudicio oppugnantis in altercatione etiam barbam inuolârat, hic Tribunus plebis regnum eius publicauerat, defendit Pompeianas partes in Africa, &

Curionem aciem uictum occidit, usus tum in captiuos ea crudelitate, ut maxima parte horum cæsa, uix paucos electos in regnum remiserit. Inde Scipioni & reliquis Pompeianis ducibus, è Pharsalico prælio profugis, se adiungit: & graui Cæsaris bello oppugnatus, cùm domi à P. Sitio inuaderetur, & Getulorum ditionem per defectionem amisisset, ad Thapsum cum Cæsare prælio decertat, uictusq; & Zama regia exclusus, propterea quòd, ut Hirtius ait, bello suscepto maximam in foro pyram construxerat, ut si forte res infeliciter caderent, rebus omnibus eò coaceruatis, dehinc ciuibus cunctis interfectis, eodemq; proiectis, igne subiecto, tum demum se ipse insuper interficeret, atque una cum liberis, coniugibus, ciuibus, cunctaq; gaza regia cremaretur, ad uillam quandam cum M. Petreio desperabundus deflectit: & magnificè epulatus, super mensas & pocula interficiendum se eidem præbet. Strabo, Plutarchus, Appianus, Dion, Cæsar, Ouid. lib. 4. Fast. Velleius, Suetonius, Florus, Sex. Rufus, Orosius. Hirtius superbiæ & inertiæ Iubam notat, quam quidem in Romanos duces tantam usurpauit, ut Scipionem, qui ante aduentum ipsius sagulo purpureo uteretur, ut ad album uestitum se transferret, coëgerit. Habet de expeditione ipsius quadam historiam memorabilem Ælianus lib. 7. de animalibus cap. 23. Sunt qui nomen Iuba putant esse Ebræum Iob, à quo & alterum à Virgilio usurpatum, Iopas, deriuatum uidetur.

IVBA. II. captus post patris interitum adhuc puer à Cæsare, in triumpho huius ducitur: beatissimus eius captiuitatis nomine: quippe qui per eam ex Numida eò deductus sit, ut inter doctissimos Græcorum numeraretur. Nam in cæteris scripsit Romanas antiquitates & Libycas historias, dicatas C. Cæsari, Augusti F. Cumq; & militiam Cæsaris sectaretur, donatur partibus quibusdam Gætuliæ, & Bocchi Bogudisq; ditionibus, seu, ut alij habent, Mauritania utraq;: studiorum tamen claritate, quàm regno memorabilior. Plutarchus, Appianus, Dion, Athenæus, Stephanus, Plinius, Marcellinus. Quintilianus lib. 6. cap. 4. hunc recitat ipsius iocum. Quærenti cuidam, quòd ab equo suo esset aspersus, quid tu? inquit, me hippocentaurum putas? Meminit Strabo lib. 6. his uerbis. Sub Iubæ regno consistit & Mauritania, & reliquæ Libyæ partes plurimæ, propter illius in Romanum populum beneuolentiam & amiciciam. Alibi etiam regnum paternum ab Augusto ei restitutum, dicit.

FVERE cum IVBA, Cleopatra cognomento σελήνη, Antonij Triumuiri & Cleopatræ F. è qua PTOLEMÆVM, & ut placere quibusdam uideo, Drusillam filiã suscepit: & altera GLAPHYRA,

RA, Archelai, Regis Cappadociæ F. quæ antea fuerat in matrimonio Alexandri, Herodis Magni F.

PTOLEMÆVS, excipit succeſsione patris imperium, in ipſa iuuenta tum adhuc conſtitutus. Ideo cùm ſeu rerum imperitia, ſeu ignauia, nimium libertis indulgendo, transfugijs ſuorum ad Tacfarinatem cauſam præbuiſſet, cum Romanis deinde hũc bello oppugnat. Vnde ſummam TIBERII Imp. gratiam promeritus, per emiſſum Senatorem ſcipione eburno & toga picta donatur, & Rex atq; amicus P.R. appellatur. Poſt Romam euocatus à conſobrino CALIGVLA, cùm edente illo munus ſpectaculum ingreſſus, hominum oculos fulgore purpureæ obollæ in ſe cõuertiſſet, idq; ipſi Caligulæ animaduerſum eſſet, nefario Tyranni ſcelere per percuſſorem immiſſum perimitur. Tacitus, Suetonius. Variat de mortis cauſa Dion, & propter opes cæſum, ait. Quam eius mortem ulciſcente Ædemone liberto, primùm ſub CLAVDIO in Mauritania Romanis armis bellatũ fuit, teſte Plinio. Citat commentarios eius Athenæus lib. 6. cap. 3. & lib. 12. cap. 6. Meminere Strabo lib. 17. & Seneca de tranquillitate uitæ libro 1. capite 11.

DRVSILLA, fuit cum CLAVDIO Felice, liberto Claudij Imperatoris, ſub quo Iudææ præſide PAVLVS Apoſtolus Cæſareæ cauſam dixit. Tacitus. Act. 24.

E 4 REGNVM

REGNVM MAVRITANICVM.

DE MAVRORVM ORIGINE ET IMPERIIS: QVAEQVE APVD EOS REGNARINT FAMILIAE.

DE MAVRORVM origine fabulas habent diuersas Salustius & Strabo, quorum ille Medos & Armenios, hic Indos facit. Nos cum seculi nostri uiris doctis gentis propaginem deducimus à PHVT, filio Cham, nepote Nohæ. Quippe nominat fluuium Phut in Mauritania Plinius: & scribit Iosephus, Phuten cum colonis in Africam migrasse, & regionem Phuten nomen inde retinuisse. Posse autem ut ex appellationibus alijs, ita etiam è fluuiorum ac regionum denominationibus de gentium origine certi aliquid definiri, non ab uno traditum est. Et sunt, qui nomen PHAETON Phut interpretantur. Qui quòd fortè è Mauritania, regione nempe feruoribus infestissima, coloniam in Italiam deduxerit, fimento etiam causam præbuit de orbe ab ipso incenso, & interitu in Eridano fluuio. Nam ut temporibus recentioribus, hoc est, post Romani imperij occasum, Italia Saracenos Afros hostes infestissimos habuit; ita neque in migrationibus illis primis & antiquissimis Mauros ab ea abstinuisse, credibile est. Atque inuenias, qui Atlantis nomen, quem Atlantem in Mauritania regnasse ferunt, idem opinentur quod Italus. Cùm Eusebius lib. 9. de præparat. Euang. ex Alexandro quodam per Atlantem Enoch accipiat.

IMPERIA Maurorum sunt obscuriora. Nominantur autem ex Regibus antiquissimis ATLAS & ANTÆVS, quorum illum in montem Perseus conuertisse, hunc claua confixisse Hercules, Poëtarum fabulis fingitur. Quanquam Lucanus de Antæo narrationem historicam uult uideri. Cui adijcit è quorundam sententia Plutarchus, ex uxore ipsius Herculi filium Syphacem genitum, qui stirpem Regum Mauritaniæ propagârit. Tametsi Iubæ Regis gratiæ hoc datum fuisse, ne ipse quidem inficiatur. Meminere etiam Regum Maurorum Iustinus in historia Dionysij posterioris, Orosius tempore Philippi Amyntæ. Sed horum uti nomina ita & res gestæ ignorantur. Idcirco Mauritanica regna cum Liuio & Plutarcho ordior à BOCCHARE

CHARE & IPHTA, à quibus quidem duas distinctas deduco familias. Illa editos censemus BOGVM F. & BOCCHVM nepotem, cui filios Bogudem & Volucem attribuunt Salustius & Orosius. Ac regnum huius in Cæsariensi Mauritania fuisse, suspicor. Nam Iol urbem, regni sedē Bocchū habuisse, Solinus scripsit. IPHTHÆ ex Ascalio nepotem facimus BOCCHVM, cui fortè Cæsariensis Mauritaniæ regnum, quod ei attribuit Dion, post Bogudem eiectum cessit. Etenim in Tingitana Mauritania regnasse Ascalium, Plutarchus planum facit: & tum ipsius, tum Bogudis ditiones Iubæ concessas, è Dione constat. Nam quod à Salustio traditum est, Bocchum Maurorum omnium Regem fuisse, habere locum non potest. Et quas Dion, ut diximus, nominat Bocchi Bogudisque ditiones, Pliniò duæ Mauritaniæ sunt. Peruenit autem Mauritania post Bocchi postremi obitum in Romanorum potestatem: cumque permisisset eam IVBÆ iuniori Augustus Cæsar, filius Ptolemæus eam cum uita amisit: & Caligula distinctam Tingitanę & Cęsariensis nominibus, in prouinciam redegit. Quanquam aliquas Maurorū gentes tum adhuc libertatem retinuisse, non obscurē indicat Ammianus, à quibus & bella ea gesta, quæ post Claudij imperium mota sunt contra Hadrianum, Antoninos, Pium & Philosophum, Commodum, Alexandrum Seuerū, &c. dubium nullum est. Sic enim de Antonino Pio Pausanias: Mauros, " Libyum, suis uiuentium legibus, partem maximam, uagos & errantes: quippe qui inter Nomadas censentur, Scythicis gentibus eò mi- " nus expugnabiles, quod non plaustris, sed equis cum uxoribus inue- " cti errant: eos ille finibus pulsos suis in ultimas Africæ solitudines ad " Atlantem montem, eiusque montis accolas populos expulit, &c. Atque " à Iubalena gente oriundi FIRMVS & GILDO, hostes graues fuēre Valentiniano & Honorio Impp.

REGES

REGES MAVRITANIÆ.

I.

FAMILIA BOCCHARIS.

BOCCHAR, iuuit auxiliaribus copijs MASANISSAM, regnum paternum contra MEZETVLLVM & LACVMACEM repetentem. Liuius Decad. 3, libro 9. Solinus capite 25. Baleares tenuisse cum imperio, ait.

BOGVS, refertur à Strabone lib. 2. ad imperiũ Ptolemæorum, Physconis & Lathuri, quod paulò superius est bello Iugurthino.

BOCCHVS, iunxit affinitatem cum IVGVRTHA, filia el collocata. Quem ob infidelitatem ab auxilijs desertum passus, tandem fugientem ac uagantem, ideoq; ad se etiam profectum, magis uerecundia supplicis, quàm fauore motus, recipit, & bellum cum eo contra Marium renouat. In quo prælio uictus, & SYLLÆ delinitus officio, qui legatos ipsius Numidarum latronibus elapsos conseruarat humaniter, donatosq; muneribus dimiserat, eidem ad se uocato, post ancipitem deliberationem, an utrunque detineret, Iugurtham captiuum tradit. Plutarchus; Florus, Orosius, Eutropius. Salustius non socerum, sed generum Iugurthæ uocat: nos sequimur Plutarchum. Habuit regiam Iol urbem, quæ sub Iubæ posterioris regno Cæsarea cognominata, à Claudio Imp. coloniæ iure donatur, teste Solino.

NASCVNTVR BOCCHO filij, VOLVX & BOGVD.

VOLVX, affuit patri in pugna contra Marium, & Syllam de pace ad eundem profecturum comitatu suo à Iugurtha defendit. Salustius.

BOGVD,

BOGVD, propugnauit cum Pompeio pro Syllanis partibus contra HIERTAM & Domitium: quorum illum copijs exutum, Bullæ per obsidionem includit, atque in potestatem redactum, Pompeio interficiendum tradit. A Cæsare rex appellatus, & euocatus à Q. Casio legato in Hispaniam, copias ei auxiliares adducit, & postea cum P. Sitio Iubæ regnum inuadit, Cirtham oppidum expugnat, & agros direptionibus & incendijs uastat: donatus ob eam operam postea parte regni Manasis. Hinc Cæsarem ad bellum contra liberos Pompeij consectatur, & in prælio ad Mundam castrorum oppugnatione uictoriæ initium facit. Sub bellum Siculum Sex. Pompeij, Hispaniam hostiliter aggressus, & datis acceptisq; cladibus plurimis, à Boccho regno exutus, ad Antonium se recipit. Cui cùm bello Actiaco adiunctus auxiliarius, Methonæ captus esset ab Agrippa, capitis supplicio afficitur. Strabo, Plutarchus, Appianus, Dion, Hirtius, Orosius. Meminêre Asinius Pollio epist. famil. Ciceronis libro 10. Priscianus Grammaticus è Liuio libro 6. Scribunt nomen id alij Bogus, alij Bocchus.

CONIVGEM Bogudis Suetonius nominat EVNOEN, quam à Cæsare amatam, ideóque ipsi maritóque plurima donata ab eodem, ait.

II.

FAMILIA IPHTHÆ.

IPHTHA, nominatur à Plutarcho in Sertorio. Videtur autem esse Ebræum Iphtah uel Iephte.

ASCALIVS, regno eiectus, adiungit sibi Cilices, Sertorij in Hispania auxiliares. Ob quam causam etiam Sertorio hoste usus, prælioq; uictus, Tingi obsidetur, & post frustra tentatam à Pacciaco liberationem, urbe expugnata capitur. Plutarchus.

BOCCHVS, appellatur REX à Cæsare, ob studium contra Pom-

Pompeium: & P. Sitium copijs instructum, Iubam oppugnatum e- mittit. Eidem pòst immutatus, per filios illum in Hispania oppugnat: & conciliatus Augusto Cæsari, Bogudis à se pulsi regnum ab eo im- petrat. Moritur paulò ante bellum Actiacum, & regnum ipsius in prouinciam redigitur. Strabo, Dion.

NN. FILII duo ἀνώνυμοι, refe- runtur à Dione.

APPENDIX
DE ILLVSTRIBVS
ALIQVOT REGNIS VETERIS
GRAECIAE.

ILLVSTRIA ALIQVOT VETERIS GRÆCIÆ REGNA.

I GRÆCIÆ regnis, quibus illa initio, hoc est, tempore primæ monarchiæ abundauit, uisum fuit maximè illustria, & quorũ tam res gestæ, quàm merita in patriam essent conspectiora, hîc subijcere. Ea uerò laus meritò principe loco tribuitur ARGIVO, MYCENÆO, SPARTANO, MESSENIACO, THEBANO, ARCADICO. Quæ enim uel Poëtarum uel oratorum uel Historicorum monumenta hæc non prædicant? quò adeò cum fructu tota historia Græca in harum antiquitatum ignorãtia tractabitur? Certè cognitio eius ceu σωματικὰ nisi hoc fundamentum prius iaciatur, sperari nulla poterit, id quod quidem certè in tantis fabularum tenebris rectè etiam ut iaciatur, quàm sit difficile, iudicare periti atque experti poterunt. Adhæc ipsos Macedonicos reges Argo & Mycenis, è Persidarum & Heraclidarũ progenie oriundos fuisse, constat: quorum propagines simul collectas inspicere, tam iucundum quàm fructuosum fuerit. Vt ne id referam, historicas hasce ita se mutuò continere & explicare, seu, ut Poëtæ uerbis utar, inter se amicè coniurare, ut intelligi altera absq; ope alterius nequeat. Iam quantum Thebanis & Arcadicis regibus debetur? Quippe quorum alteri literas cùm Græcis ipsis communicârint, alteri easdem in Latium propagârint. Vnde id simul nostris gentibus commodum accessit, ut, cùm Græcas literas accepissent ab Ionibus colonis in Gallijs, & Latinas Romanorum imperium ipsis obtrusisset, quibus Latinis modicè alicubi uariatis hodie etiamnum in scribenda lingua nostra utimur, uti antiquitus Græca, quemadmodum de Heluetijs Cæsar testatur: tandem etiam Græcia ipsa, Musis Pyrenei instar Turcarum armis fugatis, Alpes transuolârit, quomodo ad Capnionem Romæ dixisse perhibent Argyropylum. Et sanè sicuti artes uerè sunt πηγαὶ τῶν καλῶν, ut ait apud Xenophontem Crœsus, ita haud minor literarum censendà utilitas: siquidem per has illæ docentur, tractantur, propagantur. Vt quod de manu celebratur Anaxagoræ encomium, sapientiæ eam causam esse, huc accommodari è Phædro Platonis haud paulò rectius possit. Is enim memoriæ & sapientiæ medicamentum repertum, ait.

PORRO' autem quia regna hęc, præter unum Thebanum, Peloponnesi fuere, de appellationibus huius atque colonis explicationem hîc καθόλου præmittere uolui. Etsi de gentibus pòst plæraque re-

petenda erunt: quibus hæc τυπωδῶς exposita lucem potius uberiorem quàm impedimentum afferent.

QVAE PELOPONNESI CELEBRENTVR APPELLATIONES: QVAE EAM GENTES VETERES INCOLVERINT, ET QVAE HARVM ORIGO, *quæ migrationes fuerint.*

FVIT hoc omnibus propemodum regionibus & terris ceu fatale, ut temporibus diuersis nomina quoque haberent diuersa. Eius rei cùm passim historiæ exempla suppeditent, nos instituto seruientes, de ijs, quæ in Peloponneso hæserunt, paucis hic agemus. Quæ sex numero fuisse reperio: APIA, PELASGIA, ARGOS, PELOPONNESVS, ACHAIA, MOREA. Etsi Stephanus his addit septimum, INACHIA, ab Inacho fluuio, cæteris ferè scriptoribus ignotum: quemadmodum cęteroquin etiam alia ex his extitere alijs notiora & usitatiora.

PRIMVM, APIA, Græci deriuant ab A P I, quem Apollodorus, Pausanias, Hyginus, Phoronei F. faciunt. Is enim cùm pro libidine ageret omnia, & more planè tyrannico administraret, imperio subiectam terram uocari nomine suo iussit. Attamen quoniam commodam nullam uox APIS in Græca lingua etymologiam admittit, cum nostri temporis uiris doctis deducere idem nomen mallem ab Ebræo ABIM, ut denotetur regio, quę patria esset posteritatis propagandæ ex ea gente, quæ aduecta aliunde illam occupauit: respondens Germanico Heim, à quo in cæteris supersunt cōposita, Behem/Angelheim, quæ Boiorum & Anglorum patriam sonant. Quia enim primi isti Peloponnesi coloni post discessum ex Asia, ubi instauratum humanum genus constat, longioribus fortè erroribus acti, & huc tandem delati, ob situs commoditatem occupata loca posteros facile defensuros ac retenturos existimabant, appellationem hanc ceu omen aliquod amplexos suis tradidisse, consentaneum est. Ac manauit è fonte eodem nomen APIS, à quo non discerno ABAS, quod Perseí proauo materno Græcæ historiæ tribuunt, estq́ idem, quod adhuc hodie Monachorum sodalitates nonnullæ de antistitibus suis usurpant, hoc est, ABBAS, & tam Ebræis quàm Ægyptijs patrem denotat. Enimuerò maiores regum horum ex Ægypto oriundos fuisse, affirmant omnes. Et quoniã illa post plantatam ibi per MARCVM Euangelistam Euãgelij doctrinam, Christianis ob Romanorũ Impp.

cudes

crudelißimas perſecutiones paßim ad deſerta confugientibus, magna habuit Monachorum agmina, credibile eſt, & dignitatum ſeu officiorum & ordinis ipſius appellationes unà cum uitæ genere in alias inde prouincias deriuatas. Sanè & de uirginibus monaſticis à uulgo uſurpari ſolitum Nonne, Ægyptium plærique faciunt, & interpretantur Græco μόναχος. Sunt etiam qui deducunt hinc nomen PAPA, unica nimirum litera per μετάθεσιν tranſpoſita. quæ coniectura tam docta, quàm maximè probabilis eſt, nempe enunciatione ad Arabum linguam inflexa: quibus hodie etiamnum uocem Baba patrem denotare, auctor eſt Georgeuicius. Ac ſcribunt Baſilius Magnus, Auguſtinus, Cedrenus, communiter nomen illud Chriſtianos olim Doctoribus ſeu Paſtoribus ſuis tribuiſſe: forte inſtituto eo, quo Romani ſuos Senatores Patres appellârunt, quòd ſcilicet paterno animo præeſſe ipſis, & commißi gregis curam diligentem gerere deberent. Sed poſtmodo uſus obtinuit, ut præcipuè de Romano Pontifice uſurparetur. Eſtq́ꝫ hinc deprauatum Germanicum Bapſt, & quod in contemtum & cõtumeliam ſacri ordinis trahere uulgus aſſolet, Pfaffe: quod idem accidiſſe de ueteribus appellationibus, Magus, Tyrannus, Sophiſta, &c. docti ſciunt.

ALTERVM, PELASGIA, à gente Pelaſga profectum eſt, de cuius origine & denominatione poſtea plura dicemus. Nam Pauſaniæ & Apollodori etymon à Pelaſgo, reijcimus ut Poëticũ & fabuloſum. Nec exquiſitè nimis hoc inquirimus, quòd alij de ſola Arcadia id accipiunt. Fieri enim potuit, ut paulatim uſus eius immutatus fuerit: quem uſum eundem ſemper uel ſimilem potius regionum & gentium appellationes neq́ꝫ habuiſſe, neq́ꝫ habere nũc etiam, ſed iam communius iam anguſtius nominatas, & nominari hodie, ex hiſtorijs & conſuetudine obſeruare licet. Pertinetq́ꝫ huc Græcorũ prouerbium, quod Strabo & Plutarchus recitant his uerbis: χωρὶς τὰ μυσῶν καὶ τὰ φρυγῶν ὁρίσματα, τὸ δὲ διορίζειν χαλεπόν. Aboletur autem forte Apiæ appellatio noua Pelaſgorum potentia & celebritate: quomodo nunc quoque in uſu poſitum uidemus, ut à gente una regio aliqua, quæ tamen gentes alias habeat, easq́ꝫ ſæpè origine & lingua diuerſas, nuncupetur.

TERTIVM, ARGOS, Græci ab Argo eſſe uolunt, quem Iouis & Niobes F. uocant. Sed cùm neque huius Græca lingua notionem commodam ullam ſuppeditet, ſequor iterum noſtri temporis uiros doctos, qui Ebræum faciunt, interpretâturq́ꝫ nauem: ut intelligatur terra, quæ colonos habuerit nauibus aliunde aductos: & ARGIVI ſint nautæ uel nauibus aducti. Equidem de uſurpationis eius initio etſi quod afferam certi nihil habeo, tamẽ à colonis Ægyptijs primùm introductum crediderim. Hi enim ut migrationis forte iſtius

ſuæ mari factæ aliquod ad poſteros relinquerent monumẽtum, ARGOS urbem à ſe conditam inde denominârunt: quæ pòſt potentia & opibus amplificata, regioni uniuerſæ nomen dedit. Sicuti idem de Bactris, Babylone, Cyrene, & Rhodo, &c. prodidere ueteres: & Thraciam pòſt à Gręcis Romaniã dictam ſcribunt, quòd CONSTANTINVS Magnus Imp. Byzantium à ſe inſtauratum νέαν ῥώμην uocari uoluiſſet. Addit Strabo peculiare Argo cognomentum, Achaicum, ab Achęis, quorum quàm illuſtre nomen fuerit, Homerus planum facit, qui de Græcis haſce ceu communes uſurpat appellationes: ACHÆI, DANAI, ARGIVI, & in Odyſſ. bis repetitur nomen πανάχαιοι, pro quo Thucydides retinuit nomen πανέλληνες, quod & ipſum extat apud Homerum Iliad. β. Tametſi idem Strabo pòſt ad Laconicam propriè translatum, ait.

QVARTVM, PELOPONNESVS, Græcum eſt prorſus, & Pelopis exprimit inſulam. Hic enim cùm diuitijs afflueret, è Lydiæ metallis, ut teſtatur Strabo, acquiſitis (unde prouerbium apud Comicos Græcos, PELOPIS TALENTA) è Sipylo Phrygiæ cò transfretauit, & Hippodamiæ connubio regnum Piſæ adeptus, eam ſibi deinde potentiam comparauit, ut terra iſta cenſeretur ipſius quaſi propria, & communi Græcarum gentium conſenſu hoc ab eo nomine appellaretur. Neque negârim etiam poſterorum claritatem uſum huius confirmaſſe: qui ante Heraclidarum reditum tria ibi regna tenuere nobiliſsima, nempe Argiuum, Mycenæum & Spartanum.

QVINTVM, ACHAIA, ab Achæis, gente tunc temporis fœderibus & uicinorum ſtudijs potentiſsima, primi Romani de Peloponneſo uſurpârunt, teſte Polybio. Nam Pauſanias & Suidas Græcię omni id tributum ab Romanis, aiunt. Atq; inuenias adhuc alios, qui Achaicam uocent, quæ Homero propriè ἑλλὰς eſt, hoc eſt, tractum Græciæ extra Peloponneſum.

SEXTVM, MOREA, quod recentior ætas uſurpat, cuius fiduciam linguæ, ſubdubito. Magis tamen inclino ad Henetam originem. Infuſas enim poſterioribus temporibus in Græciam Henetas gentes, certum eſt: de qua re explicans auctor epitomes in Strabonem ſic ſcri-
„ bit: νῦν δὲ πᾶσαν ἤπειρον καὶ ἑλλάδα χεδὸν καὶ πελοπόννησον καὶ μακεδονίαν, σκύθαι
„ σκλάβοι νέμονται. Eſt ergo Morea regio mari incluſa: eiuſmodi enim Peloponneſi ſitum, hoc eſt, peninſulæ, tradunt nobis Geographi: hodie Venetiarum horreum, ut olim Sicilia Romanorum.

COLONOS Peloponneſus antiquiſsimos habuit IONAS, PELASGOS: quibus deinde acceſſere ACHÆI, ARCADES, ELEI. Nam quos addit Herodotus, CYNVRIOS, LEMNIOS, DRYOPAS, ex ijs Cynurios & Lemnios Ionas

fuiſſe

fuiſſe ſcimus, ut Dryopas Dorienſes, de quibus infrà dicemus, cùm è Græcis postremi in Peloponneſo inſederint. Meminere etiam ibi aliqui Phrygum, Lydorum, Troianorum & Cauconum: è quibus priores gentes duas cum Pelope traieciſſe eò, cenſeo: Alteri uerò poſt bellum Troianum fortè iſthuc translati ſunt. Cauconas quidem non diſcernendos à Caucis Germanis, alibi oſtendimus. Et nominat hoc in tractu Myſiam regionem Pauſanias: neq; inficiatur Herodotus, Græcam gentem, cùm principiò exigua eſſet, barbarorum præcipuè acceſſione auctam. Addit his Strabo ex Hecatæo, ſuò tempore lateribus Græciæ barbaros inhæſiſſe, magnamq; eius partem barbarorum gentes habitaſſe: cùm Macedones antea, ut eſt apud Polybiũ, ueluti murus ijs oppoſiti fuiſſent.

IONAS è nominis ſuffragatione deriuo ab IAVAN, filio IAPHET, qui Heſiodo & reliquis Poëtis IAPETVS eſt. Eaſdem enim tum origine, tum ſignificatione appellationes facio, IAVAN, ION, IANVS, & quod poſteriores duæ cum prima uidentur habere diſcriminis, colloco in Græcæ & Latinæ linguæ enunciatione molliore. Etſi ueriſimile eſt, tam Græcos quàm Latinos, ne peregrinæ uiderentur, ſtudio eas nonnihil ad ſonum & formam linguæ ſuæ inflexiſſe. Id quod ſuò teſtimonio confirmat Ioſephus lib. 1. Ant. cap. 6. Gentium, inquit, quædam adhuc ſeruāt deriuatam de ſuis « conditoribus appellationem, quædam etiam mutauerunt, nonnullæ « in familiarem accolis & notiorem uocem ſunt uerſæ, Græcis potiſſi- « mum talis nomenclaturæ auctoribus. Hi enim poſterioribus ſeculis « ueterem locorum gloriam ſibi uſurpârunt, dum gentes nominibus ſi- « bi notis inſigniunt, & tanquam ad ſuum ius attinerent, mores quoq; « proprios in illos inuehunt. Et ſubiungit cap. ſeq. nomina Ebræa de- « coris cauſa in Græcam formam mutari ad aurium uoluptatem. Id quidem conſtat, gentem utranq; IAVAN conditorem habuiſſe: ut neque figmenti de IANO bifronte aliam uel occaſionem uel cauſam ſuſpicer, quàm quòd hoc ueluti ſymbolo κἀὶ μνημοσύνῳ conſeruari uoluere Latini ueteres ad poſteros memoriam de ſua cum Gręcis cognatione. Atque quod Romani nummo Iani imagine ſignato, addebant parte altera nauem, haud aliud indicare uoluiſſe uidentur, quàm claſſe maiores ſuos in Italiam perueniſſe: Quanquam Ouidius tradidit Faſt. lib. 1. Iani numen Græciam nullum habuiſſe. Enimuerò quàm Græci coloni Italiam latè compleuerint, qua floruerint ibi potentia; magnæ Græciæ teſtatur uſurpata denominatio: in qua Italica ſchola floruit; profecta à PYTHAGORA, initio Ionica paulò poſterior. Nec diſcerno uocem Italia ab αἰτωλία, mutato ſcilicet ω penultimæ in α. ad imitationem dialecti Æolicę, & κατ' ἀφαίρεσιν abiecto initiali α. Nam Ro-

F 4 manos,

manos, qui Latinæ gentis caput fuêre, Æolica uſos accētu, & linguam ipſorum ad Æolicam proprietatem acceſsiſſe, prodidit Dionyſius Halicarnaſſeus: & ſuffragantur huic itidem Priſcianus Grammaticus & Quintilianus lib. 1. cap. 9. Quò pertinet, quòd nomina Græca: ὀρμίαι, ἑλία, ἱππώνιον, reddidere. Formiæ, Velia, Vibo, mutata uidelicet aſpiratione in F. Æolicum: eodem modo, quo ex Henetis fecere Venetos, ex ἱστία Veſtam. Neq; diſſentit ab his Plinij narratio de literis Latinis lib. 7. cap. 58. quam ſubijcio: Veteres Græcas, inquit, fuiſſe eaſdem pe„ nè, quæ nunc ſunt Latinæ, indicio erit Delphica tabula antiqui æris, „ quæ eſt hodie in palatio, dono principum Mineruæ dicata in biblio„ theca. Aetolos quidem certè Aeolum fuiſſe ſobolem, Strabo annotauit lib. 9. & Theocriti Scholiaſtes eadem de re his uerbis explicauit: αἰολεῖς οἱ αἰτωλοί. Quod facit, ut neq; appellationes ATLAS & ITALVS diſcernendas putem. Vnde fortè Beroſi profectum figmētum, quo Cethim Italum cognominatum ait: cùm è Suida & Cedreno certum ſit, hunc Latinam gentem auctorem habuiſſe. Græci tamen IONAS denominatos uolunt ab IONE, quem Xuthi F. uocant, nepotem Hellenis, & Ionas Aſiaticos Athenienſium faciunt colonos, atque à Codri filijs eò primùm ductos autumant. Quod quam mereatur fidem, manifeſtius eſt, quàm refutatione alia noſtra ut indigeat. Tametſi id interim inde docemur, ne poſterioribus quidem temporibus, & in tam denſa caligine & ſuperſtitione, quæ poſt amiſſam ſanctorum patrum doctrinam, ſi ab Ægyptia diſcedatur, in nulla gente maior fuit, rerum tantarum memoriam prorſus apud eos intercidiſſe. Nam HELLENA ſeu ELISAM (in illud enim hoc poſterius commutatum eſt, eo modo quo ex Æoles factum ἴωνες) non nepotem Iona ſeu Iauan, ſed patrem habuiſſe, literæ ſacræ tradunt.

DE Pelaſgorum origine diuerſas ſequuntur auctores opiniones. Herodotus etſi barbaros eos nuncupat, & lingua barbara uſos dicit, alibi tamen Ionas & Æoles, nec non inſulares Pelaſgorum nomini includit. Vt uideatur ita id accipere, ſicuti noſtris in uſu fuit uocabulum Wallen. Vnde Latini fecere Gallos, Græci Celtas & Galatas. Quæ quidem nomina hæc etſi nouorum poſtea temporis aboleuit uſurpatio, tamen ita repetijt è recentioribus Nicephorus Gregoras, ut Argonautas noſtros, qui lingua uernacula uocarent ſeſe Wallen / Walbrüder, & expeditionem ipſam Ein Walfart, perpetuò Galatas appellet & Celtas. Id quod aliquibus craſſæ ignorantiæ cauſam præbuit, ut Gallis iſta tribuerint: quomodo & ueteres illas de Celtis & Gallis hiſtorias de ſolis Galliæ gentibus accipere ſcriptorum uulgus uidemus. Strabo & Seruius Æolici generis Pelaſgos faciunt, & ille quidem ex Heſiodi & Ephori auctoritate propagatos ab Arcadibus, ait. Ego

Hali-

Halicarnassei amplecti malo sententiam, qui Dodonæorum cognatos nuncupat. Et pertinet huc, quòd Strabo gentes Epiroticas Pelasgicas uocatas scribit. In quam sententiam ipsemet citat Homeri uersum Iliad. π.

Ζεῦ ἄνα Δωδωναῖε Πελασγικέ.

Alibi etiam Dodonæum oraculum conditum à Pelasgis ait, quod probat Hesiodi uersu illo:

Δωδώνην φηγόν τε Πελασγῶν ἕδρανον ἦεν.

Sunt igitur PELASGI à DODANIM, filio Iauan, à quo denominationem retinuere urbs & regio Dodona & fluuius Dodon. Sic enim Eustathius in Dionysium: Δωδώνη οὐ μόνον ἡ χώρα ἀλλὰ καὶ πόλις ἐν Δωδώνῃ, ἀπὸ Δωδώνης τῆς Διὸς καὶ Εὐρώπης, ἢ ἐκ ποταμοῦ Δωδῶνος, &c. Nomen Pelasgi, omissis Græcorum figmentis, profectum censeo uel ab Ebræo Palah, uel ἀπὸ τοῦ πέλας ἄγεσθαι: ut intelligas coloniarum deductionibus auulsos à cæteris, & partim dispersos ac riuulorum instar hinc inde diffusos. Cùm enim seu peregrinationis seu militiæ studio à reliquis Dodonæis Pelasgi se disiunxissent, primò quidem propter Ionas in Peloponneso uniuersi consedere. Inde Achæorum, ut arbitror, extrusi uiolentia (quia apud Argos Achaicum eos habitasse, & nomen Pelasgorum aboleuisse DANAVM regem, scribunt Halicarnasseus & Strabo) neque in Thessalia, quò ex Peloponneso migrârant, per CYRETES & LELEGES, quorum sedes tenuerunt postea ÆTOLI & LOCRI, consistere permissi, in diuersissima sunt distracti loca. Nam, ut inquit Halicarnasseus, alij Cretam petierunt, alij Cycladum insularum aliquot occupârunt, pars Olympo atque Ossæ contiguam regionem, nomine Hestiotidem, fecere sibi domicilium: pars in Bœotia resederunt, & in Eubœa, atque Phocide: alij traijcientes in Asiam circa Hellespontum multa occupârunt loca maritima, uicinasque insulas, cùm alias aliquot, tum eam, quæ postea Lesbus uocata est. Maximus tamen numerus per loca mediterranea præsidij causâ ad cognatos DODONÆOS confugit, quos quasi sacros (sic enim postmodo apud Græcos Eleos, apud Sarmatas Riphæos extitisse, Pausanias & Solinus scripsere) nemo fas putabat bello aggredi, ibique manserunt satis longo tempore. Postquam enim senserunt à se grauari cæteros, quòd terra alendis omnibus non sufficeret, loca ista decernere, & oraculo moniti, nauigârunt in Italiam. Vbi quæ eos fortuna noua exceperit, Eustathius ostendit, qui nomen ipsorum ab Italis in contumeliam & probrum tractum ait, eo modo quo appellarentur apud Macedones Penestæ, apud Lacedæmonios Helotæ, apud Argiuos Gymnesij, apud Sicyonios Corynephori, apud Cretenses Dmoëtæ,

Dmoëtæ, &c. Oraculum uerò quod de Italia petenda datum Pelasgis fuit, Macrobius habet huiusmodi:

> στείχετε μαιόμενοι σικελῶν σατουρνίαν αἶαν
> ἠδ' ἀβοριγενέων κοτύλην οὗ νᾶσος ὀχεῖται
> αἷς ἀναμιχθέντες δεκάτην ἐκπέμψατε φοίβῳ
> καὶ κεφαλὰς ἅδῃ, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.

ACHÆOS Strabo Æolicam uocat gentem, atque è Thessalia, ubi & sequentibus temporibus nominantur, in Peloponnesum ductos à Pelope, memorat. Est ergò origo eorum ab Elisa, filio Iauan. De nomine, qui Ebræam etymologiam sequuntur, interpretantur id fratres, seu à concordi animorum studio, seu quòd agmine coniuncto & conferto in Græciam migrârint. Quanquam neque illud negari potest, multas Ægyptiorum colonias immixtas fuisse: qui Ægyptij regnum quoque inde ab INACHO & DANAO usque ad Pelopidas Argis retinuere. Vnde Danai fortè dici uoluerunt, ueluti qui cæteros imperio subditos legibus & iure gubernarent, à uoce Dan, quæ Ebræis iudex est. Certè profectos ex Ægypto Danaos, expressè Strabo affirmat lib. 7. Vbi & reliquam Græciam possessam initio à Barbaris docet: qua de re uerba ipsius ascribere libuit:
,, Hecatæus Milesius, inquit,
,, priusquàm Græci incolerent, à barbaris habitatam fuisse. Itidem ferè
,, & Græcia uniuersa priscis temporibus barbararum nationum habi-
,, tatio fuerat. In quam ductus est rationem per ea, quæ memoriæ pro-
,, dita fuerant. PELOPS quidem ex Phrygia ducto secum populo,
,, ab se Peloponneso nomen indidit: Danai uerò ex Ægypto profecti,
,, Dryopes & Caucones & Pelasgi & Leleges, & alij id genus, terras in-
,, tra Isthmum & extra diuiserunt. Agrum Atticum u enientes cum Eu-
,, molpo Thraces tenuerunt: Aulidem uerò terræ Phocidis Tereus:
,, Cadmeam autem aduecti cum Cadmo: ipsam uerò Bœotiam Aones
,, & Tembices & Hyantes. Hactenus Strabo. Nec plæræque Græciæ gentes aliæ planè ab origine sua γνήσιοι fuerunt. In quibus ATHENIENSES, qui gloriosè se indigenas prædicabant καὶ αὐτόχθονας, eoque nomine cum Dorienfibus ceu aduenis contentiones exercuere perpetuas atque acerrimas (quæ & belli Peloponnesiaci non postrema causa extitere) suam quoque Ægyptios duxisse coloniam, tradit Diodorus Siculus. Ac Cecropem, à quo conditas Athenas uolunt, Ægyptium fuisse præter Eusebium Suidas scripsit. Quin & Strabo negat nominum horum: CECROPS, CODRVS, ÆCLVS, COTHOS, haberi in Græca lingua notionem: neque ipsarum Athenarum commodam inde ullam inuenias. Quapropter uerè Atheniensibus Ægyptios se miscuisse, indeque, quas dixi, appellationes apud eos remansisse, sentio. Nec displicet mihi coniectura, deductum nomen

CE-

CECROPS à CHERVBIM, fortè inde, quòd imaginis alatæ cultum instituerit: qua in noctuam pòst mutata, insectationis de se apud cæteras Græcas gentes Athenienses causam dederunt, qua exprobratum eis fuit, quòd tria monstra pessima colerent, Populum, Noctuam & Draconem. Ac uidentur ATHENÆ esse Ebræum ADONAI, quæ appellatio exponitur à Iosepho Dominus, estq; una è ueri Dei denominationibus, à Iudæis pro altera illa IEHOVA, à qua obliquos nominis Iupiter aliqui propagant, superstitione quadam usurpata: Vnde idem Iosephus id retinuit in libello de Maccabæis: cùm alibi nomen, quod Mosi Deus aperuisset, nunquam antea hominum ulli auditum aut cognitum, hoc est Iehoua, sibi eloqui necius nec fas esse arbitretur. Figmentum quidem certè de Minerua, quæ ἀθηνᾶ Græcis est, nata è Iouis cerebro, planè ad patrum doctrinam alludit de filij Dei generatione patris cogitatione nascentis. Hanc enim humanæ naturæ actionem cerebro fieri, Physicorum doctrina erudimur. Legitur apud Pausaniam, habuisse templi Heliopolitani parietes ingentium simulacrorum picturas, quæ Hetruscis & antiquis Græciæ operibus persimiles essent. Hoc itidem prorsus huc spectat: cùm certum hoc sit, Lydos & Tyrrhenos ab Ægyptijs duxisse prosapiam. Quod si etiam stirpis affinis attingendæ in Græcis origines, an non THEBANI Phœnicum coloni sunt? siue hos Tyrios siue Sidonios intelligere uelimus. Nam quod Suidas tradit, Thebanos αὐτόχθονας uideri uoluisse, id Atheniensium factum æmulatione, prorsus dubium nullum est. Quanquam re & ueritate ea laus ad ipsos etiam ex parte pertinet. Nam AONES, qui inter conditores Thebanorum nominantur, Iones sunt, Græciæ nempe coloni antiquissimi, nomine illo ex altera enunciatione ἴωνες κατ' ἀφαίρεσιν mutilato. Vt denominatos hinc, & CHAONAS, gentem Epiri, opiner, eadem enunciatione in magis barbaricã mutata. Porrò autem quàm latè usus appellationis ACHÆI se extenderit, suprà ex Homero ostendimus: Pausanias tamen ante Heraclidarum reditum Argiuis & Lacedæmonijs propriam competisse ait, sed ita, ut Argiui adhuc peculiariter Danai uocarentur. Ac sicuti Ægyptij eis admixti linguã Græcam assumserunt, ita coloni ipsorum ad Pontum Euxinũ & hanc, & mores Græcos ita dedidicerunt, ut barbarorum facti sint efferatissimi, quomodo est apud Halicarnasseum.

ARCADAS alibi deriuauimus à CETHIM, filio Iauan, à quo Macedonum, Latinorum, Pannonum & Cypriorum origo est. Nomen facio Ebræum ἐρείτας, quod Ceteos montanos sonat. Arcadiam enim regionẽ montosam scriptores plærìq; tradunt, & inprimis Poëtæ, qui descripsere eam diligentissimè. Suidas tamen & hos αὐτόχθονας

faciũ

facit, ac προσελήνους nuncupat, quaſi dicas Antelunares, ab antiquitate uidelicet, qua inter Peloponneſios Arcades maximè excelluiſſe, aſſirmant omnes.

ELEOS neque nomine neque origine diſcerno ab Æolibus, quos ſuprà Eliſæ, filij Iauan, fecimus propaginem è Ioſepho. Nec niſi enunciatione & uſurpatione differunt nomina hæc: ÆOLES, ELEI, ἕλληνες, ÆTOLI, ITALI, cùm à fontis ſcaturigine eadem promanent omnes.

CÆTERVM coluere hæ Peloponneſum gentes ante Heraclidarum reditum, quem collocat Thucydides in annum à capta Troia ſeptuageſimum. In eo tempore mutationes terra hæc paſſa multiplices, ut antea Pelaſgos, ſic Ionas prorſus amiſit, pulſos ab Achæis, quorum ſedes occupârant noua gens DORIENSES. Cumq; Achæi exules & extorres profugiſſent ad Ionas, & humaniter in domicilij partem recepti, inde in benefactores exarſiſſent, quòd TISAMENVM Oreſtis F. ſuſcipere regem nollent, armis cum eis decertant: uictos excedere Peloponneſo cogunt, occupatisq; diſceſſu illorum deſolatis terris, has ſibi uendicant, & regnum ita Tiſameni poſteri (ipſe enim in prælio cum Ionibus occubuerat) conſeruãt, è quibus poſtremum ſcriptores nominant OGYGVM. Nec niſi ELEI & ARCADES priſtinas ſedes ſuas tum retinuerũt: illi quidem, quòd Ioui Olympio dicati cenſerẽtur, & OXYLVS Eleus fideliter Dorienſes iuuiſſet, hi uerò, quòd Creſphontis cum Cypſelo rege affinitate Heraclidas ſibi conciliaſſent, & nequid hoſtile contra ſe fieret, facilè ita ob cognationem obtinuiſſent. IONES autem profecti in Atticam, MELANTHO rege auctore, finibus donati fuere: Inter cuius nepotes è CODRO F. pòſt diſſenſione orta, ceu poſtliminio Aſiam cum eis repetunt.

VT uerò & Dorienſium originem explanando illuſtremus, non idem ſentire de ea auctores uideo. Herodotus Ægyptiorum nominauit eos propaginem, & ſpectat huc fortè AREI prioris epiſtola ad Oniam, Iudæorum Pontificem, apud Ioſephum, qua rex ille inueniſſe ſe teſtatur in ueterum commentarijs, quòd ex ABRAHAMI genere cognati eſſent, innuens, ut uidetur, exitum Iſraëlitici populi ex Ægypto, quomodo & Hegeſippus Spartiatas à Iudæis cognato ſibi genere copulatos, pro fratribus habitos, ait. Strabo Æolici generis DORIENSES fecit, neq; dialectum eorum diſcernit ab Æolica, ut neq; Atticam ab Ionica. Sed malumus nos eorum ſequi auctoritatem, qui propagant à THARSI, filio Iauan, à quo Tarſus Ciliciæ nomen ὁμώνυμον retinuit, cùm quidem Dorienſes eam coloniam deduxiſſe, tradant omnes. Certè ſonus appellationis utriuſque admodum

cognatus

cognatus est: eamq́ appellationem ab hoc potius conditore, quàm ab Ebræo Dor gentem retinuisse, consentaneum est. Nec sedes Doriensium primæ eam parum confirmant sententiam, Quæ est Doris in Asia, cuius inter Cariam & Ioniam ad Halicarnassum preter alios meminere Ptolemæus & Plinius. Inde in Europam progressi, principio in Perrhebia Thessalæ: deinde ad Parnassum consedere: Vbi de ipsis regionem Doridem appellatam, quam ἑξάπολιν nominat Scholiastes Pindari, postea semper metropolin, ut reliquos Peloponnesi Dores, ita Laconas maximè agnouisse, referunt Herodotus, Thucydides, Diodorus, Strabo. Et retinuit quidem hic tractus Dores colonos usq ad Heraclidarum tempora: Cùm antehac quoq regibus ibi indigenis usi essent. Ex his postremus ÆPALIVS, seu ut Diodorus, Apollodorus & Stephanus habent, ÆGIMIVS, cùm pulsus à Lapithis, Thessalica gente, & Herculis ope restitutus, grati & memoris animi testificandi gratia HYLLVM adoptatum regni hæredem instituisset, & posteritatem suam (nam filios eius nominant Pindari Scholiastes & Stephanus Dymantem & Pamphylũ, indeq́ tribus Laconicas Dymænida & Pamphylida cognominatas, tradunt) regno, & gentem sedibus quasi mulctat. Etenim Hylli è Cleodęo F. pronepotes, TEMENVS & CRESPHONTES, auita regna recuperaturi, Dorienses ad eam expeditionem excitos in Peloponnesum duxere, & populo terra distributa, principatus sibi asseruerũt. Nominantur tamen & in Creta Dorienses ab Homero, ab aliis scriptoribus in Sicilia, Ægina, Corcyra, Eubœa, Rhodo. De quibus ut singulatim hîc nobis omnia pertractãda non sunt, ita intelligi tamen æstimando hinc poterit, quãta gens ea fuerit amplitudine, quanta potentia.

Venusti sunt uersus Ouidij 6. Metam. qui quoniam plerasq Peloponnesi urbes continent, uisi ad finem adijciendi:

Argosq́, & Sparte, Pelopeiadesq́ Mycenæ, "
Et nondum toruæ Calydon inuisa Dianæ, "
Orchomenusq́ ferax, & nobilis ære Corinthus, "
Messeneq́ ferox, Patræq́, humilesq́ Cleonæ, "
Et Neleia Pylos, nec adhuc Pittheia Troezen, "
Quęq́ urbes aliæ bimari clauduntur ab isthmo, "
Exteriusq́ sitæ bimari spectantur ab isthmo. "

G REGNVM

REGNVM ARGIVVM.

A' QVIBVS ARGIVI GENTIBVS CONDITI SINT: QVAE TENVERINT IMPERIA, ET IN HIS QVAE FAMILIAE REGIAE; *qui Tyranni fuerint.*

ARGOLICAM terram initiò tenuisse reperimus PELASGOS, quos cum Ionibus Græcia habuit colonos antiquissimos: His extrusis, successere in earundem sedium possessionẽ primùm ACHÆI, deinde DORIENSES. Quorum quæ fuerit origo, alibi à nobis explicatum est. Singulariter autem ARGOS à DANAO rege conditum, Diodorus scripsit. Sunt igitur ARGIVI Ægyptij (propago uidelicet MIZRAIMI, filij Cham, à quo & nomen Ammonis in parte Libyæ reliquum fuit) sed Græcis permixti. Quippe Pelasgorum nomen primum omnium Danaum ibi aboleuisse, Strabo prodidit. Vnde gentis huius partem permansisse isthic opinor. Ac deduxerat etiam ante id tempus colonos eò ex Ægypto INACHVS, qui in Achæorum nomen cooptati, regnum conseruârunt usque ad Danaum, auctorem noui Danaorum nominis & imperij. Etsi enim mansit in usu Achæorum appellatio cõmuniore, Argiuos tamen peculiariter Danaos uocari se uoluisse; annotat Pausanias, cùm apud Homerum id discrimen non reperiatur. Sanè tam Inachum quàm Danaum Ægyptios fuisse, & nomen itidem utriusque ex Ægyptia lingua desumtum, suo loco pluribus demonstrauimus: unde & quæ appellationis Argos fuerit notio, repeti uolumus. Nam quam Græci afferunt ab Argo, ut commenticiam reijcimus. Neque dubium ullum est, parẽtes Inacho Oceanum & Thetyn in fabulis tribui, quòd classe in Græciam appulerit: sicuti ferè figmẽta Poëtarum omnia è ueris narrationibus deprauata sunt. Cæteroquin complures Græciam Ægyptiorum habuisse colonias, constat. Apud Pausaniam quidem legimus, Argiuos & Athenienses ante Heraclidarum reditum lingua usos esse eadem. Id quod etsi auctor hic non explicat, uidetur tamen huc planè etiam alludere, & de populi utriusque cognatione intelligi rectè posse. Etenim Ægyptios suam Athenienses uideri uoluisse coloniam, à Diodoro traditur. Spectatque eodem, quòd idem Pausanias de
„ antiquitatis contentione ipsorum prodidit his uerbis: Inter Græcos
„ populos de antiquitate & Deorum muneribus cum Atheniensibus
„ maximè certant Argiui, non aliter quidem, quàm inter barbaros cum

Phry-

Phrygibus Ægyptij,&c. Nominatur etiam in Regibus Trozenijs ORVS: quod nomen cùm Pausanias Ægyptium faciat, hos quoque ab Ægyptijs conditos reor. Quomodo & de Nauplienſibus Græcæ historiæ referunt, quòd ex ea Ægyptiorum classe fuerint, quæ Danaum in Argolicam terram perduxit. Suntque Ægyptia item regum hæc nomina: Iasus, Belus, Danaus, Cepheus, Phineus, Pirasus, nempe eadem quæ Ebræi dicunt, Iesus, Baal, Dan, Ceph uel Cepha, Pinehas, Peres, &c. Vnde suspicor & appellationē Agenor mutatam ex Ebræo Og, eo modo, quo ex Pontificibus populi Iudaici Onias se Menelaū nuncupauit, Iesus Iasonē & Salome, ALEXANDRI Asmonæi uxor, à Græcis Alexandra cognominata est. Fuerit igitur prima & uetustissima Argorum origo externa & peregrina: etsi incolæ, nempe è Græcis permisti, eam peregrinitatem ita postea exuêre, ut in Græcum nomen ciuitas hæc plane concesserit, & potentia atque opibus amplificata, inter Græcas gentes maximè eminuerit, alterumque Peloponneso nomen dederit. Nam in appellationibus ab Homero de Gręcis usurpatis nominantur etiam ARGIVI. Quanquàm nos cum Pausania tam hanc quàm Danaorum compræhendimus sub Achæis: quorum ceu metropolis ac caput Argos permansit usque àd Heraclidarum reditum. Hi enim Achęos bello uictos, ut reliquis sedibus, ita etiam Argo extorres egerūt, idque occupatum colonis suis è Doriensibus compleuerunt, qui Dorienses incolæ Argi alteri atque postremi fuêre.

TENVIT autem utraque gens sua & peculiaria Argis regna. ACHÆIS quidē imperasse ibi familias duas reperimus, INACHI & AMYTHAONIDARVM. Quarum prior etsi iter uirilis stirpis succeſsione defecerit, nos tamen ante PERSIDAS (nam de his pòst separatim explicabimus) ideo eam interrumpere noluimus, quòd origo alia ignoretur, & ut series sibi constaret. Ac discedimus prorsus ab Hygino, qui Argiuorum regnum orditur in PHORONEO, quem primum ex mortalibus regnasse, astruit. Quandoquidem mox de successoribus ita labendo impingit, ut cùm Apim, Cropum, Sthenelum & Gelanora omittat, Argiuis regibus admisceat Tantalum, Pelopem, Temenum, Thyestem, Agamemnona, Ægisthū. Nam id perpetuus scriptorum consensus ita oppugnat, ut Solinus Inachum Argiuæ nobilitati dedisse initium, dicat. De regum uerò nominibus ex familia Inachi uidetur omnino Græcorum licentia quædam uel confinxisse uel deprauasse, aut etiam alijs, quàm quorum erant, tribuisse: in quibus sunt Spartus, Car, Pelasgus, Mycene, &c. Putatque uir Clariss. D. Casparus Peucerus per Inachum significari Noham: tametsi etiam ex Ecclesiasticis scriptoribus Eusebius, Clemens, Augustinus, tanquā regis peculiare id usurpent. Ac si quis forte reij-

cienda ea censuerit, non repugno: sufficietque nobis, quod est apud Herodotum, Argiuos reges ante Persea Ægyptios fuisse. Nec alia causa erat, ea ut retineremus, quàm ut ijs consuleretur, qui ad Græcorum auctorum lectionem accessuri sunt. Nam ab his tanquam historica referuntur. Et norunt historiarum non imperiti, quid hac parte antiquitati condonandum sit. Cùm quidem non planè ab re sit, quod scripsit Eusebius, ante Olympiadum initium Græcam historiam incertam esse, propterea quod ante hoc tempus ut cuique uisum esset, diuersas sententias protulissent. Enimuerò si à Beroso tradita regum Assyriorum nomina retinentur, quia scilicet alia sciri nequeunt, idem hîc quoque ita ualeat, ut nõ omnia antiqua fabulosa existimemus. Tametsi hoc quasi axiomate quosdam ita abuti uideamus, ut de rebus antiquis fingãt & comminiscantur pro libidine omnia. Qua in re maximè nostræ gentis, & inprimis rerum Francicarum scriptores accusandi sunt. Etenim cùm reges aliquot Francicos Romanæ historiæ nominent, tamen hi ita prætereuntur, ut series prorsus diuersa instituatur, eaque insulso mendacio à PRIAMO Troiano deriuetur. Adhæc non solùm de rebus gestis eiusdem familiæ Inachi fabularum inuolucris sunt confusa omnia (è quibus tamen assumenda nos ea putauimus, quæ uel auctores ipsi ut uera afferrent, uel ueritati uiderentur consentanea) sed & de illius propagatione non exigua dissensio est. Nam Argi liberos alijs nominibus refert Pausanias, alijs Apollodorus: etsi in Apollodoro mendum esse suspicor, deprauatis nonnihil nominibus hisce, Criasus & Piranthus, quæ Pausaniæ sunt Pirasus & Phorbas. Propagat etiam Apollodorus Io ex Argi stirpe, & Argi πανόπτου filiam nuncupat: à quo præter alios Herodoti historia & Eusebius ita uariant, ut ille Inacho prognatam affirmet, hic uerò à seipso dissentiens, alibi Inachi filiam faciat, alibi Telegono, quem nominat Ori filium, & octauũ ab Inacho, coniugem attribuat. Sed hæc, ut quæ etiam temporum series oppugnet, relinquimus, facimusque cum Stephano, qui Io Iasi filiam uocat. Nec discrepat Clemens, qui illam ab Inacho generis gradu septimam fuisse putat. Versatur quoque in alio errore de IO, quæ Isis est, Eusebius. Nam hoc nomine Hypermnestram ab Ægyptijs cultã, ait. Quomodo itidem ex Apollodoro merito repudiantur, quæ de Busiride ex Lysianassa genito affert. Quod ideò monemus, ne hîc etiam concessam licẽtiam fingendi infinitam quis arbitretur, sed maximè auctorum testimonijs innitendũ. Neque de Libya nihil est cur dubitari possit, hoccine ei nomen fuerit. Atque labitur per crassum errorem de Danai filiarum parricidio Orosius, quod in Ægypto perpetratũ, & Sthenelum ab eodem Argis pulsum, scribit. In qua opinione est etiam Eusebius, cùm tamen paulò pòst nominet Gelanora, eumque expulsum ab

Argiuis

Argiuis affirmet. Habet autem Danai filiarum nomina præter Hyginum Apollodorus: qui quidem suam de Argiuis regibus narrationem mox in Megapenthe, Præti F. abrumpit. Quos pertexens scholiastes Pindari, Megapenthi filium attribuit Hipponoum, nepotem Capanea, abnepotem Sthenelum. Sed sequimur nos Pausaniam, qui & ab ANAXAGORA, Megapenthis nepote, nouo familiam Anaxagoridarum nomine signat. Tametsi regni Argiui diuisionem in PROETVM conferamus cum Apollodoro, quam præter Pausaniam etiam Diodorus Anaxagoræ ascribit. Quippe & Strabo Proetidas à Melampode sanatas tradit. Vt Pausaniæ locum illum corruptum suspicer, cùm idē de Melampode prodiderit in Arcadicis. Nec parum hoc in loco hallucinatur Apollodorus, qui Megapenthi Argos à Perseo concessum putat, quod reliqui scripto res de Prœto prodidere, nominatꝗ Capanea Hipponoi F. cùm Pausanias Alectore prognatum asserat. Enimuero è Græcis Argiuos solos in tria regna diuisos fuisse, Pausanias annotauit. Qua re opes ipsorum accisæ mirificè coalescere deinde nunquam potuere, usꝗ ad CYLARABIN. Nam ad hunc tandem ceu postliminio regnum id rediit uniuersum. Etsi ea familiæ felicitas diuturna nō fuit, luente nimirum Cylarabi pœnas adulterij cum DIOMEDIS coniuge commissi. Etenim liberis orbus decessit, qui suo scelere alium legitimis liberis spoliarat. Qua occasione usus ORESTES Pelopida, regnum armis inuasit, idꝗ occupatum deinde & ad Tisamenum filium transmisit. Hic post à Doriensibus & Heraclidis bello oppugnatus, ac cū gente sua sedibus eiectus, migrat ad Ionas, ab eisꝗ in prælio perimitur.

AMYTHAONIDARVM familia, quæ altera apud Argiuos regnauit, origine potius quàm successione ab Inachi posteritate discernenda est. Etenim regnum utriꝗ simul & eodem tempore administrarunt, ita quidem ut Amythaonidarum dominatus adhuc aliquantò maturius desierit. Facit autem Strabo Amythaonidas Eleos è Pylo urbe. Quorum propaginem geminam reperimus, sicuti & gemini reges terræ Argolicæ inde imperarunt, cùm à PROETO tot regni partes obtinuissent. Vna profecta à Biante, BIANTIDARVM nomine memoratur à Scholiaste Pindari: altera, quam condidit Melampus, MELAMPODIDARVM cognomētò à Pausania refertur. Neꝗ de Biantis familia dissensio ulla est, nisi quòd Apollonius & Apollodorus huic PERO, Nelei F. nuptam fuisse, scribunt: à quibus Pausanias uarians, Prœti filiam ei uxorem adiungit. Sed hæc conciliari ita posse uidentur, ut uxores duas Bianti tribuamus, è quibus quas Prœti F. procrearit liberos, ignoratur. Postremus ex Biantidis regnauit CYANIPPVS: qui cùm sobolem nullam

reliquisset, rediit regnum ad CYLARABIN Anaxagoriden.

DE Melampodidis dissentit ab Homero Pausanias, omisso scilicet ANTIPHATE, patre Oiclis. Sed potiorem nos ducimus Homeri auctoritatem: Cumq; Diodorus Melampodis coniugem nominet Ithaniram, Megapenthis F. quæ Apollodoro Prœti F. esse uidetur, & huic coniuges duas fuisse censemus. Concidit Melampodidarum in Argolide imperiũ in ALCMÆONE & AMPHILOCHO. Vterq; enim in Epirum migrârũt, & nouis eò colonijs deductis etiam regna ibi noua condiderunt. Etsi qui isthic è posteritate ipsorum regnârint, non traditur: & CLYTIDAS, quos Clytius Alcmæonis propagauit, in Elide priuatos uixisse, constat. Quæ nos addocent, punitam in posteris Melampodis πλεονεξίαν huius & diuinationum præstigias. His enim MELAMPODIDÆ maximè inter Græcos claruêre, quod præter testimonia alia ostendunt etiam uersus Hesiodi ueteres apud Suidam, quos subijcio:

ἀλκὴν μὲν γὰρ ἔδωκεν ὀλύμπιος αἰακίδῃσι,
νοῦν δ' ἀμυθαονίδαις, πλοῦτον δὲ πὲρ ἀτρείδῃσι.

Cumq; tandem ALCMÆON matris cædem mandato patris addidisset, & sibi exitium, & familiæ turbas eas attraxit, ut fraterno regnum sponte reliquerit, hocq; deinde cesserit alienis. Nam mortuis sine liberis CYANIPPO & CYLARABI, occupant Argos PELOPIDÆ. Quos quomodo eiecerint DORIENSES, antea ostendimus.

PRÆFVERE autem Argis cum imperio Doriensibus ex Heraclidis TEMENIDÆ: quorum ut potentia ita & familiæ propagatio est obscurior. Nam CISI liberos & posteros ita in ordinem Argiua multitudo redegit, ut præter regium nomen aliud ferè nihil eis reliquerit. Nec certò constat, quem Cisus regni successorem habuerit: cùm è filijs ipsius tantummodo ALTHEMENES nominetur à Strabone: cui nos adiungimus è Pausania MEDONTEM, & Althemene Argis digresso, regnum retinuisse, censemus. Finitur Temenidarum regnum in MELTA, nepote Medontis. Hoc enim capitis damnato, democratia Argis instituta est. De cuius tam breuis

„ imperij tempore Plato explicans Dial. 3. de legum latione: Considera,
„ inquit, nobiscum, quomodo & qua in re præter has delinquentes apud Argos & Messenam reges, & seipsos & simul Græcorum potentiam ad mirandam illam in eo tempore euerterũt. Non'ne quia ignorauerunt, Hesiodum rectissimè dicere, Dimidium plus toto sæpe esse:
„ cùm uidelicet totum sumere fuerit damnosum, dimidium uerò moderatum, tunc censuit ille, moderatum immoderato plus esse, ut quod
„ melius sit deteriore. Hactenus Plato. Attamen accidit tum Argiuis, quod

quod reliquis ciuitatibus Græciæ fermè omnibus, nempe ut dum fumum seruitutis, ut loquitur idem Plato, uolūt fugere, in ignem seruum inciderint, hoc est, pro legitimis Regibus Tyrannos ferre coactæ sint. Hos enim aliquot Argiuos habuisse accepimus: E quibus primum PHEDONEM, iniuria extorti maioribus dominatus ad res nouandas perpulisse, credibile est. Tametsi conseruare dignitatem illam posteri nequiuerint. Quæ res fortè & CARANO secessionis causam præbuit, cùm generoso animo priuatus uiuere dedignaretur, neque patria exerendæ uirtutis occasionem suppeditaret. Nam à Temenidarum satu ipsum oriundū, adeoque à TEMENO duodecimum fuisse, alibi fusius explicauimus. Vt neque improbanda uideatur coniectura, si quis inter maiores eius Phedonem collocandū censeret. Quia etiam ne qui alij idem tentarent, Argiui in metu esse cogebantur, regium imperium sponte repetiuere, collato eo ERATO, de quo tamen nihil præterea in literas relatum est, ut neque huius familiæ dignitatem eam diuturnam fuisse, opiner. Estque uerisimile, propter bella cum Lacedæmonijs regium nomen Erato concessum, ut nempe rem fortius gereret. Nam hæc inter duas illas ciuitates fuisse inuenimus ferè perpetua & maximè horrifica: cæsis à CLEOMENE rege ferè ad internecionē Argiuis ciuibus omnibus, eoque, cùm mox Argos ipsum ingressus esset, uix TELESILLÆ poetriæ uirtute represso. Ac fortè hanc maximè ob causam, etiam contra XERXEM belli societatem Argiui detrectârunt, ut qui depressam Spartanorum potentiam exoptarent. Quanquam quæ improba consilia euentus malus sequi solet, is & Argiuos mansit. Creuit enim Lacedæmoniorum potentia, firmioribus quasi fulcris subnixa uehementius. Quo metu Argiui adducti, inquilinorum multitudine ciuitatem repleuere, uicinisque oppidulis dirutis; Argos ciues transtulere, ita à Lacedæmonijs defendi se posse facilius, rati: Quomodo postea eodem instituto ab Arcadibus Megalopolin conditam, constat. Sic enim Pausanias: Meminerant, inquit, Argiuos iam tum ab initio nullo non penè die, summo cum libertatis periculo à Lacedæmonijs bello uexari solitos. Eosdem aliquot non sanè magnæ æstimationis oppidis, Tirynthe, Hysijs, Orneis, Mycenis & Midéa excisis, traductaque ex illis Argos multitudine, ciuitatem inquilinorum numero adeò auxisse, ut in posterum à Lacedæmonijs minus multò sibi metuerent, & aduersus alios finitimos firmiora haberent præsidia, &c. Ergo & cæteros tyrannos ab hoc Argis principio extitisse existimo. Etenim his multo tempore Argiuos paruisse, docet in Arato Plutarchus, ubi seruitutem ipsa consuetudine eis familiarem factam ait. Nominantur autem ex Argiuis Tyrannis hisce à Plutarcho, Pausania, Athenæo: LAPHAES, PERILAVS,

ARISTOMACHVS, ARISTIPPVS, ARISTOMACHVS alter. Quorum postremus cùm sponte tyrannidem deposuisset, iunctum Argos fuit Achæorũ fœderi. Cumq; ideo Argiui oppugnati à CLEOMENE, obsides ei dare, & præsidium admittere coacti fuissent, eo paulò pòst ab ANTIGONO Dosone eiecto, permittuntur à successore huius PHILIPPO, Tyranno NABIDI. Hunc tandem rursus eijciunt Romani. A' quo tempore cùm iterum in Achæorum societate fuissent, ea post Corinthum euersam soluta, parêre Romanis compelluntur.

CÆTERVM ut & hoc repetamus, fuit Argorũ initio inter Peloponnesi urbes ut potentia, ita & claritas præcipua: quæ etsi per Dorienses nonnihil obscurata fuit. (Tum enim acerbiorem Argiui fortunam expiriri cœperunt, teste Pausania) & Lacedæmonios seruatæ Lycurgi leges maximè extulêre, retinuit tamen Argos dignitatem à Sparta præcipuam. Qua de re subijcere libuit, quæ habet Strabo lib. 8. ubi sic ait: Inter Peloponnesi ciuitates Argos & Sparta gloria præcellunt in hanc etiam ætatem. Priscis profectò seculis Argos amplius illustre nomen sparserat: postea uerò Lacedæmonij omninò superarunt, perseuerantes suas leges ac instituta conseruare, nisi siquid paululum ab ijs aberrare contigit: Et Herodotus lib. 1. Argos, inquit, ea tempestate omnibus ciuitatibus regionis, quæ nunc Græcia nominatur, antecellebat, &c. Plura eadem de re Pindarus in Nemeis Odi 10. Ac sicuti habuêre nomen Argos urbes plurimæ commune: ita & usurpationem eius diuersam, cognomentis etiam distinctam apud Homerum inuenimus. De qua re cùm eleganter edisserat Strabo, iterum uerba eius addere uisum fuit: „ Multifariam, inquit, apud Poëtam dicitur Argos, & per se & addito epitheto. Cùm uocet interdum Achaicum, aliàs Iasum, equestre quandoq; uel Pelasgicum uel equorum altumnum. Nam & oppidum Argos dicitur, sicuti illud:

Argosq; & Sparta. Et,
Quiq; habitant Argos, Tirynthaq;.

Et Peloponnesus,

Aedibus in nostris in Argo.

Nec enim urbs erat eius ædes, & uniuersa Græcia. Vnde omnes Græcos uocat Argiuos, sicuti & Danaos & Achiuos. Cognominationem igitur per epitheta distinguit. Thessaliam quidem Argos Pelasgicum uocans, ut,

Quod Pelasgicum Argos habebat.

Et Peloponnesum, sicuti

Sin Argos ueniemus Achæum, Vel
Ex Argo non erat Achæo.

Significans hîc, quòd Achæi propriè Peloponnenses alia quadam significa-

gnificatione nominarentur. Argos quoque Iasum Peloponnesiacum dicit, sicuti si omnes Achæi Argos intuerenť Iasum & Penelopen, ut plures procos acciperet. Non enim ex uniuersa Græcia procos cepisse uerisimile fit, sed propinquos. Equestre uero & equorum alumnum communi quadam proprietate dicit. Hactenus Strabo. Nominantur autem à Stephano urbes undecim, quæ nomen Argos habuere: nempe prima Peloponnesi, altera Amphilochica, tertia Thessaliæ, quarta Ciliciæ, quinta in Nisyro, quæ una Cycladum est, sexta iuxta Troëzenem, septima iuxta Macedoniam, octaua Orestica in Scythia, nona Cariæ, decima Argolica, undecima Phæacum Hyperea. Quæ tam multiplex nominis Argos usurpatio etiam oraculum, quo SELEVCO Nicatori interitus prædicebatur, ambiguum reddidit. Quanquam ille non ad urbem Argos, sed ad aram eius nominis à Ptolemæo κεραυνῷ cæsus est, quomodo est apud Appianum.

FAMILIAE REGVM ARGIVORVM.

I.

FAMILIA INACHI.

INACHVS, I. deduxit ex Ægypto coloniam in Peloponnesum, & tum regnum ibi Argiuum inchoasse, tum Pelopon neso & Inacho fluuio de se nomen reliquisse, creditur. Pausanias, Apollodorus, Stephanus, Solinus. Scripsit Suidas Io urbem, quam Lunam interpretatur, ab Inacho conditam. Eusebius tribuit ei annos 50. & Clemens tempore MOSIS uixisse ipsum existimat, numeratq; inde ad bellum Troianum annos 400. Nomen Inachus expono fratrem fortunæ.

Attribuunt Inacho fabulæ coniugem Melissam, quæ alijs est Archia: è qua nominatur Soboles, PHORONEVS, Ægialeus, Phegeus, & MYCENE.

II. PHORONEVS, regnat post patrem, & Peloponneso edomita, belligerat cũ Carpathijs & Telchinibus Rhodijs, Pausanias, Apollodorus, Orosius. Eusebius annis 60. Phoroneum in imperio fuisse, & primum leges ac iudicia conscripsisse, ait: cui addit Hyginus, primùm Iunoni arma fecisse, & ob eam causam primùm regnandi potestatem

ſtatem habuiſſe. Meminit Clemens, & diluuium Ogygis eius tempore fuiſſe, ſcribit.

Ægialeus, tenuit cum imperio Ægialeam terram; cui id de ſe nominis impoſuiſſe, putatur. Apollodorus, Stephanus.

Phegeus, condidit Phegeam Arcadiæ. Stephanus.

MYCENE, fuit cum Areſtore, & Mycenis urbi nomẽ dediſſe falsò traditur à Pauſania. Aliter Stephanus μυκῆναι.

Fuiſſe cum PHORONEO accepimus Laodicen, quam Pauſanias Cerdo uocat, & ſuo tempore ſepulcrum eius adhuc ſuperfuiſſe, dicit. Ex hac liberi eius memorantur: APIS, Car, Spartus, Clymenus, NIOBE, Chthonia: quibus Pauſanias addit filium nothum, Europem.

III. APIS, regnauit annos 35. Æmulatur patris uirtutem bellicam, cætera nefarius & impius: cumq́ꝫ ui cuncta gereret, & planè tyrannica manu adminiſtraret, etiam ſubiectæ imperio terræ immutaſſe de ſe nomen putatur. Proditus tandem Telxionis & Telchinis inſidijs, ſine liberis è uita excedit, & relatus inter Deos, Serapidis nomine uana ſuperſtitione colitur. Apollodorus. Sunt qui Apim Ægialeo fratri regnum permiſiſſe, & in Ægyptum cum populi parte profectum, Memphim ibi condidiſſe, & Serapidis nomine ab Ægyptijs cultum fuiſſe, uolunt. Auctor eſt Auguſtinus, in templo eius, itemq́ꝫ Iſidis, ſimulacrũ quoddam poſitum, quod digito os comprimeret, nempe ut obliuioni traderetur, eum hominem extitiſſe. Hyginus hoc omiſſo, Phoroneo ſubiungit ARGVM. Nomen Apis deriuo ab Ebræo Ab, Pater: fortè quòd genti ſuæ primùm ſedes firmas in Peloponneſo pepererit. Nam inter cognomenta huius eſt etiam APIA.

CAR, nominatur à Pauſania & Stephano, quorum ille in uia, quæ Megaris Corinthum ducit, monumentum eius ſuperfuiſſe, tradit.

SPARTI nomen eſt apud Apollodorum lib. 2. Euſebiũ in Chronol. Nam Pauſanias hoc nomine Phoroneum habuiſſe filium, negat.

CLYMENVS & CHTHONIA condidere templum Cereris in Peronæ collis iugo. Pauſanias pag. 183.

NIOBE, prima mortalium à Ioue compreſſa Poëticis fabulis fingitur, ut ſunt auctores Diodorus, Halicarnaſſeus, Pauſanias, Apollorus, Euſebius, Hyginus.

EVROPS, nothus Phoronei F. deceſsit ante patrem. Pauſanias.

HERMION condidit Hermionem urbem. Paus.

Cæterum in NIOBE primùm familiæ INACHI ſtirps maſcula deficit: quam cur interrumpere nos noluerimus, ſupra expoſuimus. Edidit autem Niobe liberos, ARGVM & Pelaſgum.

IV. AR-

IV. ARGVS, tenet regnum post auunculum annos 70. & iterum subdito populo nomen de se nouum imponit. Pausanias, Apollod. Hyginus. Augustinus de Ciuitate Dei lib. 18. cap. 6. de Argo sic scribit: Regnante Argo, suis uti cœpit frugibus Græcia, & habere segetes in agricultura, delatis aliunde seminibus. Argus namque post obitum Deus haberi cœpit, templo & sacrificijs honoratus. Qui honor eo regnante, & ante illum delatus est homini priuato & fulminato cuidam Hermogyro, eo quod primus ad aratrum boues iunxerit. Hactenus Augustinus. Nomen Ebræis sonat nauem, quod forte ipsi indicium, quod classe in Græciam appulisset.

PELASGVS, traditur in fabulis regnasse in Arcadia: & à filio eius LYCAONE stirps regum Arcadiæ propagatur.

Habuit in matrimonio ARGVS Euadnen, Strymonis & Neæræ iuxta fabulas filiam, è qua geniti: PIRASVS, PHORBAS, Tyryns & Iasus.

V. PIRASVS regnauit annos 54. Asportauit Iunonis signum quoddam Tirynthem: quod urbe euersa, Argiui postea reportârunt in Iunonis. Pausanias, Eusebius. Hyginus uocat Peranthum, Augustinus Criasum, qui idem & Melantonicen ei coniugem attribuit. Nomen suprà propagauimus ab Ebræo Peres, quod Hieronymus diuisionem exponit.

VI. PHORBAS, regnauit annos 35. Eusebius, Pausanias: quorum ille Rhodū à Phorbante occupatā ait, etsi Diodorus id de Phorbante Thessalo intelligere uidetur. Augustinus filium Pirasi uocat.

TIRYNS, dedit Tirynthi urbi nomen. Pausanias. Hyginus fab. 145. Crinum nuncupat. Variat Stephanus τίρυνς.

IASVS, nominatur ab Apollodoro. Hyginus Basium uocat.

AGENOR. Apollodorus.

ARGVS, cognomento πανόπτης, sustulit latrocinia in Arcadia, prædonibus supplicio affectis: cumque prudentiæ laude præstaret & animi sagacitate, fingitur à Poëtis toto corpore oculatus fuisse. De Io asseruata fabulam habet Ouid. in Metam. Vbi nominat Aristoris F. —— ISMENE, Asopi F. Apollodorus.

IASVS, Apollod.

PHORBANTE liberi geniti sunt, TRIOPAS, Pellenes, Argus, Aristorides, Calliroë.

VII. TRIO-

VII. TRIOPAS, regnauit annos 46. Pausanias, Eusebius, Augustinus. Hygino Triops dicitur.

PELLENES, dedit Pellenę urbi nomen. Pausanias in Achaicis.

ARGVS, Aristorides, Calliroë, referuntur ab Hygino fab. 145.

TRIOPÆ in matrimonio Hyginus fuisse ait, Oreasin, è qua liberos suscepit, IASVM, Agenorem & Messenem.

VIII. IASVS, commemoratur à Pausania & Augustino: neque anni regni ipsius adduntur, cùm quidem Eusebius Triopæ subiungat CROTOPVM, Hyginus Pelasgum. Quibus cum conuenit Augustinus, qui Sthenelum ex Argiuis regibus nonũ uocat. Sunt qui ab hoc Iaso Argos Iasum & Argiuos Iasidas cognominant. Nomen Iasus facio Ebræum Iesus, Seruator.

AGENOR, nihil de se memoria dignum reliquit: sed liberi ei tribuuntur.

IX. CROTOPVS, regnauit annos 21. Pausanias, Eusebius.

PELASGVS, nominatur inter reges Argiuos ab Hygino.

X. STENELVS, regnauit annos 11. Pausanias, Eusebius, qui perperã à Danao pulsum putat. Augustinus nomẽ hoc ab alijs Sthenelas, ab alijs Stheneleus, siue Sthenelus scribi, ait.

PSAMMATHE. Pausan. in Atticis.

XI. GELANOR, oppugnatus à Danao, qui ex Ægypto in Argolidem profugerat, iussu ciuium, quos ostẽtum quoddam ad eam perfidiam impulisset, concedere illi regnum cogitur. Pausanias, Eusebius. Apollodorus Helanora uocat, & sponte Danao regnum permisisse scribit. Meminit Plutarchus in uita Pyrrhi.

MESSENE, Triopæ F. nupsit Polycaoni, eique inuadendæ Messeniæ, & regni ibi acquirendi, hortatrix fit. Pausanias. Videtur autem & hoc nomen Ebræam originem sapere, ut nempe eo ad dignitatem regiam alludatur. Nam Reges ab inunctione, qua ceu inaugurabantur, Ebræi Vnctos uocabant: Suntque in diuersis linguis significatione eadem Messias, [illegible], Vnctus: & in Ecclesia Antiochena primum usurpatum nomen CHRISTIANI, regios sonat.

IASO rege nascitur, IO.

IO, destinata Iunonis sacerdotio, seu Phœnicum raptu seu spontanea migratione, ad Ægyptum appellit. Vbi Telegano matrimonio iuncta,

iuncta, Epaphum parit, & nouo Isidis nomine honoratur. Pausanias, Suidas, Apollodorus. Fabulã de IO habet Ouid. in Metam. Cognomentum ISIS fortè in IO repetitum propter eius merita & uirtutē. Nam quæ prima id habuit, cum OSIRIDE, quod nomen aliqui à MIZRAIM, gentis conditore, propagant, fuisse scribitur. Vnde postea ANTONIVS cùm se Osiridem nominaret, CLEOPATRAM Isidem dixit.

In IO iterum familiæ INACHI mascula progenies deficit, ut mox tertiò in nepte eius Libya. Fuit autem ei iuxta fabulas filius EPAPHVS, cui Stephanus βυζάντιον, addit filiam Cræssen.

EPAPHVS, retinuit cum regio nomine paternam in Ægypto ditionē, deq; uxoris nomine Memphim à se instauratã nũcupat. Apollodorus, Scholiastes Pindari. Variat de cõiuge Hyginus fab. 149. eãq; Cassiopeam uocat. Fabulam habet Ouid. Metam. lib. 2. Alij μυθολογικῶς per Epaphum intelligunt PHVT, filium Cham, nepotem Nohæ. Sed uicinius huic est cùm literis tũ sono nomē PHAETON, cuius fabula è Poëtis nota est: & nominat fluuium Phut in Mauritania, ubi regnasse Phaëton fingitur, Ptolemæus. Referũtur in fabulis Epaphi liberi, LIBYA, Lysianassa & Dorus, è quibus quia posteriores duo sun t obscuriores, nihil de illis hîc addimus.

LIBYA, è Neptuno, ut est in fabulis, grauida facta, parit gemellos, AGENOREM & BELVM. Apollodorus. Pausanias addit Lelegem, Augustinus BVSIRIDEM, etsi mox subijcit. Verùm non credatur hoc stuprum perpetrasse Neptunus, nec Dij accusentur, sed Poëtis & theatris ista tribuantur, ut sit unde placentur, &c. Quod si tamen nomen Libya fictum non est, idq; reginæ huic proprium fuit, à Libya regione sumtum apparet: sicuti Lysandri Spartani frater, ab hospite Liby denominationē accepit, & CIMON Miltiadis ob Thessalorum, Eleorum & Lacedæmoniorum amiciciam filios Thessalum, Eleum, Lacedæmonium, uocauit, & à Germanis Germanicum filium Drusus Cæsar, à Britannis Claudius Britannicum. Nam quod Græci opinione contraria, originem nominis Libyæ ad eandem hanc reginam referunt, fabulosum prorsus est, potiusq; adhærendum hîc Iosepho, qui id à LAABIM, filio Mizraim deriuat Notetur autem hîc ex Gellio lib. 15. cap. 21. qui Neptuni & Iouis filij dicti fuerint: Præstantissimos, inquit, uirtute, prudentia, uiribus, Iouis filios Poëtæ appellauerunt, ut Æacum & Minoa, & Sarpedona: ferocissimos & immanes, & alienos ab omni humanitate, tanquam è mari genitos, Neptuni filios dixerunt, Cyclopa & Cercyona & Lestrygonas.

AGENOR, migrauit secedendo in Phœniciam, & Tyro seu occupata seu auspicijs suis condita, regnũ ibi familiæ conciliat. E' liberis

eius CADMVS condidit stirpem regum Thebanorum. Seruius Beli filium facit, & Phœnicem eo genitum, ait, cuius è Belo F. cognomento Methre nepos fuerit PYGMALION, rex Tyriorum.

BELVS, imperat auitæ ditioni post discessum Agenoris, deductaq; in Assyriam colonia Chaldæos instituisse creditur. Apollod. Habuit regni sedem Chemmin urbē, teste Herodoto. Hyginus fab. 274. primum gladio belligeratum, ait. Nomen significato Dominum exprimit, ut officium potius denotare, quàm uiri proprium fuisse rear, cùm fortè eum obtineret usum, quo literæ sacræ Reges Ægyptios ante Salomonē nominant Pharaones. Fuit & Idoli nomen Belus seu Baal, cuius cultum sæpissimè taxāt sancti Prophetæ. Atq; haud scio, an non Beli Babylonici historia cum hoc rege confusa sit.

BVSIRIS, fertur & ipse in Ægypto regnasse, & transfertur ad eum fabula de mactatis in Deorum sacrificijs hospitibus. De qua fabula coniecturas nostras in Ori dabimus historia. Scripsit autem encomium huius Busiridis Isocrates: etsi ibi res eius gestas temerè cum primi Busiridis historia miscuit. Alij de hac fabula aliter sentiunt. Philippus in Chronico usurpatam ab Ægyptijs in populum Israëliticum sæuitiam huic dedisse initium putat.

BELO coniugem fuisse accepimus Anchinoēn, Nili F. è qua liberos procreauit, Ægyptum, DANAVM, Cepheum, Phineа, & Damnonem.

ÆGYPTVS, contendit de regno cum Danao fratre, idq; pulso illo occupat, & de nomine suo, quæ Græcorum est sententia, nuncupat. Ob filiorum cædem profectus in Peloponnesum, cùm Danaum tamen & Argorum nomen exhorresceret, Patris subsistit, ibiq; luctu conficitur. Pausanias, Apollodorus, Hyginus. Tradidit Eusebius nomen ei RAMESSES, cognomentum Ægyptus, fuisse, & tribuit ipsi annos 68. Iosephus lib. 1. contra Apionem, Sethosim uocatum ait. Sed ab hac sententia planè discedimus, & regibus Ægypti hosce reges tantum agnatos facimus.

XII. DANAVS, Ægypti fratris armis pulsus, Argos classe trāsmigrat, ac regno ibi Gelanore deiecto potitus, genti subditæ nouum de se Danaorum nomen imponit. Cumq; immani in eundem fratrem odio arderet, filios huius connubijs dissidium id composituros filiarum opera necat, sola HYPERMNESTRA à parricidio immuni: Quam propterea in custodia aliquandiu asseruatam, tandem nubere LYNCEO permittit: cæteris in gymnica certamina productis, & uictoribus concessis, cùm alia ratione se procos eis inuenire posse desperaret. Strabo, Pausanias, Scholiastes Pindari, Hyginus. Eusebius tribuit ei annos 50. Sepulcri eius in foro Argiuo medij locati meminit.

nit. Strabo lib. 8. Diodorus templum Iouis Ammonij à Danao conditum, ait. Nominat etiam monumentum ipsius quoddam Plutarchus, quod ab illo erectum ad cõseruandam ostenti memoriam, quod certaminum ipsi finem portendebat, Pyrrho uitæ exitum prænunciârit. Nomen Danaus interpretor iudicem, ut nempe officium solum significetur. Nam principes phrasi Ebræa Iudices dicuntur, unde & in sacra scriptura, qui de principibus Israëliticis explicat liber, Iudicum inscribitur.

CEPHEVS & PHINEVS, nominantur ab Apollodoro ex Euripide. Sunt autem ambo nomina ab Ebræis Cepha & Pinehas, quorum illud rupem, hoc os confidens denotat.

DAMNO, nupsit Agenori. Scholiastes Apollonij pag. 216.

EXPLICO autem iam primùm de DANAI liberis, quos sexus fœminei habuisse traditur 50. Neq; fabulosus is uideri numerus uel Eusebij testimonio potest. Neq; uerò, inquit, multitudo liberorum incredibilis uideri debet in Barbaris, cùm tam innumerabiles habeāt concubinas. Adhæc ACHABO regi literæ sacræ tribuunt filios 72. ARTAXERXI Mnemoni è pellicibus 115. & HIEROTIMO Arabi itidem ex pellicibus 600. Iustinus, SCYLVRO Scythæ 50. Posidonius apud Strabonem. Referemus tamen nos præcipuos è coniugibus præcipuis, quæ coniuges fuêre.

ELEPHANTIS, è qua natæ.

HYPERMNESTRA, generoso & pio animo Lynceo sponso contra patris iussum parcit: ideoq; uinculis mancipata atq; accusata publicè, Argiuorum iudicio absoluitur, & sponso redditur. Pausanias, Apollod. Ouid.

GORGOPHONE, nupta fuit cum Proteo. Apollod.

EVROPA, è qua natæ.

AMYMONE, sustulit Nauplium è Neptuni concubitu, ut est in fabulis Pauf. Apollodori, Hygini.

AVTONOME, SCÆA. Nupsere duobus fratribus, Architeli & Archandro. Pauf.

NAVPLIVS, cognominatus μακρόβιος, ab ætate quam uixit longissimam, deduxit Naupliam coloniā: cumq; mari nauigans, morientium casus permolestè ferret, & ipsi tandem eo mortis genere obijsse

contigit, quo alios defungi mœstissimè conspiciebat. Plutarchus, Pausanias, Apollodorus, Marcellinus. Posteritatem ipsius hac serie memorat Scholiastes Apollonij.

DAMASTOR.

PERISTHENES.

CASTOR.

ANDROTHOE.

POLYDECTES, rex Seriphi, uitricus Persei.

DICTYS, conseruat Danaën & Perseum, appulsos ad Seriphum: ideoq; pòst Polydecte occiso, insulæ imperium retinet.

A' NAVPLIO Amymones idem Apollonij Scholiastes ἐπίγονον facit Nauplium, patrem Palamedis. Nam Apollodorus hîc audiendus non est, qui ex utroq; unum facit. Referri autem ad hunc fabula de Telephi matre rectè posse uidetur. Quomodo etiam filij necem, pertractis Græcis inter scopulos asperrimos, uindicârit, docet Vergilius Æneid. 2. Hyginus fab. 116.

FVIT in matrimonio huius Nauplij Clymene, Arei F. teste Suida, è qua geniti sunt, PALAMEDES, Oeax & Nausimedon.

PALAMEDES, mittitur cum Menelao & Vlysse legatus ad Priamum de reddenda HELENA. Quo tempore Alexandri insidijs appetitus, conseruatur ab ANTENORE. Hinc Agamemnona ad bellum cōsectatur: Cumq; in cæteris præclaris factis tesserarum ludicrum inuenisset, & solis deliquium Troianis exitium portendere edisseruisset contra Vlyssem, inuidiam huius incurrit, & perfidia eius circumuentus perimitur, tumulaturq; honorificè ab Achille & Aiace. Dictys, Xenophon, Pausanias, Philostratus, Apollod. Suidas. Fuit ingenio, sapientia, uirtute & doctrina summus, ut qui & literarū numerum auxerit, additis ζ.π.φ.χ. & poëmata condiderit, quæ ab Agamemnonis posteris deleta aiunt. Ascribitur etiam ei præter tesseras inuentio Arithmeticæ, talorum, calculorum, mensurarum, ponderum. De causa inimiciciarum cum Vlysse & structarum ab hoc insidiarum, alij aliter sentiunt. Philostratus deplorationem Euripidis de morte Palamedis iniusta sic repetit in Vlysse: Interfecistis, ait, interfecistis in omnibus sapientem, ô Danai, Musarum Philomelam nihil triste afferentem.

tem. Quanquam Poëta ille de Socrate iniustè oppresso intelligi uoluisse, fertur.

OEAX, Eurip. in Oreste.

OEAX & NAVSIMEDON referuntur à Philostrato, Apollodoro & Hygino.

ꝟ ARABIA, è qua nata.

PHILODEMEA, cui filius fuisse, scribitur.

PHARIS, Mercurio patre, iuxta fabulas, genitus, condidit Pharos urbē, de suo nomine nuncupatā, eiq; cum imperio præfuit. Pauſ.

TELEGONE, fuit nupta cum Alpheo. Pauſ.

CRETHON. Pauſ. — ORTILOCHVS.

DIOCLES.

ANTICLEA attulit Pherarū imperium familiæ ÆSCVLAPII.

FVISSE & ÆGYPTO inuenimus ut coniuges plures ita filios numero 50. è quibus obscurioribus prætermiſsis, nos in præsenti de ijs, quos suscepit ex Argyphia, quæ alijs est Isæa, agemus. Qui fuēre LYNCEVS & Proteus.

XIII. LYNCEVS, cōseruatus Hypermnestræ sponsæ pietate, & in matrimonio habere eandem permissus, socero uitæ muneribus defuncto in regno succedit: cui præest annos 41. Pausanias, Apollod. Ouidius. Hyginus ludos Iunoni Argiuæ fecisse Lyncea ait, quib. qui uicisset, pro corona clypeum acciperet.

PROTEVS, accepit in matrimonium Gorgophonen. Apollod.

RELIQVIT Lynceus ex Hypermnestra filium Abantem.

XIV. ABAS, regnauit annos 23. Manetho, Eusebius, Hyginus.

FVIT cum Abante connupta Ocalea, Mantinei F. è qua nati ACRISIVS, PROETVS, Idomene, Alce. Addūt his alij nothum Lyrcum.

XV. ACRISIVS, nascitur cum PROETO gemellus, sed à quo uoluntate & studijs semper discordaret, odio eo in ipsa matris aluo, ut est in fabulis, concepto. Quod cùm in certamina & bella maximè funesta tandem erupisset, clypeos ea occasione primùm inuentos,

 aiunt:

aiunt: & uictor Acrisius Argiuorum regnum retinet annos 31. Præmonitus ab oraculo de periculo, quod à nepote ipsi impenderet, filiam, quam habebat superstitem unicam, custodiri arctissimè curat. Cumq́ uitiatam crudeli morte necandam tradidisset, fati tamen uim auertere nequit. Quippe & seruata illa est cum sobole incolumis, & cùm ipse profectus ad gymnicum certamen in Thessaliam, studiosius disci Persei iactus spectaret, ab hoc, haud quidem spõte perimitur. Pauſ. Apollod. Plinius. Condidit Larissam Thessaliæ. Variat de eius historia & morte Hyginus fab. 63. & 273. Eusebius etiam imperij tempore Acrisio præponit PROETVM.

HABVISSE ACRISIVM in matrimonio aiunt, Eurydicen, Lacedæmonis F. quæ alijs est Aganippe, è qua de quorundam sententia geniti, Apæsantus, Pharsalus, DANAE, & Euarete.

APÆSANTVS, serpentis morsu necatus, & in Selinũtio monte conditus, nouum ei de se nomen relinquit.

PHARSALVS, memoratur à Stephano φάρσαλος.

DANAE, edidit è stupro seu PROETI patrui, seu Ægyptij principis alicuius, PERSEVM, cùm metu oraculorũ pater ipsam elocare recusaret: ideoq́ immaniter habita, & ut tradit̃ in fabulis, POLYDECTÆ, regi Seriphi insulæ, ad quam appulsam frater illius Dictys ob cognationem conseruârat, nubere coacta, liberatur à filio. Fabulã eius habent Diodorus, Apollod. Ouidius, Scholiastes *Apollonij*, Hyginus. Plinius Ardeam Italiæ à Danaë conditam ait, & addit Seruius, ad Italiam delatam, & adductam ad PILVMNVM regem huic deinde nupsisse.

EVARETE, fuit cum OENOMAO. Hyginus fab. 84.

XVI. PROETVS, alter Abantis F. cõtendit de regno cum fratre: cui armis inferior, Argo eijcitur. Inde ab IOBATE socero reductus, Tirynthem occupat: cumq́ arce ibi condita, excursiones in fraterni regni fines faceret, maritimæ oræ præesse cum imperio permittitur. Atq́ à PERSEO tandem Argos ipsum cõsecutus, regni partes duas MELAMPODI & BIANTI fratribus pro filiabus sanatis concedit. BELLEROPHONTEM Corinthium, ob cędem quandam ad se profugum, suscipit humaniter atq́ expiat: cumq́ pòst ab uxore accusatum, ceu qui pudiciciam eius tentasset, occidere non sustineret, cum insidiosis literis in Lyciam amandat. Strabo, Apollod. Suidas, Hyginus, Fulgentius. De filiabus aliter Diodorus & Pausanias. Fabulam habet Ouid. Metam. lib. 5. Eusebius Prœtũ mox Abanti subiungit, & annos 17. regnasse scribit, ipsumq́ Argiuum regnum in eo finit.

IDOMENE, fuit in matrimonio AMYTHAONIS, cui

enixa

enixa est, Melampodem & Biantem. Apollod. Nam alij aliter de ea sentiunt.

ALCE, memoratur à Stephano ἀνδάδων.

LYRCVS, nothus Abantis F. dedit Lynceę urbi nomen. Pausanias in Corinth. Variat Scholiastes Apollonij pag. 120.

PROETI uxor nominatur Stenoboea, IOBATIS, regis Lyciæ F. quæ procreauit MEGAPENTHEM, Iphinoën, Iphianassam & Lysippen.

XVII. MEGAPENTHES, nascitur post sanatas à Melampode sorores: & credibile est, hoc ei nomen à luctu paterno inditum. Apollodorus, Scholiastes Pindari. Hyginus fabula 244. Perseū propter patris mortem à Megapenthe occisum fabulatur.

IPHINOE, IPHIANASSA, LYSIPPE, uirgines iam ætate nubiles, incidunt in insaniam miserabilem: in qua cùm Iphinoē perijsset, reliquæ duæ sanatæ à Melampode, huic & Bianti nubunt. Apollodorus. Ælianus sororibus his addit Elegam & Celænam, quę à Cypri regina ad meretriciam uitam impulsæ, deinde in quibusdam Peloponnesi locis nudæ furentesq́ discurrerint.

NASCITVR Megapenthi filius.

XIIX. ARGÆVS. Pausanias.

XIX. ANAXAGORAS, reliquit nouum posteris ANAXAGORIDARVM cognomentum. Pauf. Quomodo de ipso scriptores discrepent, supra ostendimus.

ANAXAGORIDÆ.

XX. ALECTOR, Anaxagoræ F. memoratur à Pausania. Hyginus coniugem ei attribuit Astynomen, Talai F. è qua liberos nominat, IPHIN & Capanea.

XXI. IPHIS, homo subdolus & uafer, dedit POLYNICI Thebano consilium corrumpendæ Eriphylæ, coniugis Amphiarai, quod scelus deinde liberorum duorum cæde luit. Eurip. Apollod.

ETEOCLES, perijt in bello Thebano. Eurip. Pauf.

EVADNE, fuit cum Capaneo patruo: cui superstes uiuere haud sustinens, in rogum eius se conijcit. Eurip. Apollod. Hyginus, Statius, Ouid. Propert. &c.

CAPANEVS, coniunxit se cum ADRASTO contra Thebanos: cumque in urbis oppugnatione audaci incepto muros ascendere conatus, etiam à blasphemia non abstineret, fulmine ictus interijt. Pausanias, Philostratus, Apollod. Hyginus, Ouidius, Statius. Variat Vegetius lib. 4. Qui scalis, inquit, in obsidione urbium utuntur, frequenter periculum sustinent, exemplo Capanei, à quo primum scalarum oppugnatio perhibetur esse inuenta: qui tanta mole lapidũ fuit obrutus à Thebanis, ut fulminib. dicatur extinctus. Hactenus Vegetius.

XXII. STHENELVS, proficiscitur in Thebanos cum Epigonis. Inde Atridis contra Troianos socium se adiungit. Dares, Dictys, Homerus, Euripides, Philostratus. Pausanias sepulcrum eius nominat in Cylarabi.

XXIII. CYLARABIS, recipit ceu postliminio Argiuorum regnũ uniuersum, extincto scilicet sine liberis CYANIPPO, & AMPHILOCHO in Epiri fines profecto: cumque & ipse decedens sobolem nullam reliquisset, cessit idem Argiuorum regnum ORESTI Pelopidæ. Pausanias. Seruius Calabarum uocat, & Diomedis coniugem ab eo adulteratam, ait, Zetzes Comete.

SARDO, fingitur ab Hygino fab. 275. Sardes condidisse.

II.

FAMILIA AMYTHAONIDARVM.

CRETEVS, condidit Iolcon Thessaliæ. Apollodorus.

RELIQVIT Creteus è Tyro coniuge liberos, ÆSONEM, AMYTHAONEM & Pheretem.

ÆSON, regnauit in Thessalia, & ex Alcimede coniuge suscepit filium IASONEM, qui expeditionis in Colchidem dux extitit.

AMYTHAON, tenuit Pylum in Elide, & Olympia instaurauit. Pausanias, Apollodorus. Stephanus ἀμυθαονία partem Elidis ab Amythaone Amythaoniam uocat.

PHERES, nominatur ab Apollodoro, qui & Idomenen ei filiam attribuit.

FVIT

FVIT cum AMYTHAONE connupta Idomene, è qua geniti sunt, BIAS & MELAMPVS.

I. BIAS, uixit cum fratre coniunctissimè, eiusq́ pio studio & Peri connubio, & Argiui regni parte potitur. Diodorus, Apollodorus. Pausanias Bianti amni ab hoc rege nomen mansisse, scribit: & Pindari Scholiastes posteros ab eo BIANTIDAS nuncupat: de quibus priusquam ad Melampodis historiam pergam, iam proximè explico.

BIANTIDÆ.

NOMINAT BIANTIS ex Pero coniuge liberos Apollodorus, TALAVM, Areum, Laodocum, Anaxibiam. Nam ex Prœti filia, quam idem auctor ei coniugem alteram adiungit, soboles ignoratur.

II. TALAVS, regnauit post patrem. Pauſ. Apollod. Meminit Pindarus in Nemeis Oda 10.

AREVS, Laodocus & Anaxibia memorantur ab Apollodoro & Apollonio, fuitq́ Anaxibia collocata Peliæ.

TALAVS, habuit coniuges duas: primam Lysimachen, quæ Eurynome est Hygino, è qua liberos suscepit, ADRASTVM, Mecisteum, Aristomachū, Pronacta, Astynomen, ERIPHYLEN: alteram Lysianassam, Polybi regis Sicyoniorum F. quę quos genuerit liberos, incertum est.

III. ADRASTVS, Argis per contentionem eiectus ab AMPHIARAO, ad POLYBVM regem in exilium Sicyonem proficiscitur, susceptusq́ prolixè etiam regnum testamēto eius consequitur. Quod postea sponte dimittens, & Argos reuerti permissus, POLYNICEM exulem reducere Thebas instituit, coactis ad eam expeditionem copijs maximis: cumq́ Thebanis ad Ismenum fugatis, urbis oppugnationem tentasset, ab erumpente hoste exercitu exutus, uix THESEI opera cadauerum sepulturam obtinet, & Megaris animi mœrore extinguitur. Pindarus, Euripides, Isocrates, Diodorus, Plutarchus, Pausanias, Statius. Habuit sepulturam Sicyone: de qua transferenda & abolenda quæ CLISTHENES Tyrannus molitus fuerit, Herodotus narrat lib. 5. Condidit templum Nemesi ad Asopi fluuij ripam, quæ ut Suidas ait, Adrastię nomen & sacrorum cultum ab eo tenuit. Hyginus cum Hipponoo filio sponte se in ignem præcipitasse, narrat.

MECISTEVS, perijt in bello Thebano, cæsus à Melanippo. Herod. Eurip. Pauſ.

EVRYALVS, interfuit expeditioni Colchicæ & bello Troiano. Apollodorus.

ARISTOMACHVS nominatur ab Apollodoro.

HIPPOMEDON, profectus ad Thebas cum ADRASTO, interficitur ab Iſmaro. Diodorus, Apollodorus. Pauſanias Adraſti ſorore genitum, ſcribit. — NEALCE. Statius.

POLYDORVS, oppugnat Thebanos cum Epigonis. Pauſan. in Corinth. Hyginus fab. 71.

PRONAX & ASTYNOME referuntur ab Apollodoro & Hygino, quorum ille Pronactis filium addit Lycurgum.

ERIPHYLE, nupſit AMPHIARAO, eiq́ ADRASTVM fratrem Corintho reuocatum cõciliat. Iterum diſsidentium compoſitioni adhibita, cùm POLYNICIS aureo monili delinita, in cæteris conditionibus Amphiaraum Thebanę expeditioni adiungere ſe ſocium iuſsiſſet, in perfidiæ & proditionis ſuſpicionem à marito uocata, & liberorum ultioni tradita, interficitur ab ALCMÆONE filio. Diod. Hyginus, Seruius, Ouid. Statius. Monile eius Delphis ſeu ab Alcmæone F. ſeu à Phegei liberis depoſitum, cùm è Phocenſium principibus quidam è templo raptum uxori donaſſet, perit illa domus incendio, quod filius furore percitus excitârat, ut eſt auctor Athenæus.

FVIT ADRASTO coniux Amphithea, quę Hygino Demonaſſa dicitur, è qua geniti ÆGIALEVS, Argia, Deipyle, Ægialea & Hippodamia.

IV. ÆGIALEVS, proficiſcitur cum Epigonis in Thebanos, & congreſſus cum LAODAMANTE ad Glyſantem, perimitur, atque in agro Megarico tumulo conditur. Euripid. Apollod. Hyginus. Superfuiſſe Ægialei monumentum ſuo tempore, Pauſanias prodidit in Atticis.

V. CYANIPPVS, fuit ſub tutela DIOMEDIS & Euryali: cumq́ ſine liberis deceſsiſſet, redijt Argiuum regnum totum ad CYLARABIN Anaxagoriden. Pauſan.

ARGIA,

ARGIA, fuit connupta cum POLYNICE. Diod. Apollodorus, Statius, Hyginus.

DEIPYLE, nupsit Tydeo. Diod. Apollodorus, Hyginus.

ÆGIALEA, fuit cum Diomede, quo cum Atridis profecto ad Ilium, cum CYLARABI per adulterium consuescit, ideoq; marito postea exilij causa existit. Homerus, Statius, Hyginus, Seruius.

HIPPODAMIA, collocatur PIRITHOO. Ouid. Hyginus.

MELAMPODIDÆ.

I. MELAMPVS, profectus in Ægyptum, præclare ibi in literarum studijs eruditur: cumq; BIANTEM fratrem pietate & studio mirifico coleret, NELEI filiæ nuptias ei conciliat. Inde Argos se deportat ad PROETVM regem, cui cùm in filiabus sanandis operam suam deferret, postulata mercedis loco regni parte tertia, & reiectus, pòst ob malum istud auctum uehementius, etiam ultrò requireretur, haud ante quicquam de se condixit, quàm fratri tantundem concederetur: itaque muneris id sibi imponi passus, arcanis quibusdam sacris & expiationibus è spelunca, in quam cõfugerant, extractas restituit. Quippe excelluit uaticinandi cognitione, primusq; potionum di expurgandiq; rationem inuenit. Homerus, Diod. Pausan. Apollod. Suidas, Ouid. Seruius. Herodotus Liberi patris nomen & sacra Melampodem Græcis tradidisse, ait. Addit Clemens, festum Cereris ex Ægypto in Græciam ab eo translatum. Meminit Plinius libro 7. capite 33. & libro 25. capite 5. Melampodion herbam à Melampode inuentam tradit.

CONIVNX MELAMPODI attribuitur Ithanira, Megapenthis F. è qua nati, ANTIPHATES, Mantius, Bias, Ægisthenes, Abas, Progasus, Pronoë.

II. ANTIPHATES, præfuit regno post patrem. Homerus, Diod. Scholiastes Pindari.

MANTIVS, nominatur ab Homero.

POLYPHIDIVS. Homerus. CLYTVS.

THEOCLYMENVS, uates. Hom.

BIANTIS & ÆGISTHENIS nomina extant apud Diodorum & Pausaniam.

ABAS

ABAS itidem à Pausania refertur in Atticis.

CÆRANVS. Pauſ. — CANETVS. Scholiaſtes Apollonij.

POLYIDVS.

EVCHENOR. ASTYCRATEA. MANTO.

Meminit Pauſanias in Atticis.

ANTIPHATES è Zeuxippe, Hippocoōtis F. liberos reliquit, OICLEM & Amalceum.

III. OICLES, ſurrogatur patri in regno. Homerus, Diod. Scholiaſtes Pindari. Pauſanias Ioclem uocat, & ſepulcrum ipſius ſuo tempore reliquum fuiſſe, ſcribit.

AMALCEI nomen habet Diodorus, omiſsis rebus geſtis.

OICLES in matrimonio habuit Hypermneſtram, teſte Diodoro, è qua liberos procreauit, AMPHIARAVM, Polybiam, & Iphianiram.

IV. AMPHIARAVS, conſectatur IASONEM ad expeditionem Colchicam. Ab ADRASTO armis laceſsitus, uictum regno expellit. Pòſt tamen ei conciliatur per Eriphylen coniugem, & ad bellum Thebanum ſocius adiunctus, quod cùm fatale ſibi fore ſciret, diu detrectarat, filijs ſui ultionem mandat: & poſt uictos ad Iſmenum Thebanos urbis oppugnationem adiuturus, terræ hiatu abſorbetur. Pindarus, Euripides, Xenophon, Diodorus, Strabo, Plutarchus, Apollodorus. Pauſanias ſomnijs coniectandis inprimis ſolertem fuiſſe, & ſomniorum diuinatione tradita, in Deorum numerum relatum, ait. Maximè autem cultus eſt ab Oropijs, ſepulcro eius in templum conuerſo: ubi oraculum petituri arietem ad aram immolabant, cuius ſubſtrata pelle, dormientes nocturna uiſa expectabant. Meminit oraculi huius Herodotus lib. 5. Valerius lib. 8. cap. 16. Plinius igniſpicia ab eo inuenta, ſcribit. Apud Æſchylum hi de Amphiarao dicuntur uerſus:

Neq; enim uideri uult, ſed eſſe is optimus:
Sulcum profundum habens in pectore conſitum
Suo, ueneranda conſilia unde germinant.

Hi cùm Athenis in theatro recitarentur, omnes in Ariſtidem oculos conuertiſſe, annotat Plutarchus.

POLYBIÆ & IPHIANIRÆ nomina ſola legimus apud Diodorum.

¶ ADDO autem hîc Batonem, qui Amphiarao è Melampodidarum

darum familia gentilis, in prælijs ipsi aurigæ operā nauauit, & ad Thebas eodem terræ hiatu, quo ille cum curru absorbetur. Pauſ.

NASCVNTVR AMPHIARAO ex Eriphyle coniuge liberi, Oicles, ALCMÆON, Amphilochus, Catillus, Demonaſſe, Alexia, Eurydice.

OICLES, comitatus HERCVLEM ad Ilium, & claſsis imperio præfectus, ſubita hoſtium irruptione opprimitur atque necatur. Diodorus.

V. ALCMÆON, cōſtituitur ab Epigonis belli Imperator contra Thebanos, in quos infeſtis copijs profectus, acerrimo prælio uictos patria ejcit. Cumq; patris mandato ſatisfacturus, fratre ad Troiam abſente, matrem ſuſtuliſſet, ex ſceleris conſcientia in inſaniam incidit. Ideo in Arcadiam exulatum profectus, neque quod ſperârat, animi iſthic morbo leuatus, ad Acheloi alluuionem conſidere oraculo iubetur. Hinc regreſſus tandem in Arcadiam, interficitur ab Alpheſibœæ coniugis fratribus. Thucydides, Pauſanias, Apollod. Strabo ex Ephori ſententia de Alcmæonis hiſtoria aliter nonnihil explicat. Meminit Pindarus in Pythijs oda 8. Clemens lib. 1. Strom. Plutarchus in Arato Orontē quendam Perſam ei ſimilimū fuiſſe, ait. Sepulcrum eius nominat in Pſophide Pauſanias.

AMPHILOCHVS, interfuit bello Troiano: cumq; Mallo in Syrorum & Cilicum finibus condita, Argos reuerſus, omnia ibi perturbata inueniret, abit in Acarnaniam, & Argis in ſinu Ambracio & regioni Amphilochiæ de ſe nomen relinquit. Herod. Thucyd. Ouid. in Ibin, Clemens lib. 1. Strōm. Variat nonnihil Strabo.

CATILLVS, mittitur ab auo poſt patris interitum in Italiam. Solinus.

TIBVR. CORAS. CATILLVS.

Memorantur itidem à Solino cap. 8. Catillus poſt mortem patris in Italiam uenit, cuius filios in expeditione Æneę & ſocijs colligendis nominat Virgilius 7. Æneid.

Tum gemini fratres Tiburtia mœnia linquunt,
Fratris Tiburni dictam cognomine gentem:
Catillusq́; acerq́; Coras, Argiua iuuentus.

Catillum ipſum fuiſſe claſsis Euandri prǽfectum tradunt Grāmatici. A' filio Catilo, & ab altero Tiburno, conditum in Latio Tibur oppidum innuit manifeſtè Horatius, Carm. lib. 1. Od. 18. ubi ait,

Nullam Vare ſacra uite prius ſeueris arborem
Circa mite ſolum Tiburis & mœnia Catili.

Corām autem in Volſcis, de ſuo nomine ſtatuit tertius frater Coras

I dictus

dictus non Corax, ut in corruptis Acronis exemplaribus. Idem affirmante Virgilio 6. Æneid.

Hi Collatinas imponent montibus arces
Pometios, castrumq́; Inni, Bolamq́;, Coramq́;.

Catili mõtis nomẽ circa Tibur, ut Seruius, & lucus Tiburni, ut Horatius, circa Tibur extitit. De ipsorũ posteris porrò nihil propagatũ est.

DEMONASSE, nupsit THERSANDRO, Polynicis F. Pausan.

ALEXIA & EVRYDICE memorantũ à Plutarcho & Pauſ.

FVERE ALCMÆONI coniuges duæ: Alphesibœa, quæ a filijs est Arsinoë, unde nati Clytius & Phœtius: & Calliroë, quæ peperit Acarnanem, & Amphoterum.

CLYTIVS, migrauit ab auunculis secedendo in Elidem, quòd patri cædem hos machinatos intellexisset. Pausanias. Posteros huius nouum Clytidarum cognomẽtum ab ipso usurpasse, idem Pausanias tradidit: à quibus oriundus Eperastus, Theogoni F. honoratur statua in Olympia, quòd graui armatura uictor fuisset: & recitat Pausanias inscriptionis uersus eiusmodi:

Fatidico cretus Clytidarum è sanguine uates,
Atq; idem soboles dia Melampodidûm.

PHOETII nomen est apud Stephanum φοιτίαι.

ACARNAN, ulciscitur cùm Amphotero fratre patris cędem, & reuersus in Epirum, Acarnanas de suo nomine nuncupat. Thucyd. Strabo, Apollod. Fortè autem à satu huius oriundus fuit Megistias uates, de quo Herodotus lib. 7.

AMPHOTERVS, memoratur ab Apollodoro.

III.

FAMILIA TEMENIDARVM.

TEMENVS, I. Aristomachi filius, HERCVLIS abnepos, ex HYLLO F. iussus oraculo cũ fratribus & Heraclidis cæteris Pelopõnesum classe repetere, atq; à Naupacto, ut fabricari hanc curârat, usq; ad Molucrium OXYLO duce usus, Achæos terra mariq; uictos sedib. expellit. Quas cùm Dorienses inter se dispertiti regna Heraclidis cõcessissent, Argiuũ ipse cõsequit. Interficitur tandẽ à filijs, qui DEIPHONTEM generũ, in Reipub. administratione sibi prælatũ, regno etiã destinari falsò suspicarent: punitus nempe hoc domestico scelere diuinitus, ob commissam fraudẽ in sortitione regni Messeniaci, quod postulatũ ARISTODEMI filijs, transtule-

transtulerat ad CRESPHONTEM. Pausanias, Apollodorus. De sepulcro eius Stephanus τημένιον.

QVOD Temeni fuerit coniugium, ignoratur, sed liberi ei attribuuntur: CISVS, Thamphalcos, Cerynes, Phalces, Argæus, Phaleus, Agelaus, Eurypylus, Callias, HYRNÆTHO.

II. CISVS, regnauit post patrem. Pausanias, Hyginus.

THAMPHALCOS, occupat Sicyonem nocturno impetu, & cum Hippolyto propinquo regnum ibi communicat. Pauſ.

CERYNES, ausus Hyrnætho sororē, fraude ad colloquiū euocatā, à Deiphonte abducere, & ab insequēte hoc oppressus, iugulat. Pauſ.

PHALCES, iungit se fratri socium in sorore rapienda, quam cum à Deiphonte persequente defendere se posse desperaret, pressam & excruciatam necat. Pauſ.

AGRÆVS, PHALEVS, AGEALAVS, EVRYPYLVS, CALLIAS, nominantur à Pausania & Apollodoro. Ex his Phaleus filiū reliquit Rhegnidā, qui occupauit Phliuntē, pulso Hippaso, cuius Hippasi ꝓnepos fuit PYTHAGORAS Philoſ. Pauſ.

HYRNÆTHO, fuit cum Deiphonte propinquo: propter quē à fratribus exosa, & cùm consilium eorum de marito deserendo repudiaret, inuita atque reluctans abducta, per summam immanitatem perimitur. Pauſ. Meminit Stephanus ὑρνίτιον.

NATI CISO liberi sunt, Althemenes & MEDON.

ALTHEMENES, deduxit coloniā in Cretā. Strabo lib. 10. & 14.

III. MEDON, retinet regnum post fratris in Cretam abitum: & exutus à ciuibus, libertatis immodicæ appetentibus, potentiæ parte maxima, uix regium nomen conseruat. Pauſ.

IV. LACIDAVS, notatus est uulgi dicterijs ceu mollis, & effœminatus, ob comam compositiorem, & delicatiorem incessum. Plutarchus, Pausanias, quorum ille Lacyden uocat.

V. MELTA, à populo capitis damnatus, imperio spoliatur, & Argis democratia instituitur.

FVIT autē ab eadē hac familia, nēpe à TEMENO gradu duodecimo oriūdus CARANVS, rex Macedoniæ. De hui⁹ posteritate, quæ ꝓduxit ALEXANDRVM Magnū, alibi à nobis explicatū est.

TYRANNI ARGIVI.

SVBIICIO iam Tyrannos Argiuos, ut ita hæc historia constet suis partibus integris: cùm quidem PHEDON etiam è Temenidis genus & originem suam duxerit. Quorum utrunq; , ut de cæteris non

traditur, ita & quo tẽpore uixerint LAPHAES, PERILAVS, ARCHINVS, planè sciri nequit.

PHEDON, decimus à TEMENO, recuperat regnum maioribus ademtũ, & familiam in plures iam partes dispersam, paulatimq; tabescentem, collectã refouet. Euocatus ab Eleis, ludos ipse celebrat, & Lacedæmonijs prælio deuictis, Pelopõnesi principatũ extorquet. Herod. Strabo, Pauſ. Eusebius. Fuit ut dominatus, ita animi impotentissimi, sed industriæ summæ. Inuenit enim mensuras Phedonias & pondera, & nummum cùm alium, tum argenteũ signare docuit, ut est apud Plinium lib. 7. cap. 56. Quomodo Corinthi occupandæ conatu frustratus fuerit, docet Plutarchũs in amatorijs narrationibus: putoq; eundem esse, quem alibi Ægonem nuncupat, & deficiente Heraclidarum familia, aquilæ augurio regnum ab Argiuis consecutum, ait. Tyrannidem eius cum ipso simul concidisse, neque ad posteros propagatam. Strabo tradit. Meminère Aristoteles lib. 5. polit. cap. 10. Scholiastæ, Apollonij pag. 240. Pindari pag. 59.

LEOCIDAS, fuit in procis Agaristiæ, CLISTHENIS Tyranni F. Herod. lib. 6.

* * *

ERATVS, ciuium uoluntate & studio Reipub. nomine regio præesse iussus, belligerat cum NICANDRO, rege Lacedæmoniorum & Asinæis, Asinenq; captam euertit. Pauſ.

* * *

LAPHAES, fraude tyrãnide potitus, populi impetu eijcit: cũq; adiutus à Lacedæmonijs, bellũ patriæ fecisset, p̃lio uictus, occidit. Pauſ.

* * *

ALCENOR.

PERILAVS, renunciatus uictor in Nemeis, tyrãnidem inuadit. Quo tempore inter cætera facinora, quæ edidit crudelissima, euertit subterraneum ædificiũ quoddam, in quo thalamus ex ære esset, quem ad filiæ custodiam fecerat ACRISIVS. Pauſ.

* * *

ARCHINVS, præficitur ab Argiuis, armis fabricandis: cumq; nouis inter ciues distributis, ueteribus mercenarios, inquilinos, infames & egenos armasset, tyrannidem sibi uendicat. Polyænus lib. 3.

* * *

ARISTOMACHVS, tenuit tyrãnidẽ ARATI tẽporib. cuius in patriã reducti insidijs appetitus, necat à seruis. Plutarch. Athenæus.

* * *

ARISTIPPVS, gerit se tyrannũ post cædem ARISTOMACHI:

CHI: & in ARATO tollendo uanam operam expertus, Cleonis cum exercitu opprimitur: unde fuga Mycenas delatus, interficitur à Tragisco. Plutarchus.

* * *

ARISTOMACHVS, succeſsit in tyrãnide ARISTIPPO: & perſuaſus ab ARATO, ſponte eam deponit, inſertisq́ Argis Achæorum Reipub. Prætor ipſe creatur. Pòſt tamen iterum ciuium animis contra ipſum irritatis ab Arato, diriter Cenchreis excruciatus, in mare demergitur. Plutarchus.

REGNVM MYCENÆVM.

DE MYCENARVM ORIGINE ET NOMINE: DE REGIIS MYCENAEORVM FAMILIIS, ET QVAE HARVM PROPAGO, MVtationes, interitus.

MYCENÆ Argiuorum colonia ſunt, cõditæ, ut Strabo ait, à Perſeo. Fuiſſe autem Argiuos Ægyptios, ſed Græcis permiſtos, alibi oſtendimus. De origine nominis Mycenarum diuerſas recitant fabellas Plutarchus de fluuijs, Pauſanias in Corinthiacis, quas omitto. Mihi Ebræa notio magis arridet, à Me & Kaneh, quorum illud aquas, hoc arundinem denotat, ut alludat ad Græcorum figmentum de aquæ ſcatebris, quæ eruto à Perſeo fungo repentè eruperint. Etenim natum in Ægypto Perſea, Diodorus ſcripſit: & è lingua Ægyptia Suidas, Moy, Philo Mos, aquam exponentes etiam nomen MOSES inde deriuant. Vt neq; de eo ambigem, ipſum Perſea hoc ex Ægypto cognomentum attuliſſe, cùm ſit ab Ebræo Paras, hoc eſt, uir fortis, miles, cõculcator, ut nempe ſignificetur bellandi & prædandi ſtudium ipſius.

REGNARVNT Mycenis familiæ duę, PERSIDÆ & PELOPIDÆ. Prioris, cuius auctor eſt & princeps PERSEVS, origo Ægyptia eſt. Malumus enim cum Diodoro facere quàm cum Herodoto, qui Perſea è Perſarum ſententia Aſſyrium fuiſſe ait, cùm hoc diſertè affirmet, cultũ illum à Chemmitanis, honoribus diuinis & gymnicis ludis: quod externo tributũ, uerìſimile non eſt. Et addit idem auctor, ſandalium eius inuentum iſthic, tricubitali magnitudine fuiſſe, quod poſtquam apparuerit, Ægyptum omnem exuberaſſe. Tamen

ab utroq; dissentiens Apollodorus, genitum ex PROETI concubitu Persea, scribit, quod nostra sententia neque probare, neque refellere in animo est. Certè ANDROMEDÆ connubium, non minus cognatio aliqua, quàm depulsum à belua imminens exitium, conciliasse Perseo uidetur. Etenim in Ioppe Cepheũ regnasse, apud Strabonem, Stephanum, Plinium & Solinum legimus: è quibus posteriores hi scriptores duo ad eandem urbem in saxo quodam uinculorum Andromedæ uestigia superfuisse, tradunt. Qua de re uerba illorum „ adijcere uisum fuit: Beluæ, inquit Plinius, cui dicebatur exposita fuisse „ Andromeda, ossa Romæ apportata ex oppido Iudææ Ioppe, osten„ dit inter reliqua miracula in ædilitate sua M. Scaurus, longitudine pe„ dum 40. altitudine costarũ Indicos elephantos excedente, spinæ cras„ situdine sesquipedali. Et Solinus cap. 37. Id oppidum (Ioppe) inquit, „ saxum ostentat, quod uinculorum Andromedæ uestigia adhuc reti„ net, quam expositam beluæ non irritus rumor circumtulit. Quippe „ ossa monstri illius M. Scaurus, inter alia miracula ędilitate sua publica„ uit, &c. Meminit etiam Iosephus libro 3. cap. 15. Proinde Cepheum à Phœnicibus propagârim, quos Phœnices, ut & colonos ipsorũ Carthaginienses seu Pœnos, Ebraica usos lingua, ostendit D. Hieronymus, & arguunt idem Carthaginiensium ducum nomina Annibal, Anno, Elisa, Anna, &c. quæ omnia Ebraicam originẽ sapiunt. Vndeque Cephei nomen discernam ab Ebræo Cepha, quod Græcis est πέτρος, sicuti Phinees deduco à Pinehas. Et quia propaginis cum Phœnicibus Ægyptij eiusdem fuère, credibile est, ut commercia ita & coniugia inter eos crebra extitisse. Videturq; omnino Andromedæ fabula ad Cephei nomen alludere: Quanquam, ut diximus, Plinius & Solinus non fabulam, sed historiam haberi uelint.

CÆTERVM propagatio & successio familiæ Persidarum etsi sibi constat, habet tamen non pauca, quæ dubium attento lectori parere possint. Nam ut Persen filium Perseo fuisse non negârim, sic in Persia hunc consedisse, & genti Persarum nomen de se reliquisse, fabulosum ducimus prorsus, idq; unde illi habuerint, alibi ostendimus. Neq; ab Erythra mare Erythræum, sed à colore rubeo denominatum uidetur. De Electryonis etiam coniugio ita uariatur, ut alij Eurydicen Pelopis, alij Anaxo Alcæi ei coniugem attribuãt: quanquam nos posteriorem sententiam amplecti maluimus. Atque de Mestoris stirpe solus explicat Apollodorus, quam tamen haud scio, an temporis ratio admittere ita possit. Intricatissima autem omnium est HERCVLIS historia. Et Herodotus quidẽ duos facit Hercules, Olympium & Græcum: Diodorus tres, Ægyptium, Cretensem & Thebanum: Arrianus, Macrobius & Eusebius totidem, Ægyptium, Tyrium &

Græcum, additq́ Arrianus, quæ de Herculis in Indiam expeditione tradantur, fabulosa esse: Cicero libro 3. de natura Deorum sex. Verumenimuero sequimur nos eos, qui unum fuisse Herculem contendunt, sed qui rerum gestarum fama occasionem fingendi dederit, ut plures fuisse crederentur. Sic enim Tacitus: Quicquid ubique magni« ficum est, in claritatem Herculis referre, consensimus. Ac quod ad e« ius res gestas attinet, libenter hic assumimus, quod scribit Diodorus his uerbis: In priscis rebus, ac fabulis similibus, nō omnino ad unguē « ueritas peruestiganda est. Itē Plutarchus in uita Romuli: In antiquio« ribus, inquit, illis sunt quædam fidem excedentia ac tragicè ficta, ut in « quibus Poëtę fabularumq́ conditores uersentur. Et paulò pòst. Quo « in negotio optauerim sanè fabulas tantisper nobis obsequi, dum ex« purgatis figmentis historiæ speciem induerent: sicubi tamen eæ con« tumaciter uerisimilitudinem respuent, neq́ se probabilitate temperari « patientur, æquanimi auditores, & qui benignè antiquitatis narratio« nem accipiant, opus nobis erunt, &c. Idcirco & nos ea solummodò « retulimus, quæ uideri saltem uera possent: cùm fabulis ita plæraq́ inuoluta sint, ut plus quàm Oedipo qui uerum inde coniiciendo erueret, opus esset. Præter liberos etiam, à nobis inferius commemoratos, geniti Herculę scribuntur, è Parthenope quidem Eueres, ex Epicaste Thessalus, ex Autonoë Palæmon, ex Phillo Æchmagoras, ex Rhea Auentinus, ex Eilea Antilochus, è Lyda conserua, quę Stephano Malis est, Cleolaus & Tyrrhenus, & ex hoc nepos Hegelaus, à quo Dorienses tubæ cantum didicerint. Quibus adhuc addunt alij Phœstum, Diomum, Dexamenū, Bœum, Amathen, Anteona, à quo Plutarchus propagat ANTONIOS, gentem apud Romanos cum primis nobilem, & nescio quos sexcentos alios. Sed hos ut obscuriores, atq́ ut ego puto, maxima sui parte historica fide carentes, omittimus. Neque de liberis è Thespiadibus ab Herculesusceptis (quam narrationē uel Clemens etiam historicam uult uideri, & è Poëtis inde Herculem ἀσυλλέργον uocat) aliud in literas relatum est, quàm quod hos fermè omnes in coloniam abduxerit IOLAVS. Tantum enim duo Thebis substitere, quorum posteros deinde Thespijs Demuchorum cognomento multis seculis adeoq́ ad sua tempora usq́ floruisse, Diod. scripsit. Ac LATINI, quem Hercule natis Suidas accenset, rectius à Cedreno Telephus quàm Hercules pater, creditur, sicuti & sororem eius Romam nominat Plutarchus, quæ inter Herculis liberos nusquā memoratur. Tametsi hoc interim facilè concesserim, cognomentum id illi potius, quàm nomen proprium fuisse, assumtum nempe à CETEIS (Cedrenus corrupte Cretæos uocat) qui cùm infeliciter cum EVRYPYLO Græcos ad Troiam oppugnassent, ipsum forte à

Telepho præfectum accepere, & quod à ſedibus mutuati ipſi nomen fuerant, ei impertiuêre. Has enim in agro Eleatico gentē illam habuiſſe, & Cetium fluuium de ſe ibi nominaſſe, Strabo annotat. Et nomen Latini, quod eidem genti exinde manſit, profectum hinc ita apparet, ut principium tantummodo κατ' ἀφαίρεσιν mutilatum ſit: Quomodo ab ἐιταλία deriuatum ἰταλία, & ab Iaonibus ſeu Ionibus & Aſſyrijs nominati Aones & Syri, à Thogorma GERMANI: atque è diuerſo initio creuere per proſthesin, Doliones & Macedones, cùm ſint ab Ionibus & Ceteis. Nam LATINOS Ceteos fuiſſe dubium nullum eſt: & credibile eſt, ſedes illas ab eis mutatas, quòd Ilio exciſo res Aſiaticæ uehementer turbatæ eſſent, ipſiq́ à Græcis cæteris noua metuerent bellorum pericula. Neque quæ ueterum eſt ſententia, in Italia Ceteis Latinorum nomen acceſsit, ſed iſthuc ipſi attulère, & de ſe occupatam terram Latium primum nuncuparunt, ea forma, qua à Samnitibus Samnium, à Belgis Belgium Cęſar & Liuius dixerunt. Fortè etiam ÆNEÆ imperium LATINI in Italia libentiùs admiſere, ob ſocietatis Troianæ memoriam, quam TELEPHVS, Latini pater, ducta ASTIOCHE, Priami F. ea conſtantia coluit, ut quanquam à Græcis delinitus, fœdus cum eis feciſſet, oppugnare tamen Troianos nunquam ſuſtinuit. Poſtremus è Perſidis regnauit EVRYSTHEVS: in quo & nomen illud familia amiſit. Nam ex inde HERACLIDARVM appellatio magis innotuit: à quibus Heraclidis quæ fuerint propagatæ familiæ, ſuo loco fuſiùs explicabimus. Hîc enim tantummodo principes earum, hoc eſt, quomodo ab Hercule quæque propagatæ ſint, attingere maluimus: ijs ſolummodò exceptis, quæ ignobiliores minimeq́ amplæ, explicatione peculiari non indigebant. Nam de his referre plenè libuit, quæ auctores de ijs tradidiſſent. E quibus tamen rurſus omiſimus ANTONIOS: quòd & ſeries eorum longiſsimè interrupta ſit, & extet de ijs cōmentarius uiri doctiſſ. M. Ioannis Glandorpij, præceptoris mei gratæ & immortalis obſeruantiæ ſtudio colendi. Eratq́ eadem de FABIIS cauſa, quos itidem præter Ouid. & Silium Plutarchus ad hanc propaginem refert. Tametſi nomen hoc non à Fabio, ſed à fabis, leguminis genere, ut à piſis Piſonum, fuiſſe exiſtimo. Etenim Romanos rei ruſticæ ſtudioſiſsimos fuiſſe cōſtat, ſecus ac Lacedæmonios, qui agrorum culturam Helotis cōmendare ſolebant. Plato etiam in Alcibiade propagat à Perſeo ACHÆMENIDAS, regiam apud Perſas familiā. Sed hac de re quid admitti conueniat, hîc ut peruestigetur opus non eſt, & ediſſeruimus ſuo loco de eo diligentiùs & enodatiùs.

PELOPIDAS condidit PELOPS, Tantali filius. Eſtq́ huius etiam familię origo externa: etſi de ortu & patria Tantali auctores

res non consentiant. Nam alij Phrygem faciunt, alij Lydum, alij Paphlagonē, alij etiam Thracem. Sed Phrygem nobis esse placuit: quandoquidem de patria Sipylo dissensio nulla est: & quanquā Athenæus hanc in Lydia collocat, secutos tamen Pelopem Phrygas in Græciam ait, quia Phrygiæ etiam Tantalus imperârit: Vnde is ab Orosio rex Phrygiorum uocatur. Addit his Strabo, regionem Sipylo uicinam à ueteribus Phrygiam nuncupatā, ideoq; Tantalum & Pelopem Phrygas habitos. Cœpit autem Pelopidarum Mycenis regnum in Atreo: qui ab Eurystheo profecturo in Heraclidas primum acceptum, occiso illo ciuium fauore & studio retinuit. A' quo quidem tempore familiæ huius potentia planè confirmata creuit mirificè; etsi domesticis cladibus non leuibus afflicta fuerit, quarum uiolatam Myrtilo datam à Pelope fidem causam faciunt Sophocles & Plato. Et Pausanias eadem de re sic scribit: Quod si Pelopis in Myrtilum facinus nepotum fuit pœna luendum, congruunt nimirum his casibus: quæ Glauco Epicydæ F. cum ille peierasset, Pythia respondit:

Commissam periurio fraudem in nepotes redundaturam.

Sed uerior historiæ fides libidinum spurciciem, quibus inde à Thyeste Pelopidę se polluerant, punitam in ijs ostendit. Neque Myrtili tædes iniusta uideri potest: quippe qui & dominum turpiter prodiderit, & perfidiæ id præmium poposcerit, quod scelere summo non careret. De familiæ propagatione ita à cæteris scriptoribus dissentiunt Dictys & Seruius, ut Agamemnona & Menelaum non Atreo, sed Plisthene genitos scribant. A' qua sententia nos planè discedimus, potioremq; Homeri ducimus auctoritatem, qui perpetuò Atridas uocat. Variat etiam de Atreo nonnihil Thucydides, qui Chrysippi ei cædem attribuit, quam Hippodamiā perpetrasse, ideoq; Mideam profugisse, Pausaniæ & Apollodori testimonio liquet. Addunt his alij, Agamemnona Argo omni imperasse, quod falsum esse è Pausania cōstat, superantibus nimirum tum adhuc Amythaonidarum & Anaxagoridarum familijs. Nisi fortè Argos de Mycenis accipiendum quis putet. Nam à Tragœdiarum scriptoribus, propter uicinitatem utranq; urbem communi nomine appellatam, Strabo tradidit. Mox tamen ab Agamemnone Argiuum regnum cum Mycenęo coniunxit ORESTES, cuius filius TISAMENVS eidem etiam finem fecit. Nam pulsus ab Heraclidis, concesśit cum Achæis ad Ionas: cum quibus prelio decertare coactus, morte sua, ut uictoriam, ita & sedes nouas genti suę peperit. Ideo cùm grati animi studio filijs eius Achæi regnū conseruassent, regnatur à posteris eorum usq; ad OGYGI filios. Hi enim cùm potestatem in tyrannidem conuertissent, Achæi seruitutem hanc pertæsi, democratias per ciuitates instituêre. Tamen familiam tum nondum

interijsse,

interijsse,in cæteris Athenæus docet,qui BLISTICHEN, concubinam Ptolemæi Philadelphi,ab Atridis propagat.

PORRO autē sicuti Mycenæ præcipuè creuerant propter commigrantes in eas Pelopidas, ut Strabo ait, ita pulsis potentiam fermè omnem amisēre,translata nimirum tum regni sede Argos. Nec quicquam deinde de Mycenæis in literas relatū reperimus usq; ad XERXIS bellum. Quo tempore cùm cessantibus Argiuis homines 80. ad Thermopylas misissent, qui præclari facinoris Lacedæmonijs socij fuēre, Argiui uel eo ceu prærepte gloriæ dolore, uel quod potius reor, in Lacedæmonios odio incensi, cum Cleonæis & Tegeatibus in Mycenæos conspirārunt, & urbem obsessam ea pertinacia oppugnārunt, ut ciues fame adacti sponte eam deseruerint, & parte maxima partim Ceryneam, partim in Macedoniam ad regem ALEXANDRVM Diuitem profugerint. Et Argiui quidem Mycenas tum occupatas solo æquatas exciderunt: estq; auctor Pausanias, suo tempore tantummodo partes quasdam, & portam unam, cui leones insisterent, superfuisse.

FAMILIAE REGVM
MYCENÆORVM.

I.

PERSIDÆ.

EVRYMEDON, I. cognomento PERSEVS, arcanas edoctus præstigias, ut uult Suidas, uarias terras expeditionibus & uictorijs uarijs peragrat: uictis in Libya Gorgonibus Amazonibus, in Æthiopia Phineo, in Seripho Polydecte, & liberata ad Ioppen Iudææ à marino monstro ANDROMEDA, tum conditis colonijs Tarso Ciliciæ & Iconio Lycaoniæ. Quibus tot præclaris facinoribus nominis famam consecutus illustrem, cum matre Græciam repetit: cumq; disci à se inuenti iactum ambitiosè ostentaret in Thessalia, auum imprudens perimit. Idcirco Argos redire haud sustinens, Prœto id sponte permittit, & conditis Mycenis, nouum ibi regnum inchoat, transmittitq; ad posteros. Perijt in bello contra Cepheа socerum. Diod. Apollonius, Apollodorus, Eusebius, Suidas, Ammianus. Hyginus fab. 244. à Megapenthe in ultionem Prœti occisum, ait. De Gorgonibus uide aliter explicantes Pausaniam in Corinthiacis, Solinum capite 7. Eusebium in Chronol. Hyginum lib. 2.

de hi-

de historijs signorum cœlestium, Palæphatum & Fulgentium. Fabulam Persei habet Ouid. 4. Metam. Variat de ea Hyginus fab. 63. Meminit Seruius in 7. Æneid. ense falcato usum: Falcatus, inquit, ensis, est harpe, qua usus est Perseus.

FVIT cum PERSEO connupta Andromeda, Cephei F. è qua geniti, Perses, STHENELVS, Alcæus, Electryon, Erythras, Cynurus, Merrus, Mestor, Helius, Gorgophone.

PERSES, natus in Ægypto; & educatus apud Cepheum auum; Persis, apud quos consederit, cùm antea Artæi, à Græcis Cephenes dicerentur, nomen de se dedisse, & Persidarum ac Achæmenidarum familias propagasse, traditur Herodoti, Platonis & Apollodori fabulis. Nam Orosius pari uanitate ab his dissentiẽs, à Perseo cognominatos Persas ait. Plinius lib. 7. cap. 56. sagittarũ inuentum Persi ascribit. Meminit Stephanus Ἀρταῖα & χαλδαῖοι.

II. STHENELVS, pellit Argiuorum ditione ob Electryonis cædem AMPHITRYONA nepotem, & Mycenis atque Tirynthe occupata, his deinde solus imperat. Strabo, Pausanias, Eusebius, Apollod. Scholiastes Apollonij.

ALCÆVS, nihil de se memoria dignum reliquit. Meminère Hesiodus, Eurip. Scholiastes Apollonij, Suidas in dictione Alcides.

ELECTRYON, imperauit Tirynthi & Mideæ: ac filiorum cædem per Amphitryonem uindicaturus, ab eodem haud quidem sponte perimitur. Hesiod. Apollodorus, Scholiastes Apollonij.

ERYTHRAS, fingitur Erythræo mari nomen dedisse à Strabone lib. 16. Plinio lib. 6. cap. 28. Eustathio in Dionys.

CYNVRVS, deduxit Cynurensem coloniã, & hoc illi de se nominis reliquit. Paus. Stephanus.

MERRVS, memoratur à Suida, Medusa.

MESTORIS nomen & posteritatem habet Apollodorus.

HELIVS, condidit Helos oppidulum: & cum Amphitryone Taphios adortus, imperio horum ab illo donatur. Strabo, Pausanias, Apollodorus.

GORGOPHONE, fuit primùm cũ PERIERE, deinde cum Oebalo: cùm antea sanctum & solenne fuisset, priore uiro mortuo, secundis nuptijs abstinere. Paus. in Corinth. Apollod.

CÆTERVM reliquère è PERSEI liberis nouas quasi propagines STHENELVS, Alcæus, Electryon & Mestor. De Alcæi posteritate, quæ amplissima & nouo HERACLIDARVM nomine celebrarior facta est, pòst fusius explicabimus: iam reliquorum illorum trium proximè subijcientes.

HABVIT autem STHENELVS in matrimonio Nicippen, Pelopis

Pelopis F. quæ aliis est Astydamia, è qua suscepit liberos: EVRYSTHEA, Iphiclum, Alcinoën, Medusam.

III. EVRYSTHEVS, nascitur mense septimo: ac patris ut regni ita & odij in Amphitryonis domum successor factus atque hæres, HERCVLEM immanibus laboribus atque periculis obijcit. Quibus ab illo exantlatis fortiter, cùm filios ab obitu eius pari sceleris immanitate opprimere studeret, & à Ceyce dimissos, bello ab Atheniensibus repeteret, prælio exceptus atque deuictus, in fuga cum filijs obtruncatur, & membra Gargethi, caput Corinthi conditur. Homerus, Eurip. Thucyd. Isocrates, Diod. Strabo, Pauf. Apollodorus. Eusebius tribuit ei annos 45.

IPHICLVS, profectus cum Iasone in Colchidem, interficitur in prælio quodam. Diod. Scholiastes Apollonij pag. 224. Iphin uocat, & ab Aeëta in fuga occisum, ait.

ALCINOE & MEDVSA nominantur ab Apollod.

EVRYSTHEO coniunx fuit Antimache, Amphidamantis F. è qua nati sunt.

ALEXANder.	IPHImedon.	EVRYbius.	MENtor.	PERImedes.	ADMEta

Occumbunt omnes in prælio contra Heraclidas. Apollod. lib. 2. Diod. lib. 4. cap. 4. Hyginus tamen fab. 124. inter reges Argiuos nominat Alexandrum Eurysthei. De hac Apollod. & Athenæus lib. 15. cap. 3.

POSTERITAS ELECTRYONIS.

CVM Electryone fuisse connuptam accepimus Anaxo, Alcæi F. quæ peperit liberos, Stratobatem, Gorgophonum, Philonomũ, Celenæum, Amphimachum, Cherimachum, Anactora, Archelaum, & ALCMENAM. Addit Apollodorus concubinã Mideam, è qua nascitur Licymnius.

STRATOBATES, GORGOPHONVS, PHILONOMVS, CELENÆVS, AMPHIMACHVS, CHERIMACHVS, ANACTOR, & ARCHELAVS, repressuri Pterelai filiorum in paternos fines incursiones, pugnaque excepti, trucidantur. Apollodorus.

ALCMENA, desponsata AMPHITRYONI patrueli, proiectum in exilium sponte comitatur, nuptijs tamen non antè assensa, quàm in Taphios ultionem is suscepisset. Eodem interempto à Minyis,

nyis, nupſit RHADAMANTHO Iuſto, Cretẽſi. Heſiod. Eurip. Diod. Apollod. Ouid. Hyginus. Scribit Plutarchus in Romulo, cadauer Alcmenæ, cùm funus eius efferretur, euanuiſſe, & lapidẽ in feretro inuentum. Idem monumentum eius nominat ad Haliartum.

LICYMNIVS, patri è tot filiorũ progenie ſolus relictus ſuperſtes, interficitur in iurgio quodam à TLEPOLEMO. Homerus, Pindarus, Diod. Pauſ. Apollodorus.

CONIVX Licymnij fuit Perimede, Alcæi F. quæ procreauit, Oeonum, Argæum & Melanem.

OEONVS, uicit primus omniũ ſtadio: cũq; HERCVLEM Spartã comitat⁹, urbis uiſendę cauſa temerè oberraſſet, nefario & crudeli auſu ab Hippocoontis filijs perimitur. Pindarus, Apollodorus.

ARGÆVS & MELANES referuntur ab Apollodoro libro ſecundo.

POSTERITAS MESTORIS.

MESTORI coniux attribuitur Lyſidice, Pelopis F. & filia inde nominatur.

HIPPOTHOE, ſtuprata iuxta fabulas à Neptuno edidit Taphium. Apollod.

TAPHIVS, induxit colonos Tapho inſulæ, eosq; Teleboas, quod nempe procul à patria iuiſſet, cognominauit. Apollod.

PTERELAVS, oppugnatus ab AMPHITRYONE, filiæ proditione perit. Apollod. Meminit Theocritus pag. 252.

COMÆTHO,	ANTIOCHUS.	CHERSIDAMAS.	MESTOR.	EVERES.
prodidit Taphum Amphitryoni, qđ facinus poſt capitis ſupplicio luit.				

Repetunt ab Electryone partem Mycenæi regni proauo Taphio, idq; denegantem bello laceſſunt, & cõgreſsi cum filijs eius, cũ hiſce ſimul præter Euerem ſolum occumbunt. Apollod.

POSTERÍTAS ALCÆI.

FVIT Alcæo coniux Hipponome, Menecæi F. quam alij Laodicen, alij Laonomẽ uocãt: quę liberos enixa eſt, AMPHITRYONEM Anaxo & Perimeden.

AMPHITRYON, condicit Electryoni patruo operam suam contra Taphios, accepto promisso de Alcmenæ cõiugio. Quem cùm imprudens clauæ aberrãtis ictu occidisset, à STHENELO in exilium proiectus, Thebas se deportat. Ibi expiatus à CREONTE, rursus ab Alcmena ad Taphicum bellum inflammatur. Quod mox socijs Creonte, Cephalo, Helio & Panopeo susceptum administrat fortiter, insulamq; subactam tradit Helio. Hinc belligerat cum Cythnijs, quos uictos cùm acerbè mulctasset, prouerbio locũ reliquit, κυθνία συμφορὰ, pro ea quæ est maxima. Occubuit in bello contra Minyas, & Thebis sepelitur. Pindarus, Eurip. Strabo, Pausf. Apollod. Suidas.

E FILIABVS Alcæi, Anaxo nupsit Electryoni, Perimede Licymnio, teste Apollodoro.

AMPHITRYO ex Alcmena coniuge liberos suscepit, HERCVLEM, Iphiclum & Laonomen.

ALCÆVS, cognomento HERCVLES, præclara patris & CASTORIS disciplina institutus atq; exercitatus, literas & Musicam discit à LINO, quem ob tardius ingenium obiurgantem seacerbius, cithara in tempora impacta, tam cõtum aciter quàm impiè occidit. Hinc ad militiæ studia traducitur: Thebanos Minyarum seruitio liberat: ac iussus oraculo Delphico ire ad EVRYSTHEA, eiusq; imperio parére, fortiter ab eo iniunctis laboribus perfungitur: conscriptisq; ex Arcadibus copijs, uictorias uarias è gentibus uarijs reportat. Etenim repressa in Græcia Centaurorum & Augeæ insolentia, Diomedis in Thracia tollit latrocinia: fundit in Asia Amazonas, & LAOMEDONTEM Troianũ improuidè se fortunæ ipsius obijcientem cædit, obitaq; Lydia Persei exẽplo petit Ægyptios & Afros. A' quo tempore nouis NELEI & HIPPOCOONTIS, quorum ille Messeniacũ, hic Spartanũ regnum tenebat, iniurijs prouocatus, uictos trucidat, & Nelei stirpe propemodũ excisa, Tyndaro Spartam permittit. Eodem usus successu contra Lapithas, Doriensium eos finibus expellit, & regnum restituit ÆPALIO. Postremum bellum gessit cum EVRYTO, Oechaliæ regulo: quo cũ filijs obtruncato, cùm pro re feliciter gesta sacrificium facturus, uestem solennem à DEIANIRA uxore deposceret, illaq; uerita pellicatum Ioles, Euryti F. pro Philtro eam ueneno illeuisset, miserabili cruciatu ab eadẽ ueste toto corpore depascitur. Ideo de salute desperans, morte uoluntaria in Oeta monte defungitur. Homerus, Herodotus, Sophocles, Polybius, Diodorus, Ælianus, Suidas, Apollodorus, Zetzes, Messala, Iustinus, Orosius. De morte Herculis uariat Eusebius, & cùm in morbũ pestilentem incidisset, ob remedium dolorum se in flammas iecisse, ait, anno ætatis 52. Honores ipsi primùm à Marathonijs habitos, Pausanias

nias scripsit. Inter res gerendas bis insania tentatus, occidit Megaram coniugem, & ut aliqui uolunt, Iphiclum fratrem. Laborauit etiam epilepsia, qui morbus inde Herculeus cognominari cœpit. In Elide instituit quinquennales ludos Olympicos, ἀκροθίνια πολίμω, ut cecinit Pindarus, idq; in honorem ataui Pelopis, teste Solino, quos intermissos deinde instaurauit Iphitus. Eusebius ab ludorum horum institutorum tempore usq; ad primam Olympiad. numerat annos 430. Victoriarum eius termini, seu ut Lucanus uocat, metæ, fuere Abile in Africa & Calpe in extremo Bethicæ, Herculearum columnarum nomine ueteribus celebres, quas symboli loco usurpauit nostro tempore Imp. Cæsar CAROLVS V. Statura quatuor cubitorum altitudine Herculem fuisse, auctor est Apollod. & disputat eadem de re nonnulla Gellius ex Plutarcho. Labores eius in cæteris celebrârunt scriptis suis Pisander Rhodius & Cæsar Dictator, è quibus ille etiam clauam ei primum tribuisse, & hydræ pro uno capite plura dedisse, traditur à Pausania. Etsi Seruius Hydram locum fuisse censet, euomentem aquas, uastantes uicinas ciuitates, in quo uno meatu clauso multi erumperent: quod Hercules uidens, loca ipsa exusserit, & sic aquæ clauserit meatus. Aliter tamen è Platone de hac fabula explicat Eusebius. Pausanias etiam cerberũ de serpente ingentis magnitudinis accipit. Extant autem labores Herculis descripti apud Calabrum, Virgilium, Apollod, Diodorum, Eurip. Ouid. Ausonium, Claudianum. De ueste, quam uenenis delibutam HERCVLI exitium attulisse diximus; penè similes narrationes reperimus de OTHONE III. Imp. & SOLYMANO Turco: quorum ille chirothecis ueneno infectis à Crescentij coniuge necatus est, hic cùm à SELYMO patre instar Herculanæ uestem dono accepisset, uix matris prudentia periculum effugit. Atque de anguibus itidem Herculis non dissimilem de NERONE habet historiam Tacitus libro 11. Legimus apud Plutarchum & Seruium, multos Romanos Herculi decimas soluisse, & inter hos Lucullum. Quos uirtutis magistros habuerit, elegãter edisserit Theocritus Idyll. 31. Meminit Plutarchus in Theseo, Herculis à se uitam conscriptã: sed ea cum plærisq; alijs eius scriptis iam desideratur.

IPHICLVS, militauit HERCVLI contra Augeam, grauiterq; in pugna uulneratus, obijt Phenei, & diuinis honoribus colitur. Pausanias. Alij ab Hercule occisum scribunt.

LAONOME, traditur in Apollonij & Pindari Scholiaste fabulis nupta fuisse Polyphemo.

IPHICLO nuptæ fuêre: Automedusa, Alcathoi F. è qua natus

IOLAVS: & Pyrrha, Creōtis Thebani F. quæ peperit Protesilaum & Podarcem.

IOLAVS, laborum Herculis socius, de uoluntate eius Thespiadas in Sardiniam insulam in coloniam abducit, & Olbia condita, genti Iolensi de se nomen relinquit: quòd ob merita & ętate facilè ei Thespiadæ concederent. Inde per Siciliam regressus in Græciam, oppugnat cum HYLLO & cæteris Heraclidis Eurysthea, eoq; uicto & cæso, cùm temerario Hylli ausu deserere bellum cogeretur, Thebas in exilium abit, & uitæ ibi muneribus defunctus, iuxta Amphionis monumentum conditur. Hesiodus, Pindarus, Plato, Diodorus, Strabo, Pauſ. Suidas, Solinus, Hyginus.

PROTESILAVS, consectatus Atridas ad Ilium, cadit in primo cum Troianis cōgressu: cumq; in Chersonesi Eleunte sepulti templum postmodum spoliasset Artayctes Persa, Sesti prætor, ab Atheniensibus capta urbe suspenditur. Dictys, Homerus, Herodotus, Pauſ. Arrianus, Lucianus, Ouid. Statius.

CONIVGEM Protesilaus habuit Laodamiā, de qua præter alios. Ouid. in epist. Heroid. Hyginus fab. 81. 103. Philostratus in Heroicis. Quam autem ex ea sobolem susceperit, ignoratur.

PODARCES, iungit se cum fratre in bello Troiano, eiusq; defuncti imperium suscipit.

HERACLIDÆ.

NVMEROSAM HERCVLI sobolem fuisse, suprà ostendimus. Nos hîc de ea tantum agemus, quam suscepit è coniugibus & concubinis nobilioribus: cùm de reliquis liberis narrationes fabulis quàm historiæ sint uiciniores.

FVERE AVTEM HERCVLI CONIVGES.

I. MEGARA, Creōtis regis Thebani F. è qua nati filij octo, interficiuntur à patre, in insaniā prolapso, testibus Homero & Pindaro. Eurip. & Apollod. tres Herculi susceptos liberos è Megara scribunt, quorum nomina.

THERIMACHVS. CREONTIADES. DEICOON.

Plures & diuersas de eadem re habet auctorum sententias Scholiastes Pindari pag. 352.

II. DEIANIRA, Oenei, regis Ætolię F. altera Herculis coniux, è qua nati: HYLLVS, Ctesippus, Glycisonetes & Macaria.

HYL-

HYLLVS, adoptatus ab ÆPALIO, rege Doriensium, consi-det post patris obitum cum fratribus & agnatis cæteris apud CEYCEM, regem Trachiniorum. A quo sub belli interminatione repetitus ab EVRYSTHEO, cum ijsdem fratribus & agnatis Athenas se deportat. Atque à populo ibi auxilijs adiutus, & confirmatus nouis Doriensium copijs, prælio cum Eurystheo confligit, uictum q; in fuga obtruncat. Cumq; eo successu usurus, Peloponnesum inuasisset, ac ex occurrentis ATREI exercitu temerè aliquem, quicunq; is esset, ad duellum prouocasset ea cõditione, ut si uinceret, Mycenarum regnum cederet Heraclidis, sin succumberet, hi intra annos 50. in Peloponnesum nõ redirent, suscepit hoc ECHEMON Tegeata. Ab hoc uictus tam prudentia quàm robore, perimitur. Diodorus, Pausi. Suid. Scholiastes Pindari, Ouid. Herodotus in annos centum fœdus cum Heraclidis ictum, ait. Alij etiam à IOLAO occisum Eurysthea scribunt, & Apollod. de tota Hylli historia aliter nõnihil loquitur. Sepulcrum eius Philostratus nominat in Phrygia.

CTESIPPVS & GLYCISONETES referuntur ab Apollodoro lib. 2.

MACARIA, profugit cum fratribus Athenas: quibus fratribus cùm de Eurystheo promissam uictoriam oraculo cognouisset, si quis ex Herculis liberis dijs manibus se deuoueret, sponte ad id se obtulit. Vnde natũ prouerb. Βάλλ' ἐς μακαρίαν, de ijs, qui per uirtutẽ pericula adeunt. Eurip. Pausi. Suid. Meminit Plutarchus in Pelopida.

HABVIT in matrimonio HYLLVS Iolen, Euryti Oechaliensis F. è qua liberos suscepit, CLEODÆVM & Euæchmen.

CLEODÆVS, retinuit Dorum regnum post patris obitũ. Sic enim Strabo lib. 9. Βασιλεὺς αἰπάλιος ἐκπεσὼν τῆς ἀρχῆς, κατήχθη πάλιν ὑφ' Ἡρακλέους· ἀπομνημονεύσας οὖν αὐτῷ τὴν χάριν τελευτήσαντι περὶ τὴν Οἴτην. Ὕλλον γὰρ εἰσεποιήσατο, τὸν πρεσβύτατον τῶν ἐκείνου παίδων, καὶ διεδέξατο ἐκεῖνος τὴν ἀρχὴν καὶ οἱ ἀπόγονοι, ἐντεῦθεν ὁρμηθεῖσι τοῖς Ἡρακλείδαις ὑπῆρξεν ἡ εἰς Πελοπόννησον κάθοδος. Diodorus significare uidetur, redijsse Cleodæum in Tricorythum, indeq; posteros eius, 50. annorũ spatio decurso, Peloponnesum repetijsse. Meminit monumenti ipsius Pausanias in Laconicis.

EVÆCHME, nupsit POLYCAONI, regi Messeniorum. Pausanias in Messen.

CLEODÆO nati liberi sunt.

ARISTOMACHVS, Peloponnesum repetiturus, pugna ab Achęis excipitur atque in acie occiditur, cùm ab oraculo ipsi edito, & reditus itidem in

ANASSA, fuit cum PYRRHO Neoptolemo, Achillis F. Plutarchus in Pyrrho.

Peloponnesum pręstituto tempore, aberrasset. Paus. in Corinth. Apollodorus & hæc nonnihil aliter cõmemorat. Pindarus posteros eius in Thessalia regnasse ait, uideturq; inde deriuare ALEVADAS.

TEMENVS. CRESPHONTES. Aristodemus.

Ab his profectæ sunt familiæ regum Argiuorum, Macedonicorum, Spartanorum & Messeniacorum: de quibus, totaq; fratrum horum historia, alibi explicauimus.

CONCVBINÆ HERCVLI NOBILIORES FVERE. *

* I. MEDA, Phylantis F. è qua natus.

ANTIOCHVS. Paus. in Atticis & Phocicis.

PHILAS. Paus. Apollod.

HIPPOTAS, Peloponnesum cum TEMENO repetiturus, uatem aduersa prædicentem interimit: iussus ideo oraculo exulat ad decennium.

ALETES, condidit stirpem regum Corinthiacorum, quę deinde à BACCHIDE Bacchiadarum assumsit cognomentum.

DIODORVS etiã ab Hippota propagat Penthilũ Cnidiũ: qui in Siciliã coloniã deducturus, interficitur ab Egestanis. Territi aũt casu hoc filij, Gorgon, Thestor & Epithersides, in Lipara considunt.

* II. ASTYOCHE, & ipsa Phylantis F. è qua natus,

TLEPOLEMVS, occidit per contentionem Licymnium. Ideo propinquorum ueritus minas & uim, ac confirmatus oraculo Delphico, in Rhodum coloniam deducit, conditisq; Lindo, Ialyso & Camiro urbibus, oppugnat cum Atridis Ilium. Ab ea expeditione feliciter & cum laude reuersus, regnum amplificatum transmittit ad posteros. Dictys, Homerus, Strabo, Diodorus, Pausanias, Philostratus, Ouidius. Dares à Sarpedone interfectum ait.

CONIVX Tlepolemi nominatur à Pausania & Polygeno Phryxo, sed soboles nulla additur. Posteritatem tamen eius hanc annotauit Pausanias.

DO-

* * *

DORIEVS, oriundus à Tlepolemo, filium reliquit DAMAGETVM.

DAMAGETVS, iussus oraculo Græcorum optimi filiam ducere, ARISTOMENIS Messenij filiam matrimonio sibi iungit. Pausan.

DIAGORAS, reliquit de se posteris Diagoridarũ cognomentum: à quibus fortè oriundus fuit CLEOBVLVS Sapiens.

* III. OMPHALE, Iardani, regis Lydorum F. è qua natus,

AGELAVS, cõdidit regiam stirpẽ in Lydia, unde & CROESVS genus duxit. Apollodorus. Diodorus & Stephanus Lamonem uocant, Ouidius Lamum.

* IV. CHALCIOPE, Eurypyli, regis Coi F. è qua natus,

THESSALVS, de quo Dictys, Apollodorus, Scholiastes Pindari. Variant Polyænus & Scholiastes Apollonij: quorum ille uiolatarum induciarum crimen, quod de Thracibus Strabo narrat, ipsi attribuit: hic uerò Phidippi filium uocat.

ANTIPHVS. PHIDIPPVS.

Interfuêre bello Troiano: ac missi cum Tlepolemo de pace ad TELEPHVM, ob cognationem hanc ei persuadent. Homerus. Dictys.

* V. AVGE, Alei F. è qua natus,

TELEPHVS, exponitur à matre in Parthenio monte: & educatus apud Corythum regẽ, oraculi monitu eam in Mysia recognoscit. Vbi honoratus Argiopes filiæ connubio à TEVTHRANTE, regniq; hæres institutus, Græcos ad Troiã ituros summis uiribus oppugnat. Cumq; ab ACHILLE repulsus, & per legatos placatus, etiam uulneris medelam ab eodem Achille accepisset, deinde à bello abstinet, & neutri se parti addicit. Dictys, Diod. Strabo, Apollod. Stephanus, Claudianus.

PROCREANTVR autem Telepho ex Argiope liberi, Eurypylus, LATINVS, Tarchon, Rome. Etsi Dictys ab his discrepãs, Telepho coniugẽ Astiochen, Priami F. attribuit, & filium inde nominat Eurypylum. Quod ut de coniugio facilè cõcesserim, & Astiochen

post Arglopen regi huic nupsisse crediderim, sic de Eurypylo nego. Addit tertiam uxorem Hienen Philostratus in Heroicis.

EVRYPYLVS, expugnatus Priami muneribus & Cassandræ nuptiarum promisso, propugnat pro Troianis contra Grecos: Quos prælio lacessere, atq; interiectis Peneleo & Nireo, cum PYRRHO Neoptolemo congredi ausus, interficitur, & cremati ossa humanitus ad patrem remittuntur. Dictys, Homerus.

LATINVS, duxit CETEOS in Italiam, & nomen hoc, quod à sedibus illis accesserat, ab ipsis mutuatur. Cedrenus pag. 115. Suidas Herculis filium facit.

TARCHON, nominatur à Stephano ταρχώνιον.

ROMES nomen habet Plutarchus in uitis: quanquam & alias diuersissimas recitat ibi de ea opiniones.

* VI. MELITE, Nausithoi, regis Phœacum F. è qua natus.

HYLLVS, deduxit coloniam in Illyricum, & genti Hyllorū nomen dedit. Apollonius, Suidas, Stephanus.

* VII. MYRTO, Menœtij F. soror Patrocli, è qua nata.

EVCLIA. Plutarchus in Aristide.

* IIX. ASTYDAMIA, Ormenij F. è qua natus.

CTESIPPVS. Pausf. Apollodorus.

THRASYANOR. Pausanias.

ANTIMACHVS. Pausanias.

HYRNÆTHO, Temeni F. Pausf. —— DEIPHON, prestitit fidem TEMENO operam contra Peloponesios. Ideo uehementer ab eo dilectus, & præter filiæ connubium Epidauri principatu honoratus, ab affinibus in regni Argiuorum affectati suspicionem uocatur, ac coniugis interitum miserabilē spectare cogitur. Strabo, Pausanias, Apollodorus.

ANTIMENES. XANTHIPPUS. ARGÆUS. HYRNÆTHO. CALLIAS. ORSABIA, nupsit Pamphilo. Pausf.

Meminit Pausanias in Corinthiacis.

¶ Præmitto Pelopidis OENOMAI familiam, quòd ex imperio

rio huius illi primùm aucti, eam, quæ ueterum celebratur scriptis, potentiam, adeoq; ipsum Mycenæum regnum, obtinuerint.

OENOMAVS, Martis & Harpines iuxta fabulas F. imperauit Pisæ Elidis: & inductus fallacis oraculi metu, filiam elocare detrectat. Eam post ab ambientium turba seruari posse diffisus, crudeli & flosido conatu procis certamina curulia proponit, ut nepe uictori filia nuberet, uictus uita à se priuaretur: cumq; necatis plurimis, Myrtili aurigæ perfidia Pelops superior discessisset, uim ueritus, manus sibimet ipsi infert. Pindarus, Euripides, Apollodorus, Hyginus. Diodorus à Pelope occisum Oenomaũ, ait. Qui & quot ab Oenomao in certaminibus illis peremti sint, refertur à Scholiaste Pindari pag. 14.

FVIT cũ Oenomao, Sterope, quæ Hygino est Euarete, Acrisij F. Vnde geniti, Dyspõtius, Leucippus, Alcippe & HIPPODAMIA.

DYSPONTIVS & LEVCIPPVS nominantũ à Pausania in Eliacis & Arcadicis, Alcippe à Plutarcho in Parallelis. De Dyspontio tamen uariat Stephanus Δυσπόντιον.

HIPPODAMIA, funesti certaminis funestum premium, nubit PELOPI: è quo cùm utriusq; sexus liberos plurimos enixa, Chrysippum priuignum filijs suis in regni successione prælatum iri falsò suspicaretur, atq; in tollendo eo filij operam denegarent, ipsa facinus illud aggreditur. Ideo uiri iram uerita, Mideam fuga petit, fatoq; ibi suo defuncta, oraculi iussu in Olympia cõditur. Pindarus, Euripides, Pausanias, Apollodorus, Hyginus.

II.

PELOPIDAE.

TANTALVS, imperauit Sipylo Phrygiæ. Ac hostilem in se metuens animum TROIS, regis Troianorum, propterea quòd in Ilij dedicatione solus è uicinis principibus præteritus esset, filium eius GANYMEDEM per fines suos ad Iouis sacrificium iturum pro exploratore captiuum detinet, & ut addit Augustinus, constuprat. Idcirco iam illo morbo extincto, bello ab ILO petitus, ditioneq; pulsus, migrat in Peloponnesum. Pauſ. Suid. Orosius. De raptu Ganymedis uide aliter explicantem Herodotum lib. 1. Scribunt Plato, Strabo & Plutarchus, euersam terræmotu ob scelera eius Sipylum patriam. Celebratus maximè est diuitijs, quas tantas possedit, ut Iouis & opulentiæ filius in fabulis appelletur, abijtq; de ipso in prouerbium: ταντάλου τάλαντα ταλαντίζεται. Has diuitias è metallis ipsum acquisiuisse, Strabo docet. A' colonia in Græciam deducta conseruauit

uauit nomen portus Tantali: & nominat ibidem ſepulcrum eius Pauſanias. De fabula Tantali explicant Homerus, Pindarus, Eurip. Suidas, Virgilius, Hyginus: unde prouerbium aliud enatum eſt, ταντάλου τιμωρίαι, de ijs quibus bona aſſunt, nec frui his poſſunt. Fulgẽtius eandem μυθολογικῶς interpretando his uerſibus Petronij exponit:

Nec bibit inter aquas, nec poma patentia carpit
Tantalus infelix, quem ſua uota premunt.
Diuitis hæc magni facies erit, omnia latè
Qui tenet, & ſicco concoquit ore famem.

Item Horatius:

Tantalus à labris ſitiens, fugientia captat
Flumina. Quid rides? mutato nomine de te
Fabula narratur, congeſtis undiq; ſaccis
Indormis inhians, & tanquam parcere ſacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis, &c.

Stephanus Smyrnam à Tantalo conditam ſcribit, de qua eadem re Tacitus lib. 4.

HABVIT in matrimonio Tantalus Plaſtenẽ, quæ Plutarcho Euryanaſſa, Hygino Dione dicitᷓ, è qua liberos ſuſcepit, PELOPEM, Daſcylum, Æzena, Broteam & NIOBEN.

PELOPS, deduxit cum patre coloniam in Peloponneſum. Vbi cùm prudentia & uiribus, tum opum copia nominis famam illuſtrem conſecutus, & ipſe ad certamina de HIPPODAMIÆ connubio deſcendit: ac Myrtili opera, quẽ promiſſo turpiſsimo ad id ſcelus induxerat, Oenomao ſuperato, eóq; mox uoluntaria morte defuncto, Piſæo regno potitur: Myrtili perfidiam punit, & Hippodamiæ procos 14. ab Oenomao occiſos magnifico monumento honorat. Hinc Arcadum bello laceſsitur, fortiumq; auſorum ſucceſſu fruſtratus, ad fraudes ſe conuertit, ac STYMPHALVM regem per amicitiæ ſimulationem in poteſtatem redactum obtruncat. Pindarus, Eurip. Diod. Apollod. Scholiaſtes Apollonij, Zetzes, Hyginus. Variant de hiſtoria eius nonnihil Seruius in 3. Æneid. Palæphatus pag. 116. Fuit præ cæteris Heroib. ab Eleis cultus: apud quos etiã in honorẽ ipſius Olympicos ludos ab HERCVLE inſtitutos, ſuprà è Solino diximus. Addunt his Herodotus & Thucydides, fuiſſe eam à Pelope allatam ex Aſia opum uim, ut quamuis aduena eſſet, potentiam tamẽ in Peloponneſo ſibi comparârit maximam, eidemq; hoc de ſe nominis reliquerit. Vt credibile ſit, tractũ etiam inde prouerbium apud Comicos, Pelopis talenta, & figmentũ de eburneis eius humeris. Auctor eſt Pauſanias, Pelopem magicis quibuſdam præſtigijs contra Oenomaũ uſum, cumq; faſcinum illud eo ipſo in loco defoſſum fuiſſet, omnes inde equós territos. Fabulam eius habent Pindarus, Ouidius Metam.

lib. 6.

lib.6. Explicat eandem Palæphatus pag.116. Agnæ aureæ donarij eius meminit Suidas ἀνάθημα. Eusebius tribuit ipsi imperij annos alibi 53. alibi 59. & in Argis regnasse, ac belligerasse cum Troianis, ait.

DASCYLVS, memoratur à Scholiaste Pindari, & liberi ei ex Anthemoesia coniuge attribuuntur.

LYCVS. PRIOLAS. NACOLIVS.

Scholiastes Apollonij pag.190. & seq. Stephanus νακολία.

ÆZENIS & BROTEÆ nomina extant apud solum Stephanum & Pausaniam.

NIOBE, nupsit AMPHIONI Thebano: è quo genitos utriusque sexus liberos 14. ingenio & forma præstantes, seu ob blasphemiã seu ob fastum peste amittit. Vnde in acerbiss. dolores coniecta, & ad patrem tum adhuc in Asia agentem reuersa, animi mœrore contabescit. Plutarchus, Pausanias, Palæphatus. Fabulam eius habent Diodorus, Ouid. Metam. lib.6. Quàm diuersæ sententiæ fuerint super numero filiorum Niobes, Gellius refert lib.20. cap.6.

FVIT PELOPI coniux HIPPODAMIA: è qua liberos reliquit, ATREVM, THYESTEM, Plisthenem, Trœzenem, PITTHEVM, ALCATHOVM, Cleonem, Epidaurum, Letreum, Hippalcmũ, Pelopem iuniorem, LYSIDICEN, ASTYDAMIAM. Additur his concubina Danais, seu Axioche, quæ peperit Chrysippum.

I. ATREVS, uocatus à patre in suspicionẽ necati Chrysippi fratris, profugit exul ad EVRYSTHEA. A' quo in Heraclidas profecturo Mycenis præpositus, regnum, occiso illo, ciuium uoluntate retinet, ac Tegeatarũ ope ab Heraclidis defensum familiæ conciliat. Vt ulcisceretur factam à fratre Thyeste coniugio suo contumeliam, filios eius necatos, & in cibum coctos, comedendos ipsi apponit: ad quod tam horrendi sceleris spectaculum solis lumen defecit. Thucyd. Diod. Pausf. Suid. Zetzes. Eusebius Atreum & Thyestem annis 65. regnasse, ait. De sole ob Atrei scelus obscurato, similem annotauit de Nerone historiam Dion: Nam cùm post Agrippinæ cædẽ, impio senatus decreto in honorem Tyranni sacrificia instituta essent, id solis deliquium repente extitit, ut stellæ conspicerentur: & cœna, quæ eodem tempore ad Neronem deferretur, tota fulmine deflagrauit. Tamen Hyginus fab.258. de eadem re aliter explicans: Atreus, inquit, primus apud Mycenas solis deliquium inuenit: cui inuidens frater discessit. Eadem habet Seruius in libro primo. Æneid. Alibi Hyginus ab Ægistho occisum refert.

THYE-

THYESTES, deportat se cum Atreo fratre ad Eurystheum: cuius Atrei uxorem cùm post adulterio polluisset, & auream eius agnam clandestino furto abstulisset, liberûm cæde, & decantatis in scena epulis, facinus id luit. Eurip. Pausanias, Apollodorus, Athenæus, Suidas, Zetzes, Ouidius, Hyginus.

PLISTHENES, nominatur à Scholiaste Pindari & Dicty. Hyginus Atrei filium facit, & per errorem ab eodem interfectum, ait.

TROEZEN, suscipitur cum Pittheo in Hyparex & Antheæ imperij partem ab Ætio. Strabo, Pauf. Stephanus.

ANAPHLYSTVS. Pausan.

SPHETTVS.

PITTHEVS, redegit Hypeream & Anthean oppidula in ciuitatis unius formam: quam de fratris nomine Trœzena nuncupatam, imperio retinet. ÆGEO Atheniensi ad se profecto, turpi instituto Æthram filiam prostituit, & natũ inde Thesea præclarè ad omne uirtutũ genus informat. Habuit enim sapientiæ & doctrinæ opinionẽ præ reliquis eius tempestatis hominibus, & ascribitur ei hæc γνώμη:

Quod satis est homini statuas mercedis amico.

Strabo, Plutarchus. Pausanias dicendi artem Pitthea docuisse, & librum ab eo scriptum, atque ab Epidaurio quodam editum, se quoque perlegisse ait. Ab Euripide tribuitur ei pietas & oraculorum scientia.

ÆTHRA, ex Ægeo grauida facta, parit Theseum: Quem Athenas secuta, à Castore & Polluce, bello HELENAM repetentibus, capitur: & eidem in seruitutem tradita, iterum cum ea à Paride Ilium abducitur: Vnde tandem redux redit cum Mnestheo. Dictys, Plutarchus, Ælianus, Hyginus.

HENIOCHA, nupsit Canetho, è quo edidit Scironem. Plutarch. in Theseo.

ALCATHOVS, asciscitur ob singularem fortitudinem gener à Megareo, & regni hæres institutus, condidit arcem nouam Megaræ: mulctatus à fortuna tribus casibus grauissimis, filiorũ duorum cæde & alieno Atheniensium imperio. Pausanias.

NOMI-

NOMINANTVR coniuges eius, Euæchme, Megarei F. & Pyrgo: sed quos ex his liberos susceperit, ignoratur. Fuisse autem hi scribuntur.

PERIBOEA, fuit cũ TELAMONE. Pauſ. Hyginus.	CALLIPOLIS, interficitur per errorem à patre. Pauſ.	IPHINOE, decesſit uirgo: qua de causa puellas ritu patrio ad tumulũ ipsius inferias misisse, crinesq; detõdisse, Pausanias scribit.	ECHEPOLIS. Pauſ.	AVTOMEDVSA, nupsit Iphiclo, fratri Herculis. Apollodorus.

CLEON, EPIDAVRVS, LETREVS, HIPPALCMVS, PELOPS iunior, memorantur à Pausania, Scholiaste Pindari & Hygino. Cleonem etiam & Epidaurum Cleonis & Epidauro urbibus, nomina de se reliquisse, accepimus.

LYSIDICE, nupsit, secundùm Diodorũ & Plutarchum, ELECTRYONI, secundùm Apollodorum Mestori.

ASTYDAMIA, fuit in matrimonio STHENELI, regis Mycenarum. Scholiastes Thucyd.

CHRYSIPPVS, raptus à LAIO Thebano, bello à fratribus repetitur: cumq; ob patris eximiam in se beneuolentiã Hippodamiæ nouercæ odiũ incurrisset, per insidias ab ea perimit. Plutarchus, Athenæus, Ælianus, Eusebius, Zetzes. Alij de historia eius aliter sentiunt.

CÆTERVM priusquã ad Atridas pergo, primũ subijcio Thyestis posteritatem. Quandoquidem diuturna non fuit, animaduertente nimirũ in eã diuina iusticia ob flagitiosissimas & nefandas libidines.

FVERE autẽ Thyesti liberi, Tantalus, Anaxibia, Pelopeia, è qua rursus ei editus traditur, ÆGISTHVS.

TANTALVS, interficitur ab Agamẽnone, ambiente Clytemnestræ nuptias, quam Tantalo Tindareus desponderat. Eurip. Pauſ. Variat Hyginus fab. 88. & ab Atreo cum Plisthene fratre occisum, ac Thyesti epulandum appositum, scribit.

PELOPEIA, oraculi turpis iussu à patre uitiata, edidit Ægisthũ. Seruius. Nam Hyginus de hac fabula aliter explicat, fab. 88.

III. ÆGISTHVS, infamibus editus natalibus flagitio eodem cõstuprat Clytemnestram, absente ad Troiam Agamemnone. Quem cùm domum reuersum, atque insidioso conuiuio exceptum, adulteræ ope necasset, regnum tyrannicè occupatum tenet annos septem. Inter-

ficitur tandem ab Oreste,& quidem eo ipso in loco, ubi Agamemnonem sustulerat. Dictys, Homerus, Sophocles, Paterculus, Eusebius, Zetzes, Hyginus. Ouidius de Ægistho sic canit:

Quæritur, Aegisthus quare sit factus adulter,
In promptu causa est, desidiosus erat.
Pugnabant alij tardis apud Ilion armis,
Quò tulerat uires Græcia tota suas.
Siue operam bellis uellet dare, nulla gerebat:
Siue foro, uacuum litibus Argos erat.
Quod potuit, fecit: ne nil ageretur amauit:
Sic uenit ille puer, sic puer ille manet.

ÆGISTHI proles gemina refertur, ALETES, & ex Clytemnestræ adulterio suscepta, ERIGONE.

ALETES, inuadit regnum absente Oreste in Taurica, ideoq; reuersi armis pulsus, perimitur. Hyginus.

ERIGONE, fuit cum Oreste, quem ob parẽtum fratrisq; cædem infesto odio prosecuta, neq; absolutũ ab Areopagitis intueri sustinẽt, laqueo uitam finit. Dictys, Pausanias. Variat Hyginus fab. 122.

POSTERITAS ATREI.

ATREO coniugem fuisse accepimus Aëropen, è qua suscepti ab illo liberi: AGAMEMNON, MENELAVS & Astyoche.

II. AGAMEMNON, regnauit post patrem annos 18. seu ut alibi habet Eusebius 35. Protulit regni fines Corinthum usq;, & insulas aliquot suæ ditionis fecit. Hæc ipsius potẽtia cùm toti Græciæ formidabilis esset, facilè etiã principibus, quos Argos propterea euocârat, auxilia extorquet contra Troianos, eamq; militiam secum obire compellit. Cuius suscipere imperiũ iussus, Troiam decennali bello fatigat, & expugnatam nouæ bellicæ machinæ inuẽto, euertit. Inde Græciam repetiturus, tempestate in Cretam reijcitur: cumq; ibi urbibus nonnullis conditis, ita tandem domum reuertisset, & intẽpestiuo CASANDRÆ amore Clytemnestram, quam cęteroquin propter Tantali cædem & Iphigeniam abductam minus placatam haberet, irritasset uehementius, insidijs huius de uita tollitur. Dictys, Homerus, Eurip. Sophocles, Thucyd. Plutarchus, Eusebius, Paterculus. Meminère Liuius libro 5. decad. 5. Plutarchus in Agesilao. Ausonius epitaphium ei affingit huiusmodi:

Rex regum Atrides, fraternæ coniugis ultor,
Oppetijt manibus coniugis ipse suæ:
Quid prodest Helenes raptum punisse dolentem,
Vindicem adulterij cùm Clytemnestra necet?

Isocrates censet non pro Helena Troianum bellum gestum, sed ne Græcia à Barbaris uexaretur, quod accidisset antea, cùm à Pelope uniuersa

uerſa Peloponneſus occuparetur, à Danao Argiuorum urbs, à Cadmo Thebæ. De ſtatura regis huius, ingenio, moribus, præclarè Philoſtratus in Heroicis: in quibus illud memorabile, quòd grauem cum primis ac magnificum fuiſſe, ait, ita ut qui gratijs ſacrificaret. Id quod ex hiſtoria Xenocratis Philoſophi uidetur tranſtuliſſe. Hic enim cùm auſterior eſſet, ſæpe à Platone Præceptore Gratijs ſacrificare iuſſus eſt.

MENELAVS, eligitur maritus ab HELENA, cui parens Tyndareus, procis iureiurando adactis, auxilio ſe ei fore cõtra inſidiatores, qui illa potiretur, hanc poteſtatem feciſſet: itaque ſimul Spartanum regnum familiæ conciliat. Eadem à Paride Alexandro rapta, & cum Vlyſſe & Palamede eam repetenti denegata, cum fratre iniuriam bello ulciſcitur, & Ilio poſt decennij labores expugnato, recipere adulteram ſuſtinet. Cumq́ domum rediturus, ad Ægyptum & Africæ littora reiectus fuiſſet, & poſt octẽnij errores ad ſuos regreſſus, nouis Oreſtis turbis exciperetur, placatur ei per Idomenea. Dictys, Homerus, Eurip. Plut. Pauſanias, Euſebius, Hyginus. Quo aſtu Helenam à Rhodiorũ impetu defenderit, Polyænus narrat lib. 1. Auſonius hoc Menelaum epitaphio celebrat:

Felix ô Menelaë, Deûm cui debita ſedes
Decretumq́; pijs manibus Elyſium.
Tyndareo dilectè gener, dilecte Tonanti,
Coniugij uindex, ultor adulterij.
Aeterno pollens æuo, æternaq́; iuuenta,
Nec lethi paſſus tempora, nec ſenij.

ASTYOCHE, nupſit primùm Strophio, deinde Neſtori. Hyginus. Dictys Thyeſte genitam fuiſſe, dicit.

EXPLICO autem iam proximè de Menelai liberis, ut ordine & ſerie iuſta ſubijciatur deinde Agamemnonis poſteritas.

FVIT autem MENELAO, ut diximus, cõiux HELENA, è qua nata filia Hermione: concubina Teridaë, ſerua, quę peperit liberos: Megapenthem & Nicoſtratum.

HERMIONE, deſponſata ORESTI, ob parricidium eius in matrem collocatur PYRRHO Neoptolemo. Quem exoſa propter conſuetudinem cum ANDROMACHA, Oreſtem ad cædem eius impellit, & matrimonio illius iuncta, conſtanter in amore eius perſeuerat. Dictys, Pauſan. Virgilius, Hyginus, Ouid. in Epiſt. Hermiones ad Oreſtem. Citat Pacuuij Hermionen Diomedes Grammaticus lib. 1.

MEGAPENTHES & NICOSTRATVS, inuadũt regnum poſt patris obitum: ideo à ciuibus exoſi atq; uti ſpurij contemti, pelluntur ab Oreſte. Homerus, Pauſ. Apollod.

AGAMEMNONIS POSTERITAS.

AGAMEMNON uxorem habuit Clytemnestram, è qua geniti, ORESTES, HYPERION, Iphigenia, Electra, Laodice, Iphianassa, Chrysothemis.

IV. ORESTES, subtractus alumnorũ, Electræ sororis & Arsinoës nutricis pietate & fide Ægisthi sæuitię, educatur apud STROPHIVM in Phocide. Cuius filio PYLADE fideliss. & strenuo usus adiutore, clàm in Peloponnesum reuertitur: & sublatis per insidias Ægistho & Clytemnestra matre, paternum regnum recuperat. De hoc cùm Menelaum patruum sibi aduersantem placasset per Idomenea, nõ multò pòst ex sceleris conscientia in insaniam incidit. Quo tempore diligenter & fideliter protectus à Pylade, tandem etiam ab Areopagitis clemẽti ψήφῳ absoluitur & expiat à MNESTHEO. Vlturus PYRRHI Neoptolemi iniurias, qui desponsatam ipsi Hermionen duxerat, Delphis illum per coniuratos interimit, & coniunctis cum Hermione nuptijs, Spartam matrimonij iure occupat, usus mox eodem successu contra Argiuos, quos mortuo CYLARABI, imperio suo adiunxit. Perijt in Arcadia, cùm in Asiam traiecturus, classem ibi instituisset, & Tegeæ conditur, anno ætatis nonagesimo, regni septuagesimo. Dictys, Homerus, Pindarus, Herodotus, Eurip. Sophocles, Pausanias, Paterculus. Eusebius tantùm annos 15. in imperio fuisse, ait. Corpus eius postmodum refossum & Spartam translatum, septem cubitorum fuisse, scribunt Plinius & Solinus: etsi Seruius hac de re planè dissentiens, ab Aritia ossa eius Romam translata, tradit. Condidit in Thracia Orestam urbem: quam ADRIANVS Imperator de se Adrianopolin appellari iussit, cùm furore correpto ex responso edictum esset, ut in furiosi alicuius domum uel nomen irreperet, teste Lampridio. Citat Pindari Scholiastes Hellanicum de colonia Orestis in Æolidem. De amicitia eius cum Pylade Ouidius de Ponto libro tertio eleg. 2. Lucianus in Toxari.

HYPERION, tenuit Megaram post Alcathoum: cumq́ crudelius imperaret, interficitur à Sandione, & Æsymni cuiusdam opera democratia Megaræ instituitur. Pauſ.

IPHIGENIA, Vlysis astu Aulidem perducta, ut nempe pro exercitus salute immolaretur, ostentis & oraculorum responso salutem impetrat, traditaq́ socio Scytharum regi, & Dianæ sacerdotio dicata, demum cum Oreste Argos reuertit. Dictys, Eurip. Plutarchus, Pausanias. Fabulam Iphigeniæ habet Ouidius 12. Metamorphos. Quomodo eius immolationem pinxerit Timantes, nimirum, quod

cum

eum tristem proposuisset Calchantem, tristiorem Vlyssem, Meneleo uerò summum effecisset dolorem, neque consumtis affectibus, quem patri adderet, inueniret, huius caput uelauerit, & suo cuique animo dederit æstimandum, Quintilianus refert libro secundo, capite decimoquarto. Auctor est Dion, simulacrum Dianæ Tauricæ, & genus Agamemnonis, fuisse in Comanis Cappadociæ: etsi quomodo hoc isthuc peruenerit & manserit, inter tam diuersas opiniones non reperire se ait.

ELECTRA, uirilis animi mulier, indignè habita ab Ægistho & Clytemnestra matre, quòd Agamemnonis cædem deploraret acerbius, Orestem fratrem in tollendis illis adiuuat, & ceu fidelis operæ præmium collocatur Pyladi. Eurip. Sophocles, Pausan. Paterculus, Hyginus. Variat de Electra Ælianus libro quarto de uaria historia capite 26.

LAODICE, Iphianassa, Chrysothemis memorantur ab Homero & Sophocle.

ORESTI coniuges fuere, HERMIONE, Menelai F. quæ edidit TISAMENVM & Orestem: & Erigone, quæ peperit PENTHILVM.

V. TISAMENVS, regnat cū Penthilo fratre annos tres: pulsusq; ab Heraclidis, cum Achæis ad Ionas se deportat. A' quibus regni spe frustratus, & prælio decertare coactus, occumbit in acie. Polybius, Strabo, Pausanias, Eusebius. Nam Apollodorus hac de re aliter loquitur. Quo stratagemate uicerit Ionas, Polyænus docet lib. 2.

COMETES, adiungit se Perthilo socium ad expeditionem Asiaticā, trāsituq; in Asiam illū præuenit. Pausan. Euseb. Strabo, Cleuam uocare uidetur, ut Tisamenum Dorum.

DÆMENES. SPARTON. TELLES. LEONTOmenes.

Præficiuntur summæ rerum post Tisameni patris cædem, communicata æqualis iuris potestate cum Damasia & Preugne, qui & ipsi Achaici nominis erant. Ac mansit posteritati ipsorum regnum Achæorum usq; ad OGYGVM: cuius filij cùm dominatū insolentiore id in tyrānidem conuertissent, populares politiæ per ciuitates institutæ sunt. Polybius, Strabo, Pausan.

ORESTES, natus in Macedonia, patre isthic cum Hermione per insaniā uagante, in regij sanguinis spiritu adolescit: occupatoq; quicquid esset, quod procedit in Macedonicum sinum & Adriaticum salum, terram, cui imperauerat, Orestidem dixit. Solinus capite 14. Stephanus ὀρέσται.

PENTHILVS, imperauit Mycenis cum Tisameno fratre. Inde patris Asiaticam expeditionem persecuturus, cum classe in Thraciam deflectit, ibique morbo re infecta extinguitur. Paterculus, Eusebius. Pausanias ante Heraclidarum reditum discessisse è Peloponneso Penthilum, ait. Vide Stephanum πενθίλη.

DAMASIAS, tenuit cum imperio Helicen urbem. Pausa.

AGORIVS, accersitus in Elidem ab OXYLO, & regni parte donatus, cum colonis eò transmigrat. Pausa.

ARCHELAVS, successit patri in classis imperio, delatusque in Asiam, Cyzicenam regionem occupat. Strabo. Pausanias Echelatum nuncupat.

GRAVS, subegit Æolidem usque ad Granicum fluuium, & missa exercitus parte contra Lesbios, hos quoque facere imperata cogit. Strabo.

REGNVM SPARTANVM ET MESSENIACVM HERACLIDARVM.

AD QVAS PELOPONNESI GENTES SPARTANI ET MESSENII PERTINEANT: QVAE IN VTRISQVE REGNARINT FAMILIAE: QVAE *postrema* HERACLIDARVM *propagatio fuerit, quis interitus, quæ consuetudines.*

SPARTAM Achæi condidere, & MESSENEN deductos colonos aiunt ab Argiuis & Spartanis. Ergò qui primi ab his ciuitatibus tulerunt nomen, ACHÆI fuere. His pulsis, ut in sedium ita in nominis hæreditatem successere DORIENSES. Qua de re Pindari Scholiastes explicans: πρότερον, inquit, οἱ ἀχαιοὶ τὴν σπάρτην ᾤκουν, αὖθις δὲ τῶν ἡρακλειδῶν μετὰ δωριέων ἀφικομένων, δωριεῖς προσωνομάσθησαν. Tametsi Pausanias ueteres Messenios sedes suas retinuisse, & Doriensibus id agri partem receptis, nouo regi Cresphonti facilè paruisse, dicat.

REGNATVM tam Spartæ quàm in Messenie utriusque gentis tempo-

temporibus. Et Spartæ tres Achæis familias imperasse reperimus: quarum prima produxit reges, LELEGEM, MELETEM, EVROTAM: in altera LACEDÆMON, princeps eius, qui Spartæ connubio, à qua urbis Spartæ denominationem sumsit Eusebius, regno potitus fuerat, successores habuit AMYCLAM, ARGALVM, HIPPOCOONTEM & TYNDAREVM. Tertia PELOPIDARVM tres dedit reges, MENELAVM, qui per HELENAM regnum id familiæ suæ conciliârat, ORESTEM & TISAMENVM, quem eiecere Dorienses.

IN Messene familiæ duæ rebus Achaicis præfuêre, POLYCAONIS & ÆOLI. Polycaonis successores quæ habuerint nomina, quotúe numero fuerint, nusquam literis proditum est. Ex Æoli prosapia septem recensentur à Pausania reges, PERIERES, APHAREVS, IDAS, NESTOR, THRASYMEDES, SYLLVS, ALCMÆON. Qui pulsus ab Heraclidis, præclarissimam Athenis Alcmæonidarum familiam condidit. Isthuc enim & cæteri NELIDÆ se receperunt, inter quos MELANTHVS, Erechtidis pulsis, regnum ibi consecutus est: PÆON uerò in fortuna priuata nominis sui familiam reliquit, quæ tamen & ipsa postmodum amplissi. honorib. perfuncta, summum atque altissimum ciuitatis gradum adepta est.

DORIENSES Achæorum regnis his potiti, permisere illa Heraclidis, de quibus in præsenti explicabimus tantùm, repetita stirpe ab HERCVLE & HYLLO, ut quibus occasionibus maiores eorum Pelopõneso eiecti, ipsi in eam regressi atque reducti fuerint, rectius & facilius intelligatur. Hæc rectè auspicamur cum Thucydide ab anno post captam Troiam octogesimo, qui fuit annus mũdi 2862. Nam Troiam captam & deletã anno mundi 2782. certissimis Dionysij Halicarnassei, Diodori Siculi, Sempronij Romani, Velleij Paterculi & Eusebij Cæsariensis testimonijs constat.

IMPERARVNT autẽ Spartæ duo semper ex Heraclidis reges, facto eius rei initio in EVRYSTHENE & PROCLE, fratribus. Hi enim cùm, uti nunquam aliâs in uita, sic neque de regno concordare possent, oraculum hac de re cõsultum regnare utrunque iussit: quam deinde consuetudinem conseruauit posteritas. Tametsi ius illud ad solos Eurytionidas & Agidas pertinuerit, cæteris Heraclidis exclusis, quod quomodo LYSANDER subuertere conatus fuerit, Plutarchus docet in uitis.

QVI ab EVRYSTHENE genus & originem duxerunt, celebrati à filio eius Agide AGIDARVM cognomento, ut familias

habebantur honoratioris, quomodo est apud Herodotum, ita & Eusebius uiros eius propriè uidetur reges nuncupare. Nam omissis ijs, qui ex Eurytionidis regnârũt, horũ nomina & tempora inde ad ALCAMENEM usq; annotat diligentissimè. Post quem re & ueritate magis nomen regium, quàm potestas Spartæ agnita est, institutis à THEOPOMPO rege Ephoris. Cùm quidem etiam seuerissimis LYCVRGI legibus, & præcipuè XXIIX. uirorum senatu, regũ potestas uehemẽter imminuta esset, & finibus circumscripta multiplicibus. Estq; ignota annorum ratio, quibus Alcamenis posteri regnârunt usq; ad PLISTOANACTEM. Ab hoc iterum usq; ad ACROTATVM regẽ annotauit eos Diodorus. Interijt Agidarũ familia cum regno ipso in AGESIPOLI. III. cùm regnum quasi hereditarium possedisset annos propemodum nongentos, reges edidisset triginta. Nam ANTIGONI Dosonis de CLEOMENE. III. uictoria refertur in annum primum Olymp. 139. qui fuit ab Heraclidarum reditu octingentesimus octuagesimus nonus: atque post triẽnium primùm Spartanos AGESIPOLIN. III. cum Lycurgo regno admouisse, disertè traditur à Pausania. Etsi de Agesipoli hoc quibus agnationis gradibus superiores reges attingat, sciri certò nequit: & num uerè etiam CLEOMBROTO, eo inquam, qui cum Chelonis, Leonidæ. II. F. nupta fuit, auo genitus sit, Polybius magis diuinandum relinquit, quàm quòd certi aliquid de eo affirmet. Tamen cùm Plutarchus è Chelonide Cleombrotum liberos suscepisse dicat, nos Agesipolin & Cleomenẽ, fratres, hos autumamus. Estq; fortè Agesipoli editus Leonidas, qui refertur à Liuio, cùm post Nabidis cædem reditus ei à Spartanis concessus esset.

A' PROCLE qui descenderunt posteri, primùm ab ipso PROCLIDARVM, deinde à nepote eius EVRYTIONE EVRYTIONIDARVM tulere cognomentum. Nam sequi nobis Plutarchum libuit: à quo dissentiens Pausanias, Proclis hunc nepotem EVRYPHONTEM, & posteros EVRYPHONTIDAS nuncupat. Anni ut diximus, quibus ex hac familia reges singuli imperârunt, non exprimuntur à scriptoribus usq; ad LEOTYCHIDEM: de quo, itemq; proximis quinque successoribus, præter Diodorum annotârunt eos Plutarchus & Gemistus. Est & nonnulla auctorum dissensio de familiæ propagatione, & regum ex ea successione. Nam Plutarchus ex Simonidis sententia POLYDECTEN & LYCVRGVM Prytanis filios facit. Ab hoc uetustior Herodotus ita discrepat, ut Charilaum Eunomo patre genitum, auo Polydecte, proauo Prytani tradat. Et Halicarnasseus non Charilai sed Eunomi gessisse Lycurgum tutelam, ait. Variat etiam

tiam ab his omnibus ita Phlegon Trallianus, ut seriem maiorum Lycurgi, nominibus horum uel transpositis uel omissis, planè confundat. Sed inhæremus nos Pausaniæ & Æliano, qui Lycurgo patrem Eunomum attribuunt, auum Prytanin, & Charilaum eiusdem ex fratre Polydecte nepotem nuncupant. Nec dissentit ab his Strabo libro decimo. Vbi Lycurgum facit à Procle sextum. Suntq; Eurytionidæ post Theopompum in duas alias ceu distincti familias: quarum quæ Archidamum propagatorem habuit, regnauit usq; ad DEMARATVM: altera, quam condidit ANAXANDRIDES in priuatæ uitæ statu relicta per LEOTYCHIDEM tandem regno potita est. Cuius seriem usq; ad eundem LEOTYCHIDEM continuam solus nobis cõseruauit Herodotus lib. 8. Nam ab hoc reliqua posteritas à multis traditur. Quamuis post ARCHIDAMVM. II. de ea non omninò conueniat cum Plutarcho Pausanias. Nos tamen retineri Plutarchi sententiam rectiùs ducimus, quippe à quo neq; Gemistus dissentiat. Regnauit autem Eurytionidarum familia usq; ad AGIDEM. III. cùm produxisset reges sex & uiginti. Hoc enim strangulato, solus deinceps LEONIDAS regnum tenuit. Quod exemplum postea CLEOMENES imitatus, regiam dignitatem fratri contulit, agnatis exclusis. Nec sanè præter Eurydamidem & Archidamum, quos metu insidiarum & æmulatione regni, quod consuetudine antiqua illis debebatur, Cleomenes sustulit, quisquam deinde ex Eurytionidis nominatur: etsi superasse inde complures alios non negat Polybius. Vt opinari hinc libeat, & CHILONEM, quem idem regij generis fuisse testatur, ab eis descendisse. Qui regnum ad LYCVRGVM translatũ indignatus, magistratus eius rei auctores de uita sustulit, Lycurgo uix suorum opera periculo isti subtracto. Nam is post CLEOMENIS interitum, utrunq; obtinuerat, ut & ex Herculis familia nominaretur, & AGESIPOLI adiungeretur collega. Quem cùm homo consceleratus postmodo armis expulisset, etiam regnum ab Heraclidis abalienatum in Tyrannidem commutat. A quo tempore paruit Sparta Tyrannis: quod nomen antea ibi affectatum nunquam fuerat. Tametsi Liuius Cleomenem quoq; Tyrannis accenseat. Habuit autẽ successores in ea potestate Lycurgus MACHANIDAM & NABIDEM: è quibus cùm sustulisset illum PHILOPOEMEN, hunc uerò iam Romanis bellis fractũ & inualidum Ætoli, ac aliquantò pòst Philopœmenẽ ipsum, qui post Nabidis cædem Spartam Achæorum Reip. inseruerat, abolitis Lycurgi legibus, Messenij: Spartani Romanis reconciliati αὐτονομίαν ab eis impetrârunt: & solis exceptis regibus, quibus antea usi sunt magistratibus: tum pristina dignitate nonnihil recuperata, in honore præci-

puo

puo fuere, & in libertate manserunt, ita ut præter amicorum ministeria aliud nihil tributi nomine conferrent. Videtur tamen Appianus adhuc Cæsaris Dictatoris temporibus reges eis tribuere: quod nunc dispuro: cumque AVGVSTI Cæsaris beneficio præfecturam Spartæ EVRYCLES quidam obtinuisset, mox filij ea exciderunt, ciuitati libertate conseruata. Etsi potentiæ Lacedæmoniorum his tot tamque sæuis mutationibus plurimum decessit: qua de re cùm passim multa historicorum retulerint monumenta, nos unicum Ouidij locum subijciemus:

Clara fuit Sparte, magnæ uiguere Mycenæ
Nec non & Cecropis, nec non Amphionis arces
Vile solum Sparte est, &c.

Superesse quidem Spartam hodie etiamnum aiunt, sed nomine mutato, quod est Mizithra.

IN Messene quæ fuerat antea de regibus obseruata consuetudo, quamque gentes iam omnes receperant, nempe uni summa rerum ut commendaretur, eandem Dorienses etiam ibi retinuerunt, atque inde à CRESPHONTE uni semper regi paruere. Cuius filius ÆPYTVS familiæ peculiare de se ÆPYTIDARVM cognomentum reliquit: Cùm è fratribus cæteris cum patre interfectis ipse eam instaurasset. Priores reges, hoc est, qui post Æpytum usque ad PHINTHAM regnârunt, obscuriores sunt, præterque sola nomina nihil admodum de ijs in literas relatum est. Neque sciri potest, quibus generis gradibus antecessores attingat ARISTODEMVS, rex undecimus & postremus. Tantùm enim hoc annotauit Pausanias, quòd è regia Æpytidarum stirpe oriundus fuerit. Atque è uita illo sublato, tristi rerum conuersione & regnum & libertas Messenijs dispe rijt, cùm stetisset id annos 388. & coguntur Lacedæmoniorum se iugo submittere. Etsi autem ARISTOMENE auctore, ingenti ausu excutere id rursum conati sunt, bello contra Lacedæmonios excitato grauissimo, successum tamen eis fortuna ad extremum denegat: ac fœdè passim profligati, & excedere Peloponneso compulsi, Gorgo Aristomenis & Manticlo ducibus, nauigant in Siciliam & Italiam, ijs, qui remanerent, in publicorum seruitiorum censum redactis. Hi cùm postea Lacedæmonijs iterum fidem fregissent, & post bellum Medicum terræmotibus grauiter afflictis rebellassent, occupata Ithome, obsessi aliquandiu, sub fœdere tandem certo dedere se hosti coguntur: itaque è Peloponneso dimissi, collocantur ab Atheniensibus in Naupactum: quibus quidem fortem & fidelem præstiterunt operam in bello Peloponnesiaco. Iccirco post captas à Lysandro Athenas hinc quoque à Lacedæmonijs expulsi, concessère partim in Siciliam & Italiam,

liam, partim in Libyam. Vndepost annorum aliquot interuallum cum reliquis Messenijs reuocati à Thebanis, qui uictos ad LEVCTRA Spartanos Græciæ imperio spoliârant, patriam postliminio repetunt, cōditaq; Messene urbe, liberam deinceps habent Rempub. Pausanias Messeniorum hunc in Peloponnesum reditum collocat in annum tertium Olympiad. 102. & addit, ipsos, quanquam totos fermè annos trecentos Peloponneso extorres, constantissimè tamen mores patrios retinuisse, & linguam Doricam nihil immutasse, ita ut suo etiam tempore ab eis, & quidem propè solis, maximè integra & planè uernacula, conseruata fuerit. Notetur autem de Messene hoc etiam obiter, quòd regioni toti id initio nomen cōpetierit, idq; ad hoc, quod dixi, tempus usq;. Neq; reges ibidem sedibus ijsdem & certis usi sunt. Nam POLYCAONEM habitasse Andaniæ inuenimus, ubi & PERIERIS posteri domiciliū habuerūt usq; ad APHAREVM; qui cùm ARENEN muniuisset, regni eam sedem esse uoluit. Nestori eiusq; posteris PYLOS regia fuit. Postremi CRESPHONTES & ÆPYTIDÆ Stenicler um regni sedem transtulerunt. Arx autem & propugnaculum Messenes antiquitus præcipuum fuit ITHOME, à monte, in quo sita erat, denominata, quam post primum bellum Messeniacum destruxerunt Lacedæmonij. Sub eodem monte ad radices eius urbs MESSENE postea conditur, qui communi cum ea muro compræhensus, etiam loco munitionis ei fuit, quomodo Corintho Acrocorinthus. Vt DEMETRIVS Pharius, Illyrius, callidè simul & facetè PHILIPPVM posteriorem, regem Macedonum, occupandæ Peloponnesi cupiditate incensum, has duas urbes, si potiri ea uellet, occupare iusserit: quòd utroq; cornu bouem tum tenere posset: cornua quidem Ithomen & Corinthum, bouem uerò Peloponnesum dictitans.

DE consuetudinibus regum utrorumq;, Spartanorum & Messeniacorum, multa passim in auctorum monumenta peruenere: & nos aliqua dabimus expositione sequenti. Quanquam sicubi potentia, dignitate, & nominis fama haud paulò celebriores Spartani extitere, ita de horum singulariter consuetudinibus explicatum itidem sit luculentius, & ab auctorib. pluribus: in quibus sunt Herodotus, Xenophon, Aristoteles, Plutarchus, Pausanias. Est autem hoc cum primis memorabile, quòd antequam prælium inirent, Musis sacrificabant: cuius causam rogatus EVDAMIDAS rex, ideo fieri hoc respondit, ut præclaris gestis præclaræ quoq; orationes contingerent. Coniugia non nisi cum ciuibus contrahere permittebantur: & qui regno destinabatur, lege educationis Spartanæ solutus erat. Adhæc uxores regū publicè ab Ephoris custodiebantur: quò pro uiribus caueretur, ne ex

alio

alio genere, quàm Heraclidarum rex gigneretur. Potentiam ipsorum uarijs circumscriptam Lycurgi legibus præcipuè imminuit XXIIX. uirorum Senatus. Fuit enim is magistratus perpetuus, cùm Ephororum, quos Theopompus instituit, annuo spacio finiretur. Ac quousque regum potestas se extenderit, quodq́ eorum propriè munus fuerit, eleganter Aristoteles edisserit lib. 3. Polit. cap. 10. & seq. Neque regni successio omnibus Eurysthenis & Proclis posteris cõmunis erat, sed à solis Agidis & Eurytionidis possidebatur, ita quidem, ut qui natu maximus esset è filijs, qui regnans de uita decessisset, regnum patris obtineret, aut si nullam is sobolem reliquisset, qui esset agnatione coniunctissimus: Quam candẽ consuetudinẽ è Salica lege Franci in Gallijs huc usq́ cõseruârũt. Meminit Scholiastes Thucydidis his uerbis: οἵτινες ἀπὸ μέρους ἦρχον διὰ μονὴν τὴν συγγένειαν κἂν μὴ ἄρχον ἀρχήν. Funera ijs ita fiebant, ut cadauera melle condirentur. Tametsi sepultura familijs singulis separata esset: quam Pausanias Eurytionidas in Apheatide uico, Agidas in Theomelide habuisse, scribit.

FAMILIAE REGVM SPARTANORVM ET MESSENIACORVM EX HERACLIDIS.

HERCVLES, filius Amphitryonis, nepos Alcæi, pronepos PERSEI, nascitur Thebis, patre ibi cum ALCMENA, ob Electryonis cædem exulante. Ideò à Mycenæi regni successione, quod à Stheneli obitu occupârat EVRYSTHEVS F. exclusus, uarijs per omnem uitam laboribus & ærumnis defatigatur: de quibus tũ de uitę eius exitu & numerosa sobole pręter alios Diod. lib. 1. cap. 2. Apollod. lib. 2. Nos enim de ea hîc tantummodo explicabimus, quam suscepit è Deianira coniuge. Eusebius SAMSONIS σύγχρονον facit, cuius apud Ebræos fortitudo maximè insignis fuit. Etsi temporum consideratio accuratior non planè id permittere uidetur. Nam Troiæ excidium postremũ, quod LAOMEDONTIS cædem secutum est annos 40. ad ABDONIS tempora refero. Staturam Herculis Apollodorus quatuor cubitorum ait altitudine fuisse, Solinus pedum septem: & disputat eadem de re è Plutarcho Gellius lib. 1. cap. 1. Termini uictoriarum eius, seu (ut Lucanus uocat) metę fuerunt Abila in Africa, Calpe in extremo Bethicæ, Herculearum columnarum nomine ueteribus celebres, quas symboli loco nostra ætate usurpauit CAROLVS. V. Cæsar.

NATI

NATI sunt HERCVLI è DEIANIRA Oenei F. HYLLVS, Macaria, Ctesippus, Glycisonetes.

HYLLVS, adoptatus ab ÆPALIO, rege Doriensium, regnum id primus familiæ conciliat. Post patris occasum sedet cum fratribus & Licymnij filijs, itemque IOLAO patruele & tutore, apud CEYCEM, regem Trachiniorum: à quo ob minas EVRYSTHEI dimissus iterum, cum ijsdem fratribus & agnatis Athenas ad DEMOPHOONTEM, Thesei F. ut uult Antoninus Liberalis, se deportat, petitum ibi auxilia & defensionem. Atque benigno & prompto populi studio usus, & finibus in tetrapoli donatur, & copijs iuuatur contra Eurystheа, bellum Heraclidis inferentem: quem tum prælio uictum in fuga obtruncat. Ideo mox factus insolentior, in Peloponnesi aditu, quam post tantam uictoriam inuadendam censuerant omnes, ex ATREI Pelopidæ exercitu, quem is Heraclidis opposuerat, regnū Mycenarum, quoad ab Eurystheo auunculo commendatum ciuium uoluntate retinuerat, ab illis defensurus, aliquem hostium, quicunque is esset secum armatum congredi iubet, ea conditione, ut si uinceret, regnum Mycenarum cederet Heraclidis, sin occumberet, hi intra annos quinquaginta in Peloponnesum non redirent. In quod certamen cùm descendisset ECHEMON, rex Tegeatarum, dum pugnat incautius, ab hoste prostratus iugulatur, & Heraclidis temeritate ista sua diuturnius exilium parit. Diod. lib. 4. cap. 4. Apollodorus hac de re nonnihil aliter loquitur.

MACARIA, interfecit se ex uoto pro Atheniensibus & fratribus atque agnatis cæteris: cùm oraculi responso promissam his uictoriam de EVRYSTHEO didicisset, si quis ex Herculis liberis ultro se dijs manibus deuoueret. Pausanias in Atticis.

CTESIPPVS, & GLYCISONETES referuntur ab Apollodoro lib. 2. Ctesippi meminit Pausanias in Atticis.

HYLLO coniux fuit IOLE, Euryti, regis Oechaliæ F. quæ procreauit CLEODÆVM & Euæchmen.

CLEODÆVS, retinet Dorum regnum post patris obitum. Sic enim Strabo lib. 9. βασιλεὺς Αἰπάλιος, ἐκπεσὼν τῆς ἀρχῆς, κατήχθη πάλιν ὑφ' ἡρακλέους. ἀπεμνημόνευσεν οὖν αὐτῷ τὴν χάριν, τελευτήσαντι περὶ τὴν οἴτην. ὕλλον γὰρ εἰσποιήσατο τὸν πρεσβύτατον τῶν ἐκείνου παίδων, καὶ διεδέξατο ἐκεῖνος τὴν ἀρχὴν καὶ οἱ ἀπόγονοι. ἐντεῦθεν ὁρμηθεῖσι τοῖς ἡρακλείδαις ὑπῆρξεν ἡ εἰς πελοπόννησον κάθοδος &c. Ac pertinet huc quod scripsit Isocrates in Archidamo, Heraclidas defuncto Eurystheo inter Dorienses commoratos.

EVÆCHME, nupsit Polycaoni, regi Messeniorum. Pausanias in Atticis.

CVM CLEODEO fuit PERIDEA, è qua liberos ille reliquit,

liquit, ARISTOMACHVM & Anassam.

ARISTOMACHVS, Peloponnesum recuperaturus, pugna ab hoste excipitur, fortiterque dimicans occiditur in acie: Cum ab oraculo ipsi edito, & reditus itidem in Peloponnesum præstituto tempore, aberrasset. Pausanias in Corinthiacis. Apollodorus & hæc aliter nonnihil commemorat.

ANASSA, fuit cum PYRRHO Neoptolemo, Achillis F. Plutarchus in Pyrrho.

ARISTOMACHO editi sunt, TEMENVS, CRESPHONTES & Aristodemus.

TEMENVS, classe repetere Peloponnesum, cum fratribus atque Heraclidis ceteris iussus oraculo, DORIENSES armat, & à Naupacto usque ad Molucrium OXYLO duce usus, ACHÆOS terra marique victos sedibus expellit: quas cùm Dorienses inter se dispertiti fuissent, regnis, quæ antea ibi fuerant, Heraclidis attributis, ipse Argiuum occupat. De posteris eius plura à nobis dicta sunt in Genealogia regum Macedoniæ, estque ab eo CARANVS, qui Macedonicum regnum condidit, duodecimus, ALEXANDER Magnus uicesimus quartus.

I. CRESPHONTES, reuertit in Peloponnesum cum Temeno: cumque Messenen à Doriensibus deposceret, neque id permitteret THERAS, qui ut auunculus & tutor eandem liberis ARISTODEMI petebat, res sortiti committitur. Quâ fraudulenter à Temenio administrata, cupitorum ita compos euadit. Interficitur à Polyphonte & optimatibus cum duobus filijs, quòd plebem nimis indulgenter haberet, & illa propterea insolentius contra eosdem insurgeret. Isocrates. Pausanias in Messeniacis, Apollodorus, Polyænus, Hyginus. Citat Ennij Cresphontem Gellius lib. 6. cap. 16.

ARISTODEMVS, profectus Delphos, consultum oraculum de Peloponneso repetenda, perimitur à filijs PYLADIS. Plato de legibus Dial. 3. Pausanias in Laconijs. Herodotus discrepans redijsse Aristodemum in Peloponnesum, editisque Eurysthene & Procle, morbo decessisse tradit: cui subscribunt itidem Xenophon de Agesilai laudibus, Velleius uolumine priore.

POSTERITAS CRESPHONTIS, SEV AEPYTIDAE, QVI IN MESSENIIS REGNARVNT.

HABVIT Cresphontes coniugem MEROPEN, Cypseli, regis Arcadiæ F. è qua superstitem reliquit filium ÆPYTVM.

II. Æ

II. ÆPYTVS, educatur à materno CYPSELO: quo defuncto iam adolescens, OLÆÆ auunculi ope Messeniacum regnum, quod occupârat POLYPHONTES, recuperat, idq; cũ ÆPYTIDARVM cognomento transmittit ad posteros. Pausanias, Apollodorus. Variat nonnihil de historia eius Hyginus Fab. 184. & Isocrates in Archidamo filios Cresphontis, cæso ipso, Spartam profugisse scribit.

III. GLAVCVS, celebratur ob religiosam superstitionem à Pausania in Messeniacis.

IV. ISTHMIVS. Pausanias.

V. DOTADAS. Pausanias.

VI. SYBOTAS, sanxit lege, ut Messeniaci reges anniuersaria Pammeso amni sacra facerent. Pausanias.

VII. PHINTAS, memoratur ad posteritatem ex sceleris alieni culpa, & excidij regni initio. Nam regnante ipso discordiarum semina inter Lacedæmonios & Messenios primùm iacta sunt, quòd uirgines illorum in Dianæ Limnatidis templum, ubi uterq; populus commune sacrificium conuentumq; celebrare soleret, feriatũ profectas, Messenij procaciter incesserant, & Spartanos, illas ab iniuria defensuros, occiderant. Strabo, Pausanias. Durasse autem hanc inter Messenios & Lacedæmonios de iure templi Dianæ contentionem adhuc Tiberij Cæsaris temporibus, docet Tacitus lib. 4.

IIX. ANDROCLES.

IX. ANTIOCHVS.

X. EVPHAES, imperat post patrem annos 13. totumq; regni tempus cum Lacedæmonijs bellando consumit. Namq; fuerant antea inter hos & Messenios odia ac simultates, in apertum tum bellum eruperunt, quod inchoatum anno secundo Olympiad. 9. durauit annos 20. seu, ut Strabo habet 19. Ipse ter cum hoste congressus, bis æquo Marte pugnat. In tertio prælio intemperantius in THEOPOMPI cohortem inuectus, deturbatur ab equo, grauiterq; uulneratus, paucis diebus pòst excedit è uita. Pausanias, Eusebius, Orosius.

POST EVPHAEM, Æpytidarũ familia serie interrupta, non

traditur ab auctoribus continua, habuitq; ille regni successorem ARISTODEMVM, agnatum.

XI. ARISTODEMVS, Æpytides, populi suffragio contra Cleonnin & Damin regno præfectus, imperat annos sex, & menses aliquot. In uita priuata filiam sua manu iugulârat, quod Delphicum oraculum fallax Messenijs uictoriam contra Lacedæmonios promisisset, si uirginem Dijs Genijs ex Æpytidarum prosapia immolarent. Hoc facinore cùm rerum potitus nihil patriæ se commodasse, sed res eius indies collabi uehementius, cerneret, ex mœrore & desperatione ad tumulũ illius de nocte se iugulat: rex apud Messenios postremus: qui etsi post mortem eius DAMI rei summam commendârunt, adiunctis huic collegis Cleonni & Philea, uicti tamen Lacedæmoniorum pertinacia, pacem cum ijs facere, & imperio illorum submittere se coguntur. Plutarchus, Pausanias, Iustinus.

EX liberis ARISTODEMI nominatur Filia unica, quam de oraculi mãdato occidit: & ÆPYTIDÆ primùm à ciuibus regno, deinde libertate à Lacedæmonijs spoliati, uixere priuati usque ad ARISTOMENEM, de cuius genere hæc annotata reperio.

PYRRHVS, ÆPYTIDES, à Messenijs Nicomedes nuncupatus, teste Pausania, habuit in matrimonio NICOTELEAM, è qua sustulit liberos, ARISTOMENEM & Agnagoram.

ARISTOMENES, rebellat Lacedæmonijs, Messeniorum iuuentute ad defectionem perducta, anno 4. Olympiad. 29. post Ithomes excidium, quod primo bello Messeniaco finem imposuit, tricesimo nono: & hostis iniurias cladibus grauissimis ultus, nec non ipse etiam terna captiuitate à fortuna mulctatus, Eræ per obsidionem includitur. Vbi etsi felici eruptione suos præstitit incolumes, tamen de summa rerum desperans, Messenios in coloniam abducendos Gorgo F. & Manticlo tradit. Multaq; dehinc frustra contra Lacedæmonios molitus, in Rhodum ad Damagetum generum abit. Vnde ad ARDYN & PHRAORTEM, Medorum & Lydorum reges, profecturus, morbo oppressus diem suum obit: cultus pòst à Messenijs inter Heroas. Polybius, Pausanias, Polyenus. Scribunt Plutarchus & Plinius, Lacedæmonios 300. ab Aristomene iugulatos, & tertio ab illis capto pectus dissectũ fuisse, corde hirsuto reperto: quoad fortis industriæ indicium Plinius iudicat. Meminit Clemens in orat. adhortatoria ad gentes. Stephanus patriam ei attribuit Andaniam.

AGNAGORA, nupta fuit primùm cum Euergetida, deinde cum Tharyco Phygaliensi. Plutarchus.

GENITI sunt ARISTOMENE, Gorgus & filiæ tres ἀνώνυμοι.

GORGVS, datur à patre ductor Messenijs, in coloniam ituris: atque euocatus ab ANAXILA, Rhegynorum Tyrāno, in Siciliam traijcit, & Zancle occupata, à patria Messanæ ei nomē imponit: tametsi Mamertinorum ibi appellatio in frequentiori usu manserit. Strabo, Pausanias.

E' Filiabus tribus ἀνώνυμοις primam pater collocauit Damathoidæ Lepreatæ, alteram Theopompo Heræensi, tertiam DAMAGETO, regi Ialysi. Pausanias.

POSTERITAS ARISTODEMI, SEV REGES SPARTANI.

FVIT ARISTODEMO coniux ARGIA, soror THERÆ, qui MINYIS in Callistam insulam ductis, Theræ illi de se nomen reliquit, ut est auctor Herodotus. Ex hac procreantur fratres gemelli, EVRYSTHENES & PROCLES, quibus addit Pausanias Simum & Temenum.

Patrocles ex Platone lib. 3. νόμων

I. EVRYSTHENES, fuit cum Procle fratre sub Theræ auunculi tutela. TEMENI ductu in Peloponnesum reuersus, Laconicam Philonomi proditione occupatam, sibique sorte adiudicatam, in sex partes diuidit, iure æquali concesso omnibus, & regiam Spartam transfert. Vbi fratrem de regno litem intentare ausum, oraculi placat iussu, hoc cum ipso communicato: mansitque exinde consuetudo, duo isthic uti reges essent. Strabo lib. 9. Apollod. lib. 2. Tribuit Eurystheni Eusebius annos 42. cuius & de reliquis rationem sequimur. Idem Doriensium bellum cōtra ATHENIENSES & CODRVM hoc rege gestum, ait, quod tamen temporis consideratio exquisitior minime permittere uidetur. Atque annotauit Strabo, Corinthiorum & Messeniorum impulsu id susceptum fuisse, metu uidelicet exulū, qui duce MELANTHO Athenas se receperant. Herodotus de fratrum horum historia aliter nonnihil explicat: etsi cū Pausania gemellos fuisse fatetur, sed qui uoluntatibus semper dissidentes, in unius Theræ auunculi mandatis obeundis parem haberent alacritatē. Singulariter de Eurysthene uariat Polyænus lib. 1.

I. PROCLES, mouet Eurystheni fratri de regno certamē: quod cum illo tenere oraculo iussus, PROCLIDARVM familiā, quæ ab EVRYTIONE nepote nouū EVRYTIONIDARVM cognomentum assumsit, propagat. Plutarchus, Pausanias: à quibus nonnihil dissentiens Strabo lib. 8. Proclem de se nomen reliquisse familiæ negat. Cuius rei causam rogatus PLISTARCHVS rex, factum id respondit, quòd primi reges magis duces esse, quàm regnare

uoluerint, teste Plutarcho in Apophtheg. Meminit Cicero lib. 2. de diuinatione, & rerum gestarum gloria fratri præstitisse, annoq; uno ante hunc mortuum ait.

SIMVS & TEMENVS iuuere Arcadas in reducendo Æpyto, rege Messeniorum. Pausanias.

NVPSERE EVRYSTHENI & PROCLI, gemellis, sorores itidem gemellæ, LATHRIA & ANAXANDRA, filiæ THERSANDRI, neptes Agamididæ, qui regnauit in Cleestonæis (alij legunt Cleonæis) atq; ex Ctesippo, Herculis abnepote, genitus fuit. Qua de re uisum fuit adijcere, quæ tradidit Ælianus lib. 12. de animalibus cap. 31. Eurysthenem, inquit, & Proclem audio cùm in matrimonium fœminas ducere constitutum haberent, profectos ad Delphicum oraculum, Deum consuluisse, quò cum Græcorum Barbarorumúe affinitate deuincti pulcrè & prudenter nuptijs alligati uiderentur: ijs Deum respondisse, quà uenissent, in Lacedæmoniam reuerterentur. Vbicunq; porrò terrarum summè ferum animal ferens mitissimum eis occurreret, inde ducendas uxores esse. Sic enim feliciter & prosperè ipsis processurum esse. Cui oraculo obtemperantes, cùm in Cleonæorum regionē uenissent, ipsis occurrit lupus, agnum, quem ex aliquo grege diripuerat, portans. Ex eo illi coniecerunt, Apollinem de ijs animalibus significationem dedisse, proinde ipsos Thersandri probi uiri filias uxores duxisse. Hactenus Ælianus. Cæterum cùm singulæ ab illis procreatæ sint familiæ, & quidem ut cognomentis ita & imperio, ad quod è singulis rex legebatur, distinctæ, nos etiam separatim de illis explicabimus.

FAMILIA EVRYSTHENIS, SEV AGIDAE.

NASCITVR EVRYSTHENI ex LATHRIA coniuge filius, AGIS.

II. AGIS, regnauit annum unum, ademit subditis & socijs iuris legumq; æqualitatem, quam Eurysthenes instituerat, imposito illis tributo. Quod onus cùm Elei, qui Elos incolebant, ferre nollent, bellum eis infert, & uictos ad seruitutem perpetuā damnat: Vnde Spartæ HELOTARVM origo extitit. Strabo lib. 8. Plutarchus in Lycurgo: qui ijdem regem hunc posteris nouum AGIDARVM reliquisse cognomentum, tradunt.

GENITI sunt Agide liberi, ECHESTRATVS & Amphicles.

III. ECHESTRATVS, regnauit annos 35. Meruit famam ad posteri-

posteritatem,quòd temporibus eius à Lacedæmonijs pulsi fuêre Cynurenses,qui militari essent ætate:idq; ex hac causa, quòd prædones è Cynuriaco agro Argiuorum fines depopulationibus infestos redderent:& ipsi in eundem agrum apertè excursiones facerent. Pausanias,Eusebius.

AMPHICLES,refertur à Pausania in Laconicis:& additur ibidem hæc eius posteritas.

AMPHISTENES.

IRBVS.

ASTRABACVS ALOPECVS.

REPERERVNT Dianæ Orthiæ signum: unde cùm mox capti mente fuissent,& Limnatæ,Cynosurenses & alij,qui sacrum Deæ facerent,à iurgijs ad cædes conuersi,humano sacrificio dedissent initium,Lycurgus pòst eo abolito,sacri ritum ad puberum plagas transtulit.Meminit Astrabaci conditorij Heroici Herodotus,Erato.

ECHESTRATO natus est filius unicus,LEOBOTES.

IV. LEOBOTES, regnauit annos 37.Fuit sub Lycurgi tutela:&primùm tum Lacedæmonij belligerant cũ Argiuis,duce CHARILAO, crimini illis dantes, quòd Cynurensem agrum,quem sub Echestrato ceperant,latrocinijs infestarent,& finitimos socios ad defectionem solicitarent.Pausanias,Eusebius.

V. DORYSSVS,regnauit annos 29. ut scripsit Eusebius, qui & Doristhum nominat. Nam Pausanias tam hunc regem quàm successorem Agesilaum breui oppressum morte,ait.

VI. AGESILAVS,regnauit annos 44.Eusebius.Scribit Pausanias à Lycurgo,regnante Agesilao,leges Spartanis datas.Meminit Clemens lib.1.Stromat.

VII. ARCHELAVS, regnauit annos 60. Euertit Ægyn urbem,quę ad Arcades inclinaret,adiutus in eo bello ab Charilao. Pausanias,Eusebius. Meminit idem lib.5.de prępatatione Euang.cap.11.

IIX. TELECLVS, regnauit annos 40. Fecit Achæis bellum de Amyclis,Phari & Geranthris,easq; captas excindit. Occiditur à Messenijs in fano Dianæ Limnatidis, regnante ex altera familia Nicandro:Vnde bellum Messeniacum mox secutum est.Strabo,Pausanias,Eusebius.

IX. ALCAMENES, regnauit annos 37. Designatus belli Imperator contra Messenios, Ampheam subita irruptione capit, & crudelissimè in deuictos grassatus, nulli uel ætati uel sexui parcit. Deinde aperto Marte cum hoste congressus, cùm nox certamen diremisset, non multò pòst cedit è uita. Pausanias, Eusebius, quòd EPHORI tũ primùm constituti sint, annis uidelicet post LYCVRGVM 130. ut est apud Plutarchum, Alcamenem è Spartanis regibus postremum facit.

X. POLYDORVS, mittitur post patris obitum cum Theopompo contra Messenios: cum EVPHAE rege bis decertat, nocte semper prælium dirimente. Ab ARISTODEMO uictus, acrius bellum renouat, & pacem petere hostẽ cogit, cùm totos annos 20. bellatũ fuisset. Occidit à Polemarcho quodã: uir spectatæ uirtutis, Spartanisq; omnibus, æquè summis ac infimis carus: quòd nihil unquam aut per uim ageret, aut diceret cum alterius contumelia, iusticiam in tota iurisdictione cum summa humanitate coniungens, ob easq; res in gloria per uniuersam Græciam excellens. Vnde post mortem tantum ei honoris à Lacedæmonijs tributum est, ut quæ publicè obsignari necesse esset, ea Polydori imagine magistratus obsignarẽt. Pausanias, Polyænus.

¶INTERSERO hic PHALANTHI historiã, q natus patre Arato, ab Heraclidis oriũdo, Parthenios, hoc est, ex promiscuo fœminarum concubitu genitos (quam potestatem Lacedæmonijs ijs fecerant, qui bello Messeniaco primo, post iusiurandum de reditu usque ad belli finem differendo, in supplementũ uenerant) ideoq; tanquam spurios à patrimoniorũ successione exclusos, & cùm res nouas cum Helotis molirentur, patria eiectos, in Italiam duxit, & occupata Tarentinorum arce & urbe, sedes eis ibi nouas parit. Ob quæ merita ciues minus gratos expertus, & in exilium proiectus, Brundusium concedit: usus tum etiam ea in suos pietate, ut moriturus ossa sua postremasq; reliquias conteri, & tacitè spargi in foro Tarẽtino iusserit, cùm Apollinis oraculum ita urbis perpetuitatem promisisset. Aristoteles, Strabo, Iustinus. Seruius & Acron octauum ab Hercule uocãt, quod habere locum non potest, quomodo & in eo à ueritate Seruius discessit, quòd belligerasse cum Atheniẽsibus in illo tẽpore Spartanos, ait.

NASCITVR autem Polydoro.

XI. EVRYCRATES I. regnat post patrem, idq; in pace & quiete perpetua: quòd æquo iam animo parẽrent Lacedæmonijs Messenij,

Messenij, neque Argiuorum multitudo in nouarum rerum studium incumberet. Pausanias.

XII. ANAXANDER, legitur imperator contra Messenios, qui post 39. annorum seruitutem acerbissimā ARISTOMENE auctore Lacedæmonijs rebellârant: & prælijs duobus deuictus, tertio Arcadum defectione superior euadit: ac post annos undecim capta Era, Messenios excedere Peloponneso cogit, qui remanerent in nexum abductis, cùm bellum id durasset annos 21. Pausanias, Iustinus, Orosius.

FVIT cum ANAXANDRO LÆANDRA, ut scribit Pausanias in Laconicis, quæ peperit EVRYCRATEM.

XIII. EVRYCRATES II. nobilitatus tantū fuit ciuiū suorum cladibus. Nam temporibus ipsius infeliciter cum Tegeatis bellatum à Lacedæmonijs: qui cùm aliàs, tum ex felici rerū successu contra Messenios, immodica dominandi cupiditate incensi, perpetuo tā Argiuorum quàm Arcadum fines carpebant. Pausanias.

XIV. LEON, memoratur ab Herodoto lib. 1. Pausania in Laconicis. Plura de eodem Plutarchus in Apoph.

XV. ANAXANDRIDES, belligerat feliciter contra Tegeatas, translatis Spartam Lichæ cuiusdam astu ORESTIS ossibus, Iunctum etiam tum à Lacedæmonijs fuit hospitium & fœdus cum CROESO, rege Lydorum. Herodotus, Pausanias.

PRIMVS autem & solus è Spartanis duas simul ANAXANDRIDES habuit uxores, cùm alteram planè inuitus ducere coactus fuisset ab Ephoris, quòd prior haberetur sterilis. Ex his prima N. neptis è sorore, procreauit liberos, Dorieum, LEONIDAM & Cleombrotum: altera itidem ἀνώνυμος, Filia Perenetadei, neptis Demarmeni, peperit CLEOMENEM, fratrum natu maximum.

DORIEVS, exclusus institutis patrijs & Ephororum decreto à regni successione, Cleomeni parére dedignatur. Cumque deducendæ in Libyam coloniæ conatu frustratus, transfretasset in Siciliam, condidit Heracleam, & congressus cum Egestanis, cum exercitu ad internecionem deletur: uir consilio & belli artibus præstans. Pausanias in Laconicis. Diodorus lib. 4. Vindicatam mortem ipsius à GELONE, Tyranno Syracusano, tradit Herod. lib. 7.

EVRYANAX, assumitur à Pausania collega contra Mardonium. Herodotus.

XVII. LE-

XVII. LEONIDAS I. regnauit post Cleomenem, quòd occidisset iam in Sicilia Dorieus. Xerxi ad Thermopylas oppositus, ut nempe transitu hunc ibi arceret, bis hostilem impressionem sustinet fortiter, multis Barbarorũ millibus interfectis: & creditur ab hoc successu ipsa quoq; Græcia Persas exclusurus fuisse, nisi Ephialtis Trachinij proditio spem reliquã sustulisset. Hic enim cùm HYDARNIS copias in montium cacumen, quos Græci insederant, perduxisset, etsi ne tum quidem Leonidas se deseruit, & socijs dimissis, cũ Spartanis suis, quorũ non nisi CCC. fuêre, & Thespiensibus defendere stationẽ perrexit, tamẽ uictus multitudine, morte occumbit, & cadauer in crucem tollitur. Herodotus, Diodorus, Strabo, Plutarchus, Polyænus, Ælianus, Suidas, Zetzes, Valerius, Iustinus, Orosius. Auctor est Stobæus, Xerxem pectus eius dissecuisse, & cor pilis obsitum inuenisse.

NVPSIT Leonidæ GORGO, neptis è Cleomene fratre, unde natus.

XIIX. PLISTARCHVS, obijt diem suum in ipsis regni initijs, quod tutelæ nomine antea administrârat Pausanias patruelis. Herodotus, Thucydides, Pausanias.

CLEOMBROTVS, Anaxandridæ è prima coniuge filius tertius, insidet Isthmum post Leonidæ interitum. Cumq; eo ipso tempore, quo aduersus Persas sacrificaret, Sol obscuratus fuisset, copias, quas ad murum ibi extruendum adduxerat, domum reportat, nec multò pòst supremum diem claudit. Herodotus lib. 8. & sequenti. Stobæus Hegesilaum uocat, & Pausaniæ filio superuixisse, ait: Quippe quem proditione eius cognita ad Chalciœcon persecutus sit, atq; unà cum uxore introitus custudierit, itaq; fame proditorem necârit. Quæ contra historiæ fidem tradita, repudiamus.

XVI. CLEOMENES I. datur ab Ephoris patri successor, quòd inter fratres primus in lucem editus esset. Argiuos bello adortus, prælio contẽdere ausos cum clade profligat, & in lucum compulsos cùm elicere non posset, incẽso eo cremat: moxq; Argos ipsum occupaturus, TELESILLÆ Poëtriæ uirtute, quæ mulieres armârat, repellitur. Ab ARISTAGORA Milesio, qui cum ISTIÆO Ionas ad defectionem pellexerat, de transitu in Asiam solicitatus, incautiùs itineris magnitudinem in Persidem referentem ante occasum Solis excedere Sparta iubet. Inde contra PISISTRATIDES bellũ facit: Thessalos his auxiliaturos prælio sternit: cumq; de obsidione iã desperans, Pisistratidarum liberos intercepisset, intra dies quinque eos ex Attica emigrare cogit. Etsi hoc tã præclarũ facinus nouo mox scelere contaminat, ISAGORAM Tyrannũ obtrudere Athenien-

sibus

ſtibus conatus. Vt puniret Æginetas, quòd Perſis terram & aquã dediſſent, cum copijs infeſtis in eos proficiſcitur, & principes cõprehenſos in uincula conijcit. In quo tempore criminatus ad populũ à DEMARATO, accuſatorem ei ſubornat LEOTYCHIDEM, & Delphico oraculo, ad quod precio ab ipſo ſolicitatum Lacedęmonij pro more diſceptationem eam reiecerant, cõdemnatum regno deturbat. Interficit tandèm ſe per inſaniam, toto corpore fœdiſſimis lacerato uulneribus. Herod. lib. 3. 5. 6. Ariſt. 5. Polit. Plutarchus, Pauſanias, Suidas, Euſtathius. Scribit Polyænus, Argiuos ab TELESILLÆ & mulierum ſtratagema, ad ſua tempora uſq; numenia menſis cuiuſque celebraſſe, ita ut mulieres uirilibus tunicis & chlamydibus, uiros autem peplis mulieribus àmicirent.

GORGO, puella octo aut nouem annorum, dehortatur patrem, ne ab Ariſtagora pecunia ſe corrumpi pateretur. Collocata pòſt Leonidæ patruo, felici coniectura Demarati conſilium de ligneis tabulis ciuibus aperit. Herodotus, Plutarchus. Fuit animi planè uirilis, & filio in militiam proficiſcenti ſcutum dans, aut hoc, inquit, aut ſuper hoc, teſte Stobœo.

CLEOMBROTO coniugem tribuit Suidas ANCHITEAM, quæ Scholiaſtæ Thucydidis Alcithea eſt, Polyæno THEANO: è qua geniti PAVSANIAS, Nicomedes & Cleomenes. Et addunt Polyænus & Suidas hanc de Anchithea narrationem. Cùm Pauſanias filius condemnatus in Mineruæ delubrum profugiſſet, ipſam laterem primùm collocaſſe ad introitum, deinde reliquos: Sic ut utrunq; fieret, & neq; ſupplex abſtraheretur, & proditor incluſus & inædificatus occideretur.

PAVSANIAS, conſtitutus Græcarum copiarum ductor, ob PLISTARCHI tutelã contra MARDONIVM, quẽ XERXES poſt pugnam ad Salaminem cum exercitu pedeſtri in Græcia reliquerat, ad Platæas hunc uictum cædit, planeq; debellat: adeptus eo bello & fortitudinis & moderationis laudem: remiſſa ſcilicet in patriam captiua Coa, & Mardonij cadauere à contumelia prohibito. Mox Perſas mari perſequi iuſſus, recipit Cyprũ & Byzantiũ: Vbi cũ ambitione nimia & dominandi cupidine inſana incenſus, prodendæ Xerxi Gręciæ, quẽ captiuorũ reſtitutione ſibi conciliârat, agitare conſilia cæpiſſet, totũ ſe dehinc barbaris corrumpendũ pbet: aſcito Phœnicũ & Ægyptiorũ ſatellitio, & præ faſtu ſocijs deſpectis. Qui alienati inde à Spartanis, ſummã rerum deferũt ad Athenienſes. Ergo Ephororũ iuſſu Spartã reuerſus, aliquanto pòſt abſq; uel mandato uel imperio publicò Helleſpontũ repetit: cumq; Byzantio eiectus, barbaro

rũ in Troade conceptã iam ante de se proditionis suspicionẽ auxisset, reuocatus iterũ, ac proditus demũ ab Argilio quodam, fame necaẽ in tẽplo Palladis, quò iã cõpræhendendus confugerat, & cadauer extra Laconicæ fines proijciẽ. Herodotus, Thucydides, Diodorus, Plutarchus, Pausanias, Ælianus, Suidas, Iustinus, Æmilius Probus, Ouidius in Ibin. Qua sapientiæ præceptione, superbiam eius refrenare studuerit Simonides Ceus, eamq; tum contemtam ipse iam ad mortem miserrimam condemnatus, ter exclamando magna uoce repetiuerit. Ælianus tradidit lib. 9. de uaria historia cap. 41.

NICOMEDES, datur Plistoanacti nepoti tutor, & Doriensibus ad Parnassum subsidio missus, à Phocensium eos irruptionibus defendit, & Athenienses reditum ipsius intercluſuros uincit ad Tanagram Bœotiæ. Thucydides, Diodorus.

CLEOMENES, suffectus Nicomedi in Plistoanactis tutela, inuadit in Atticam, ut domestico impediti periculo Athenieſes, minus nauium mitterent contra Mitylenæos. Thucydides lib. 3.

PAVSANIÆ quod coniugium fuerit, scriptores non tradunt. Concubinis eius annumero CLEONICEN, Byzantiam, quã generosam parentibus nobilibus cùm ad stuprum accersitam imprudens interfecisset, nẽpe hostẽ ad se ingressum suspicatus, per quietẽ hũc sibi ad eo uersum accini uisus est: στεῖχε δίκης ἆσσον, μάλα τοι κακὸν ἀνδράσιν ὕβρις, id est, Pœna luenda tibi est, adfert iniuria cladem. Huius principium etiam Cassiano Caracallæ à Commodi manibus responsum, annotauit in uita ipsius Dion. Tamen liberi eius nominantur: Filia ἀνώνυμος, PLISTOANAX, Aristocles.

FILIA ἀνώνυμος, despondetur clàm à patre Megabatæ Achæmenidi, Xerxis propinquo. Herodotus in Terpsichore.

XIX. PLISTOANAX, regnat post Plistarchũ annos 28. Duxit exercitũ in Atticã, & Eleusinem usq; depopulatus omnia, neq; ulterius progredi ausus, grauem suorũ contrahit inuidiam, semper id ipsi factũ exprobrantium, si quid ab Atheniensibus cladis acceptũ esset. Ergo calumniandi occasionẽ sublaturus, pax cũ Atheniensibus ut fieret, suadere aggreditur, eaq; ad tempus conciliata, mouet in Parrhasios, & eiectis Mantineorum præsidijs, in libertatẽ eos uendicat. Thucydides, Diodorus. Variat de eius historia Plutarchus in Pericle, & cõsilio Cleandridæ, quẽ ab Ephoris custodis & consiliarij loco ei adiunctum, PERICLES pecunia corrupisset, Peloponnesios ex Attica abduxisse, cumq; ideò irrogatam sibi pecuniariam mulctam pensoluere non posset, Lacedæmone excessisse, ait.

ARISTOCLES, refertur à Thucidide lib. 5.

PLISTOANAX filium reliquit PAVSANIAM.

XX. PAV-

XX. PAVSANIAS, regnauit annos 14. Obsedit Athenas cũ Lysandro: quo post remissus, uerbo quidẽ, ut cum THRASYBVLO & Atheniensibus bellũ gereret, re uero ipsa ut 30. Tyrannorum dominatum confirmaret, modica clade castigatis pacem cõcedit, exercitu domum reportato. Vnde maiestatis ab inimicis postulatus paribus absoluitur calculis. Iterum cum Lysandro cõtra Thebanos bellum gerere iussus, omnia segniter administrat: cumq́; post cædẽ eius primùm in Bœotiã delatus, metu Thrasybuli cõgredi cum hoste detrectasset, capitis accersitur, atq; uim metuens, Tegeam profugit, ibiq́; Mineruæ supplex in templo uitam peragit. Xenophon, Plutarchus, Pausanias, Iustinus, Orosius.

¶ ADDO iterum Agidarum familiæ Aristodemum, qui genere PAVSANIÆ proximus, datur filijs ipsius tutor: & præfectus bello Bœotico, pugnat ad Corinthum cum hoste feliciter. Xenophon in ἑλλην. Pausanias in Laconicis.

FVERE PAVSANIÆ filij, AGESIPOLIS & CLEOMBROTVS.

XXI. AGESIPOLIS I. regnauit annos 14. Fecit bellum cõtra Argiuos: fecialem eorum, per quẽ ut patria quędam fœdera sanciret, iam inde ab initio inter Dorienses percussa, postulârant, superbè reijcit, & agrum omni maleficij genere exhaurit. Vndè cùm terræmotus & tonitrua horrifica, quæq; adeò lymphatos & attonitos multos reddiderint, subsecuta essent, abducere exercitum cogitur. Atq; in Mantineos belli impetu cõuerso, in potestatem redactos dispergit in uicos. Post Teleutiæ cædem missus cõtra Olynthios, Chalcidensium urbes aliquot capit, & iam Olynthũ ipsam inuasurus, morbo oppressus, cedit è uita. Xenophon, Diodorus, Plutarchus, Pausanias, Polyænus.

XXII. CLEOMBROTVS, proficiscitur cum infestis copijs in Thebanos, exclusos Agesilai pertinacia, ab ea pace, quã Græci inter se fecerant: cumq; oppidis nõnullis occupatis, suasu IASONIS Pheræi inducias hosti concessisset, domumq́; regressurus noua accepisset auxilia, mox uiolãtis illis, Bœotiam repetit: atq; in Leuctris cõgressus cũ EPAMINONDA, strenuè pugnãs occiditur: cùm regnasset annos 9. Xenophon, Diodorus, Pausanias, Cicero, Iustinus. Oraculum, quo hæc Lacedæmonijs clades (nam pręter regẽ amisère plures quàm mille ciues) prædicta fuit, idq; ob uiolatã SCEDASI filiarum pudicitiã à Parathemida, Phrudarchida & Parthenio, quod illi facinus inultum reliquerant, petatur ex Bœoticis Plutarchi. Philippus idem his elegantissimis uersibus reddidit:

Leuctra mihi sunt curæ, & mors tristissima gnatæ
Occisæ Scedasi quæ periêre duæ.

Hic atrox fiet pugna, & sæuißima cædes,
Fatalis quando uenerit illa dies.
Qui im prius haud quisquam nôrit, quàm Dorica pubes
Amittet robur, militiæq; duces.

CLEOMBROTO procreantur, AGESIPOLIS & CLEOMENES.

XXIII. AGESIPOLIS II. regnat annum unum, neq; quicq; memoria dignum gerit Diodorus lib. 15. Pausanias in Laconicis.

XXIV. CLEOMENES II. regnauit annos 34. Diodorus ibidem: qui tamen alibi annos 60. & mẽses 10. regnasse illum, memorat. Pausanias paulò post Acrotati filij obitum decessisse, ait.

CLEOMENE editi sunt Acrotat9, Cleonymus, & Archidamis.

ACROTATVS, intercessit Lacedæmoniorum decreto, quo uicto AGIDE rege ab infamia liberaturi erãt, qui ex clade euaserãt. Iccirco uarijs eorũ petitis insidijs, quos leges pœna affecerant, & grauiorem motum ueritus, cum Agrigẽtinis in Siciliam nauigat, bellum pro illis gesturus contra AGATHOCLEM, Tyrannum Syracusanum. Et quanquam fortiter se defenderat à GLAVCIA, rege Illyriorũ, cùm ad Adriam tempestate eiectus fuisset, & Tarentinos sua auctoritate Agrigentinis adiunxerat, tamẽ cùm mutato mox uitæ instituto, uoluptatibus se daret, & inter cæteros sustulisset Sosistratum, uirum magnæ apud populum auctoritatis, abdicatus imperio, & uulgi seditiosè tumultuantis impetu propemodum oppressus atq; eiectus, Spartam inglorius reuertitur, patreq; adhuc superstite fato fungitur. Diod. Pausanias.

XXV. AREVS I. regnauit annos 44. Adduxit Atheniensibus auxilia contra ANTIGONVM Gonatam, neq; cum hoste confligere ausus, & commeatu destitutus, non sine dedecore domum regreditur. Pòst pro Gortynijs in Creta belligerat, & aliena quærendo, propria ferè amittit, acerrimè interea à PYRRHO & Cleonymo Spartà oppugnata. Tamẽ in tẽpore adhuc hosti superueniens, GALLOS auxiliares magna clade afficit, & Ptolemæũ subsidio laborantibus à Pyrrho missum, cædit. Occidit in pugna quadam ad Corinthum. Diodorus, Plutarchus, Pausanias. In libris Maccabæorum scribitur cum ONIA, Iudæorum Pontifice, societatem iunxisse: quod enarrans Iosephus, literas eius sigillo aquilæ, draconem unguibus tenentis, obsignatas fuisse, tradit. Meminit Eusebius in Chronol.

XXVI. ACROTATVS, defendit Spartam à Pyrrho, quoad pater reuersus è Creta, & ab ANTIGONO Gonata adiutus, soluere illum obsidionem coëgit. Perijt ad Megalopolin, superatus acie ab Aristodemo Tyranno. Plutarchus, à quo dissentiens Pausanias in

Arcadicis

Arcadicis, auum Acrotatum uictum ab Aristodemo, ait.

NVPSIT ACROTATO CHELIDONIS Leotychidæ F. & ipsa regij generis, ut est apud Plutarchum, è qua nascitur.

XXVII. AREVS II. posthumus, Leonida II usus tutore, morbo absumitur, annum agens ætatis octauum. Plutarchus, Pausanias.

CLEONYMVS, alter Cleomenis F. proficiscitur cũ classe subsidio Tarẽtinis: & Thurios, urbem in Salentinis, capit. Vnde electus iterum à C. Æmilio Cos. anno V.C. 452. Patauinos adoritur: cumq; incautiùs prædando progrederetur, per insidias fermè opprimitũ, plurimis suorum desideratis. Post Cleomenis patris obitum regnum ambit contra Areum, & repulsam passus, quòd uiolẽtus uideretur, & collegæ impatiẽs, adeò id acerbè tulit, ut neq; pecuniæ magnitudine, neque exercitus imperio, placari ab Ephoris potuerit, atq; ob uxoris diuortium patria profugus, PYRRHVM in Laconicam attraxerit. Strabo, Plutarchus, Pausanias. Polyænus & Liuius regem Lacedæmoniorum uocant.

ARCHIDAMIS, Cleomenis filia, uirilis animi mulier, opponit se Spartanorũ decreto, quo oppugnante Spartam Pyrrho, turba imbellis migrare in Cretam iubebatur: fortemq; patriæ in tanto periculo operam nauat. Plutarchus, Polyænus, qui & patrem Cleodam uocat, corrupto fortè exemplari.

A' CLEONYMO suscipitur filius unicus, LEONIDAS.

XXIIX. LEONIDAS II. sectatur SELEVCI regis aulã, & iam grandis natu regnum post mortem AREI posterioris, cuius fuerat tutor, adipiscitur. Accusatus à Lysandro Ephoro, qui cum Agi de se coniunxissent, regno se Abdicare cogitur, & è Chalciœco dimissus, ad Arcadas in exiliũ abit. Vnde ciuium quorundam studio reuocatus, Agidem ex insidijs captum strãgulat, Cleombroto genero atq; successore filiæ precibus condonato. Plutarchus, Pausanias.

HABVIT in matrimonio LEONIDAS CRATESICLEAM, teste Plutarcho, è qua nascuntur, CLEOMENES, EVCLIDES & CHELONIS. Idẽ Plutarchus post obitũ Leonidæ Cratesicleam Megistono nupsisse, ait, de quo multa habet in Cleomene.

XXIX. CLEOMENES III. regnat post patrem annos 15. & Tyrãnidem affectans, tollit Eurydamidam & Archidamum, agnatos ex altera familia, senatusq; auctoritate euersa, instituit patronomos. Inde Achæos bello adoritur: prælio superatis urbes aliquot adimit: cumq; illi acrius bellũ instaurassent, euocato ANTIGONO Dosone, uictus acie ad Sellasiam, exul in Ægyptum profugit ad PTOLEMÆVM Euergeten. A' cuius filio Ptolemæo Philopatre, inani

restitutionis spe delusus, & seditionis, quam ob custodiam sibi datam excitârat, successu frustratus, gladio se traijcit, & cadauer in crucē tolli tur: Vir & in congressibus dexter, & in rebus gerendis solers, deniq; ingenio planè principali & regio. Plutarchus, Pausanias, Liuius, Iusti nus. Temperantiam eius & frugalitatē laudat Athenæus lib.4.cap.4.

EVCLIDES, à fratre in regni consortionem assumtus, occumbit in prælio ad Sellasiam: regnatumq; ab his Spartæ omniū primùm ex una familia. Plutarchus in Philopœmene & Cleomene. Pausanias Epiclidem uocat.

CHELONIS, præstitit pietatis memorabilis patri & marito operam, utrunq; contra uim & iniurias tutata fideliter: cumq; marito in exilium proiecto, manere iuberetur, fidem coniugalem uiolare haud sustinet, ac sponte cum eo patriam deserit. Plutarchus in Agide.

NVPSIT Cleomeni III. post Agidis cædem AGIATIS, & & nominantur liberi eius aliquot à Plutarcho: cumq; è filijs natu maior post necem patris à tecto in caput se præcipitasset, & quamuis male affectus, haud tamen mortuus esset, cum reliquis deinde Ptolemæi iussu strangulatur.

CHELONIS, fuit cum CLEOMBROTO, qui cùm & ipse Agidarum satu editus fuerit, familiam hic eius subijcio.

CLEOMBROTVS, ex Agidarum stirpe oriundus, Lysandri Ephori instatu contra Leonidam socerum regnum inuadit: Quo ab exilio reuerso, cùm supplicium metuens, supplex ad Chalciœcon pro fugisset, coniugis intercessione uitam retinet. Polybius, Plutarchus.

GENITI sunt Cleombroto, Agesipolis & Cleomenes.

AGESIPOLIS, memoratur à Polybio lib.4.

CLEOMENES, egit tutelam Agesipolis III. nepotis è fratre. Polybius.

RELIQVIT Agesipolis filium AGESIPOLIN.

XXX. AGESIPOLIS III. creatur rex adhuc puer cum LYCVRGO post Cleomenis in Ægypto occasum: & pulsus aliquantò pòst à collega, cùm diu uagus & exul oberrasset, tandem cum T. Quintio Nabidem oppugnante se coniungit, frustratus tamen tunc etiam restitutionis spe & conatu. Polybius, Liuius.

¶ AD Agidas pertinet fortè etiam Leonidas: qui damnatus ab Achæis, quorum Reip. tum Sparta inserta esset, ob literas missas ad Perseum, Macedonum Regem, quingentos ei equites adducit. Nominatur à Liuio regiæ stirpis puer, quem post Nabidis cœdem contra Ætolos Lacedæmonij ducem assumserint: quem ut ab Leonida diuersum fuisse crediderim, ita nihil præterea de eo in literas relatum reperio.

FAMILIA PROCLIS, SEV EVRYTIONIDAE.

GENITVM PROCLI ex ANAXANDRA cõiuge accepimus, filium SOVM.

II. SOVS, laceßiuit bello Arcadas, & uictos magna agri parte mulctat. A Clitorijs difficili & inaquoso loco obsessus, agrorum redditione exercitus salutem paciscitur: quod solita Lacedæmonijs fraudulentia eludens, & agros retinet, & à ciuibus ut publici commodi propugnator in honore habetur. Plutarchus in Lycurgo. Phlegonti Sosus dicitur, ut successor Europus.

III. EVRYTION, gessit bellum cum Arcadibus de Mantinea: cumq; populi beneuolentiam tum indulgendo, tum largiendo captaret, regiam potestatem uehementer mitigat atq; imminuit. Qua ex re quia & populus ferociebat, & posteriores reges uel uim exercentes in odium incurrebant, uel populo gratificantes, aut metu adducti, se submittebant, diu contra leges Spartæ plæraq; acta sunt. Plutarchus ibidem, Polyænus. Pausanias Euryphontem uocat & posteros Euryphontidas.

IV. PRYTANIS, habuit in regno collegam Echestratum. Pausanias. Alij inter hunc & Eunomum adijciunt Pollucem. Nos Strabonis & Æliani auctoritatem sequimur.

V. EVNOMVS, incidit in turbulentissima Reip. tẽpora, iacente iam regum auctoritate, & nimiam sibi licentiam sumente populo, cumq; contentionem quandam dirimeret, lanij cultro ictus, moritur. Plutarchus.

HABVIT EVNOMVS cõiuges duas, primam N. ἀνώνυμον, è qua filium suscepit POLYDECTEN: alteram DIANASSAM, quæ peperit LYCVRGVM.

VI. POLYDECTES, tenet regnum post patrem, nec multò pòst diem suum obit, relicta uxore grauida. Strabo, Plutarchus, Iustinus.

VII. LYCVRGVS, ab oraculo Delphico cognominatus θεὸς, regnat à fratris obitu menses 8. & pro Charilao nepote, tutorio nomine regnum aliquandiu continuat. Vnde ab inuidis in suspicionem structarum pupillo insidiarum uocatus, sponte patriam deserit, adit Cretam & Ægyptum: gentium illarum iura studiosè perdiscit, & abducto è Creta THALETE Musico & iureconsulto, ita tandem Spartam repetit. Vbi Reip. statum, qui inde ab EVRYTIONE

admodum confusus fuerat, aggressus conuellere, & Delphico oraculo cõfirmatus, celebres illas Lacedæmonijs leges tulit, quibus quam diu hi usi sunt, per annos 500. & gloriosè & feliciter Rempub. administrârunt. Perijt Delphis morte spontanea, ne scilicet ad ciues uiuus rediret, quos ante reditum suum nihil de legibus se immutaturos iuramento obstrinxerat. Herodotus, Plato, Xenophon, Strabo, Plutarchus, Pausanias, Suidas, Iustinus, Æmilius Probus, &c. Tradidit Ælianus, Lycurgum uniuersam HOMERI poësin simul in Græciam importasse, & quidem ex Ionia, cùm eò peregrinationem suscepisset: postmodum uerò PISISTRATVM collectis in unũ omnibus Iliadem & Odysseam confecisse. Lucianus μακρόβιοις annos 85. uixisse, ait. Quomodo OLYMPIA postremò instaurârit cum IPHITO Eleo & Cleosthene Pisæo, narrat Phlegon in fragmento de Olympijs.

ANTIORVS, nominatur à Plutarcho in Lycurgo.

EVCOSMVS, memoratur à Pausania in Laconicis.

POLYDECTE editur filius posthumus, CHARILAVS.

IIX. CHARILAVS, posthumus, habuit tutorem Lycurgum patruum: cum quo postmodo Rempub. constituente se coniunxit. Profectus in Argiuos, igni ferroq́ agros eorum uastat, & oraculi iussa secutus, belli contra Tegeatas initium facit. In eo captus, liberaliter dimittitur. Herodotus, Pausanias, Iustinus. Tribuit ei Clemens lib. 1. Stromat. annos 64. Plutarchus natura placidum fuisse, & ab Archelao collega ita aliquando laudatũ, narrat, ueluti qui ne malis quidem grauis esse nosset.

IX. NICANDER, renouat bellum contra Argiuos: & fines eorum hostiliter ingressus, multis ipsos cladibus afficit: Cuius facinoris cùm socij fuissent Asinæi, graues Argiuis pœnas pauló pòst, deleta patria, dederunt profugi. Pausanias. Suidas annos 42. in imperio fuisse, ait. (etsi perperam Lycurgo subiungit) Clemens 39.

X. THEOPOMPVS, adiungitur collega Polydoro, bello Messeniaco priore: & prælio uno superatus, altero EVPHAEM rem intemperantius in cohortem suam inuectum lethaliter uulnerat, Argiuo bello de Thyriatum finibus propter senium abstinet: & refert id bellum Solinus in annum Romuli duodecimum. De reliqua eius historia explicatur à Pausania in Laconicis. Scribũt Aristoteles, Plutarchus, Valerius, Theopompum instituisse, ut Spartæ EPHORI crea-

RI crearentur: ob quam ille rem obiurgatus ab uxore, ceu qui id ageret, ut filijs minorem potestatem relinqueret: Relinquam, inquit, sed « tutiorem. Ea enim tuta potentia est, quæ uiribus suis modum impo- « nit. Idem ALEXANDRVM Seuerum. Imperat. matri MAM- « MEÆ & Memmiæ coniugi respondisse, cùm nimiam ipsi ciuilitatem obijcerent, Lampridius tradidit. Meminit Clemens in orat. adhortatoria ad gentes, & ab Aristomene Messenio Ioui Ithomati mactatum in sacrificio, ait.

RELIQVIT THEOPOMPVS filios, Archidamum & Anaxandridem, à quibus distinctæ propagatæ sunt familiæ. Nos primùm de Archidami posteris explicabimus.

ARCHIDAMVS, cedit è uita, patre adhuc superstite.

XI. ZEVXIDAMVS, tenet regnũ post auum. Pausanias. Meminit Plutarchus in Apophtheg.

XII. ANAXIDAMVS, habuit in regno collegam ANAXANDRVM: & incidit in ætatem ipsius alterum bellum Messeniacum. Pausanias.

XIII. ARCHIDAMVS Lusus est imperio bellorum uacuo, & perpetua pace insigni. Pausanias.

XIV. AGASICLES, memorat ab Herodoto & Pausania. De eodem Plutarchus in Apophtheg.

XV. ARISTON, repudiat duas steriles coniuges, & tertiam dolo ab amico abducit, è qua mẽse septimo nascit DEMARATVS. Fuisse autem hanc accepimus uirginum Spartanarum omnium maximè deformem, mulierum uerò post HELENAM forma præstantissimam. Herodotus, Pausanias.

XVI. DEMARATVS, discorde Cleomene collega usus, bellum Atheniensibus iterum propter ISAGORAM facturum deserit, & in Æginam profectum ad populum criminatur. Propter hanc iniuriam per LEOTYCHIDEM ab illo oppugnatur, & uti Spurius accusatus, quòd ARISTON pater ob nõ impletum decem mensium numerum ex se genitum negasset, regno se abdicare cogitur. Ergo & patriæ & inimicis benè iratus, clàm ad Persas in exiliũ proficiscitur: excipitur magnificè à DARIO HYSTASPIS & Pergamo, Teuthrania atq; Halisarnio donatus, in Xerxis etiam familiaritatem se insinuat, cæterisq;, ob quę regnum ei deberetur, quòd

è Dario iam rege natus esset, addere illum iubet. A' quo tempore inter fidissimos habitus, pòst in Græciam euntem consectatur. Tametsi antè oblitus iniuriarum acceptarum, ciuibus expeditionem illam occulto literarum commento enunciasset. Herodotus, Xenophon, Diodorus, Polyænus, Suidas, Seneca, Iustinus, Orosius. E Spartanis regibus primus ipse memoratur, qui quadrijugo certamine Olympicam palmam reportauit: uir spectata uirtute, & Cleomenis in pellendis Pisistratidis, hoc est, causa honestissima, socius & adiutor, in altera, qua tyrannis noua stabilienda esset, aduersarius. Posteritatem eius in longum tempus apud Persas propagatam, prodidit Pausanias. Meminit Plutarchus in Themistocle, & repulsum aliquando à rege, quòd cùm muneris aliquid petere iussus, temerè ut imposito capiti diademate regio, Sardis equo intrare sibi liceret, postulasset, à Themistocle in gratiam restitutum, ait.

FVIT DEMARATO uxor PERCALA, Chilonis F. è qua procreantur, Eurysthenes & Procles, de quibus nihil prætereà annotatũ reperimus. Fortè aũt natu maiore genitus est Demaratus.

DEMARATVS, tenuit Pergamum, Halisarnium & Teuthraniam, acceptas, ut credi par est, ab auo. Xenophon in ἀναβάσει.

EVRYSTHENES. PROCLES.

CONCEDVNT in fidem Thimbronis Spartani, qui euocantibus Ionib. bellum ARTAXERXI Mnemoni fecerant. Xenophon in ἑλλην.

POSTERITAS ANAXANDRIDÆ.

ANAXANDRIDES, alter Theopompi F. referẽ ab Herodoto: qui & LEOTYCHIDEM regem hac serie ab eo propagat.

ARCHIDAMVS
Anaxandridæ F.

ANAXILAVS

LEOTYCHIDES

HIPPOCRATIDES

AGESILAVS

MENARES.

Horum nuda nomina extãt, exposita à solo Herodoto, omissis rebus gestis.

XVII. LEO-

XVII. LEOTYCHIDES, infensus DEMARATO ob præreptum Percalæ connubium, Cleomenis instinctu ut spurium & regno indignum accusat, & magistratu abdicato successor datus, regnat annos 22. Euocatus à Samijs contra Persas, ad Mycalen nauali prælio eodem die barbaros cædit, quo pugnatum ad Platæas. Inde in Thessaliam proficiscitur contra ALEVADAS: quam cùm facile occupare potuisset, quòd prælijs omnibus uictor exilieret, pecunia se corrumpi patitur. Vnde maiestatis postulatus, Tegeam indicta causa supplex profugit, domo Spartæ è fundamentis deiecta. Herodotus, Thucydides, Diodorus, Plutarchus, Pausanias, Polyænus.

FVERE Leotychidi coniuges duæ: prima ἀνώνυμος genuit Zeuxidamum, altera EVRYDANE, Diactoris F. filiam LAMPITO.

ZEVXIDAMVS, cognomento κυνίσκος, absumitur morbo, uiuo & florente adhuc patre. Herod. Pausanias.

LAMPITO, collocatur à patre Archidamo II. una fœminarum in omni æuo reperta, quæ regis filia, regis uxor, regis mater esset, ut ait Plinius. Meminit Plato in Alcibiade primo.

ZEVXIDAMVS filium reliquit ARCHIDAMVM.

XIIX. ARCHIDAMVS II. adit regnum post aui fugam, quod tenuit annos 42. Spartam terræmotibus affligentibus, ciues in agros educit, & Messeniorum reliquias tertium rebellãtes Peloponneso expellit. Postea frustrà annixus, ut ne bellum Peloponnesiacum contra Athenienses susciperetur, Platæas aliquandiu obsessas ciuium deditione capit, & cùm quotannis excursiones faceret in Atticam, Atheniensium agros uehementer affligit. Thucydides, Diodorus, Plutarchus, Pausanias. Suidas belli Peloponesiaci priores decem annos bellum Archidamium ab ipso cognominatos, ait, quòd impressionẽ in Atticam fecisset, ut posteriores Decelicum. Strategemata eius habet Polyænus lib. 1. In apophthegmatis eius celebrat Plutarchus in Crasso, Bellum non certo modo definitos sumtus, sed infinitas opes requirere. Quod idẽ familiare fuisse accepimus Imp. Cæs. Carolo V.

HABVIT ARCHIDAMVS cõiuges duas è prima LAMPITO nascitur AGIS: ex altera EVPOLIA, Melippidæ F. AGESILAVS & CYNISCA, quibus addunt alij fratrem uterinum Teleutiam.

XIX. AGIS I. regnauit annos 27. Fecit & ipse excursiones aliquot in Atticam: cumque ALCIBIADIS hortatu Deceleam muniuisset, Atheniensium deinde agros impunè deprædatur, ac tandem cum Pausania terra urbem obsidet, bello interea etiam Argiuis lacessitis:

stitis:quo tempore constitutum,ut decem consiliarij regibus adiungerentur.Profectus in Eleos, quòd ludis Olympicis & Iouis tẽplo Lacedęmonios prohibuerant,primùm successu omni frustratur,atq; ob terræmotus retrò agmen agere cogitur:pòst uerò eò hostes adigit,ut & muros demolirentur,& Lacedæmonijs Iouis sacrũ sacrosq; ludos celebrare,& in eorũ ludorũ certamina descendere permitterent. Decessit apud Hereã Arcadiæ,Delphis reuersus, cùm decimã ibi Apollini obtulisset. Thucydides,Xenophon,Diodorus, Plutar.Pausanias.

FVIT cum Agide TIMÆA,è qua natus.

LEOTYCHIDES, excluditur à regni & paternorum bonorum successione,quòd ex ALCIBIADE, qui absente militiæ marito TIMÆAM adulterasset,natus crederetur, & pater aliquando suũ non agnouisset.Etsi hoc ille iã moriturus retractauit, multis cum lacrymis multitudinem,quæ aderat,obtestatus, eius rei filio ut testes essent.Plutarchus,Pausanias,Probus.

CYNISCA, prima fœminarum equos aluit, & prima Olympicam palmam retulit:celebrata ob id Simonidis carmine, & à Lacedæmonijs statua in Olympia honorata. Xenophon, Plutarchus, Pausanias.

XX. AGESILAVS,cognomẽto magnus, ambit regnũ instinctu Lysandri contra Leotychidem, & posthabito oraculi respõso,ad quod eiusmodi disceptationes Lacedęmonij referre consueuerãt,populi scitò occupat. BellumAsiaticũ cõtra Persas & TISSAPHERNEM,quod post Cyri interitum Lacedæmonij Ionum rogatu susceperant,misso primũ Thimbrone deinde Dercyllide, persequi iussus, & pedestribus copijs pręposìtus,omnia gerit feliciter, uicto ad Ionię fines ingenti prælio Tissapherne: quem quidem ob cladem acceptã, ARTAXERXES rex mox interfici iussit. Quapropter maris quoque imperio honoratus,PISANDRVM affinẽ in eo munere sibi surrogat. Et maioribus dehinc uiribus in Persarũ prouincias inuasurus,ob Phocensium &Locrensium tumultus,quorũ illos THEBANI,hos Lacedæmonij defendendos susceperant,regredi Ephoris reuocantibus cogit: cumq; uicto à CONONE Pisandro,maris imperiũ amisisset,terra uincit Thebanos & Argiuos ad Coroneã, & Corintho grauiter afflicta,Ætolos ab Acarnanum eruptionibus liberat. Iamq; pertinacius Thebanis succensens, atq; à cõmuni Gręcorũ pace innocentes excludẽs, uarijs bellis se patriamq; implicat, adeoq; illam propemodum euertit,uicto ad Leuctra Cleombroto, & Sparta ipsa hostiliter oppugnata. Iccirco noua & externa præsidia acquisiturus, TACHO Ægyptio mercede militat:& spe ab illo frustratus,adiungit se

git se NECTANEBI, regnumq́ contra Mendesium ei conseruat. Ob id meritũ donatus magnificè,& cũ summo honore dimissus, moriť in deserto quodã Africę loco, anno ætatis 84 regni 41. Xenophõ, Diodorus, Plutarchus, Pausanias, Polyænus, Iustinus, Orosius, Probus. Excelluit animi magnitudine, consilio beneficentia, humanitate: Sed q bella semp creparet, cuperetq́ ἀνὴρ εἰρηνικὸς ἢ ὑπέροχος ἔμμεναι ἄλλων. Vnde & Lysandri amiciciã citò deseruit. Vsq ad Leuctricã pugnam per annos 30. omniũ maximus potẽtissimusq́, ac totius propemodũ Gręciæ princeps habitus est: in summo imperio, ut Cicero ait, modestissimus, discipulus Xenophontis. Corporis imaginẽ sibi statui perpetuò recusauit, ita ut moriens quoq edixerit, ne hæc uel fingereť uel uel pingereť. Sed animi monumẽta elaborare nunquã destitit, ut scribunt Xenophon & Plutarchus. Et addidit hac de re Cicero, unũ Xenophontis libellũ in eo rege laudando facilè omnes imagines hominum statuasq́ superasse. Stratagemata eius plura eaq́ illustria habet Polyænus lib. 1.

TELEVTIAS, frater Agesilai uterinus, pręficiť classi, Agesilao Corinthum oppugnante: Consecutus eo tempore ingens militũ studium. Inde cum exercitu missus cõtra Olynthios, qui AMYNTA II. rege Macedoniæ, finibus eiecto, etiã uicinas ciuitates imperio suo adiungere studebant, & infeliciter cum hoste cõgressus, cadit in acie. Xenophon, Diodorus, Plutarchus.

AGESILAI coniugẽ nominat Plutarchus CLEORAM, sororem PISANDRI: quæ peperit ARCHIDAMVM, & filias Apoliam & Prolytam.

XXI. ARCHIDAMVS III. eruditť in militaribus artib. pręclara patris disciplina: atq in cæteris fortibus factis, Arcadas ob Thebanam societatẽ nimium iam ferocientes, auxilijs Celticis & Ibericis, missis à DIONYSIO Tyranno, ea felicitate cędit, ut nullo è suis amisso, ingentem hostium stragem ediderit. Eidẽ postmodo in regno sufficiť: iuuat clàm pecunia & militibus PHOCENSES, qui Amphictyonũ contemto decreto, quo & ipsis & Lacedæmonijs grauissima indicta mulcta esset, bellũ insolenter mouerant, quod bellũ nominatum est Sacrum, direpto templo Delphico. Euocatus à Tarentinis contra Lucanos & Brutios, primũ Lyctijs Cretensibus patriam reddit: inde in Italiã pergit: bellũ acriter administrat, initoq́ cũ Messapijs prelio ad Mandonium urbẽ, egregiè pugnãs interficiť, & per summã immanitatẽ insepultus abijciť, anno regni 23. Princeps omnib. imperatorijs artibus ex toto uitę cursu probatus, & primus à Lacedæmonijs in Olympia honorat⁹ statua. Xenophon, Diodorus, Strabo, Pausanias. Plutarchus cędis ipsius tẽpus nominat diẽ quintũ Metegitnionis, quo

nis, quo eodē die & anno ad Cranonem Athenienses uicit Antipater.
» in apophthegmatis Archidami hoc refert Stobæus: Cùm uidisset ca-
» tapultæ iaculum tum primùm ex Sicilia aduectum (fuit aūt hoc Dio-
» nysij prioris inuentū, teste Athenæo) Hercules, exclamauit, uiri perijt
uirtus. Id quod multò rectius de insano nostrorum tormentorum in-
uento dici posset, quod referunt aliqui ad annū Christi 1380. auctore
monacho Germano: ut artis typographicæ ad annum 1440. auctore
Ioanne Gutenbergo, itidem Germano è nobilitate gentis Franciæ e-
questri. Addit alterum cum primis memorabile Plutarchus: Cùm Pe
riander, medicinæ arte clarus, maximè quidem laudaretur, sed mala
» poëmata scriberet: Quidnam, inquit, ô Periander, pro gratioso medi-
» co malus poëta uocitari affectas? Quod conuenit cum præcepto Ho
» ratiano: Tu nihil inuita dices faciesúe Minerua. Et inter Thaletis sapi
» entis apophthegmata celebratur: Vnum quippiā præclarum eligen-
» dum. Neq; abs re dixit Cicero: Mos est hominum, ut nolint eundem
pluribus rebus excellere.

APOLIA & PROLYTA nominantᷓ à Plutarcho in Agesilao. Xenophon in ἑλλην. alterā ex his Chiloni cuidam nuptā fuisse, scribit.

ARCHIDAMVS in matrimonio habuit DENICHAM, teste Pausania in Laconicis: è qua geniti: AGIS, EVDAMIDAS, Agesilaus.

XXII. AGIS II. regnauit annos 15. Propugnauit ꝑ Persarū parti bus cōtra ALEXANDRVM Magnū: cumq; à DARIO pecu nia & nauibus instructus, expeditionem suscepisset in Cretā, ciuitates aliquot barbaris adiungit. Nec multò pòst à Lacedęmonijs cęterisq; Peloponēsijs, qui cū illis se coniunxissent, belli imperator cōtra ANTIPATRVM constitutus, acerrimum cum Macedonibus prælium ad Megalopolin init, & ipse eo ardore & impetu pugnat, ut solus tota interdū fugaret agmina: neq; tam uirtute hostium, quàm multitudine superatus, perit in fuga, cùm ceu indagine ab uictore persequente conclusus, pugnare iterū coactus fuisset: editis tū etiā ijs uirtutum facinoribus, ut licet è uulneribus, deficiētibus uiribus, solo poplite se exciperet, ultrò tamen hóstem prouocaret, & nemine congredi cominus auso, solis missilibus conficeretur. Diodorus, Plutarchus, Pausanias, Arrianus, Iustinus, Curtius. Cęterū usus fuit ANTIPATER uictoria illa moderatè, neq; præterea hostile quicquā in Lacedæmonios egit: ipsiq; in eo, quod indixerat Antipater Græciæ cōsilio, id solum petiuere, ut Oratores sibi ad Alexandrum mittere liceret. Nam is uictor iam in Parthiam penetrârat, & inuidens hunc Antipatro arridentis fortunæ successum, murium interea aliquem in Arcadia fuisse conflictum, dum ipse Darium uinceret, sibi uideri affirmauit, ut est auctor Plutarchus in Agesilao.

XXIII. EV-

XXIII. EVDAMIDAS I. successit fratri, rebus tum Spartę maximè pacatis. De posteritate eius non conuenit cum Pausania Plutarchus, qui ad Eurydamidam illum, quē sustulit Cleomenes, plures numerat sobolis gradus, idq; ut opinor, non parum rectius.

AGESILAVS, mittitur ab Agide fratre cum classe in Cretam. Arrianus lib. 1.

EVDAMIDAS, filium reliquit ARCHIDAMVM.

XXIV. ARCHIDAMVS IV. conflixit acie ad Mantineam cum DEMETRIO Poliorcete, qui Athenis receptis Spartæ quoque inhiabat, & cum clade profligatur. Ideo urbi metuens, contra fatorum responsa primus eam fossa & operibus munit, quaque facilior aditu erat, propugnacula excitat. Plutarchus in Demetrio, Pausanias in Atticis.

NVPTA ARCHIDAMO fuit ARCHIDAMIA, è qua suscipitur EVDAMIDAS.

XXV. EVDAMIDAS II. refertur à Plutarcho & Pausania.

VXOREM Eudamidæ tribuit Plutarchus AGESISTRATAM: unde nati AGIS, Archidamus & Agesilaus.

XXVI. AGIS III. educatus inter summas opes luxumq; muliebrem matris & auiæ, uirtutis studium generosa mente conseruat, & uix dum annum ætatis uicesimum ingressus, leges & instituta antiqua reuocare, & Rempub. multipliciter uitiatam emendare conatur. Id impediturum aduersando Leonidam collegam, quem capitis inimici accersiuerant, dimittit ex urbe, & Agesilai auunculi inflatu nouas tabulas promulgat. Vnde cùm absente ipso, & cum ARATO oppugnante Ætolos, noui Spartæ motus exorti essent, reuertissetq; interea Leonidas, profugit ad Chalciœcon, & astu inde eductus, ac comprehensus cum matre & auia strangulatur. Plutarchus, Pausanias.

AGIS coniugem habuit AGIATIDEM, Gylippi F. nuptam pòst CLEOMENI II. è qua natus.

EVRIDAMIDAS, natus paulò ante patris interitum, adhuc impubes iussu Cleomenis per Ephoros ueneno necatur. Plutarchus, Pausanias.

ARCHIDAMVS, alter Eudamidæ F. profugit post fratris necem Messenen: unde fictis & simulatis Cleomenis de regno restituendo promissis reuocatus, insidijs eius de uita tollitur. Polybius, Plutarchus.

AGESILAVS, memoratur à Polybio lib. 4.

O HIP-

HIPPOMEDON, præteritur in regni successione cum Archidami patrui liberis, cooptato in locum eius Lycurgo. Polybius ibidem.

¶ VT ne quid omitteretur, quod ad Spartanam historiam ceu ἐκδολὰς complendam faceret, Tyrãnos etiam Spartanos subijcere hoc in loco placuit, etsi à regia stirpe alienos: quòd per eos maximè Resp. illa afflicta sit, & potentia omni exuta, uix tandem libertatem retinuerit. Cumq; Plutarchus LYSANDRVM ex Heraclidis propaget, huius quoq; familia ceu restituenda natalibus uidebatur. Cæteroquin enim de ea scriptores explicati nihil afferunt. Etsi ego planè isthuc inclinatione propendeo, & Lysandrum illum Ephorum inde oriundum fuisse. Etenim sicuti tempora conueniunt, ita fortè & nomen illud ceu hæreditarium familia hæc usurpare cœpit, id quod & alijs familijs quibusdam usitatum fuisse legimus. Facio igitur Lysandrum hunc primi illius è Liby fratre abnepotem. Neq; enim reperimus uirilis sexus posteritatem aliquam ab eo relictam, & Pausanias cùm auum Ephori nominet, Lysandrum nequaquam omisisset, siquidem hunc proauum habuisset. Ac fortè ob aui Libys memoriam idem nomen ab Ephori patre repetitum fuit, quomodo est auctor Plutarchus.

TYRANNI SPARTANI.

I. LYCVRGVS, regnum per largitiones adeptus, & ex Herculis familia appellatus, AGESIPOLIN III. collegam armis expellit, & Tyrannum se gerit. Ob quod tam insolens facinus Chilonis insidijs petitus, suorum opera periculo eripitur. Inde PHILIPPVM, regem Macedonum, & Messenios bello prouocãs, uario cum ijs euentu pugnat, & domi accusatur, quòd res nouas moliretur. Ideò ad Ætolos in exilium profectus, propenso ciuium studio reuocatur. Pausanias, Liuius, Iustinus.

II. MACHANIDAS, surrogatur in tyrannide Lycurgo. Oppressurus Eleos, solenne Olympiorum ludicrum parantes, metu Philippi regis Spartam trepidus refugit. Pòst ACHÆOS acriori bello urens, cum PHILOPOEMENE ad Mantineam congreditur, fortiterq; dimicans, perimitur. Polybius, Plutarchus, Pausanias, Liuius, Iustinus.

III. NABIS, inuadit dominatum post Machanidem, ac rapinis & sacrilegijs ditatus, copias firmissimas comparat. Quibus Messenios

nios adortus, urbem de nocte occupatam Philopœmenis interuentu dimittere cogitur. A' quo tempore cùm perpetuis bellis Achæos lacesseret, neque post debellatum PHILIPPVM Argos ab illo acceptum dimittere uellet, hostis à Romanis iudicatur: & à T. Quintio Flaminio Spartæ oppugnatus, maxima potentiæ parte spoliatur, & ceu exanguis in regno relinquitur. Pòst tamen de Achæis se uindicaturus, Gytheum occupat, & maiora iam moliens, interficitur ex insidijs ab Ætolis, Spartæque Romanorum beneficio libertas redit. Polybius, Plutarchus, Pausanias, Liuius, Florus, Iustinus, Eutropius, Orosius.

FVIT cum Nabide APEGA, à qua Tyrannum simulacrum quoddam effictum ad formam ipsius, quo ad extorquendam ciuibus pecuniam uti soleret, denominasse, Polybius scripsit. Nascuntur ex ea, Armenes & filia ἀνώνυμος.

ARMENES, datur à patre obses T. Quintio, cuius triumphantis currum pòst Romæ præcedit. Liuius Decad. 4. Eutropius, Orosius.

FILIA ἀνώνυμος fuit cum PYTHAGORA, cuius opera Sparta contra Romanos defensa, & Nabidi pax impetrata est. Liuius.

TYRANNIS Spartanis addo etiam EVRYCLIS familiā: etsi tempore aliquantò posteriorem, neque fortè potentia parem.

LACHARES, prædationis accusatus apud Antonium, iussu eius securi percutitur. Plutarchus.

IV. EVRYCLES, propugnat pro Cæsaris partibus contra ANTONIVM & Cleopatram: quos fugiētes cùm ob necem paternam audacius persecutus esset, atque è prætorijs nauibus unam cepisset, à Cæsare Spartæ præfectura donatur. Hac dignitate ipsaque Cæsaris amicicia usus insolentiùs, Citheram insulam in peculiaris iuris possessionem sibi uendicat. Strabo, Plutarchus.

V. EVRYCLES, tenet dominatum post patrem: homo ingenio pessimo, & leuitate, adulatione turpi atque delitijs perditus. Nam Herodis Magni usus hospitio, ideoque ad hunc uisendum profectus, occultis machinationibus inter filios ipsius dissidia auget, & patrem eis alieniorem reddit. Cumque summam & fidem & beneuolentiam simulando etiam ab HERODE magnificè donatus esset, & in patriam reuersus, ibi quoque similibus artibus uteretur, Cæsarem à se alienat, & Lacedæmone pulsus, moritur in exilio.

Strabo, Iosephus, Hegesippus.

FAMILIA LYSANDRI EX HERACLIDIS.

ARISTOCLITVS, ex Heraclidarum prosapia oriundus, discreta tamen à regia Agidarum & Eurytionidarum stirpe, præter nomen nihil de se memoratu dignum relinquit. Quanquam etiã Theopompus apud Athenæum, Lysandrum Mothacem fuisse dicat: quo nomine Spartæ appellabantur, qui non erant quidem Lacedæmonij, sed cum Lacedæmoniorum liberis simul educati adolescẽtes ingenui, & ad uirilia & prȩclara opera, quȩ ab eis sperabantur, Laconũ Reipub. ascripti. De eadem re iterũ uarians nonnihil Ælianus lib. 12. » de uaria historia cap. 43. Callicratides inquit, Gylippus & Lysander » Mothaces in Lacedæmonia uocabantur, quod nomen imponebãt » seruis locupletiorum ijs, quos patres in gymnasia exercitatum simul » cum filijs mitterent. De ijs Lycurgus, qui id concesserat, legem tulit, » ut qui in liberorum disciplina permanerent, eis ad publicas dignita» tes & officia gerenda in Repub. Lacedæmoniorum aditus pateret. Hactenus Ælianus.

RELIQVIT Aristoclitus filios, LYSANDRVM & Libyn.

LYSANDER, præficitur à Lacedæmonijs rei nauali: Athenienses duobus prælijs sternit: itaq; potentia eorum, quæ post cladem Siciliẽsem ipsis reliqua mãserat, fracta penitus & attrita, passim in ciuitatibus oligarchias instituit, sed commendatas ijs tantummodo, cum quibus necessitudinem constitutam haberet, opera eorum Græciæ principatum se consequi posse ratus. Inde eosdem Athenienses mari obsidet: & in deditionem redactos demoliri muros iubet, simulq; Peloponnesiaco bello finem imponit, quod durauerat annos 27. Post Agidis II. obitum AGESILAO regni cõtra Leotychidem petendi auctor fit: idq; absq; oraculi sententia ipsi permitteretur, impetrat. Quanquam post inuidia huius præcipuam potentiæ partem amiserit, cùm ad Asiaticam expeditionem eum consectatus, ad nullius insignis muneris administrationem adhibitus, ac potius cum ignominia propemodum dimissus sit. Ideo ut se uindicaret, & quod conceperat hinc animo odium, non solùm in Agesilaum, sed & in totam regiam stirpem effunderet, regnum Heraclidis omnibus facere commune instituit, eaq; de re orationem ad populum habendã à Cleone Halicarnasseo sibi componi occultè curat, & oracula passim corrumpit. Hos ipsius conatus cùm Thebani motus interrupissent, bellũ contra eos ut decerneretur, obtinet, & profectus ipse in Bœotiam, occumbit ad Haliartum. Xenophon, Diodorus, Plutarchus, Pausanias, Iustinus, Orosius, Probus. Fuit superbia & arrogantia incredibili, & in uindicandõ

cando pertinax & atrox: id quod præter exempla ea de re prodita etiā inferius posita uultus effigies satis commonstrat: quomodo & crispi ceruicis crines subdolum & fallacē eius animum egregiè testātur. Celebrātur enim hæc ipsius apophthegmata: Assuendam uulpinam « pellem, quò non pertingeret leonina. Et, Pueros taxillis, uiros iura- « mentis decipiendos: è quibus illud etiam Cleandridæ tribuit Polyæ- « nus lib.2. E' Græcis primo illi aræ à ciuitatib. positæ sunt, cantati pæanes, & ueluti Deo sacrificatū. Lycurgi legem de usu nummi ferrei suo exemplo sustulit: cùm post captas Athenas ut publicè pecunia reciperetur, obtinuisset. Quæ res quia & in priuatis auaritiam accendit, earum calamitatum, quas oraculū Spartanis prædixerat, fecit initium. Id uerò oraculum uersu hexametro Græci scriptores eiusmodi recitant: ἁ φιλοχρηματία σπάρταν ὀλεῖ, ἄλλο δὲ οὐδέν. Chœrilum Poëtam, qui carmine eius res gestas exornaret, semper secū habuit: & Antilochum, qui de ipso mediocres uersus scripsisset, donauit munificè.

GENITÆ sunt LYSANDRO Filiæ ἀνώνυμοι, quæ patre uiuente diuitibus adolescentibus desponsatæ, postea ob defuncti inopiam à sponsis negliguntur: quam leuitatē Spartani pœna graui mulctant. Plutarchus, Ælianus.


LIBYS, accipit nomen hoc à Liby quodam, qui cum Aristoclitò patre amicicia iunctus esset. Classi præfectus, mari contra THRASYBVLVM rem gerere iubetur. Xenophon, Diodorus.

ARISTOCRATES, fortè Libys F. Meminit Pausanias in Laconicis pag.203.

LYSANDER, memoratā Pausania. Plutarchus Libyn uocat.

LYSANDER, exercuit acerrimas inimicicias cum LEONIDA II. cumq; Agidis opera Ephorus creatus, conatus eius in emendanda Repub. iuuandos suscepisset, Leonidæ dicam scribit, & regnū ipsi abrogatū ut Cleombrotus gener sibi uendicaret, hortator ei existit. Pausanias in Laconicis, Plutarchus in Agide. Meminit Cicero Offic. lib.2.

NVMMVS LYSANDRI.





REGNVM THEBANVM.

DE THEBANORVM ORIGINE, REGNO, REGIISQ. FAMILIIS, FORTVNA VARIA, EXCIDIO.

THEBANI territorij agrum primos omnium incoluisse accepimus ECTANES. His pestilenti lue extinctis, obtinuere eadem loca HYANTES & AONES, gentes Bœoticæ, ut scripsit Pausanias. Nam Ectanes quidem cuius fuerint stirpis, auctorum monumentis nullis proditum est, & dissentiens à Pausania Strabo, Hyantes & Aonas Barbaris accenset. Quorum neutrum nos recipimus, & Gentes ambas Iaonum seu Ionum facimus sobolem, de Aonibus singulariter ipso nominis sono huic origini astipulante, quod nomen mutilato I. litera principio inde deriuatum est. Atque uti Strabo omnino recesit à ueritate longius, lapsu non minus fœdo, quàm quo alibi Germanorum nomen ad Romanos auctores refert: ita fortè Pausaniam, scriptorem alioqui diligentissimum, in errorem induxit potentia Bœotorum, quæ deinde terram illam omnem complexa est. Etenim stirpis hos diuersæ fuisse, hoc est, Æolicæ, è Thucydide constat. Expelluntur autem Hyantes tandem ab aduenis nouis Phœnicibus & CADMO. Nam Aones exilium deprecati supplices, manere permissi sunt, & Phœnicibus permisti, in unam cum illis gentem coaluere. Cumq; Cadmus pacatis undiq; finitimis, & Spartis ad se traductis, etiam in reliquum tempus quietem & pacē præstare suis satagens, Cadmeam oppidulum de suo nomine condidisset, suburbij loco ei Thebas subijcit: Quæ à posteris cum Cadmæa mœnibus ijsdem inclusæ, urbis ita nomen & formam adeptæ sunt, cùm arcem retinerent Cadmeam.

EST igitur origo Thebanorum dispar, indigena uidelicet ab Aonibus, & externa à Phœnicibus. Quò respiciens Suidas, eos cum Atheniensibus αὐτόχθονας cognominat. Quippe habuit Græcia colonos antiquissimos Ionas: ad quos quidem Athenienses pertinere, adeoq; inter hos tenuisse locum principem, tradunt omnes, cùm sit gentis origo à conditore Iauan filio Iaphet. Quinam autem è Phœnicibus cum Cadmo aduenerint, nonnihil auctores dissentiunt. Nam Isocrates, & hūc secuti Plinius & Hyginus, Sidonios nominant: Euripides, Plutarchus, Pausanias, Arrianus, Curtius, Tyrios. Sed in utramcunq; sententiam ire maluerimus, nihil historiæ fides periclitabitur. Etenim

originis

originis utriq; eiusdem fuère, ita quidē ut Tyrios Sidonij habuerint colonos, quos Sidonios conditos à SIDONE, filio Chanaanis, nepote Chami, nomen nihil prorsus immutatū testatur. Et Thebæ non è Græca, sed è Phœnicum lingua, cuius cum Ebræa cognationem alibi ex D. Hieronymo ostendimus, denominationē acceperunt, quam interpretantur aliqui arcam, uel nauem forma arcæ, ut nempe intelligas colonos nauibus aduectos. Quanquam & illa tolerari posset etymologia, si quis ab Ebræo Thabbat, bona, esse contenderet. Fuit enim solum Thebanum, ut & reliquæ Bœotiæ uniuersæ, præpingue & fertilissimum, cui gentis ingenia respondentia ab auctoribus ut crassa & stupida notantur. Estq; natum inde prouerbium, ἡ βοιωτία ὗς, Bœotica sus, de stolidis & indoctis. Etsi Pindari Scholiastes, apud quem extat in Olymp. id ab Hyantibus extitisse malit, uocibus Græcis nonnihil commutatis; cùm Plutarchus, gente ipse Bœotus è Cheronea urbe, id ad Athenięses auctores referat, qui Bœotos stupidos, bardos, insulsos, deniq; & sues, maximè propter edacitatem cognominârint. Cui suffragantur itidem uersus Eubuli apud Athenæum,

πίνειν μὲν ἔμμεσ' ἐι φαγεῖν τ' ἀνδρικοί,
Καὶ καρτερῆσαι, τοὺς δ' ἀθηναίους λέγειν
Καὶ μικρὰ φαγεῖν μὲν, τοὺς δὲ θηβαίους μέγα,

Id est:

Sumus ad bibendum atq; uorandum strenui.
In his ualemus. Athenienses dicere
Prompti, edere pauca, multa Thebani solent,

Meminit etiam Horatius epist. lib. 2. ad Augustum Cæsarem, quem locum elegantissimum subijcere hic integrum uisum fuit:

Gratus Alexandro regi Magno fuit ille
Chœrilus, incultis qui uersibus & male natis
Rettulit acceptos, regale numisma, Philippos.
Sed ueluti tractata notam, labemq; remittunt
Atramenta, ferè scriptores carmine fœdo
Splendida facta linunt: idem rex ille, poëma
Qui tam ridiculum, tam carè prodigus emit,
Edicto uetuit, ne quis se, præter Apellem,
Pingeret, aut alius Lysippo duceret æra
Fortis Alexandri uultum simulantia: quòd si
Iudicium subtile uidendis artibus illud
Ad libros, & ad hæc Musarum dona uocares,
Bœotum in crasso iurares aëre natum.

DE regni Thebani initio ita uariatur, ut alij in OGYGE, alij in CADMO id inchoent. Et Pausanias quidem Ogygem indigenam facit, & Thebas inde Ogygias cognominat. Cui addit Suidas, genitum Ogyge fuisse Cadmum: & prouerbiū ab eo deriuat: ὠγύγια κακά, de ueteribus & permolestis. Nos sequi eos maluimus, qui ut urbis, ita & regni Thebani principium collocant in CADMO. Et regis

eiusdem nomina facio Ogyges & Agenor, ab Ebræo Og, quod illud quidem sono, hoc significatione Græca proprius refert. Enimuerò quòd Diodorus & Eusebius Cadmum Ægyptium faciunt, non tam de patria quàm de origine intelligi debet. Nam Agenora ex Ægypto in Phœniciam migrasse, tradunt omnes cõsensu omnes. Ac fortè ob cognationem libentius Ægyptiorum imperium Phœnices admisere: Quandoquidem gens utraq; est à Cham per Mizraimum & Chanaanem fratres. Quanquam Athenæus ex Euemero Coo & hęc ita oppugnat, ut non regiæ sed humilis & obscuræ stirpis Cadmum faciat, nimirum, qui cùm regis Sidonij coquus esset, rapta Harmonia cantatricula effugerit. Sed hæc à ueritate alieniora repudiamus. Cæteroquin etiam uirum pręstantem Cadmum extitisse, in cæteris literarum docet non tam inuentio, quàm cum Græcis communicatio. Fuêre enim Phœniceæ, teste Herodoto, qui & à se uisas ait in æde Apollinis Ismenij Cadmeas literas in tripodibus quibusdã incisas, quæ magna ex parte Ionicis similes essent. Vt credibile sit, è Phœniceis Græcas literas ita mutatas, ut Græcæ in Latinas distortæ, quibus Latinis tradiderat eas Euander. Etsi Tacitus & Plinius magis in eam sententiã inclinant, non à Latinis, sed à Gręcis hanc factam mutationem: cùm id disertè tradant, formas Latinis literis fuisse, quæ ueterrimis Græcorum. Ac sanè ut commodauit ea parte Cadmus Græciæ plurimũ, ita quæ cæpta per ipsum Phœnices deinde continuârunt cum Græcis commercia mores horum uehementer corruperunt. Sic enim Cicero lib. 3. de Repub. citãte Augustino: Phœnices primi mercaturis & mercibus suis auaritiam & magnificẽtiam & inexplebiles cupiditates omnium rerum exportârunt in Græciam, &c.

ERGO prima Thebis imperauit CADMI familia. Cuius fortunam inter uarios mutationum & calamitatum quasi fluctus agitatam, planè mirificam inuenimus. Cùm enim sedes suis firmas Cadmus peperisset, tandem ijs primus excidit, profectus nempe cũ Harmonia coniuge in Illyrios: ubi quæ de utroq; fabulosa traderentur, adhuc suo tempore ostensa fuisse, adeóq; posteros eorum Encheliensium regnum retinuisse, Strabo tradidit. Nec minus Cadmi posteritati nocuit cum Spartis iuncta cùm necessitudo tũ affinitas, è quibus cùm qui à CHTHONIO & ECHIONE oriundi fuêre, non obscura in patriã beneficia contulerint, de utriusq; stirpe, totáq; Spartorum progenie, pòst separatim agemus. Atq; ad Cadmũ oratio nostra ut reducatur, neq; de coniugio, neq; de liberis eius eodem modo explicatur. Variat etiam de DIONYSIO nepote Berosus, & nominat Diodorus Dionysios duos, quorũ antiquiori cognomentum tribuit Sebasis. Quę historica fide carentia nos quidem ita relinquamus,

mus, cùm dubium nullum sit, de Dionysio narrationes fabulis totas inuolutas esse: Etsi Thebas numinum duorum, Herculis & Liberi, patriam nominat Plinius. Nec deinde usque ad Laium & Oedipum auctorum alia occurrit dissensio. Nam huius utriusque historiam aliter nonnihil referunt Palæphatus & Suidas. Et Pausanias non è matre, sed ex Euryganea, Hyperphantis filia sustulisse Oedipum liberos, ait: cui subscribere uidetur Apollodorus lib. 3. Sed ab hac sententia, ut quam scriptorum consensus perpetuus oppugnet, nos discedimus. Ac Philo de Persarum nefarijs cum matribus incestis explicans, hæc de Oedipo subijcit: Accidit, inquit, iã scelestum facinus, apud priscos " Græcos Thebis Oedipodi, Laij filio, non sponte tamen, sed per igno " rantiam, nihilominus tantam uim calamitatum secum attulere hæ nu " ptiæ, ut nihil reliquum factum sit ad summum miseriarum cumulum. " Secuta sunt enim continua bella, tùm externa, tum ciuilia, uelut hære " ditario iure filijs nepotibusque à maioribus tradita, quę uastitatem induxere maximis Gręcię ciuitatibus, strages exercitibus eorumque auxilijs, ducibus partium continua funera, & in his fratribus de regno implacabiliter contendentibus, cædes mutuas: & nata est non solùm familiarum patriarumque, sed etiam ex maiore parte Græcanici generis pernicies. Nã urbes antea populosæ euacuatæ sunt, reliquijs modò calamitatum ad memoriam & miserum spectaculũ superstitibus. Hactenus Philo. De exilio etiam Oedipi & liberorum casibus maluimus sequi Sophoclem, à quo quomodo dissentiant Euripidis Tragœdiæ, lectione diligenti repeti ex utroque uolumus. Reliqua dehinc Cadmi posteritas certa est è Pausania & Scholiaste Pindari. Cuius hoc Thebis imperiũ finijt AVTESION, Tisameni filius. Is enim oraculo id iussus dimittere, migrauit secedendo ad Dorienses, & infortuna priuata uixit. Etsi ex hoc acerbitatis fluctu ita mox emersit THERAS F. ut & regij nominis decus recuperatum familiæ restituerit. Cùm enim Eurysthenis & Proclis tutela potestati ac dominatui assuetus, parére Spartanis dedignaretur, cum Minyis in Callistam insulã, quæ ab ipso nomen Theræ retinuit, inuasit, & regnum ibi occupatum transmisit ad posteros. E quibus duæ rursus quasi enatæ propagines, colonis nouis de ducendis se diuulsere, & una in Cyrenẽ, altera in Sicilia substitit regnauitque, potentię quidem certè fama & felicitate tanta, quæ reges Theræos superaret. Neque enim post CRINVM, ut uocat Herodotus, quisquam ex his præterea nominatur, quod coniecturam præbet, stirpem illam iam alibi ceu plantam in solo nouo efflorescentem felicius, in rege illo uel interijsse uel obscuratam potentiæ & dignitatis fastigio excidisse. Propagat tamen à Cadmo Laërtius & tertiam quandam THELIDARVM prosapiam apud

apud Milesios Ionas, à qua oriundus THALES, inter septem Græciæ sapientes locum promeruit.

EXTITIT igitur prima in regijs Thebanorum familijs mutatio AVTESIONIS exilio. Etsi enim ob clades acceptas minus fortè regum imperio & nomini illi æqui essent, libertatis tamen adhuc insolentes, ad nouam mox domum, & à Cadmo alienũ regnum transtulere. Quæ numero & ordine secũda est: nosq; à LEITO eã cognominamus, quòd primus ex illa inclaruerit. Est autem diuersus ab hoc Leito, & tempore paulò posterior, alter ὁμώνυμος, quem in bello Troiano Peneleus collegam habuit: etsi Dictys à stirpe eadem propagat, & Penelei propinquum uocat: Quam stirpem Diodorus fabulosè enarrando refert ad Æolum. Nam uerior origo, nostra sententia, est à Spartis, è quibus post Echionis & Chthonij familias oppressas hæc fortè tertia effloruit. Atq; Æoli nomen non ad familiã, sed ad gentem, unde genus Leiti fuerit, pertinere uidetur. Hãc enim Æolicam facio, à qua Bœotos, unde Spartos collectos Thebas migrasse, credi par est, conditos fuisse, suprà ostendimus. Produxit autẽ familia hæc tantummodo reges tres. Nam Xantho è duelli prouocatione à MELANTHO peremto, paucorũ dominatus Thebis cœpit. A quo quidem tempore uariam ciuitatis huius fortunam reperimus. Nam XERXIS bello turpiter pro Barbaris Thebani propugnârũt, obsessi ideo hostiliter & mulctati à Pausania post pugnam ad Platæas. Hinc Lacedæmonijs conciliati, Bœotiæ omnis imperium obtinent, & cum ijsdẽ Græciæ principatum Atheniensibus extorquent. Quanquam ea societas paulò pòst in capitales dissensiones exarserit. Quas à LYSANDRO accensas cũ occupata Cadmea auxisset PHOBIDAS, hancq́ue Pelopidæ astu receptam armis apertè repeteret CLEOMBROTVS: EPAMINONDAS ad LEVCTRA cum hoc congressus, uictum prælio memorabili occidit, & Græciæ imperium ea clade Lacedæmonijs ereptum patriæ conciliat. Quæ tamen (quod ceu uaticinando post pugnam ad Mantineam eundem Epaminondam præmonuisse, scripsit in Apophtheg. Plutarchus) cùm ducibus commodis, tùm neruis belli pacisq; alijs, destituta, conseruare illud diu nequiuit. Nam cùm post debellatos Phocenses Thebani Philippi amicicia temerè deserta, coniunxissent se cũ Atheniẽsibus, uicti ad Cheroneam, & libertate exuuntur, & præsidium Macedonicum recipere coguntur. Quod etsi Philippo occiso per defectionẽ oppressum interemere, libertate repetita, tamen acrius mox oppugnantur ab Alexandro Magno: Qui tantam contumaciam ratus puniendam feueriùs, & cæteros exemplo deterrẽdos, Thebas captas euertit, sola Pindari domo & familia conseruata. Nec habitatæ

deindè

deinde illæ fuêre usq; ad Casandrum. Ab hoc enim tandem Alexandri odio instauratæ sunt: etsi potentiam Reipub. priorem recuperare ciues afflictissimi nunquam potuere. Cumq; bello Mithradatico adiunxissent se ARCHELAO duci, tametsi Syllæ metu mox studia sua ad Romanos conuertêre, iram tamen illius mitigare nequiuerũt, & mulctati dimidia agrorum parte, ita deinceps fortunis cœperunt minui, ut inferiore urbe tota euersa, tantummodo arcem incoluerint, eaq; uix mediocris uici formam retinuerit, quomodo est apud Strabonem. De qua Thebarum aliarumq; illustrium Græciæ urbium calamitate explicans Ouidius Metam. lib. 15. sic canit:

Clara fuit Sparte, magnæ uiguere Mycenæ:
Nec non & Cecropis, nec non Amphionis arces.
Vile solum Sparte est, altæ cecidêre Mycenæ.
Oedipodioniæ quid sunt nisi nomina Thebæ?
Quid Pandioniæ restant, nisi nomen Athenæ?

NVMMVS THASIORVM, CVIVS INFRA MENTIO FIT IN HISTORIA THASI FRATRIS CADMI.




FAMILIAE REGVM THEBANORVM.

I.

FAMILIA CADMI.

AGENOR, patria Ægyptius, Neptuni è Libya, iuxta fabulas, filius, migrauit secedendo in Phœnicen, & regno ibi occupato, Sidonem & Tyrum urbes condidisse, traditur à Græcis & Q. Curtio. Quibus ista in re quę debeatur fides, è literis sacris obscurum non est. Retinuit enim Sidon nomen à Sidone, filio Chanaan, quem ut gentem ipsam ita & urbem fundasse, credibile est. Extitit autem Sidonis colonia TYRVS, suffragante huic coniecturę ipso nomine, quod Ebręis sonat rebellionem, quia scilicet ciuium pars per intestinas discordias

dias

dias isthuc migrârat. Quanquam interim hoc facilè concesserim, utranq; urbem ab Agenore uel instauratam uel amplificatã, indeq; for teipsum conditorem habitum: Quomodo Græcorum historiæ Babylonem à SEMIRAMIDE conditam asserunt, quod ædificijs publicis priuatisq; auctam atq; ornatam splendidè, tum uallo, fossa, muro ac propugnaculis munitã, incolis regina ea reddiderit frequentiorem: cùm fundator primus de sacrarum literarum confirmatione urbis huius fuerit NEMRODVS. Creditur uixisse Agenor temporibus IOSVÆ, qui quidem Sidonem nominat cap. 19.

CONIVGES Agenoris refert Scholiastes Apollonij è Pherecyde: DAMNO, unde geniti liberi Phœnix, Isæa, Melia: & ARGIOPEN, quæ enixa est CADMVM & EVROPAM. Apollodorus unam tantum Agenori cõiugem attribuit, Telephassam, quæ Stephano Telephe est, & liberos inde idem nominat Europam, Cadmum, Phœnicem, Cilicem: quibus addit Pausanias Electram & Thasum. Meminit Plutarchus & quartæ Dioxippes, quæ filium pepererit Sipylum: Antoninus Liberalis quintæ Cassiopeæ, è qua nata sit filia Carma. Quæ etsi fabulosè tradi dubium nullum est, præteriri tamen à nobis non debebant.

PHOENIX, ab alijs genti Phœnicum, ab alijs Pœnis Afris dedisse nomẽ, fingitur: Quarum illis nominis ut origo uera ignoratur, ita hoc à Phœnicibus, quorum Pœni seu Carthaginienses fuêre coloni, deriuatum, de eo nobis planè certum est. Variat etiam de Phœnice ita Eusebius, ut Bithyniam ab hoc conditam existimet: & addit, Phœnicibus quasdam literas ad scribẽdum ipsum tradidisse, uermiculum instituisse, unde & color ille Phœniceus dictus sit, qui postea litera mutata diceretur Puniceus. Seruius hãc Phœnicis habet posteritatẽ.

BELVS iunior, cognomento Methres.

PYGMALION. DIDO. ANNA.

DE qua quid definiri crediũe cõueniat, aliâs à nobis explicabitur è Iosepho diligentiùs. Et nomina Belus & Methres, tantùm dignitates significant, sumta fortè ab idolis. Est enim Belus Ebræum Baal, Dominus, Methres Persicum Mithra, quoad Soli tributũ fuit, ut meminere in cæteris Xenophon, Lucianus, Suidas: & cõgruit uetus inscriptio, quæ uisitur Romę in templo S. Martini in montibus: DEO SOLI INVICTO MITHRÆ. Apparet autem retentum hoc à Phœnicibus fuisse quòd Persæ eum ad ipsos cultum propagassent.

Enimuero

Enimuerò & Seruius nomẽ Heliogabalus interpretatur Solem, cùm sit El Gabal, Deus Gabal, propterea quòd in ea Phœniciæ urbe coleretur. Est & appellatio Dido reginæ illi per cognomentum tributa, quam exponunt aliqui uiraginem. Nam proprio nomine dicta fuit Elisa, quod est ab Ebræo Elisabeth, requies Dei, mutilato fine κατ' ἀποκοπήν. Et Anna itidem in Ebraico sermone gratiosam sonat, ab Hen gratia, unde & nomen Iohannes deriuatum.

ISÆA & MELIA connuptæ fuisse memorantur cum Ægypto & Danao, patruelibus.

I. CADMVS, seu desperatione mandatum patris de sorore indaganda exequendi, seu studio primæ ætati, & præcipuè Phœnicũ genti usitato, nouas acquirendi sedes, classe cum colonis profectus in Europam, & Thraciæ metallis ditatus, oraculi monitu transmigrat in Bœotiam. Vbi cùm eiectis Hyantibus, Aones deprecantes, atque in fidem receptos, cum Phœnicibus suis permiscuisset, munit uallo Cadmeam arcem (quam posteri deinde Thebis similiter ab ipso conditis coniunxere) compescit SPARTOS, & cũ Græcis amicicia iunctus atque fœderibus, felici instituto primus eis literas communicat, atque ut addidit Eusebius, mysteria & solennitates Deorum tradit, tum simulacrorum consecrationes & hymnos. Cumque & Aganippen & Hippocrenen fontes, dum quænam adisset loca rimatur, equestri exploratione deprehendisset, incensa est licentia Poëtarum, ut pariter utrunque uulgarent, scilicet, quòd eorum alter alitis equi (Pegasi) ungula solicitatus foret, & quòd poti, inspirationem facerent literariã. Tandem uel domesticis fractus filiarum calamitatibus, uel Spartorum inualescentem ueritus potentiam, cum HARMONIA coniuge ad Enchelienses in exilium abit. A' quibus belli dux susceptus contra Illyrios, his prælio uictis, regium nomen populi studio recuperat: Sed quo deinde dignum nihil peregerit: atque in uita ingloria defunctus, ad Calices tumulo conditur. Euripides, Herod. Diod. Strabo, Pausanias, Athenæus, Apollodorus, Hyginus, Solinus. De literis à Cadmo & Phœnicibus in Græciam allatis consentit etiam Iosephus, sed ita, ut magis ueritatem obtinuisse dicat, recentiũ literarum usum ante Troiana tempora Grçcis planè incognitum fuisse, adeoque Homerum ipsum non literis, sed cantibus poëma suum reliquisse, unde cùm postea collectum componeretur, ea, de qua constat, dissonantia orta sit. Neque inuẽtum Phœnicum sunt literæ (quod quidem sentiunt Græci, & hos secutus Lucanus: neque inficiatur Clemens, etsi Phœnicibus adiungit Syros) sed à sanctis Patribus, ipsoque humani generis parente Adamo profectæ, ac cum reliquis artibus, posteris quasi per manus traditę, ita in usu gentib. humanioribus, & inprimis terræ sanctæ uicinioribus,

mansere. Quippe maioris hæc res sapiētiæ, quam cuius homines uulgares credi auctores uel possint uel debeant. Et cùm rebus nomina Adamus dederit, (Id enim ex denominatorū animalium historia rectè astruitur: qua de re Plato in Cratylo explicans: Maiorem, inquit, arbitror potentiam esse quam humanam, quæ prima nomina rebus imposuit) difficile etiam ei non fuit, & notas seu Characteres, quibus illæ exprimerentur, monstrare. Quandoquidem post lapsum suum, ad conseruandas & propagandas doctrinas, id maximè opus intelligeret. Pertinetque huc Iosephi narratio de erectis à nepotibus Seth duabus columnis, quibus inuenta sua inscripserint. Eusebius etiam lib. 9. de præparat. Euang. cap. 4. disertè affirmat ex Eupolemo, tradidisse literas Phœnicibus Iudæos, & ab illis ad Græcos propagatas. Et rursus enodatius eadem de re explicat lib. 10. cap. 2. Vbi etiam quomodo de Ebraicis Græcæ nominatæ sint, docet. Cæterùm à Græcis rursus literas peruenisse ad Latinos accepimus per EVANDRVM, exulem Arcadem. Tametsi eadem de re, & Cadmo ipso, uarient mirificè Archilochus de tēporibus & Xenophon de æquiuocis, qui quidem posterior plures nominat Cadmos. Ac libuit hîc subijcere, quæ de hoc argumento explicando prodidit Tacitus lib. 11. Annal. Primi, inquit, per figuras animalium Ægyptij sensus mentis effingebant, & antiquissima monumenta memoriæ humanæ impressa saxis cernuntur, & literarum semet inuentores perhibent. Inde Phœnicas, quia mari præpollebant, intulisse Græciæ, gloriamque adeptos, tanquam repererint, quæ acceperant. Quippe fama est, Cadmum classe Phœnicum uectum rudibus adhuc Græcorum populis artis eius auctorem fuisse. Quidam Cecropem Atheniensem uel Linum Thebanum, & temporibus Troianis Palamedem Argiuum memorant, sexdecim literarum formas, mox alios, ac præcipuè Simonidem, cæteras reperisse. At in Italia Hetrusci ab Corinthio Demarato, Aborigines ab Euandro Arcade didicerunt. Et formæ literis Latinis, quæ ueterrimis Græcorum: sed nobis quoque paucæ primùm fuēre, deinde additæ sunt. Quo exemplo Claudius tres literas adiecit, quę usui imperante eo, pòst obliteratæ, aspiciuntur etiam nunc in ære publicandis plebiscitis per fora ac templa fixo. Hactenus Tacitus. Fabulam de dentibus draconis à Cadmo interfecti exponit historicè Palæphatus. Meminit sepulcri eius apud Encheliense Lucanus lib. 3. Nomen Cadmus interpretatur Philippus orientalem, ut nempe tantummodo per id intelligatur origo ipsius externa ex tractibus ijs, qui uergunt ad orientem. Quomodo & HISTRI denominati uidentur, quòd ex locis oriētalibus aduenerint, Die Osten, cùm fuerint Colchici, teste Iustino.

EVROPA, rapta à Cretensibus, qui seu Taurum ducem, seu na-

uem inſigne Taurum præferētem, haberent, nubit ASTERIONI regi, & Minoem, Sarpedonem & Rhadamanthum filios ei enititur. Herodotus, Diod. Palæphatus, Apollodorus, Euſebius. Fabulam Europæ habent Theocritus Eidyll. 20. Ouid. libro 2. Metam. Scribunt Græci tertiam partem orbis ab hac regina Europam denominatam. Sed ueriſimilior eſt coniectura, profectum nomen id ab Ebræo Ereb, ut denotetur multitudo locis inuicem commixta. Nam & Chaldæi Eropa uocant, quòd tantummodo elemento uno à Græca enunciatione differt: & ſunt, qui inde etiam Arabiam dictam uelint. Lucianus de Dea Syria Aſtartæ nomine à Phœnicibus cultam Europam ait, quæ Aſtarta in literis ſacris eſt Aſtaroth: & ſubijcit, Sidonios numo uſos, qui Europam haberet inſidentem tauro.

CILIX, memoratur Græcorum fabulis conſediſſe in Cilicia, & genti Cilicum de ſe nomen reliquiſſe. Quod cùm alio argumento nullo nitatur, nos qua dicitur auctoritate reijcimus: etſi Phœnicum in Cilicia colonos fuiſſe, non negem, qui fortè & linguam gentis corruperunt. Nam Cilices propaginem facio Tharſis filij Iauan, à quo & Doſienſium origo eſſe uidetur: retinuitq; ab eodem denominationem Tharſus, Ciliciæ metropolis, in qua Romani imperij tempore eius celebritatis academia fuit, quæ diſcentium ſtudijs πρός τε φιλοσοφίαν καὶ τὴν ἄλλην ἐγκύκλιον ἅπασαν παιδείαν Athenas & Alexandriam ſuperaret, ut ſcripſit Strabo. Tametſi præcipuè frequentaretur ab indigenis. Vnde & D. Paulum Apoſtolum inſtitutum ibi in literis, & deinde Hieroſolymam traductum, creditur. Nam Græcorum ei ſcripta non fuiſſe ignota, teſtantur dicta à Poëtis in Epiſtolis ipſius citata.

ELECTRA, dedit Thebis Electridi portæ nomen. Pauſanias.

THASVS, traditur ab Apollodoro Thaſum Thraciæ ſuo de nomine appellatam condidiſſe. Meminit Pauſanias in Eliac. Cæterum extat Thaſiorum numus argenteus, cuius pars altera faciem regis ἀνωνύμου imberbem cum diademate repræſentat, altera Herculem habet, cum leonis exuuijs & claua: ſubſcriptum, θασίων, aſcriptum ad latus utrunq;, ἡρακλέους σωτῆρος.

SIPYLVS, reliquit Sipylo monti nomen, ut eſt auctor Plutarchus de fluuijs.

CADMO Archilochus & Xenophon de æquiuocis coniuges attribuunt, Priſcam & Harmoniam, quam fabulæ Martis & Veneris, Stephanus & Euſtathius Electræ filiam, DARDANI ſororem, uocant: ac celebrat Theognis Harmoniæ cum Cadmo hoc Muſarum cantu: ὅττι καλὸν φίλον ἐστί, τὸ δ' οὐ καλὸν οὐ φίλον ἐστί. Addunt Palæphatus & Euſebius Sphingem Amazonidem. Sed quia neq; è Priſca ſoboles adijcitur, & Sphingis fabula ad Oedipodis tempora pertinet, nos à cæte-

P 2 ris ſcri-

ris scriptoribus tradita sequimur, & Cadmo solam Harmoniam Coniugem addicimus: Vnde nati liberi, P O L Y D O R V S, Illyrius, Semele, Autonoë, Ino, Agaue. Tametsi Philippus nomina hęc, Semele & Ino, appellationes simulacrorum fuisse censet, & illud effigiem seu simulacrum, hoc fortunam exponit. Quod ut nostra sententia impugnamus minimè, ita cùm non solùm fabulæ, sed & historiæ ea retineant, omittenda hîc à nobis non fuère.

II. POLYDORVS, tenet regnum post patris in Illyrios migrationem: cumq; BACCHI sacris cum PENTHEO aduersaretur, eadem qua ille morte mulctatur. Herod. Euripides, Diod. Paus. Arrianus, Apollod.

ILLYRIVS, nascitur in patris exilio, & gentem Illyriorum nuncupasse de se falsò traditur ab Eustathio & Apollodoro. Nam si fictum nomē ipsius non est, à gente potius id desumptum apparet, qua de re alibi exempla similia dedimus de filijs Cimonis, Drusi, Claudij. Et legimus in gentis nostrę annalibus, Imper. Cæs. L V D O V I C V M B A V A R V M filium Romæ genitum, dum inaugurationis causa ibi commoraretur, Romanum inde cognominasse. Enimuero Strabo scripsit, Cadmi nepotes loca ad Enchelias cum imperio tenuisse, quod nos de huius Illyrij posteris accipimus. Ac obseruetur hîc obiter, quod idem auctor de gentium illarum peregrinis imperijs tradidit, quandoquidem & nostrates historiæ exempla similia suppeditant: Harum quidem, inquit, nationum regnum nequaquam indigenæ capessebant. Nam Lyncestæ sub ARRHIBEO fuère, ducente à Bacchiadis originem. Huic nata est è filia neptis, Philippi Amyntæ F. mater, Eurydices filij, Irrha uerò filia. Epirotarum gens, Molossi, sub Pyrrho Neoptolemo fuère, quem Achilles procreauit, & sub eius successoribus, Thessalici sanguinis. Hactenus Strabo.

SEMELE, studiosè ambita ab ACTÆONE, stuprum auctore incerto patitur: quem etsi superstitione Ethnica Iouem prætenderet, patrem tamē placare haud potuit, atque in arcam cum filio recens edito coniecta, & maris tempestatibus & fame conficitur. Cuius tantæ acerbitatis eam quasi compensationem tulit, ut ab Eleuthero laconibus tum sepultura honorifica affecta sit, tum honoribus diuinis culta. Pausanias. Fabulam habet Ouid. lib. 3. Metam.

DIONYSIVS, Inus materteræ pio studio educatus, uictor Indos adijsse, primusq; uini usum mortalib. monstrasse, uanissimis Grę corum proditur fabulis: honoratus propterea ab ijsdem uanitate ac superstitione eadem tanquam uini D E V S festorum dierum cultibus,

bus, quos ipse uiuo sibi instituisset. Fabulam eius habent Euripides, Diod. Arrianus, Apollod. Hyginus, Ouid. Metam. lib. 3. & seq. Meminit Eusebius sepulcri eius apud Delphos iuxta Apollinem aureũ: & addit ex Dinarcho Poëta, occisum in prælio contra Persea. Nomen Dionysius, quod à Nyso monte fabellæ Græcæ deriuant, uidetur alludere ad NOHAM: de quo sacrarum literarum monumenta prodidere, quòd primus uineam conseuerit: Cumq́ꝫ è uini auidius hausti potu inebriatus, partes eas nudasset, quas tectas uult natura, ideoq́ꝫ à scelerato filio Chamo illusus esset, duplicis fabulæ originẽ dedit. Nam Bacchi ebrietatis diuinitas Noham ebrium respicit, ludentibus hîc solita leuitate sua Græcis: Chami uerò impietas, Saturni in patrem Cœlum facinus, cui uirilia amputârit, exprimit. Latini de Dionysio Bacchi & Liberi patris nomina usurpârunt: quorum illud in Romanorũ Germania cõseruauit ad Rhenum urbs Baccheracum, cùm sit Bacchi ara, condita fortè ob felicem isthic uini prouentum. Quomodo Bacchanalia, Romæ occultè uarijs libidinum & flagitiorum generibus agitari cœpta, Senatus edicto prohibuerit, auctoribus ad supplicium raptis, Liuius tradit libro nono. Decad. 4. Orgia Bacchi tandem penitùs aboleuit THEODOSIVS Imp. A' quibus orgijs appellatam uideri uoluit Borgiam familiam suam ALEXANDER VI. Pontifex Romanus. Porrò autem geniti Dionysio fuêre ex ARIADNE, Minois filia.

THOAS, regnauit in Lemno insula: & filiæ pietate contra mulierum in uirorum cædem cõspirationes sceleratas conseruatus, migrat in Chium. Apollonius, Apollodorus, Statius. Hyginus cum Thoâte, rege Tauricæ, qui dira & Scythica immanitate hospites Dianæ mactasse traditur, eundem facit.

NAIS, nympha.

EVRYMEDON.

PHLIASVS.

Nominantur inter Argonautas ab Hygino Fab. 14.

HYPSIPYLE, prꝑstat patrem saluum ✳

SICINVS, dedit nomen Sicino insulæ, quæ antea Oenoë dicebatur. Apollonius.

 ✳ contra

contra ciuium mulierum uesaniam. Pro quo regnare ipsa iussa, ARGONAVTAS in Lemnum appulsos domo & hospitio suscipit, IASONI liberius consuescit, & connubij spe illecta, uirginalem ei pudorem prostituit. Pellitur tandem ab ijsdem ciuibus mulieribus, quæ de Thoante conseruato edoctæ, ipsam solùm à parricidij scelere immunem extitisse, indignarentur: & capta à piratis, ac uendita à LYCVRGO regi, tum liberaliter habetur, tum filio ipsius Archemoro nutrix præficitur. Ob cuius interitum pòst ad supplicium destinata, conseruatur ab ADRASTO. Apollonius, Eusebius, Ouid. Propertius, Hyginus.

AVTONOE, fuit connupta cum ARISTÆO: atque è filij casu reliquisq; paternæ domus calamitatibus mœrore & luctu confecta, Thebis Ereneã, qui agri Megarici uicus fuit, secedit profuga, ibiq; defuncta, tumulo honorificè conditur. Theocritus, Diodorus, Pauf. Apollod. Ouid. Aristæi mariti fabulã habent Diodorus lib. 4. cap. 14. Virgil. lib. 4. Georg. Explicat etiam de historia eiusdem Seruius lib. 1. Georg. Nascitur autem Autonoë ex Aristæo.

ACTÆON, eductus à CHIRONE, ferarum uenationibus sese dedit: cumq; ideo canes aleret plurimos, ab ijsdem rabie percitis discerpitur. Diod. Pauf. Apollod. Extat Actæonis fabula apud Ouid. Metam. lib. 3. Hyginum fab. 180. Aliter de eius historia explicant Palæphatus & Fulgentius.

INO, educat DIONYSIVM in Brasiatarum agro. Collocata ATHAMANTI regi, geminæ prolis infelix mater fit: cumq; Melicertam ipsa furore atq; insania inflammata iugulasset, cum altero Learcho, à patre occiso, in mare desilit, seq; submergit, & inter nymphas Leucotheæ nomine à Græcis, matris Matutæ à Romanis colitur. Homerus, Theocritus, Diodorus, Pausanias, Apollod. Cicero, Hyginus, Ouid. Lactantius. Apud Romanos primũ ei templum uouisse CAMILLVM, refert Plutarchus in uitis.

AGAVE, nupsit ECHIONI, Sparto, è quo enixa filium Pentheа, Bacchi hunc sacra noua contemnentem, per furorem, nempe feram esse arbitrata, membratim concidit. Theocritus, Apollod. Hyginus, Ouid.

POLYDORVS rex in matrimonio habuit Nycteida, Nyctei F. è qua filium suscepit, LABDACVM.

III. LABDACVS, fuit in Nyctei & Lyci tutela: à quo posteriore cùm iam puber regnum recepisset, non multò pòst cedit è uita. Herod. Euripides, Pausanias, Arrianus.

IV. LAIVS, traditur patris testamento Lyci tutelæ: post cuius

cædem

pulsus AMPHIONIS armis, Pelopis benigno hospitio accipitur. Ab hoc post ZETHI interitum, ciuibus ad regnum reuocantibus, dimissus honorificè, scelerato, sibiq́ ac familiæ omni exitiali conatu, filium eius Chrysippum ad stuprum rapit. Quippe & Pelopis mox bello graui petitur, & oraculi monitu à filio se interfectum iri cognoscit. Quod periculum etsi uxoris consuetudine abstinendo uitare constituerat, cumq́ per ebrietatem ab eo proposito declinasset, genitum inde Oedipum exponi iusserat, fati tamen uim auertere haud potuit. Nam conseruatus ille est mirificè, ac patri iam ætate iusta in Phocidis triuio quodam factus obuiam, cùm fastu regiò cedere uia iuberetur, per contentionem tanquam ignotum perimit. Herod. Euripid. Diodorus, Plutarchus, Pausanias, Arrianus, Athenæus, Eusebius, Hyginus. Variat de interitu eius Suidas οἰδίπους. Ab Æliano traditum est, Laium omnium primum formosorum puerorum amoribus arsisse, indeq́ id Thebis honestum haberi cœptum. Quod ut de hac ciuitate non impugno, ita auctores uitij istius sceleratissimi, nimisq́ per Græciam & Italiam noti, longè uetustiores esse constat Sodomitanos, qui & cœlitus immisso incendio, pœnas eius iustas luerunt. Oraculū Laiò datum recitat Pindari Scholiastes huiusmodi:

μὴ σπεῖραι παίδων ἄλοκα, δαιμόνων βία.

HABVIT Laius in matrimonio Iocasten, Menœcei F. Vnde genitus Oedipus.

V. IOCASTVS, cognomento OEDIPVS, ob aduersas oraculi prædictiones patris iussu expositus, ac casu à POLYBI, regis Corinthiorum, pastoribus inuentus, atque in aulam clàm perductus, ab uxore huius, quæ liberis careret, pro filio supponitur atq́ educatur. Cumq́ iam puber robore corporis atq́ firmitate, qua in certaminibus præstabat, æqualiū sibi parasset inuidiam, & uti spurius contemneretur, Delphos originem suam exploratum petit. Vbi tristi responso se fore interfectorem edoctus, frustra Corinthum declinando, facinus id paulò pòst imprudens committit: & liberatis à Sphingis sæuitia Thebanis, matrem, eius rei præmium, inscius ducit, ex eaq́ liberos gignit. Quibus tot tamq́ inauditi sceleris flagitijs suis cognitis tandem è TIRESIA uate, luminibus se priuat: ac ceu dirum κάθαρμα Thebis eiectus, in Attica terræ hiatu absorbetur. Pindarus, Herodotus, Eurip. Diodorus, Apollodorus, Arrianus, Statius. De Sphingis fabula diuersis sententijs explicârunt Pausanias in Bœoticis, Suidas οἰδίπους, & Palæphatus. Variat etiam de reliquis Oedipi rebus gestis nonnihil Hyginus fab. 67. Abijt nomen eius in prouerbium de hominibus sagaciter coniectandi peritis. Vnde est Terentianum illud: Dauus sum non Oedipus. Traditur autem Sphingis ænigma ab

Oedipo solutum eiusmodi: Quod esset animal, quod manè pedibus quatuor, meridie duobus, uesperi tribus incederet. Id Oedipus hominem esse affirmando, pedes ad corporis & imbecillitatem & robur in infantia, ætate firma & senecta, retulit.

NOMINANTVR Oedipi à Iocasta liberi: ETEOCLES, Polynices, Antigone & Ismene.

VI. ETEOCLES, suscepit regnum post patris exilium: De quo ita cum Polynice fratre pactus, ut alternis hoc annis tenerent, primus ipse ab eodem pacto discedit. Ideo bello eius graui per Argiuos petitus, & post infelicem ad Ismenum pugnam Thebis obsessus, duello prouocantem pari ferocia excipit, mutuaque cum eo cęde perit. Herod. Sophocles, Euripides, Diodorus, Pausanias, Apollodorus, Suidas, Statius. Scribunt Pausanias & Hyginus, mitti fratribus his solitas solennes inferias, quibus dum adolerent, cùm flamma tum emissus ex ea fumus in partes duas discederet.

VII. LAODAMAS, commmendatus CREONTIS tutelæ, iamque ætate ad imperandū matura præesse regno iussus, ÆGIALEO & Epigonis post decennium ad arma reuersis, cum copijs ad Glisantem occurrit, prælioque cum hoste inito, etsi præclara multa uirtutis ederet facinora, cæso in cæteris ipso duce Ægialeo, tamen fusus fugatusque, & de patriæ defensionis spe reliqua depulsus, exul ad Illyrios profugit. Herodotus, Pausanias. Apollodorus ab Alcmæone occisum, ait.

POLYNICES, ob patris diras & execrationes, quas ille adhuc regnans ipsi obnunciârat, Argos profectus ad ADRASTVM, gener ab hoc asciscitur: & conciliatus cum ETEOCLE fratre, Thebasque accersitu eius regressus, cùm de imperio dissidere ab eo cœpisset, ad socerum profugus redit. Cuius superbo apparatu in Bœotiam reductus, & post uictoriam ad Ismenum Thebis obsessis, fratrem ad duellum prouocare ausus, eo certamē suscipiente, ambo uitā regnūque amittunt. Sophocles, Diod. Pausan. Apollodorus, Suidas, Statius, Hyginus.

ANTIGONE, fuit eximio in patrem & Polynicē fratrem amore & pietate: quorum illum in exilium comitata, hunc cæsum, & sepultura à Creonte prohibitū, trahere suis manibus eò perrexit, usque dum in accensum Eteoclis rogum conijceret. Iccirco à Creonte in carcerem condita, & supplicio destinata, uoluntaria morte defungitur. Sophocles, Apollodorus, Statius. Variat nonnihil de historia eius, & à seipso & ab alijs dissentiens, Hyginus fab. 72. & 243.

ISME-

ISMENE, memoratur ab Apollodoro & Statio.

POLYNICES in matrimonio habuit Argiam, Adrasti filiam, è qua liberos suscepit: THERSANDRVM, Timeam & Adrastum.

IIX. THERSANDER, restitutus in regnum ab Epigonis, reuocat ciues, qui cum LAODAMANTE post pugnam ad Glisantem patria profugi in Thessalia consederant. Inde AGAMEMNONEM consectatur ad Ilium: cumque fortiter pro Græci nominis dignitate propugnaret contra Telephum in Mysia, ab hoc perimitur, & in Elea ad Caycum fluuium conditur. Meminit Statius lib. 3. Ouid. in Ibin.

TIMEAS & ADRASTVS, oppugnârunt Thebas cum Epigonis, & Thersandro fratre. Pauf. in Corinth.

THERSANDRO nuptam fuisse reperimus Demonassam, Amphiaraí filiam, è qua liberos eius nominant Pausanias & Stephanus, TISAMENVM, Haliartum & Coronum.

IX. TISAMENVS, declaratur rex à Thebanis post Penelei interitum: & solus Laij & Oedipi dirarum expers manet. Pausanias.

HALIARTVS & CORONVS, urbibus Haliarto & Coroneæ nomina reliquisse scribuntur à Stephano ἁλίαρτος & κορώνεια.

TISAMENI coniugium ignoratur: filius tamen ei attribuitur AVTESION.

X. AVTESION, regnauit post patrem, atque ad dirarum auitarum pœnas ceu retractus, oraculo regnū deponere, & migrare ad Dorienses iubetur. Herodotus, Pausanias.

FVERE Autesioni liberi, THERAS & ARGIA.

THERAS, gessit tutelam Eurysthenis & Proclis, nepotum è sorore, & pulsis Heraclidarum armis Achæis, regnum Messeniacum pupillis petit. Hac in re cùm aduersante CRESPHONTE, institutam propterea sortitionē fraudulentè administrasset TEMENVS, Spartam se cum ijsdem pupillis deportat, usus illis ut antea, ita tùm etiam obsequentissimis. Cumque iam adultis populi iussu regnum reddidisset, uitam priuatam dedignatur, & conscripta è Lacedæmonijs tribuliū multitudine, hisque MINYIS adiūctis, qui pulsi è Lemno & Lacedæmone, in Triphylia consederant, migrat in Callistā insulā. Hîc spontè cedentib. Membliaris posteris, quem Membliarē ibi Cadmus cum colonis reliquerat, tùm urbi, quam auspicijs suis condiderat, tum insulæ toti de se nomen imponit, longamque ex se posteritatē propagat: E qua tandem, regnante CRINO, Battus Cyrenen coloniam deduxit. Heród. Pindarus, Apollonius, Strabo, Pausanias, Eustathius.

ARGIA,

ARGIA, nupsit Aristodemo Heraclidæ, & genitos ex eo Eurysthenem & Proclem gemellos, diligenti cura educat. Herodotus, Pausanias.

RELIQVIT Theras liberos, SAMVM & Oeolycum.

SAMVS, migrauit cum patre in Theram insulam, & regnum defuncti successione excipit, atque ad posteros transmittit. Scholiastes Pindari.

OEOLYCVS, detrectat patris in colonia deducenda iussa & societatem, ac Spartæ tanquam in solo natali subsistit: Quam eius simplicitatem cùm pater deridens, se ouem lupis relicturum diceret, ab eo euentu hoc illi nomen mansit. Herod.

PORRO', quia diuersas fratres hi propagârunt stirpes, nos separatim de ijs explicabimus, & primũ de Sami posteritate agemus. Quo editi filij fuêre, Clytius & Telemachus.

CLYTIVS, regnauit fortè post patrem: & deriuo è satu eius Aristotelem, cognomento Battum, qui Cyrenen colonia deducta, regnum ibi nouum condidit, & possidendũ posteris reliquit. Nam Pindari Scholiastes de utroque explicans, Battum Sami ἀπόγονον uocat, & Clytium in Thera mansisse, ait.

TELEMACHVS, pertæsus uitam priuatam, in Siciliam exercitum ducit. Vbi PHALARIDEM, Agrigentinorum Tyrannũ, bello adortus, debellati atque euersi ditionem occupatam sibi uendicat, & ad posteritatem transmittit. Scholiastes Pindari.

GENERANTVR Telemacho liberi, Emmenides & Xenodicus.

EMMENIDES, cognomento χαλκιοπεὺς, dedit posteris EMMENIDARVM cognomentũ. Scholiastes Pindari: à quo commentator recentior dissentiens, Chalciopei filium uocat.

XENODICVS, nominatur à Scholiaste Pindari.

HIPPOCRATES. CAPYS.

Ambo benignè habiti à THERONE, potentiam uirtute & factis fortibus auctam ei inuident, ac bellum temerè inferũt: In quo prælio uicti, & fortunis omnibus spoliati, Camicum se recipiunt. Scholiastes Pindari.

EMMENIDE editur filius Ænesidamus.

ÆNESIDAMVS, homo animi impotentissimi, & ad uindictam cupiditatis indomitæ, misit GELONI Syracusano munera,

quod

quod in seruitutem eos redegisset, quos inuadere ipse statuerat, nisi is præoccupasset. Arist. lib. 1. Rhet. cap. 12.

PROCREANTVR Ænesidamo liberi, THERON, Dinomenes, & Xenocrates.

THERON, oppugnat cum GELONE Carthaginienses, qui tempore belli Xerxiani Siciliam inuaserant: & conciliatus fratri huius HIERONI, desertos & proditos ab eo Himerenses defectores acerbè mulctat, urbemq; cædibus exhaustam nouis Doriensium colonis complet. Obijt Olympiad. 76. cùm regnasset annos 16. Diodorus, Scholiastes Pindari. Floruit potentia, opibus & ciuium externórumq; hominum erga se studio mirifico, comparato ut alijs uirtutibus, ita & imperij moderatione singulari. Laudatur à Pindaro in Olympiad. Od. 2. & seq. quarum hæc eiusmodi de ipso habet elogium: Dico iurans, intra centum annos nullam ciuitatē peperisse uirum magis beneficum amicis, & liberaliorē Therone. Stratagemata eius narrat Polyænus lib. 1. & 6.

DINOMENES, memoratur à Scholiaste Pindari.

XENOCRATES, celebratur à Pindaro in Pyth. Od. 6. in Isth. Od. 2.

THRASYBVLVS, nominatur à Pindaro Isth. Od. 2. Scholiastes interdum fratrem, interdum filium Xenocratis uocat.

NVPSIT THERONI filia Polyzeli, fratris GELONIS, è qua liberi ab illo suscepti, THRASYDÆVS, Gorgus & Demarata.

THRASYDÆVS, impositus à patre præfectus Himerensibus, ciuium rebellionem insolentia sua exuscitat: Qua grauibus supplicijs repressa, cùm patri defuncto successor datus, ad ingenium redijsset, & conductis mercenariorum copijs cum HIERONE Syracusano bellum suscepisset, prælio fusus fugatusq;, ex desperatione mortem sibi consciscit, & familiæ imperium apud Agrigentinos finit. Nam hi exinde in populari statu uixere. Diod. Scholiastes Pindari.

GORGI nomen habet Polyænus lib. 6.

DEMARATA, collocatur à patre GELONI Tyranno, & numo Demaratio denominationem præbet. Scholiastes Pindari.

POSTERITAS OEOLYCI.

NASCITVR Oeolyco filius unicus, Ægeus.

ÆGEVS, reliquit de se Spartanæ tribui cuidam Ægidarum cognomentum, è qua uiri, cùm filij eis morerentur, ex Erinnyum oraculo templum Laio & Oedipo extruxere, quod postea apud eos Theræos mansit, qui ab ijsdem uiris oriundi essent. Herod.

HYRÆVS.

EVRYLEON, militauit Polydoro & Theopompo, Regibus, contra Messenios: ac aciei mediæ præpositus, æquo marte pugnat. Pausan.

MÆSIS. LÆAS. EVROPAS.

Fecere Heroica Spartæ monumenta Cadmo, Oeolyco & Ægeo, progenitoribus. Pausan.

¶ PERTINENT ad Cadmi familiam, ut diximus, THELIDÆ: etsi propago horum ignoratur. Nam Laërtius primum inde nominat Examium, patrem Thaletis Milesij, reliqua maiorum serie omissa. THALES autem cùm Ægyptiorum sacerdotum consuetudine usus, præcipuè operam daret disciplinis Physicis & Mathematicis, inter septem Græciæ sapientes locum promeruit. Et refertur ad auctorem ipsum anni usus, quem distribuisse traditur in dies 365. Constat & Solis eclipsin, quæ accidit sub CYAXARE & Halyatte regibus ab eo prædictam. Obijt Olymp. 58. cùm certamen gymnicum spectaret, æstu scilicet ac siti & infirmitate fatigatus iam senex. In Apophthegmatis Thaletis celebrantur: Vnum quippiam præclarum eligendum: &, Nosce teipsum. Astronomiæ intentũ, & sursum spectantem, ac in puteum delapsum, Thracensis quædam festiua & comis ancilla derisit, quòd ea quæ in cœlo sunt nosse studeret, quæ uerò ante ipsum, & ad pedes sita essent, ipsum laterent, teste Platone in Theæteto.

II.

FAMILIA
LEITI.

ALECTOR, fortè à Spartorum satu oriundus, nominatur ab Apollodoro.

LEITVS, adiunxit se IASONI ad expeditionem Colchicam. Apollod. Diuersus ab hoc est, qui ipsi ὁμώνυμος bello Troiano præfuit cum Peneleo Bœotorum copijs, sed sanguine cognatus, testibus Dicty Cretensi & Hygino fab. 97.

PENELEVS, præficitur Bœoticis copijs ductor in bello Troiano, quod TISAMENVS nondum imperio capessendo per ætatem idoneus esset: cumque in prælijs audacter se certaminibus & periculis obijceret, atque ex hostium ducibus sua manu iugulasset Idomenea, occiditur ab EVRYPYLO, Telephi F. Hom. Dictys, Euripides, Pausan. Apollod. Variat Virgil. Æneid. 2.

OPHELTAS. Pausan.

I. DAMASTICHON, surrogatur in regno AVTESIONI, quem oraculum migrare ad Dorienses iusserat. Pausan.

PHILOTAS, deduxit cum Ionibus coloniam Prienen, in qua urbe genitus fuit BIAS, unus è septē Græciæ Sapientibus. Pausan.

II. PTOLEMÆVS. Pausan.

III. XANTHVS, postremus cum regio nomine Thebis imperat. Nam de Melænis, quod uicinum Atticæ & Bœoticæ castellum fuit, Atheniensibus hostis factus, & THYMOETEM regem ad duellum prouocare ausus, id recusante illo, à MELANTHO non tam uirtute quàm dolo conficitur: neque uni amplius, sed pluribus Reipubl. summa committitur.
Pausan. Polyænus, Eusebius,
Suidas.

APPENDIX

APPENDIX DE SPARTIS, E QVIBVS CVM CADMI POSTERIS SIMVL THEBIS REGNARVNT FAMILIAE CHTHONII ET ECHIONIS.

REGVM Thebanorum familijs subijcio breuem de Spartis expositionem: quia & hi Thebis reges dederunt, neq; obscuris eas beneficijs complexi sunt. Tradidit autem è Palæphato Eusebius, tributum Spartis nomen, quòd cùm proximarum essent regionum con uenæ quidam, Cadmum subitò inuaserint, & propter repentinos quasi de terra contractus ex omni parte confluxerint. In quam eandem ferè sententiam hæc prodita legimus apud Marcellinum libro 19. Terrigenas, inquit, illos non finibus terræ emersos, sed exuberandi pernicitate credimus natos: qui quoniam inopini per uaria uisebantur, Sparti uocitati, humo exiluisse, uetustate ut cætera fabulosius extollente, sunt æstimati. Ergò cùm Cadmo ab hoc hoste periculum haud mediocre immineret, ille usus ingenio Phœniceo, astu Spartos diuulsit, atque, ut conijcere è fabulis licet, per ciuiles contentiones inter se commissos, ita paulatim uires eorum imminuendo depresit atq; consumsit, ut reliquis ducib. cæsis, superstites CHTHONIVS, VDÆVS, ECHION, HYPERENOR, PELOR, pacem cum eo sponte fecerint, & in consuetudinem eius inducti, cum sua quisq; multitudine Thebas migrârint, Spartorumq; ibi nobilitatem propagârint. Nam id posteri cognomẽtum retinuere: Vt credere id nos de Spartis par sit, quod Romanæ memorant historiæ de traductis Romã cùm ciuitatibus & familijs alijs, tùm inprimis Albanorum nobilitate. Auctor enim est Pausanias, opes Spartorum secundum Cadmum huiusq; familiam semper maximas fuisse: Quippe qui & regnũ cum ea quasi alternatim possedere: dignitate nempe ea, qua Artynos Epidauri, Basilidas Ephesi, ALEVADAS in Thessalia floruisse, accepimus. Cæterùm quàm Hyperenor & Pelor reliquerint posteritatem, literis proditum non est. Ab VDÆO genus traxit suum TIRESIAS uates, quem fortè ob libidines obscænas, & præcipuè à Thebanis usurpatas, in fœminam fabulæ mutatum fingunt. Ac nominatur filia huius Manto, qua genitus Ocnus seu Bianor condidit in Cisalpina Gallia Mantuam urbem. Sed præcipuè CHTHONIVM & ECHIONA euexit iũcta cum regia Cadmi familia amicicia & affinitas: Sicuti postea in Repub. summũ EPAMINON-

MINONDÆ cùm bellicæ tùm togatæ uirtutes locum dedêre: Quem quidem & ipsum Spartorum satu editum, præter Pausaniæ ea de re testimonium etiam usurpatus in clypeo insignis loco serpens, docet. Iccirco de his solis expositione nostra explicabimus. Sunt autem de Chthonij familia plana omnia, nisi quòd de Amphione nonnihil uariatur: quem alij ad Cadmi, alij ad Polydori tempora referunt. Sed sequimur nos Pausaniam, qui idem & magicarum artium illum insimulat, qua de re uerba ipsius subijcere uisum fuit: Ægyptius quidam, inquit, Pelopem aiebat acceptum nescio quid ab Amphione, eo in loco defodisse, cuius arcana ui cõterriti essent Oenomai equi, & omnes deinde equi eodem afficerentur modo. Et censebat ille quidem Amphionem & Orpheum (etsi Thrax diceretur) Ægyptios fuisse. Propterea uerò alteri feras allicere, alteri saxa ad muros extruendos mouere attributum, quòd uterque magorum scientia excellerent. Hactenus Pausanias. Neque de Echionis posteritate auctorum dissensio ulla est: & quidem præstita regibus fides cõseruauit hanc diutius. Ex EPAMINONDÆ maioribus nulli planè nominantur. Ac quod scripsit Euripides, familias nobiles, si opes amittant, etiã dignitate obscurari, id Epaminondæ historia ita confirmat, ut cùm tam illustre eius genus fuerit, tamen ne de patris quidem nomine consentiatur. Etsi quod alibi idem Euripides ait: Virum nobilem, si in egestate sit, nihil esse, itidem Epaminondas suo exẽplo refutauit egregiè. Quippe qui in paupertate maxima ad summum, ut diximus, imperium per omnes honorum gradus ascenderit, & principem inter ciues locum consecutus sit. Quæ nos hoc in loco paucis attigisse sufficiat. De Spartis id adhuc unum addo, quod est apud Hyginum, notam generis naturalem eos habuisse draconem. Cuius simile quiddam alibi retulimus de Seleucidis Syriacis. Et notum est, quæ regibus Francicis in Gallijs, è stirpe HVGONIS Capeti, quasi uis quædam ingenita dicatur ad Strumas sanandas, quę itẽ de PYRRHO Epirota referatur in lienis doloribus tollendis, cùm nempe rex ille mactato gallo albo, pede dextero morbo isto laborantibus splenem leniter premeret. Obseruatã etiam aiunt in Georgij Castrioti, quem SCANDERBEGVM Turci nominârunt, brachio dextero notam forma ensis. Cui quòd adijcitur de matris somnio, quæ serpentem magnitudinis ingentis parere sibi uisa sit, alludit ad Dionis & Gellij de Alexandro, Scipione & Augusto Cæsare expositiones. Sanè habent plerunque præ alijs familiæ aliæ peculiare quiddam, seu ingenia consideres, seu corpora ipsa: & quò stirps ceu ab radice sua est generosior, eò excellere eam magis utriusque generis uirtutibus, quæ & signis interdum certis à natura monstrantur, credibile est.

FAMI-

FAMILIA CHTHONII.

CHTHONIVS, memoratur inter Spartos ab Apollodoro, Hygino & Pausania. Fuere autẽ Chthonio filij, NYCTEVS & LYCVS.

NYCTEVS, accipit à POLYDORO rege tutelam Labdaci. Vindicaturus Antiopes filiæ raptum, EPOPEA, regem Sicyonium, eius facinoris auctorem, bello oppugnat. In quo prælio uictus, grauiterq́ uulneratus, non multò pòst cedit è uita. Pausan. Apollod. Hyginus. Meminit Stephanus, & Hysiam Bœotiæ ab eo conditam, ait.

LYCVS, successit fratri in LABDACI tutela: cuius bello mox contra Sicyonios renouato, reddere hos Antiopen coegit. Cumq́ regnum summa iusticiæ laude administratum Labdaco fide opt. restituisset, hoc uita defuncto, Laij etiam gerere tutelam iubetur. Quo tempore ab Amphione & Zetho bello petitus, & prælio decertare coactus, cadit in acie. Pausan. Apollod. Hyginus.

DIRCE. Apollod. Hyginus.

LYCVS, educatus clanculum in Eubœa, & per seditionme Thebas reuocatus, CREONTEM uictum interficit: cumq́ & Herculis liberis necem moliretur, ab eo præuentus, talione scelus id luit, Vt est in fabulis Euripidis & Hygini. Nam de Hercule quidem certè temporum consideratio exquisitior, uix admittere hoc uidetur.

HABVIT in matrimonio NYCTEVS Polyxô, quæ peperit filias, Nycteida & Antiopen.

NYCTEIS, nupsit POLYDORO, filio Cadmi. Apollodorus.

ANTIOPE, ab Epopeo Sicyonio in matrimonium postulata, ac dum pater rem differt, ui rapta & constuprata, belli inter utrunque

causa existit. Quo itidem absumto utroque, cùm noua Epopei successori Laomedonti expeditione eam extorsisset Lycus, in itinere, dum cum patruo domum repetit, partu leuatur, edita prolè gemina. Ideò Dirces sæuitia habita diriter, tandem astu è uinculis elabitur, & filijs teterrimi belli atque cædis hortatrix fit. Pauf. Apollod.

FVERE Antiopæ filij, AMPHION & ZETHVS.

AMPHION, inuadit in regnum cum Zetho fratre contra LAIVM & Lycum, idque huius cæde, fuga illius, occupatum sibi uendicat. Coniunxit Thebas cum Cadmea, ac muro cinxit, non quòd lyra saxa duxerit, sed quòd affatus suauitate homines rupium incolas, incultis moribus rudes, ad obsequij ciuilis pellexerit disciplinam. Interijt peste cum domo uniuersa: affectus ea clade diuinitùs, tum ob insolentis animi fastum, tùm ob impiè contra regem dominum sumpta arma. Pausan. Apollod. Zetzes, Solinus. Fabulam Amphionis habet Ouid. Metam. lib. 6. de qua præter Palæphatum μυθολογικῶς explicant Macrobius lib. 2. in somnium Scipionis, Horat. de arte Poëtica. Variant de eo Manetho, Eusebius & Clemens lib. 1. Stromat. & ad Cadmi ætatem ipsum referunt. Idem Eusebius lib. 10. de præparat. Euang. cap. 3. inter eos nominat, qui ante Homerum scripserunt. Plinius Musicæ inuentionem Amphioni tribuit: Qua eadem de re Pausanias diligentiùs explicans, ideo Amphionem in Musicis famam cõsecutum, ait, quòd à Lydis ob Tantali affinitatem modos didicerit, primusque chordas tres ad quatuor, à superioribus inuentas, addiderit. Quanquam cæteroquin Thebanos Musicæ studiosissimos fuisse, constat. Vnde Alcibiades, cùm offensus inflatarum buccarum & oris quasi obstructi deformitate, dum fistula caneret, hanc abiecisset: Canant, inquit, Thebanorum liberi, nam loqui nesciunt: Nos Athenienses exemplum Mineruæ & Apollinis imitabimur, quorum illa fistulam abiecit, hic fistulatorem excoriauit. Et factum quidẽ inde, ut ars hæc Athenis è liberalibus disciplinis excluderetur, teste Plutarcho.

ZETHVS, regnauit post fratrem, & filio legitimo coniugis scelere spoliatus, animi ægritudine contabescit. Pausan.

NEIS. Pausan. in Bœot.

FVIT cum Amphione cõnupta NIOBE, Tantali F. è qua proles numerosa refertur, sed nominibus diuersis ab auctoribus diuersis. Filios Ouid. Metam. lib. 6. hos habet: Ismenum, Sipylum, Phœdimum, Tantalum, Alphenora, Damasichthona & Ilionea. Filias nominat Apollodorus: Ethodæam, Cleodoxam, Astyochen, Phthiam, Pelopiam, Astycrateam & Ogygiam. Idem addit Amphionem filium ac filiam

ac filiam CHLORIDEM, quæ postea nupsit NELEO, regi Pyli in Messene. Meminère eiusdem Chloridis Homerus, Pausanias, Hyginus. Quantopere autem de liberis Amphionis uariatum fuerit, docent Ælianus lib. 12. uariæ hist. cap. 36. Gellius lib. 20. cap. 6.

FAMILIA
ECHIONIS.

ECHION, annumeratur Spartis ab Apollodoro, Ouidio, Hygino. Horatius & Lucanus Thebas de nomine ipsius Echionias cognominant: Vnde Acron has ab eo conditas falsò tradidit.

FVIT Echioni coniux Agaue, Cadmi F. è qua filium suscepit PENTHEA.

PENTHEVS, adiungitur à Cadmo regni socius POLYDORO: cumq; imperaret insolentiùs, & Bacchi sacris nouis aduersaretur, discerpitur à Bacchis. Euripid. Paus. Fabulam Penthei habent Theocritus Eidyll. 33. Ouid. lib. 3. Metam. Hyginus fab. 184.

MENOECEVS, memoratur ab Euripide, Diodoro, Hygino. Liberi ei tribuuntur CREON & IOCASTA.

CREON, surrogatur in regno LAIO: Quo tempore cùm Minyarum seruitio Thebas per Amphitryonem & HERCVLEM liberasset, huic operæ nauatæ præmium filiam collocat. Pòst idem regnum ob depulsum Sphingis periculū sponte Oedipo concedit: gratiam eius summam colligit, & ceu secretorum omnium consors Delphos ad oraculū de urbis cladibus consulendū ablegatur. Vnde cum tristi nuncio reuersus, eiecto illo, Eteoclis partes, contra Polynicē propugnandas suscipit: cumq; utroq; peremto, Laodamantis tutela dominatum recuperasset, uictoria insolentia ea utitur, ut cæsos hostes sepultura prohibuerit. Quod facinus uindicante Adrastia ita mox luit, ut & Æmonem filium sæuo casu amiserit, & grauem Thesei bello cladem acceperit. Interficitur à Lyco, quem ex Eubœa ciues clàm ad regnum reuocassent. Eurip. Pausanias, Apollod. Hyginus, Statius.

IOCASTA, fuit cum LAIO. Ab eius cæde à CREONTE fratre præmium cum regni adeptione proposita, qui Sphingis pericula depulisset, inscia Oedipo filio nubit, & quem genuisset parentem ex se facit. Quo tàm diri sceleris facinore enunciato tandē à TIRESIA, sponte uitam abrumpit. Eurip. Sophocles, Pauf. Apollod. Hyginus, Statius. Homerus Epicastam uocat.

CREONTI coniux fuit EVRYDICE, è qua geniti ei liberi, Menœceus, Æmo, Megara, Pyrrha, Heniocha.

MENOECEVS, occidit se pro patriæ salute, oppugnante eam cum Argiuorum exercitu Polynice: cùm seu oraculum Delphicum, seu TIRESIAS uates id fieri iussisset. Estq; ad eius tumulum malus Punica enata, cuius poma cùm maturescerent, rupto exteriore cortice, sanguinis quiddam ostendebant. Pausan. Apollod. Hyginus, Statius. Meminere Plutarchus in Pelopida, Iuuenalis Sat. 14.

ÆMO, præstitit fortem patri operam contra Polynicem & Argiuos: cumq; scelere eius Antigonen sponsam amisisset, necem sibi indignabundus consciscit. Sophocles, Eurip. Propertius, Hyginus, Statius. Apollodorus à Sphinge occisum, ait.

MEGARA, Herculi ceu fortis operæ præmium collocata à patre, per insaniam ab eo cum liberis perimitur. Homerus, Euripides, Theocritus, Hyginus. Variat iterum Apollodorus, & Iolao ab Hercule concessam, tradit.

PYRRHA, nupsit Iphiclo, fratri Herculis. Theocritus.

HENIOCHA, memoratur à Pausania in Bœot.

FAMILIA EPAMINONDÆ.

POLYMNIDAS, prætalto Spartorum satu editus, fuit tenuiore inter Thebanos bonorũ facultate, quàm uel per mediocris quiuis, sed qui uirtutis studijs ea constantia incumberet, ut contenderet cum optimis. Diodorus, Probus.

EPAMINONDES, educatus patris sedula cura liberaliter, in literis instituitur à Lysia Pythagorico, & pro militiæ rudimento militat Lacedæmonijs contra Mantineos Arcadas. Quo tempore periclitantem de uita PELOPIDAM, etsi tùm adhuc ignotum, conseruat fortiter. Hinc de pace ANTALCIDÆ Spartam legatus missus, AGESILAO regi se opponit liberius, ideoq; Thebanos hostes iudicatos bello impugnantem CLEOMBROTVM, memorabili ad Leuctra prælio uincit: plectit perfidiosos Thespienses, Arcadibus condendæ Megalopolis auctor fit, reuocat Messenios, & IPHICRATEM ab ea expeditione se inuadere ausum, in fugam uertit. Profectus etiam cum Cleomene in Alexandrum Pheræum, Pelopidam captum dimittere Tyrannum cogit. Pòst rursus cum exercitu in Peloponnesum transit, Lacedæmonios ad Lechæum fundit fugatq;,

gatq, expugnat Phubiam urbem: & tertiò cum Lacedæmonijs ad Mantineam congressus, à Gryllo, Xenophontis Philosophi & Historici F. lethaliter uulneratur, relatusq in castra, tum deniq auelli sibi spiculum iussit, posteaquam percontanti dictum est, clypeum esse saluum, ut scilicet etiam in uulneris dolore æquo animo cum laude moreretur. Xenophon, Plutarchus, Pausan. Suidas, Cicero, Probus. Fuit uirtute incredibili, ac primus & solus patriam aliorum imperijs assuetam, ad imperium capiendum excitauit. Imitandum sibi Epaminondam præcipuè proposuisse accepimus Philopœmenem, & creditum idem fuit de PHILIPPO Amyntæ, rege Macedonum, qui quidem & alumnus fuisse ipsius traditur. In Apophthegmatis eius celebrat Plutarchus, quòd pio erga parentes studio prædicare solitus fuerit, suauissimum sibi omnium, quæ benè fortiterq gessisset, esse, quòd his adhuc uiuis apud Leuctra Lacedæmonios uicisset: cùm significare uellet, nihil tàm parentes φιλοσόργους delectare solere, quàm si liberos in gloria ob uirtutem capta excellere uideant.

STESIBROTVS, nominatur à Plutarcho ex historia Thebana Ctesiphontis: qui idem auctor addit, patris seueritate capite plexum, quòd iniussu ipsius pugnasset in hostem. Probus tamen uxorem ab Epaminonda ductam, negat. In quo cùm repræhenderetur à Pelopida, qui filium haberet infamem, ceu qui malè in eo patriæ consuleret, quòd nullos huic liberos relinqueret: Vide, inquit, ne te peius consulas, qui talem ex te natum relicturus sis. Neque uerò stirps mihi potest deesse, namq ex me natam relinquo pugnam Leuctricam, quæ non modò mihi superstes, sed etiam immortalis sit, necesse est.

REGNVM

REGNVM ARCADICVM.

QVÆ ARCADVM FVERIT ORIGO, QVOD REGNVM, QVAE FAMILIA REGIA: ET QVAE INTERITVM HVIVS SECVTAE in gente illa mutationes.

ARCADES propago sunt Cethimi, quem genitum patre Iauan, auo Iapheto, sacrarum literarum nos docent monumenta. Neque sonus nominis utriusque multum discrepat. Tantùm enim enunciationem duriorem Græca mollior nonnihil mutauit, & principio syllaba Ar accessit, quod est Ebræum Har, id est, mons, ut per Arcadas intelligas Ceteos montanos. Quippe montes habuisse Arcadiam plurimos, præter Geographos etiam Poëtarum fabulæ cõmonstrant, inter quos montes Cyllene maximus altitudine 20. stadiorum fuisse traditur à Strabone. Enimuerò in plurimis & diuersis Cethimi posteros insedisse sedibus, & gẽtes itidem nominibus diuersis propagasse, dubium prorsus nullum est, & nos alibi ea de re fusiùs explicauimus. Nam Suidas à Ceteis Latinos deriuat, Iosephus Cyprios, recentiores nonnulli Pœonas seu Pannonas: & ostendunt in cæteris argumentis Maccabæorum libri, ubi Alexander è terra Cethim egressus dicitur, & Macedonum originem ad Cethim conditorem pertinere. Nominatur etiam à Ptolemæo inter partes Ciliciæ Cetis, quam similiter à Ceteis profectam denominationem, apparet. Vt planè in eam sententiam inclinatione propendeam, CILICES à Cethim seu Citthim (nam ita aliqui scribunt) nomen conseruasse, enunciatione mutatione unius elementi deprauata: id quod quidem fermè linguis omnibus in peregrinis appellationibus usitatum esse, scimus: & Itali eodem modo n in l commutant, ut cùm pro Bononia, Panormus, Barcinon, pronũciant Bolonga, Palermo, Barselona. Sanè Græca gentem istam lingua corrupta usam, indeque & Paulum Apostolum nonnihil traxisse, D. Hieronymus scripsit: & Erasmus idipsum difficultatis, quæ in Epistolis eius occurrit, causam allegat. Cæterum citò Arcadas à reliquis Ceteis cognatis diuulsos, & in Europam progressos, Peloponnesum incoluisse, multorum confirmatur testimonijs. In quibus Homerus eos celebrat elogio ἀνδρῶν ἀγχιμαχητῶν καὶ ἐπισταμένων πολέμου. Estque inde, quòd αὐτόχθονες adeoque προσέληνοι credi uoluere, ueluti quos terra uel ante Lunam edidisset. Cuius rei ita meminit Ouidius:

Orta prior Luna (de se si creditur ipsi)
A magno tellus Arcade nomen habet.

Et Statius lib. 4. Thebaidos:

Arcades huic ueteres, astris Lunaq; priores, &c.

Neque Strabo negat, gentes Arcadicas uetustate è Græcis maximè excelluisse: cui addit Xenophon, Arcadas solos indigenas Peloponnesum inhabitasse. Quanquam αὐτοχθόνων nomen & Athenienses & Thebani & Æginetę sibi arrogârunt: è quibus Thebanos Phœnices, Athenienses Ionas extitisse, sed Aonibus Ægyptijsq; permistos, alibi demonstrauimus. Atque omnino genti huic tantis postea istis in sedibus incrementis auctæ, genius quidam affuisse uidetur felicior. Nam celebrantur à scriptoribus diuersæ Arcadum coloniæ: è quibus Pergamensem in Mysia Pausanias refert ad auctorem TELEPHVM. Hic enim regni hæres à Teuthrante institutus, ueteribus colonis Mysis è Germanica stirpe, etiam suæ gentis homines adiecit. Estq; credibile & Ceteos, quos tunc temporis adhuc Asiam incoluisse, Homeri carmen planum facit, ob cognationis memoriam Telephum regem asciuisse. Etenim materna origine is ex Arcadibus fuit. Cumq; filio Eurypylo cæso præfectum successorem Cetei Telephum, cognomento Latinum, accepissent, cum eo tandem Italiam petierunt. Tametsi Strabo de hac tota Telephi historia ita explicat, ut penè in dubium uocare eam uideatur, & quod tradidêre Poëtæ, illum cum matre æstu maris ad Mysiæ littus eiectum in Teuthrantis aulam deductum, itaq; regni hæredem institutum, tanquam fabulosum planè reijciat. Nec desunt in historijs argumenta, quæ Pergamum multò antiquiorem esse conuincunt: & nomen Germanicam planè sapit originem, Bergheim, ut conditores sint non Græci sed Mysi. E reliquis Arcadum colonijs, Italicas deductas accepimus ab Oenotro & Peucetio, fratribus, Euandro & Hercule: quibus quartam Itali addit Thucydides, & Italiam inde nomen retinuisse, falsò putat. Nam quod nominis huius etymon uerum extiterit, alibi à nobis explicatum est. Sunt qui & Paphijs Cypri & Phrygibus ad amnem Pancalam Arcadicam stirpem tribuant. Quod haud temerè affirmari, præter ea, quæ de Cypriorum & Pergamensium cognatione, ipsisq; gentis primis sedibus suprà enarrando exposuimus, Xenophontis testimonio liquidum fit, qui Arcadas gentem Græcarum nationum amplissimam uocat, & quibus ad summam potentiam comparandam aliud nihil, quàm concors animorum studium defuerit, propterea quòd Græcorum essent bellicosissimi, tum corporib. robustissimis & fortissimis: ut subinde in alias se terras eos diffudisse, planè uerisimile fiat, cùm quidem etiam solum patrium asperius eam cupiditatem facilè uel accenderet uel augeret. Et legimus hac

ratione

ratione in Cretam migrasse Cydonem, Catreum, Archidium, & Gortyna fratres, Tegei filios, conditis ibi urbibus de suis nominibus.

REGNVM Arcadum orditur Dionysius Halicarnasseus in ATLANTE: & nepotem eius è filia DARDANVM, deducta in Phrygiam colonia, regnum ibi Troianum condidisse, narrat. Quæ nullis rationibus uel auctorum testimonijs alijs confirmata, nos etiam repudiamus, & cum Pausania regni Arcadici initium ponimus in PELASGO. Quanquam uerène hoc rex ille nomen habuerit, nihil quod affirmem, habeo: & successorum quidem proximiorum nomina omninò sunt eiusmodi, ut pleraque uel conficta uel non rectè relata fuisse, uideantur. Tamen ut familię series constaret, nos retinenda ea putauimus: cùm quidem scribat de se Pausanias, studiosè sibi omnia percontanti ab Arcadibus, quibus diligentissimè explorata essent, illam enarratam. Quod si quis etiam Pelasgi nomẽ ut historicum retinere uellet, apparet à coloniæ deductione desumptum, nempe ἀπὸ τοῦ πέλας ἄγειν, quòd fortè è terris longinquis, hoc est, ex Asia, ubi instauratum humanum genus constat, in hæc loca cum Arcadibus ductor primum peruenisset. Meminit autem Apollodorus, diuersas fuisse de Pelasgo scriptorum sententias: quas nunc non excutio. Atque aliter nonnihil edisserit de posteritate ipsius Dionysius Halicarnasseus, qui idem & Lycaonis filios tantũmodo 22. memorat. Sed sequimur nos Apollodorum, qui nominat 50. etsi neque hoc negat, è matribus diuersis genitos. Neq; dehinc alia in familiæ huius propagatione, præterquam de Atalanta & Parthenopæo, auctorum dissensio occurrit. Quæ suo loco explicanda eo datiùs, hìc prætermittimus. Etsi in Apollodoro mendum esse suspicor, qui Iaso prognatam Atalantam ait, cùm antea fratrem Amphidamanti adiunxisset Idæum. Et de Parthenopæo secum ipse ita pugnat, ut alibi Talai Argiui (quam sententiam & Pausanias amplectitur) alibi Melanionis, alibi Martis filium uocet. Sed facimus nos cum Euripide, qui Arcada nominat, & editum Melanione patre, censemus. Postremus ex Pelasgi familia in Arcadibus regnauit ARISTOCRATES alter. Hunc enim cùm proditionis nefariæ conuictum populus necasset, Democratię per ciuitates institutæ sunt. Quæ res ut genti libertatem dedit, ita potentiam uehementer imminuit: quippe quæ exinde nihil ferè auspicijs proprijs gesserit, sed mercenariam militiam sectando semper alijs meruerit. Vnde Plato prouerbium fecit, Ἀρκάδας μιμούμενοι, de ijs qui alijs, non sibi laborant. Pręcipuè tamen ex Arcadicis ciuitatibus creuere Tegea & Mantinea: etsi utraque tandem in Lacedęmoniorum potestatem peruenit: illa quidem citius Lichæ cuiusdam occupata astu: hæc tardiùs post belli Peloponnesiaci tumultus compositos. Tum enim oppugnata

ab

ab AGESIPOLI rege, & militari stratagemate capta, etiam parte maxima destruitur. Sed instauratur non multò pòst ab EPAMINONDA: & defensa à Thebanis, coniunxit se Achæorum societati. In quo tempore cùm nouo ab ANTIGONO Dosone Antigoneę dici nomine cœpisset, tandem ADRIANI Imp. auctoritate pristinum Mantineæ recipit. Neque has solùm à Lacedæmonijs clades Arcades accepere, sed & libertatis illos suæ insidiatores perpetuos habuêre, maximeq́; infestos: Cùm pro libidine bellorum causas Lacedæmonij fingendo, nunquam non fines eorum carperent. Quæ res cùm immania inter utrosque odia accendisset, Arcades post fœdera sæpius & fracta, & renouata tandem prorsus ad Thebanos desciuere, attracto in Peloponnesum Epaminonda. De cuius consilio diligentius libertati suæ prospecturi, Megalopolin condunt, anno altero Olympiad. 102. Vt nempe ceu arce belli ea uterentur contra Lacedęmonios. Tametsi ne sic quidem effugere seruitutis acerbitatem potuerũt. Cessit enim Megalopolis ARISTODEMI & LYSIADIS tyrannidi: è quibus posterior cùm generoso animo potestate illa se sponte abdicasset, tùm semet tùm urbem subditam Achæis adiunxit. Eam propterea oppugnatam & uastatam à CLEOMENE, rege LACEDÆMONIORVM, instaurat PHILOPOEMEN, sed tamen ut minus exinde frequens habitata fuerit, propterea quòd uix duæ populi partes cum eo effugerant, & instaurationem illam iuuerant. Vnde & Strabo de ea citat è Comœdia: Ampla ciuitas, ampla fit desolatio.

FAMILIA REGVM
ARCADIÆ.

PELASGVS, I. creditur de popularium uoluntate primus omnium regium nomen in Arcadia usurpasse, quòd nempe magnitudine & robore corporis, uirtute & forma præstaret. Ad regnum constituendum conuersus, legibus hoc fundat, populo ædificandi usum commonstrat, & ad uictum cultumq́; mitiorem traducit. Pausanias, Apollod.

GENITVM Pelasgo è Cyllene nympha accepimus, Lycaona.

II. LYCAON, excipit successione patris imperium: & pleraq́; quàm ille sapientius excogitando, condidit Lycosuram urbem, appellauit Iouem Lycęum, & ludos in eius honorem instituit. Vt populum in officio contineret, Deorum secum familiares congressus finxit:

Quod filij flagitiosissimi certius cognituri, pueri immolati carnes uictimis permiscent, rati clàm id esse non posse, si uerè Deus interesset. Vnde cùm diuinitùs tempestates horrendæ cum tonitru & fulminibus extitissent, & auctores eius facinoris filios Lycaon amittit, & fabulæ de transformatione ipsius in lupum principium datur. Suidas. Habent Lycaonis fabulam Apollodorus, Ouidius, Hyginus. Ac Pausanias quidem uerè ipsum in lupum mutatum censet: Quia, inquit, bonis & pijs præmia certissima, sontibus ex Deorum ira supplicia exposita sunt. Et subijcit ibidem, etiam post Lycaonē in Iouis Lycæi sacris alios fuisse ex hominibus lupos factos, non tamen in reliquum uitę tempus, sed decimo tandem anno, si interea humana carne abstinuissent, pristinam hominis figuram recepisse: Sin hominis carnes gustassent, lupos esse nunquā desijsse. Idem refert è Varrone Augustinus lib. 18. de ciuitate Dei cap. 17. idq; Demœneti pugilis exemplo confirmat. Quibus quidem certè si fides debetur & assensio, quis non hic Diaboli præstigijs, humano generi, erroribus insanis fascinato, illusum misere uidet? Nec dissimile nostri temporis scriptores tradidere de λυκανθρώποις seu Lycaonibus apud Liuonienses Neurios, qui proximis à natali die duodecim diebus animas suas in lupina corpora migrare, atque ab ijsdem certo & præstituto tempore circumferri, itaque in priora corpora redire, persuasum habent. Qua de re, plura legantur in Commentario de diuinationibus uiri clariss. D. Caspari Peuceri de ἰομαντείας.

QVIBVS nominibus Lycaon coniuges habuerit, non est proditum literis. Nam has diuersas ei fuisse reperimus: neque de liberorum numero inter se scriptores conueniunt: è quibus liberis præcipuè nominantur, NYCTIMVS, Tegeus, Mantineus, Hæmon, Pallas, Orestes, Acontius, Acacus, Trapezus, Melæneus, Thnoenus, Eleatas, Hyperis, Parrhasus, Macareus, Phigatus, Neræus, Peucetius, Mænalus, Psophis, Cynæthus, Alipherus, Elisson, Orchomenus, Oenotrus, CALLISTO. Etsi dubium mihi nullum est, pleraque ex his nomina planè fictitia esse, atque ab urbibus Arcadiæ, quibus origo certa ita quæreretur, desumpta: eo modo, quo Boiemis, qui patria lingua CZECHI dicuntur à duce Czecho, qui hasce eis sedes peperit, mansisse denominationem, scriptorum uulgus opinatur: cùm etiam Procopij testimonio eam longè uetustiorem esse, constet, nempe à ueteri Zychi uel Zacatæ, quæ posterior cum Polonicæ dialecti enunciatione conuenit. Nam à Tegeo Tegeam, à Mantineo Mantineam, ab Acaco Acacesium, atque ita porrò à cæteris Arcadię urbes cæteras cognominatas uolunt. Addit his Lycaonis liberis Antoninus Liberalis Iapygem & Daunium, qui in Apuliam cum Peucetio coloniam,

coloniam, quæ præcipuè ex Illyrijs collecta esset, deduxerint, & nomina ibi Iapygum, Dauniorum & Peucetiorum de se reliquerint. Quod ut de ducibus in medio relinquo, ita gentes illas uerè ex Illyrico isthuc migrasse, censeo. Nam Daunij cum Danis, quos & Dauos & Dacos ueteres appellârunt, ijdem esse uidentur, ut Peucetij Peucini, quorum illos Geticæ stirpis, hos ex Bastarnis fuisse, Strabo & Iustinus prodidere. Cæterum quia plerique ex Lycaonis filijs sunt obscuriores, adeoq; præter Nyctimum & Callisto fulminibus interierunt omnes, ut est in Apollodori fabulis (nam Pausanias, ut dicemus, uariat) nos tantummodo hîc de Nyctimo, Tegeo, Mantineo, Oenotro & Callisto agemus.

III. NYCTIMVS, adit regnum post patrem, quòd fratrum esset natu maximus: quibus usus beneuolentissimis, agri quas uellent partes eis permittit. Pausanias, qui idem hanc eius nominat posteritatem.

PERIPHETES. — PHILONOMIA, nominatur à Plutarcho in Parallelis.

PARTHAON. — LYCASTVS. PARRHASIVS.

ARISTA.

ERYMANTHVS.

ARRHO.

PSOPHIS.

PROMACHVS. ELEPHRON.

TEGEVS, dedit Tegeæ urbi nomẽ, & post obitũ ibi tumulo condit. Pauſ. — MERA, Atlantis F. Pauſ.

SCEPHRVS, occiditur à Lemone, cui destructis insidijs, & animi alienatione hostili, suspectus esset. Pausan.

LEMON, fingitur in fratris ultionem occisus à Diana. Pauſ.

CIDON. CATREVS. ARCHIDIVS. GORTYN.

Deduxêre colonias in Cretam, conditis ibi Cydone, Gortyne & Catreo, urbibus. Pausanias.

MANTINEVS, condidit Mantineam, quam præcipuè nobilitârunt AGIDIS, regis Lacedæmoniorum, bellum, & EPAMINONDÆ interitus. Pausan.

OCALEA, nupsit ABANTI, regi Argiuorum.

OENOTRVS, perhibetur coloniam deduxisse in Italiam, & genti subditæ de se Oenotriorum, terræ Oenotriæ, nomen reliquisse. Pausf. Dionysius Halicarnasseus. Cæterum seu ab hoc rege seu aliunde id Oenotrijs nomen accesserit, origo quidem illa ipsorum certa est: & fortè ABORIGINVM ab ijs assumta appellatio, ut uel à nouis Arcadum colonis, qui duce EVANDRO in Latio insederant, uel à Ceteis Latinis, qui Latino duce isthuc commigrârant, se disiungerent. Tametsi ambæ gentes cum Troianis, Æneæ socijs, in unum postea Latinorum nomen & imperium coaluerint. Estque nomen Aborigines idem significato cum Græco αὐτόχθονες, quod Atheniensibus in usu fuisse, ut Arcadibus ipsis προσελήνων, supra meminimus.

CALLISTO, stuprata auctore incerto, idque fortè sub nominis Iouis prætextu (nam usitatam hanc Ethnicis fraudem fuisse, de Decio Mundo & Paulina, matrona Romana, docet historia apud Iosephum: & notus uersus Ouidij Metam. lib. 3.

——multi
Nomine Diuorum thalamos iniere pudicos)

ARCADEM F. edit: cumque partus doloribus cōsumta decessisset, & honorificè à gente sua conditur, & inter sydera Vrsæ nomine refertur. Pausanias. Fabulam Callistus habent Ouid. Metam. lib. 2. Apollodorus, Hyginus. Qua significantur & depinguntur puellæ, quæ pudicitiæ amisere laudem. Hæ enim rectè bestijs turpissimis assimilantur. Et Salomon inquit in Prouerbijs, mulierē formosam, quæ immodesta est, non dissimilem esse porco aureum gerēti torquem. Filio eius Arcadi fortè nomen id conseruatū, ut origo significaretur ἐγχωρία, aut quod alioqui usurpari pro uiri proprio cœpisset: quod idem & de alijs, in quib. sunt, Thessalus, Athenæus, Lacon, Romanus, Geta, Gallus, Germanus, Maurus, &c. accidisse constat. Et credibile est, ob diuinæ stirpis opinionem à patruis regnum ipsi concessum. Aliam de Callistus fabula μυθολογίαν habet Palæphatus.

IV. ARCAS, auxit in gente sua uitæ & cultus mitioris studium, tradito, ut fama est, frumēti usu, uestium textura & lanificio. Ante obitum filijs regnum trifariam diuisit: & conditus Mænali, Delphici oraculi iussu Mantineam deportatur. Pausf. Eusebius. Scholiastes Apollonij nominat Archomeni F.

DE coniugio & liberis Arcadis uariat Apollodorus: nos sequimur Pausaniam, qui coniugem eius nominat Eratô nympham, quę liberos procreauit, Azanem, Aphidantem, Elatum & Deomeneã. Addit idem concubinam ἀνώνυμον, è qua genitus Autolaus.

V. AZAN, retinuit regium nomen cum ea Arcadiæ parte, quæ Azania ab ipso appellata est: è qua deducti colonia populi ij omnes, qui circa Phrygiæ antrum, cui Steunos nomen, & amnem Pancalam habitârunt. Pausanias. De nomine Azaniæ, ab Azane subiectæ imperio terrę relicto, simile quiddam referunt Strabo de Atropatia in Media, Francicæ historiæ de Lotharingia. Quæ pars Germanię cùm media inter Ludouici & Caroli Calui, fratrum, regna relicta cessisset Lothario, nomen inde Lotharingiæ acquisiuit, hoc κατὰ παραγωγὴν Francica terminatione Ingk nonnihil quasi excurrente. Quod idem obseruatum in familiarum appellationibus Merouingi, Carolingi, &c. & deflexum ita nomen Salij in Salingos.

VI. CLITOR, constituit regiam Lycosuræ, & Clitorã suo de nomine condidit, regum, ut illis temporibus, potentissimus. Pauſ.

APHIDAS, accipit patris sortitione Tegeam: estq; inde, quòd Poëtæ Tegeam Aphidantiam sortem nuncupant. Pausanias, Scholiastes Apollonij.

ELATVS, obtinuit Cyllenen montem. Inde in Phocidem abit: cumq; Phocenses cum Phlegyis minus æquo certamine bellantes, armis iuuisset, in finibus eorum de suo nomine oppidum Elateam munit. Pausanias.

AVTOLAVS, offendit & sustulit Æsculapium, in agro Thelpusio expositum. Pausanias.

PROPAGARVNT autem Aphidas & Elatus distinctas duas familias. Nos primum de Aphidantis posteritate explicabimus.

FVERE autem Aphidanti liberi, ALEVS & Leuco.

IIX. ALEVS, imperauit post Æpytum, quòd agnatione ei proximus esset: & regia Tegeam translata, Mineruæ Aleæ templum condit, in quod postea regia dignitate exuti confugêre LEOTYCHIDES & PAVSANIAS, reges Lacedæmoniorũ. Factam Augę filię contumeliam, cùm auctore flagitij eius potiri non posset, uindicat crudeliter, submergi illa in mari iussa. Diod. Pauſ. Apollodorus.

LEVCO, nominatur à Pausania, & Tegeæ condita fuisse, traditur.

HABVIT ALEVS in matrimonio Neæram, Perei F. è qua liberos produxit, LYCVRGVM, Amphidamãta, Cepheum & Augen.

IX. LYCVRGVS, surrogatur patri in regno: nec aliud ad

R 3 memo-

memoriam facinus edit, quàm quod Arethum, hominem bellica uirtute clarum, non æquo marte sed dolo perculit. Pauſ. Apollod.

AMPHIDAMAS, interfuit cum Cepheo fratre expeditioni in Colchidem. Apollonius, Pauſanias.

NAVPIDAME. Hyginus fab. 14.

CEPHEVS, adduxit auxiliares Herculi copias contra Hippocoonta, prælioq́; uictus, cum filijs uiginti miſerabiliter occũbit. Apollodorus. Pauſanias hanc ei poſteritatem attribuit.

AEROPVS. Pauſan.

ANTINOE, dedit Mantineæ urbi ſedem nouam, nomine tamen priſtino conſeruato. Pauſan.

AEROPE, ſtuprata iuxta fabulas à Marte, in partus doloribus extinguitur.

AEROPVS, cognomento ἀφνειός. Pauſan.

X. ECHEMVS, obtinet regnum poſt LYCVRGVM. Euocatus ab ATREO Pelopida contra Heraclidas, qui uicto & cæſo Euryſtheo in Peloponeſum inuaſerãt, HYLLVM ex prouocatione temerè ſecum cõgredi auſum occidit, & pacem tàm illuſtri facinore ad annos 50. Peloponneſo parit. Interficitur ab Euãdro F. Herod. Diod. Pauſ. Pindarus lucta primũ in Olympia uiciſſe, ait. Seruius Echinum uocat.

TIMANDRA, Tyndarei F. Pauſan. Seruius. Alijs Nicoſtrata, & Latino nomine Carmenta dicitur.

EVAN-

EVANDER, tollit de uita patrem imprudens. Ideo popularium uim ueteritus, cum clientũ manu in Italiam transmigrat: Pallantium oppidum (Vnde postea mons Palatinus denominationem retinuit) de patriæ nomine condit: literas cum Aboriginibus & Latinis communicat, & cum ÆNEA societate iuncta, auxilia huic contra Turnum subministrat. Strabo, Liuius, Virgilius, Hyginus, Messala, Iustinus, Seruius. Meminit Clemens Stromat. libro primo & templum Panos, seu Lupercal, condidisse Romę, ait. Patriam Euandri Pallantium, rerum mutatione in uicum redactam, restituit in formam urbis ANTONINVS Pius Cæsar, & incolis libertatem, & à tributis immunitatem dedit, testẽ Pausania. Consolationis Philosophicæ ad Euandrum exemplum perfectum habet Ouid. lib. 1. Fast.

LAODOCVS Pausan.

PALLLAS, præficitur patris auxilijs contra Turnum: cum quo duello congredi ausus, uictus cadit. Virgil. Messala.

DYNA, nominatur ab Halicarnasseo, è Polybio.

AVGE, uitiata clàm ab HERCVLE, ἀπόγονος patris iussu Nauplio in mari submergenda traditur. Quo usa clementi & benigno, ac partu in Parthenio monte leuata, à Cretensi quodam, cui Nauplius eam permiserat, deportatur in Mysiam. Ibi adducta ad Teuthrantem regem, forma sua coniugium eius promeretur. Diodorus. Refutat Euripidis de Auge fabulam Strabo lib. 13. & uariant circa eandem Pausanias & Apollodorus.

HABVIT LYCVRGVS in matrimonio Cleophilen, quæ alijs est Eurynome, è qua liberos suscepit, Ancæum, Epochum, Amphidamanta & Idæum.

ANTINOE. Scholiastes Apollonij.

ANCÆVS, coniunctus cum IASONE societate expeditionis Colchicæ, laudem eo in bello fortitudinis eximiæ promeretur. Perijt in Ætolia, cùm aprum Calydoniũ, ut est in fabulis, cum MELEAGRO oppugnaret.

* ret. Apollonius, Apollodorus. Fabulam de apro Calydonio habet Ouid. Metam. lib. 7. Tametsi hanc historiam uideri uelit Pausanias, qui dentes feræ illius post Actiacam uictoriam ab Augusto Cæsare Romam asportatos, scribit. Variat etiam de Ancæi interitu Scholiastes Apollonij, quẽ locum subijcio: Ἀρισοτέλης φησὶ περὶ Ἀγκαίου, ὅτι φιλογέωργος ὤν, καὶ φυτεύων ἀμπελῶνα, βαρὺς ἐπέκειτο τοῖς οἰκέταις. εἷς δὲ τῶν οἰκετῶν ἔφη, μὴ μεταλήψεσθαι τὸν δεσπότην τοῦ καρποῦ. ὁ δὲ Ἀγκαῖος ἐπειδὴ ὁ καρπὸς ἐφθάκει, καιρὸν ἐτρύγα, καὶ τὸν οἰκέτην ἐκέλευσε κεράσαι αὐτῷ. Μέλλων δὲ τὴν κύλικα προσφέρειν τῷ στόματι, ὑπεμίμνησκεν αὐτὸν τοῦ λόγου. ὁ δὲ ἔφη, πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου. τούτων λεγομένων, ἧκέ τις ἀγγέλλων ὡς ὑπερμεγέθης σῦς λυμαίνεται τὸν ὄρχατον. ὁ δὲ Ἀγκαῖος ἀποβαλὼν τὴν πόσιν, ἐπὶ τὸν σῦν ὥρμησε. καὶ πληγεὶς ὑπ' αὐτοῦ, ἐτελεύτησε. ὅθεν ἡ παροιμία ἐπὶ τῶν παρὰ προσδοκίαν τι πραττόντων.

XI. AGAPENOR, adit regnũ post ECHEMVM. Secutus Atridas ad Ilium, hoc capto, tempestate ad Cyprũ reijcitur: Vbi tum & Paphum urbem coloniam deducit, & Veneris in ea fanum erigit, cùm ante modico in oppido hæc coleretur. Pauſ. Hyginus.

LAODICE, misit Tegeam peplum donum Mineruæ, cum inscriptione eiusmodi:

Laodices peplum hoc, sacrum ut foret illa Mineruæ,
E Cypro celebrem transtulit in patriam.

EPOCHVS, absumitur morbo ante patrem. Pausanias.

AMPHIDAMAS, nominatur ab Apollodoro.

MELANION, consuescit per uenationis studium ATALANTÆ, puellæ uagæ & sanguine coniunctæ: cu-

ATALANTA.

ANTIMACHE, nupsit EVRYSTHEO, regi Mycenarum. Apollod.

ius flagi-

ſus flagitij ambo pœnas iuſtas luêre, diſcerpti ſcilicet à leonibus, in quorum antrum ad concubitum deflexerant. Palæphatus.

PARTHENOPÆVS, expoſitus in Parthenio mõte, & educatus Argis, proficiſcitur cum ADRASTO in Thebanos: cumq́ poſt uictoriam ad Iſmenũ Thebarum oppugnationem audacter urgeret, interficitur ab Amphidico. Euripid. Diod. Apollod. Statius. Seruius regem Arcadiæ uocat. Hyginus Meleagro genitum, ait.

CLYMENE. Hyginus.

PROMACHVS, iunxit ſocia arma cum EPIGONIS, ut nempe parentis cædem ulciſceretur. Apollod. Hyginus Theſimenem uocat.

IDÆVS, memoratur à ſolo Apollodoro. Ab alijs & Iaſus & Iaſon dici uidetur. Ideo filiam ei attribuo Atalantem.

ATALANTA, à patre, uirilis prolis cupido, iuxta fabulas expoſita, & lactata ab urſa, caſu inuenitur atque educatur à uenatoribus. Quorum honeſta cura cùm uirginitatem inuiolatam ſeruaſſet, Centauros uim ſibi parare auſos occidit. Hinc cum Meleagro aprum Calydonium oppugnat: & agnita à parentibus, atque ad uirum capiendum inducta, in ſtadium abit, procis curules ludos, in quibus uicto cædes, Victori coniugium ipſius debebatur, proponit. Cumq́ uictis & necatis plurimis Melanionis aſtu circumuenta, & nubere eidem coacta, intemperantius cum eo libidini indulgeret, cùm huius tùm aliorum ſcelerum pœnas dignas ſubit. Hiſtoriam Atalantę ueram in Melanione expoſuimus: hæc è fabulis excerpſimus. Et uariatur quidem de ipſa mirificè. Sunt enim qui tres Atalantas faciant, Arcadicam, Bœoticam, & Argiuam. De Arcadica, quam & Iaſi & Iaſionis filiam uocant, ea quæ nos retulimus, tradunt Ælianus, Apollodorus, Scholiaſtes Apollonij & Ouid. de arte. libro 2. & 3. amorum lib. 3. Bœoticæ Schœneus pater attribuitur cum rebus geſtis ijſdem, niſi quòd pro Melanione nominatur Hippomenes, ab auctoribus Scholiaſte Theocriti,

Hygino, Ouid. lib. 10. Metam. Claudiano. Argiuam, itidem Schœnei filiam, Hippomedontis coniugem facit Scholiastes Apollonij. Quæ omnia lectoris iudicio permittimus, cùm quidem Stephanus & Arcadicam Atalantam Schœneo genitam dicat. Citat Gracchi Atalantam Priscianus Grammaticus lib. 6.

POSTERITAS ELATI.

RELIQVIT Elatus liberos ex coniuge Laodice, Cinyræ F. ÆPYTVM, Pereum, Cyllena, Ischyn & Stymphalum.

VII. ÆPYTVS. I. succeßit in regno Clitori, & uenatum egreßus, nō à belua ferociore, sed à serpente incautus perimitur. Pauſ. Meminit Scholiastes Pindari.

PEREVS, memoratur à Pausania & Apollodoro.

NEÆRA, nupsit ALEO regi. Apollodorus.

CYLLENIS & ISCHYIS nomina habet Pausanias, quorum illum monti Cyllenæ nomen reliquisse, ait.

STYMPHALVS, dedit fonti Stymphalo nomen, à quo fonte urbs Stymphalus denominatur. Pauſ. Apollodorus Arcadum regem facit, & belligeraſſe cum Pelope, ait: Cui cùm fortiter resisteret, per simulatam amicitiam interficitur, & uiscera membratim confecta disperguntur.

AGELAVS, Pausan. AGAMEDES. GORTYS, deduxit coloniā Gortyna urbem ad amnem Gortynium, ut est auctor Pausanias.

PHALANTVS. CERCYON.

XII. HIPPOTHOVS, suscipit Arcadum imperium, differente ab expeditione Troiana, reditum in Cypro insula AGAPENORE: & regiam Trapezontem transfert: Pausanias.

XIII. ÆPYTVS. II. assumitur à patre in regni consortionem: quo obitu huius solus potitus, atq; seu auaritia, seu cupiditate stolida in templum Neptuni (quò ne posterioribus quidem seculis ulli mortalium accedere fas fuisse, aiunt) ingredi ausus, luminibus primum, deinde uita spoliatur. Pauſ.

XIV. CYPSELVS, patri successor datus, muniuit Basiliden urbem. Atque Doriensium bellum ueritus, Cresphontem filiæ connubio præoccupat, eaque affinitate se deinde regnique partem omnem facilè contra eius belli terrorem tutatur. Pauf. Nominat coniugem ipsius Herodicam Athenæus libro 13. capite 33. & de pulchritudine certamen, quod maritus instituisset, uicisse, ait.

XV. OLÆAS, reduxit in regnum Messeniacum Æpytum; Meropes sororis filium. Pausan.

MEROPE, fuit in matrimonio CRESPHONTIS, regis Messenioru. Pauf. Apollod. Hyginus.

XVI. BVCOLION.

XVII. PHIALVS, immutauit de se Phigaliæ urbi nomen, erepto suæ laudis monumento Phigalo: tametsi non omnino constanter id usurpatum fuerit.

XIIX. SIMVS. Pausan.

XIX. POMPVS, instituit cōmercia cum Æginetis, qui tum primùm merces suas ad Arcadas detulissent: id quod tam illustri gratia excepit, ut filio etiam Æginetæ nomen imposuerit. Pauf.

XX. ÆGINETA.

XXI. POLYMESTOR, meruit famam ad posteritatem, quòd temporibus ipsius primùm à Lacedæmonijs oppugnati fuere Tegeatæ: Qui hanc iniuriam ita depulere, ut copijs hostilibus profligatis, etiam Charilaum regem, uiuum cœperint. Pauf.

BRIACAS: Pausan.

XXII. ÆCHMIS, coluit sanctisśimè ueterem gentis & familiæ suę cum Messenijs necesśitudinem: quos copijs auxiliaribus iuuat contra Lacedæmonios. Pausan.

XXIII. ARISTOCRATES. I. gerit imperium impotentius, atque crudelius: cumque in cæteris facinoribus Dianæ Hymniæ sacerdo-

ſacerdotem, quam fruſtra ad ſtuprum pellicere tentârat, ad aram confugientem per uim uiolaſſet, ſcelere eo & mortem ſibi crudeliſsimam & familiæ interitum accerſit. Pauſanias.

XXIV. ICTEAS. Pauſan.

XXV. ARISTOCRATES. II. mittitur ab Arcadum ciuitate ſubſidio ARISTOMENI & Meſſenijs: ac corrumpi ſe paſſus à Lacedæmonijs, domumq́ regreſſus turpiter, cùm ad Ariſtomenem cum inſtructiori exercitu reuerti iuſſus, id apertè detrectaret, eoq́ nomine per literas à Lacedæmonijs munera depoſceret, per indicium proditus, & populi impetu oppreſſus, lapidum conіectu necatur, atq́ uti extremè nefarius extra fines proijcitur: erecta in Iouis Lycæi fano columna cum inſcriptione eiuſmodi:

Inuenta eſt reprobo tandem ſua pœna tyranno,
Meſſenam irato prodidit ille Ioue.
Pectora difficile eſt diuos periura latère,
Rex ſalue & ſerua Iuppiter Arcadiam.

Nec ſolum deinde regnare apud ſe Arcades permiſere neminem, ſed & ex omni Ariſtocratis genere impij ſanguinis pœnæ ſumtæ ſunt. Strabo Plutarchus, Pauſanias.

ARISTODEMVS, ſpoliatus regij nominis dignitate, partẽ Arcadiæ cum imperio retinet. Laërtius.

ERISTHENEA, nupſit CYPSELO, Tyranno Corinthiorũ: mater PERIANDRI, cui aliqui locũ inter Græciæ Sapientes tribuunt. Pauſ.

¶ POST abolitum Regum imperium, ARCADES, ut oſtendimus, Rempub. liberam inſtituere: in qua è Ducibus legitimè creatis præcipuè celebrantur LYCOMEDES & Philopœmen: è Tyrannis, hoc eſt, qui ui poteſtatẽ ad ſe pertraxere, ARISTODEMVS & LYSIADES. Horum utrorumq́ cùm uirtus ingens fuerit, excludendi ab Arcadica hiſtoria minimè fuêre, etſi à regia hac familia planè alieni extiterint. Legimus etiam in Taciti Annalibus, ex Arcadicorum regum ſtirpe uideri genus ſuum uoluiſſe Felicem & Pallantem, libertos CLAVDII Cæſaris. Quod etſi noſtra iam diſquiſitione haud enodamus, tamen ideo referre uoluimus eos hîc libentius, quòd mentio Felicis fiat in ſacra D. Pauli hiſtoria.

DVCES

DVCES ARCADVM PRAECIPVI.

LYCOMEDES, patria Mantinensis, alienat Arcadas à Thebanis: & proprij condendi imperij eis auctor fit. Qua re cùm tumultus graues excitasset, & ad Athenienses de societate legatus profectus, in exules incidisset, ab eis perimitur. Xenophon, Diod.

CRAVGIS, Megalopolitanus.

PHILOPOEMEN, educatus diligenti Casandri Mantinensis cura, liberalibus disciplinis sub praeceptoribus Ecdemo & Demophane operam praeclaram nauat. Hinc Rempub. capessendo, cùm occupatam à CLEOMENE Megalopolin patriam liberare nõ posset, ciues Messenen ducit, & uicto illo ad Sellasiam ab ANTIGONO Dosone, cui ipse etiam eo in praelio adfuisset, armis repetit atque instaurat. Ideo mox gloriam ingentem consecutus; & ad militiam expetitus ab Antigono, post Cretensem expeditionem magister equitum ab Achaeis creatur. Quo in tempore cùm militari disciplina emendata, nobili praelio uicisset Eleos, summo Achaeorum imperio praeficitur: belligerat feliciter cum MACHANIDA & NABIDE, Tyrannis Spartanis, illo caeso, hoc Messene fugato. Quanquam eam Nabis ignominiam ita mox ultus est, ut Philopoemene in Creta absente, patriam eius bello graui afflixerit. Iccirco Philopoemen in Peloponnesum reuersus, & socium se T. Quintio contra Tyrannum adiungit, & iugulato illo ab Aetolis, Spartam, etsi Achaeorum Reipub. iam insertam, grauiter mulctat, abrogatis etiam Lycurgi legibus. Postremam expeditionem suscepit in defectores Messenios: cumque equestri certamine uictor per iniqua loca copias duceret, circumuentus ab hoste, uiuus capitur, & Messenen perductus, bibere uenenũ cogitur, anno aetatis 78. Polybius, Plutarchus, Pausanias, Liuius, Iustinus. Fuit sapientia, fortitudine, industria & rei militaris scientia incredibili: neque post ipsum ullum Graecia magnum, seque dignum uirum protulit: ut non immeritò à Romano quodam Graecorum ultimus appellatus sit. Mortem eius acerbè ultus est LYCORTAS: quam Liuius refert in annum V.C.571. & à scriptoribus rerum Graecis Latinisque tantùm ipsi attributum, ait, ut à quibusdam eorum uelut ad insignem notam eius anni memoriae mandatum sit, tres claros Imperatores eo anno decessisse, Philopoemenem, Annibalem, P. Scipionem. Memoratur à Pausania statua ipsius in urbe Tegea cum tali inscriptione:

Cuius uirtutem mirata est Graecia, quique
Multa manu gessit, multaque consilio,

Arcados inuicti Philopœmenis hæc monumenta,
Quem belli ornauit gloria clara ducem.
Huic duo de geminis excelsa trophæa tyrannis,
Erexit Sparte libera seruitio.
Grata etiam Tegee, pro libertate recepta,
Craugidis hæc gnato magnanimo posuit.

TYRANNI ARCADICI.

ARTYLAS, patria Phigalensis.

ARISTODEMVS, cognomento Frugi, Tritæi adoptionem promeritus, Megalopoli tyrannidem inuadit: atq; ab ACROTATO, rege Spartano, bello petitus, acerrimo prælio uictum occidit. Perijt insidijs Ecdemi & Demophanis (fuere hi præceptores Philopœmenis) qui occultè ei percussores submisissent. Plutarchus, Pausanias.

LYSIADES, homo genere obscuro, sed indolis apprimè generosæ, adhuc adolescens duabus fermè post ARISTODEMVM ætatibus ad Tyrannidem aggreditur. Qua cùm deinde ultrò se abdicasset, ciuibus Achaico fœderi adiunctis, ita his Achæisq; uniuersis probatus est, ut unus cum ARATO uitę dignitate comparetur. Interijt ad Leuctra oppidulum, cùm uictor Cleomenis copiarum parti instando prouectus esset longius. Plutarchus, Pausanias.

FELIX ET PALLAS, FRATRES, AB VETERI ARCADIAE REgum stirpe oriundi.

FELIX, seruiuit cum Pallante fratre seruitutem apud ANTONIAM maiorem: & manumissus à CLAVDIO Imp. tùm adulando, tum nobilitatem generis sui ab Arcadiæ regibus uetustis prædicando, ita principem demeretur, ut ad regias euectus nuptias, primùm cohortium & alarum, deinde Iudææ præfecturã obtinuerit. Quam etsi à latrocinijs perpurgando, tutã pacatamq; præstitit, capto Eleazaro, qui per annos 20. latronũ princeps extiterat, & Mago quodam Ægyptio, qui perniciosum cieret tumultum, represso, auarè tamẽ perq; omnem sæuitiam & libidinem administrauit, cæso in cęteris per submissos percussores IONATHA, summo pontifice. Ideo amotus per NERONEM, & à Cæsariensium Iudæorum primoribus, Romam secutis, accusatus grauiter, uix Pallantis fratris gratia & precibus damnationis periculo eripitur. Iosephus, Tacitus, Suetonius, Hegesippus, Victor. Sub Felice Paulus Apostolus uinctus Cæsareæ causam dixit, ut testatur in actis Lucas, qui quidem & ipse hominem fuisse φιλάργυρον καὶ δωροδοκεῖσθαι suetum, ostendit.

PALLAS,

PALLAS, ſeruorum Antoniæ fidiſsimus, ut ait Ioſephus, mittitur cum literis ad Tiberium, quibus literis Seiani inſidias illa principi ſignificaret. A' Claudio Imp. libertate cum fratre donatus, nec minorem conſecutus illius gratiam, Agrippinæ ei nuptias conciliat: & rationibus præpoſitus, tùm ornamentis prętorijs honeſtatur, tùm opes ad ter millies ſeſtertium habere permittitur. Sub Nerone pro Felice fratre deprecando, uitam ei conſeruat. Quanquam huius deinde gratiam partim ſuperbia, partim erga Agrippinã ſtudio pertinaciori planè effuderit: cumq; opibus præpolleret, ne ſenecta eo detinerētur, ueneno necatur. Ioſephus, Tacitus, Suetonius.

FELICI trium reginarum matrimonium attribuit Suetonius, quarum prima DRVSILLA, Iubæ iunioris F. à CLAVDIO ipſi collocatur: altera itidem DRVSILLA Iudæa, Agrippæ regis F. cùm per Simonem quendam ſolicitata, ab AZIZO, rege Emeſenorum, diſceſsiſſet, ſe ipſi cõiunxit, & Agrippã F. enixa eſt: tertia HEROINA, cuius uel gentis uel originis fuerit, ignoratur.

AGRIPPA, perijt cum uxore in Veſuuij montis incendio: quod ortum ſub T. Veſpaſiano etiam Plinio ſuperiori uitam eripuit. Ioſephus lib. 20. Ant. cap. 5.

APPENDIX

ALTERA APPENDIX DE HISTORIA,

REGNORVM QVAE AMPLISSIMA, NOBILITATEQVE PRÆALTA CELEBRATISSIMA AEACIDARVM GENS, CVM PROPAGINIBVS TVM COGNOMENTIS NOVIS,

hoc est, EVRYSACIDARVM, TEVCRIDARVM, PYRRHIDARVM, ALEVADARVM, distincta, tenuit in Phocide, Phthia, Ægina, Salamine, Cypro & Molisside Epiri: inserto hisce, quod ab originis primæ satu eodem possedit in Cephalenia & Ithaca CEPHALI progenies.

AD

INCLYTVM ET ILlustrem Dominum, D. Simonem, COMITEM LIPPIENSEM, &c. IN VETERI VVESTVALORVM SAXONIA, DOMInum & Patronum suum Clementissimum.

VETVS est illustrium Familiarum obseruatio, uetus inter ipsas de antiquitatis nobilitate contentio. Ac quorum de hoc argumenti genere citentur auctorum monumenta, alibi à nobis demonstratum est. In gentibus, quarum notetur de conditoribus stirpium eiusmodi æmulatio, præcipuè occurrunt Græci & Romani. Nam ne Homerica exempla memorando attingam, ut Vlyssis genus exagitat apud Ouidium AIAX? ut is rursus hanc infamiæ quasi labeculam proauo Ioue eluere conatur? Etsi de hoc ipso inuidiæ suspicionem metuens, præmittit.

Et genus & proauos, & quæ non fecimus ipsi,
—Vix ea nostra uoco.

Exprobrat etiam Menelao apud Euripidem, Phrygiam à Pelope originem PELEVS, pater Achillis. Et in Platonis dialogis, cùm ad indicationem Prosapiæ regum Persicorum, ALCIBIADES genus suum iactasset ab Æaco, Socrates ne credere ea nobilitate uideretur, DÆDALVM suum subijcit πρόγονον. Enimuerò & studij obseruare hac parte Græcorum ridiculi ineptias, licet. Quippè qui etiam ad Deos fabulosos in originibus scrutandis atque enotandis recurrere ausi fuerint. Ac quis non miretur, uel potius non accuset stoliditatem, quòd GALBA Imp. uel infami materni sanguinis satu à Pasiphaë, Minois Cretensis coniuge, delectatus est? Nec minus suspectæ sunt Æmiliorum, Calpurniorum, Pomponiorum, Sergiorum, &c. traditæ à scriptoribus propagines. Quod affirmare item de Cicerone licet, qui Seruium Tullium regem gentilem suum uocat. Cùm quidem temporibus sequentibus ita leuitas ista apud Romanos creuerit, ut etiam homines conditionis seruilis affectare

S 2 regij

regij generis decus auderent. Qua de re notiss. exempla Pallantis, Felicis, Actes: & Polybius, itidem Claudij libertus, in se conuersa spectatorum ora intuitus, ob recitatum à Pantomimo uulgatum illud:

Tolerarier nequit beatus uerbera.

E' uestigio subiecit:

Reges quoq; exiere de caprarijs.

Vt sanè haud immeritò VESPASIANI Imp. laudetur modestia, qui conantes aliquos origine Flauij generis, ut loquitur Suetonius, referre ad conditores Reatinos Comitemq; Herculis, cuius extaret monumentum uia salaria, ultrò irriserit. Et homo uesanus CALIGVLA, cùm audiret fortè reges quosdam, qui officij causa in urbem uenerant, concertare apud se super cœnam de nobilitate, in eam illudens ambitionem, & sua tumens potentia, qua & reges ipsi comprehenderentur, in Homerica uerba erupit:

Εἷς κοίρανος ἔστω
εἷς βασιλεύς.

Neq; certè nostræ gentis annales horum incommodorum planè expertes cognoscas. Siquidem familiarum aliquot prælustrium cùm Troianæ tum Romanæ finguntur origines: Quasi uel uirtus uel nobilitas nostris defuerit. Cùm hoc potius constet, gentes Germanicas Romanum imperium euertisse, & prouincias huius in Europa præcipuas, hoc est, Italiam, Galliam, Hispaniam, Britanniam, Siciliam, occupatas colonijs suis compleuisse, tum in Germania ipsa Romani imperij ἐξίωμα lege OTHONIS III. Italis ereptum, conseruasse. Ouid? quòd & ueterem illam Romanam nobilitatem in bellis ciuilibus totam interijsse, argumenta historiarum multa addocent: & quæ post sub Imper. emersit noua, qualis haberi censerique debeat, Plinius Vespasiano σύγχρονος, ostendit: detorsitq; in eandem Horatius:

Et genus & formam regina pecunia donat.

Sicut item Ouidius de arte:

In precio precium nunc est, dat census honores.

Retulit etiam mores huius nequam laudatos, Marcellinus lib. 28.

Verumenimuerò ueterum huius generis labores posteriorū temporum fata aduersa nobis inuiderunt. Et optandum esset, allatum huc à nostræ tempestatis hominibus doctis studium hactenus diligentius. Quia autem singulariter in Romanis familijs explicandis quidam operæprecium fecêre, nos ad Græcas externasq; alias, Græcorum & Romanorum scriptorum monumentis celebratas, aggredi uolui-

uoluimus: rati operam eam etiam accommodatiorem nobis fore: quippè à quibus ad Germanicas, quas instituti huius scopum destinauimus, tendi eò facilius possit. Atq; in his desiderari præcipuè amplissimæ Æacidarum gentis familias conspicari, atq; ita desiderari, ut tam Poëtarum, quàm Oratorum atq; Historicorum scriptis lumē κατ' ἀνάγκην cum primis necessaria deesset, qualicunq; diligentia nostra conficere hanc studuimus. Enimuerò terram Græciam, secundùm Heraclidas, eandem gentem omnium nobilissimam habuisse, certum est: cùm adeò originis ἐγχωρίας dignitate illos superârit. Vnum tamen in Æacidis non possumus non simul requirere, simul deplorare, nempe generis cum personarū nominibus omissam propaginem continuam. De hac enim ut E V R Y S A C I D Æ & T E V C R I D Æ nulla prorsus reliqua habent uestigia, ita in Pyrrhidis tantum gradus generis memorantur. Tametsi utrunque non tam posteritati degeneranti (nam ab ea in suspicione uel Hesiodi luculenta testimonia uindicare, atque defendere Æacidas possunt.) quam temporum infelicitati, qua tot auctores perierunt, ascribi debet. Cumq; è Pyrrhidis reges ueteriores, χρόνοις nimirum ἐν βαρβάροις, barbariei etiam aliquid induissent, exuit hanc rursus T H A R Y M B A S, exterminauit P Y R R H V S I I. Cæteroquin multifariarum uirtutum in Æacidis exempla quoq; multifaria cognoscere licet. Nam recurrendo ad conditorem Æacum, & attingendo itidem propinquos huius, Cephali in Cephalenia & Ithaca posteros, quid V L Y S S E sapientius? quid Æaco cùm iustius tùm in Ethnieæ superstitionis tenebris religiosius? Et à filijs eius partam primùm fortitudinis bellicæ gloriam ita auxere nepotes, A C H I L L E S & A I A X, ut ambo inter sui æui heroës principes haberentur, & Achillem imitatus pòst credatur A L E X A N D E R Magnus. Sicuti etiam idem Rex ad Sigæum Troadis felicem illum pronunciauit, quod laudum suarum præconem adeptus esset Homerum. Cùm uidelicet innuere uellet, multum interesse, uel potius felicitatem magnorum principum pręcipuā esse, si in commodos scriptores incidant: Propterea quòd ferè fuisse tales credantur, quales monumentis horum depinguntur. Rectè enim Horatius Epist. lib. 2. ad Augustum Cæsarem:

Sed ueluti tractata notam, labemq; remittunt
Atramenta, ferè scriptores carmine fœdo
Splendida facta linunt.

Ad hæc præconio illustri celebratur P E L E I continentia, celebratur O L Y M P I A D I S, quam matrem A L E X A N D E R habuit, casti uereq; matronalis pudoris decus. Ac quanta Pyladis in

amicitia tuenda fides, quanta EPEI industria, quanta denique MILTIADIS III. animi magnitudo & Cimonis filij simul pietas, simul fortitudo & iusticia? Neque prædicatione & fama ignota NICOCLIS & NICOCREONTIS in homines doctos munifica beneficentia: Cùm Tharymbas, PYRRHVS II. & ALCIBIADES, ipsi etiam præclarè in literis profecerint, & HERODES iam iacente familia, sola eruditionis commendatione consularis dignitatis honorem promeruerit. Atque quæ de Pyrrho prodita sunt, uel exemplo rariora comperimus, seu animi, seu corporis dotes spectes: in quibus corporis dotibus penè etiam miraculosis, de osse dentium continuò tradito casui omnium ætatum historiæ tantum alios similes duos, & alterum quidem adhuc recentem retulêre.

Porrò autem ut scripto huic nostro alterum in illustri domo uestra, Generose & Inclyte Comes, Domine Clementiss. quærerem Patrocinium, primùm argumenti pelliciebat amplitudo, & familiarum expositarum dignitas: quæ nulli potius deberi uidebantur, quàm in quò eandem fortunæ benignitatem conspiceremus: deinde fama confirmabat de Excell. T. erga bonas literas studio & propensione: Cùm ita demum consuli in labores nostros rectè posse persuasum haberē, si ab illustri loco quasi protegerentur. Est enim qui animos hominum uehementer perstringat generis splendor, maiorum uirtute partus: & confirmant plurimum inferiores ab ijs profecta exempla, qui dignitate eminent. Enimuerò uideò quàm à proposito alienè facturus sim, si Illustris Lippiensis Familiæ merita, &c. laudes hîc πανηγυρικῶς intexerem, uideo etiam quam hanc ipsam ad rem ingenij uiribus destituar. Attamen præteriri id non debeat, quod gentis nostræ annales contestantur, plurimum ei à multis iam seculorum ætatibus debere Vuestualorum Saxoniam: Nempè quæ in primaria & antiquissima nobilitate, hoc est, quæ Francica attigit tempora, & Saxoniam Aristocratica reipub. forma gubernauit, Lippiensem domum agnoscat. Qua editi præaltæ propaginis satu SIMON & BERNHARDVS, quem alterum auum, alterum parentem Excell. T. habuit, ille synceræ religioni, cum primis nomen dedit, hic eandem temporibus difficilimis suis conseruauit, & cura uerè paterna Excell. T. tuendam reliquit. Quod equidem cum laudabili reipub. administratione spe nos prolixiore ab Excell. T. expectare iubent, cum insita & digna natalibus ad uirtutem indoles, tum doctrinæ, quæ promouere illam, & pectora roborare consueuere, secundùm poëtam, à præceptore Nicolao Theodæno perceptæ. Valebitque plurimum patrui HERMANNI SIMONIS exemplum, cuius cum illustri uir-

tute coniunctum erga Dei cultum & bonas literas studium, apertum omnibus est, & grata posteritatis memoria celebrabitur. Ergo subiecti animi officium nostrum tribui sibi Excelſ. T. clementer patiatur, atque ut reliqua studia uoluntate amplisſ. amplectitur, colit, ornat, ita & hæc nostra patrocinij ope adiuuare tuerique benigna dignetur, oro. Est hoc mentibus nostris, quasi ingenitum, ut patriæ omnes amore ducamur: & sicuti alia ad se alios alliciunt, ita ferè occasiones ad ea prouidentia diuina obijcit, quæ fieri non improbet. Ego uerò cùm crebrò in me agnoscam utrunque, tum ad Excelſ. T. subiectione nostrā ɔolendā ab ipsis ueluti incunabulis eius me accedere memini: Quippe dɔ qui celebrandæ cantionibus pijs sacratissimi ritus festiuitati, quo more instituto que Christiano Ecclesię insereretur, è ludo Lemgouiensi puer συνῳδὸς affuerim. A' quo tempore infixus animo meo obseruantiæ subiectæ stimulus adeò euelli atque obliterari nequiuit, ut potius succreuerit indies uehementius. Atque quæ erga bonas literas Excelſ. T. propensionem confirment cùm domestica tum affinitate cognatarum illustrissimarum familiarum duarum, Iuliacensis & Hessiacæ exempla habet amplissima: quarum altera academiam, quæ uocatur, altera scholam sumtu perliberali alit. Quod superest Deum æternum precor, Excelſ. T. gubernationem recenti tempore susceptam faciat Ecclesiæ & Reipub. salutarem, & ipsam prolixa & diuturna felicitate augeat, tueatur, protegat.

REGNA AEACIDARVM IN PHOCIDE, PHTHIA, ÆGINA, SALAMINE: QVIBVS ALIVD DISTINCTVM CEPHALENIAE ET ITHACAE A propagine eadem insertum est.

DE PHOCENSIVM, PHTHIORVM, AEGINETARVM, SALAMINIORVM, CEPHALENIORVM, *Ithacensium origine & imperijs: de familiæ* AE*acidarum initio, propaginibus diuersis, elogijs.*

CONIVNGO Æacidarũ in Phocensibus, Phthijs, Æginetis & Salaminijs regna, & subijcio his aliud Cephaleniæ & Ithacæ, posteritatis Cephali, quòd neque potentia magna fuerint, & Æacidæ id in singulis nominis cõseruârint. Nam ubi ambo propaginibus nouis mutata fuêre, regnis etiam nouis atque distinctis à nobis comprehendentur. Id quod tamen de EVRYSACIDIS prætermisimus, quòd filius Eurysacis PHILÆVS, dignitate regia deposita, Salaminem Atheniensibus concesserit, & in repub. uitam ipsi priuatam uixerint. Neque ausa deinde quicquam est, uel audere etiam potuit, pro insulæ imperio recuperãdo sata eo posteritas. Siquidẽ MILTIADI III. uel in Chersoneso titulo optimo, hoc est, hæreditatis nomine, possessus dominatus eam cõflauit inuidiam, ut capitis ab animicis anquisitus sit.

TENEBIMVS autem hic etiam institutum nostrum, ut in cõmentationis propositæ uestibulo de gentium, in quibus regna ista floruere, origine breuiter nonnulla tanquã præfando præmittamus. In his primos PHOCENSES Strabo Æolici nominis facit. Sed nobis Ionica magis arridet prosapia è Phocea. Frequentes enim inuenias in Græcia appellationis, quę Asiatices respondeãt: Vt inde etiam de gentis origine, quæ ἰαβόλα est à Iauan, & sedibus primis, dubitare nos minus cõueniat. Et refero huc Pausaniæ de PHOCO, quẽ nominis Phocensium auctorem uocat, fabulam. Verisimilius enim est, hoc potius à gente in usu esse cœpisse, quomodo & propria illa: Thessalus, Ægineta, Gallus, Geta, Romanus, Maurus, à gentibus itidem ὁμωνύμοις deducta sunt. Ac apparet Æacum quoque propterea in filio id repetiuisse, cum fortè ab ipsa infantia auitum imperium ei destinaret. Neque obscurè eodem alludit, quòd Athenæus Magnetas ad Mæandrum Delphos facit. Id enim ut cognationem utrorumque ar

guit,ita equidem potius ex eius, quod paulo antè attigi, fundamenti ratione sententia contraria Delphos à Magnetibus propagârim. Veruntamen & Æolas colonos Phocensib. immixtos à DEIONEO, credere nihil uetat. Enimuerò de genitore eius Æolo fabulam ad originem Æolicam, uel etiam gentis principem ELISAM, filium Iauan, refero. Nec dubiū est, regni inde in Phocide gemini principium cœpisse, ut nempè alterum ueterum, alterum nouorum colonorū ex Æotide accipiamus. Etsi quidem certè antiquius illud obscurius extitit. Tantum enim inde IPHITVS cū filijs Schedio & Epistropho Homeri & Apollonij carmine celebratur. Alterum recentius ad Æacidas deuolutum est: à quorum interitu gētem Respub. instituisse, opinor. Atq; quę huic exinde cum Thessalis de libertate certamina fuerint, quæ deniq; cum Thebanis & PHILIPPO Amyneæ ob indictam ab Amphictyonibus mulctam, & direptum templum Delphicum, ex Herodoto & Pausania repeti uolumus.

ÆGINETÆ Suidæ αὐτόχθονες sunt, quasi dicas aborigines, seu ipsa terra editos. Hoc ad Myrmidonum fabulam propriè spectat, neq; gentis originem declarat. Cęteroquin etiam à colonis Æginam diuersis habitatam, accepimus. In quibus nos Myrmidonibus, quos Græci Principes nominârunt, è fabularum uestigijs præmittimus ÆOLAS. Isthuc enim pertinet, quod Myrmidones ἴωνες appellantur, quos ἴωνας cum Æolibus à conditore ELISA, filio Iauan, gentem eandem esse, dubium nullum est. Et Æolum coloniæ istius deductorem ACTOREM astruo. Hoc genitus Æacus, cùm minus adhuc insulam frequenter habitari animaduertisset, MYRMIDONAS sibi adiunxit: Quos nondum fortè sedibus hisce contentos, credibile est postmodo primùm cum PELEO, deinde cum PYRRHO Neoptolemo in Thessaliam & Epirum immigrasse. Deriuo autem MYRMIDONAS ex Ouidij fabula Metamorph. 7. à Dodonęis, undecunq; sanè nomē principiò accreuerit. Etsi & inter Iones sunt Doliones, inter Ceteos μακέται seu Macedones, inter Thynos Bithyni, Oethyni & Mariandyni, deniq; inter nostras gentes TVISCONES ab Ascane, inter Getas Massagetę, Thyssagetę & Thyringetę, celebrentū. Quòd si cui tamē ueterū à moribus, quos formicarū (hę Gręcis μύρμηκες sunt,) similes habuerint, hoc est, à laborum tolerātia sequi deductam notionem libuerit, non repugno. Fuit enim sterilis admodum Ægina, ut terræ excolendæ opera multa opus esset: ac memorat Strabo ipsam metropolin Æginam ideo in emporiū conuersam. Certè & ex Henetis VELICOS à lupina rapacitate denominatos, aiunt. Et habet Germania nostra aliquot fluminum nomina ab animalibus desumta: in quibus sunt Amisia, Elister, Hasa, quæ nomenclatura la-

ra latina interpretari possunt formica,pica,lepus. Vt ne referā, quod in iocularibus illis gentium insectationibus, similitudinibus ludi ijsdem consueuit.Cæterum post Myrmidonas demum & CRETENSES & DORIENSES in Ægina effloruere, coloni scilicet insulæ postremi.De his utrisque alibi agemus. Ac Cretensium quidem Æginetarum solus Strabo meminit. Dorienses ij fuêre qui cū Deiphonte Heraclide Epidaurū occupârant.Qui indigenis permisti,& linguam & mores Doricos isthuc importârunt. Cumque Epidauriorum excusso dominatu opes suas uehementer auxissent, ejiciuntur tandē ab Atheniensibus. In hoc tempore à Lacedæmonijs in Thyræa collocati, post Lysandri ad Ægos potamon uictoriam restituuntur, & libertatem suam etiam Romani imperij tempore retinent.Scripsit autē Pausanias,solum ÆACVM in Æginetis regnasse,quod relinquo in medio:quandoquidem posteritatem eius isthic permansisse,constat.

PHTHII, THessalorum natio sunt, & Phthia Thessaliæ regio etiam ab Homero decantatur.Is enim duas Thessaliæ partes facit,Hellada & Phthiam: & gentes in his collocat: ἕλληνας, ACHÆOS & MYRMIDONAS. Nam quæ ab alijs simul terræ simul gentis ibi plura memorantur discrimina, pòst inuecta fuêre, & Suidas adeò partium nomenclaturæ tempus notauit.Tametsi idē Homerus Thessaliam ipsam nomine diuerso, Argos Pelasgicum appellauit à Pelasgis: Vt uideatur hos quoque Thessaliæ colonos astruere. Sed de hac gente alibi à nobis explicatum luculentius est. Nec repugnârim, nomen id ita hic usurpatum, ut alicubi Herodotū usurpasse inuenimus, hoc est,ut non gentem certam,sed mores gentis atque migrationes denotatas intelligamus. Cùm interim hoc certum sit, & posterioribus temporibus in Thessalia Pelasgos consedisse:Quippe qui iam distincta haberi gens cœpissent:ad eum nimirùm modū,quo hodie GELDRI Celtarū reliquiæ atque ὁμώνυμοι creduntur. Ac sanè in cæteris recentioribus,& à Geographis relatis,Thessaliæ colonis,originis plærosque nouæ & diuersæ cognoscimus.Etenim ESTIÆI Dores sunt, Dolopes Iones.Ac LAPITHAS & CENTAVROS cum Palæphato & Eusebio potius equitúm ordines, quàm gentes crediderim.Prædicantur enim præcipuè Thessalici equites. Quò pertinet oraculum uetus:

Thessalicus sonipes præstat mulierque Lacæna,
Quique Arethusæos haurit uir fonte liquores.

Neque omninò in primis & Homericis illis, MYRMIDONAS γυναῖκας ἐγχωρίους esse,supra ostendimus.Discedo enim deflecten do à Strabone,qui Achæos fuisse asserit.Et crassius item hallucinatus est Scholiastes Apollonij, qui & Achæos & ἕλληνας nominat:Μυρμιδό-

νες, inquit, καλεῦνται δ' ἕλληνες καὶ ἀχαιοί. Porrò autem THESSALOS ab Æolibus propagatos, Athenæi & Lucani Poëtæ planum fit testimonijs. Et absq; dubio nomen ad conditorem ELISAM alludit, ut tantummodo per μετάθεσιν literas aliquas trāspositas existimare libeat. Id quod equidem mirari ideo minus conuenit, quòd idem nomen & in ἕλληνας & Eleos & Ætolos & Italos & Elateos, (Ceteos Latinos) mutatum sit. Ac pertinet huc quod est apud Strabonem, Thessalos solos principiò ἕλληνας appellatos: Cùm ætas posterior ita Græcas gentes καθόλου nominârit. Vnde fortè ortum figmentum, de reparato humano genere à DEVCALIONE in Thessalia. Nam gentiū Græcos antiquissimos haberi uoluisse, è Laërtio notum est. Scripsit etiam Diodorus, Thessaliam antea Æolidem nuncupatam. Etsi Herodotus hoc propemodum inuertēs, à Thessalis habitatam Æolidem, ait. Nec discrepat inde quod retulit Apollodorus, Æoles è Thessalia in Elidem migrasse. Paruêre autem PHTHII in regiæ dignitatis potestate ACTORIS posteritati, & tandem sub PELEO cū Myrmidonum gente in imperium unum coalescunt. Cumq; pars horum etiam cum PYRRHO Neoptolemo in Epiro consedisset, aliquanto pòst ALEVADIS subduntur. Reliquā Thessaliam partim Iolci & Magnesiæ reges, partim equites Centauri & Lapithæ tenuerūt. Post quos cùm alij tum potissimi Phærei Tyranni exorti, hostes graues Aleuados habuere, & euertuntur denique à Thebanis & Macedonibus.

SALAMINIOS Plutarchus ex oraculo quodam Ionibus accenset, quos Ionas suprà posteritatem Iauan fecimus. His primùm imperasse CYCHREVM, heroa, ferunt: à quo hæres institutus TELAMON, solum EVRYSACEM nepotem successorem habuit. Nam PHILÆVS Athenas domicilio translato, insulam Atheniensibus permisit. Etsi hi postmodo bello difficili de ea contendêre cum Megarensibus, quod ex desperatione depositum, felici SOLONIS astu renouatur conficiturq;. Cumq; sub Xerxianæ expeditionis initium Athenienses urbe deserta coniuges & liberos cum rebus preciosissimis Salamine deposuissent, etiam debellatum ibi cum barbaris feliciter fuit. In Macedonici imperij tempore damnati Salaminij ab Atheniensibus, quod dissimulanter malè rē geri concupissent, dum bellum cum CASANDRO gereretur, & in hunc atq; Macedonas propenso animo fuissent, sedibus pelluntur, etiam urbe deleta, ac ipse prætor Ascetades capitis accersitur.

CEPHALENIORVM & ITHACENSIVM origo monumentis nullis traditur. Attamen facilè ut credam, adducor, Æolas fuisse. Nam Dulicij colonos ab Eleis conditos, Strabo astruit. Nec

minorem

minores in Æolibus Cephalus clientelas, quàm frater ACTOR habuisse uidetur. Vt gentem hăc in insulas istas ipso ductore migrasse, & colonis ueteribus, à quibus cæteroquin fortè genere haud alieni essent, uel successisse, uel sese miscuisse, planè uerisimile fiat.

IAM de ÆACIDARVM gente, condidit eam DEIONEVS. Huic fortè in fabulis pater Æolus attribuitur, quòd ex Æolide coloniam deduxerit. Et cœpit familiæ nomẽ & dignitas regia in Phocide. Inde mox in diuersas sese regiones & prouincias diffudit, haud dubiè ex ea occasione, quòd nondum tum Græcia stabiliter habitaretur, sed quò cuiq; liberet, migraret. Ac disiunxit se tam regno quàm propagine ab Æacidis CEPHALI posteritas. Etsi fabulę Æacum, non Arctoris sed Iouis filium nominant: Cuius causam expositam à Gellio lib. 15. cap. 21. inde repeti uolumus. Cum quidem reuera fraudem hanc sæpè accidisse, dubium nullum sit. Ac sicuti malignus ille spiritus, ueri Dei κακόζηλος extitit, ita hoc singulariter commento obscurare sanctorum patrum doctrinam de filio Dei, assumturo humanam naturam, conatus est. Sanè de Minerua, nata ex cerebro Iouis figmentum ab eodem profectum principio, planè uerisimile fit. Est enim cogitationis officina cerebrum: & natum filium Dei patris cogitatione, seipsum intuentis, Ecclesiæ doctrina erudimur. Ergò quia Actori ÆGINAM collocat Pindarus, genitum eo ÆACVM rectè credimus. Neq; de prole huius quicquam uariatur. Tantum Scholiastes Theocriti filijs eius accenset Alcimum & Crotona. Quos aliquandiu per in Ægina mansisse, auguror, ut editi hisce sint ÆACIDÆ, qui temporibus CLEOMENIS I. regis Spartani, cum Thebanis Athenienses oppugnarunt, ut meminit Herodotus. Nam reliqui Æaci filij tribus in locis distinctis consederunt atq; regnârunt, hoc est, Salamine, Phthia, Phocide, quibus è Telamone nepos, TEVCER, adiecit Cyprum, pronepos è Peleo, PYRRHVS Neoptolemus, Molossidem Epiri. Sed nos hîc tantum de Aiacis, alterius Telamonis filij, & Phoci posteris, agemus. In quibus qui Phoci editi satu fuêre nomen etiam ÆACIDARVM, absq; denominatione alia solum retinuere. Nam ab Aiace cõditam stirpem nouo EVRYSACIDARVM cognomento Isocrates celebrauit περὶ ζεύγους, ut rectè eum locum restituit Xylander: cùm in uulgaribus editionibus legatur pro εὐρυσακιδῶν, εὐπατριδῶν: quam lectionem uel ipse orationis contextus falsam esse arguit. Sic enim idem Isocrates: « ὁ γὰρ πατὴρ ἦν πρὸς μὲν ἀνδρῶν εὐρυσακιδῶν, ὧν τὴν εὐγένειαν ἐξ αὐτῆς τῆς ἐπωνυμίας ῥᾴδιον γνῶναι, πρὸς γυναικῶν δ' ἀλκμαιονιδῶν. » Concidit autem Phoci progenies in Pyladis filijs, Medeone & Strophio. Quam cæteroquin etiam obscuriorem fuisse reperimus, Solis Epeo & Pylade nonnihil ad posteritatem celebritatis con-

ſecutis. Aiacis ex Euryſace F. nepos, PHILÆVS, regio nomine eiurato,& Salaminis imperio Athenienſibus permiſſo, Athenis con ſedit. Ac expoſuit familiæ iam priuatæ propagationem continuam uſque ad MILTIADEM II. principem Cherſoneſi, Marcellinus. Nam Herodotus hic ſecum non conſentit, & omiſſo Miltiade I. Hip poclidem Tiſſandri filium facit: Quod alibi rurſus ceu diſſimulans, Miltiadem II non Hippoclide patre, ſed Cypſelo genitum, ait. Sed ab hac ſententia diſcedimus, & è Marcellino Hippoclidis nomen re tinemus: Cùm quidem auum Miltiadis ἐπώνυμον Ælianus quoque memoret: quanquam de rebus geſtis eius craſſe hallucinando, Cherſo neſum urbem ab eo fundatam, aſſerit. Huius propinquus Steſago ras MILTIADIS III. ſtirpem condidit, ſeu potius obſcuratam iterum in lucem extulit. Quam licet propaginis ſerie ceu hiante, à MILTIADE II. (inde enim eſt, quod Pauſanias è domo ſua pri mùm Cherſoneſo imperaſſe, ait.) interruptam, tamen ab ea non di ſcerno. Cumque plana ſit ex Herodoto, Thucydide & Plutarcho, haud quaquam audiẽdus Marcellinus, qui Steſagoram ipſum MILTI ADI ὁμομήτριον fecit. Id enim rectius ad Cimonem κοάλεμον retulit He rodotus. Cum quo iterum de Miltiade filio conuenit Marcellinus: quia Steſagoræ poſterioris ὁμομήτριον καὶ ὁμοπάτριον uocat. Deficiunt autem iterum in hac ſtirpe cùm propago continua tum nomina, in CIMONIS filijs. Quippe quæ iam claritatem fermè amiſiſſet: Cùm Cimonis poſteri ab eius temperatis moribus degenerantes, planè ad ſtoliditatem quandam & ignauiam delapſi eſſent, quomo do eſt auctor Ariſtoteles Rhet. lib. 2. capit. 15. Vbi quia diſſeritur, quæ in nobilibus familijs contingere quaſi uirtutum & generoſita » tis mutationes conſueuere, locum eum adijcio: Interdum, inquit, ſi » bona familia fuerit, naſcuntur in ea per aliquod tempus eximij uiri, » deinde paulatim iterum ſe remittit. Nam præclari ingenij familiæ in » mores inſaniores, degenerant, ut qui ab Alcibiade genus ducunt, & » à Dionyſio priore: quæ uerò ſtabili pacatoque ingenio ſunt, ad ſtoli » ditatem & ignauiam delabuntur, ut qui à Cimone & Pericle & So » crate progeniti ſunt. Hactenus Ariſtoteles. Tamen retulere huc MILTIADEM IIII. Diodorus & Plutarchus: à quo propago HERODEM Atticum. Enimuerò ſuperaſſe adhuc ſuo tempore Athenis Cimonis genus, haud obſcurè Plutarchus oſtendit de ſera numinis uindicta, ſed neque opibus, neque magiſtratibus amplius claram. Vnde in eodem Herode concidiſſe totam, opinor. Atque ex hiſtoriarum colligi annotatis uarijs poteſt, & alias inter Euryſaci das propagines floruiſſe. In quibus nominatam à Platone, Iſocrate & Plutarcho ALCIBIADIS familiam, ut libenter noſtra ſuffra gatione

gatione admiserim contra Demosthenem, quem sequitur interpres Vlpianus: ita de tot annorum seculis omissa generis & personarum serie, non possumus non dolendo accusare uel temporum infelicitatem uel scriptorum negligentiam supinam. Nam ab EVRYSACE, hoc est, gesto bello Troiano usque ad ALCIBIADEM I. Alcibiadis III. proauum, à quo initium fecere Isocrates & Suidas, intercedunt anni circiter 600. Desideratur uerò propago in hac nominum mox in Alcibiade III. Nam alioqui superstitem diutius fuisse, constat: & quomodo ab eo posteri degenerârint, paulò ante ex Aristotele ostendimus. Ac retulit ad Alcibiadem conditorem genus suum DVRIS historicus, teste Plutarcho. Cæterũ quia primũ MILTIADIS familiæ iunxit se affinitate CALLIAS λακκόπλουτος, deinde uerò sororem huius uxorem duxit ALCIBIADES, eam adhuc de genere eius ceu appendicem subiungere historiæ huic nostræ uisum fuit. Quippe quæ & Herodoto & Thucydidi & Plutarcho lucis plurimum afferat. Etsi quod in ea admireris præter diuitias & opum uim nihil admodum occurrit. Quare neque propagine diuturna fuit: quia postremi in ea ipsius Calliæ λακκοπλούτου filij nominantur.

ELOGIA de Æacidis memoria & obseruatu digna præ cæteris multa Pindarus habet in Pythijs & Nemeis. Suidas ἀλκὴ hoc retulit ex Hesiodo:

ἀλκὴν μὲν γὰρ ἔδωκεν ὀλύμπιος αἰακίδῃσι.

Et alibi, δαίτας, reperit locum Polybij ex historiarum eius libro quinto: οὕς, inquit, ἡσίοδος παρεισάγει τοὺς αἰακίδας, πολέμῳ κεχαρηκότας ἠΰτε δαιτί.
Alludit autem ad utrunque Pyrrhi epigramma, quod trophæo de Gallis deuictis in hanc sententiam addidit:

Vicit ut Antigonum Pyrrhus, Galatæque feroces,
Illius domiti succubuere manui:
His tua condecorans, Pallas delubra tropheis,
Quæ fuerant uotis debita, dona tulit.
Nec mirum emicuit bello si clara propago
Aeacidum, forti nunc quoque Marte potens.

Auctor est Pausanias, omnes ex gente & nomine Æacidarum diuinitus oblata nece occubuisse. Cui Iustinus addidit, plærosque Æacidarum intra annum tricesimum defunctos.

FAMILIA AEACIDARVM, SEV REGES PHOCENSES, PHTHII, AEGINETAE, SALAMINII, ET HIS inserti reges, Cephalenij & Ithacenses, tum subiecti EVRYSACIDAE.

DEIONEVS, Æoli, ut est in fabulis, filius, hoc est, ab Æolum gente oriundus, tenuit cum imperio Phocidem: cùm forte isthuc coloniam ex Asia primùm deduxisset. Apollod.

RELIQVIT è coniuge DIOMEDA liberos: Ænetum, ACTOREM, Phylacum, CEPHALVM & Asteropeam.

ÆNETVS, uixit nomine & fama obscura, & nomine tenus ad posteritatem celebratur. Apollod.

ACTOR, migrauit cum colonis in Phthiam: cum ASOPO filiæ eius Æginæ connubio amicitiam coniunxit, & quod colligere è fabulis possumus, domicilium atque sedem regni noua migratione in Æginam transtulit. Apollod. Pindarus, & Scholiastes.

PHYLACVS, studuit uetusti temporis consuetudine, ipsisque sanctis patribus usitata, rei pecuariæ: MELAMPODEM, armenta abducturum uinculis constringit: & ex uaticinij cuiusdam euentu in admiratione habitum, de nepote etiam è filio uatem uerum experitur, ut scripsit Apollodorus. Fuit autem in eius matrimonio Clymene, Minyæ F. unde liberi ipsi geniti.

IPHICLVS, coniunxit se cum IASONE ad expeditionis Colchicæ societatem. Apollonius, Hyginus.

ALCIMEDE, fuit connupta cū IASONE. Apollonius.

PODARES, Apollod.

CEPHALVS, inclaruit uenationum studijs: cum ERECHTHEO, rege Atheniensium, affinitatem iungit, filia eius Procri in matrimonium ducta: eoque matrimonio infelice usus, postmodo uxorem imprudens perimit. Quare exterminatur ab Areopagitis, & Thebas per ignominiam in exilium protruditur. Ibi iunctus amicitia AMPHITRYONI, in Teleboas expeditionem cum eo suscipit, hosteque deuicto, Cephaleniæ Insulæ, cui hoc de se nomen reliquit, imperium

imperium donum accipit. Pausan. Apollod. Zetzes. Diuersus ab hoc est Cephalo ὁμώνυμος, quem raptum & adamatum ab aurora Poëtæ finxere. Cephalenia insula hodie Venetorum est ditionis: & in Romanis nobilibus excoluit eam præcipuè C. ANTONIVS Hybrida, quem Cicero in consulatu collegam habuit.

ASTEROPEA, memoratur ab Apollodoro.

PRIVSQVAM autem ad ACTORIS progeniem pergam, insero hic quæ de Cephali posteritate prodidit Hyginus. Etsi me haud præterit, alios alias hic & tradere & sequi opiniones. Cùm Hygino in primis suffragetur, quod præter Ithacam, etiam Cephalenia in Laërtæ & Vlyssis ditione fuerit, qua de re plura ex Homero Strabo libr. 10. Ergo è prima coniuge PROCRI Cephali filium cum Hygino astruo ARCESIVM. Huic alteram coniugem perperam Pausanias addidit Clymenen, & filium Iphiclum. Etsi à Stephano nominatos filios alios, Pronesum, Samum, Pelea & Cranium, retinemus.

ARCESIVS, tenuit cum imperio Ithacam, & celebratur passim in Poëtarum scriptis, sed absque alia rerum gestarum mentione. Retulit autem hoc eius genus Hyginus solus fab. 189.

PRONESVS, Samus, Peleus & Cranius, dederunt tetrapoli in Cephalenia nomen. Stephanus.

NASCITVR ARCESIO filius unicus, LAERTES.

LAERTES, adiungit Ithacæ Cephaleniam: Zacynthum armis edomat, & imperij fines usque in Epirum propagat. IASONI ad expeditionem Colchicam adiunctus socius, laudem fortitudinis illustris promeretur. Obijt tertio à filij reditu anno. Dictys, Homerus, Apollod. Ouidius.

IVNGITVR Laërtæ connubio ANTICLIA: quæ liberos enixa est, VLYSSEM & Callisto. Alij tamen hanc Autoliam nominant, & addidit patrem eius Seruius Autolycum, fratrem Sisyphum, quo rursus editus sit SINON proditor.

VLYSSES, procatur HELENAM adolescens: raptam cum PALAMEDE legatus repetit: horret pro eo susceptam mox expeditionem bellicam: ACHILLEM in partes trahit: opprimit Palemedem per calumniam: cum Menelao nouam ad Troianos de pacificatione legationem suscipit: dissipat cum socio Diomede auxiliares Thracum copias cœde RHESI: rapit seu cuniculorum seu cloacarum aditum Palladium: in Troiæ expugnatione operam fortem edit, & in prædæ diuisione HECVBAM reginam donum accipit. inde domum repetiturus, tempestate ad diuersa loca eijcitur. Etenim præter Siciliam & Italiam etiam Hispaniam & Germaniam adijsse

credi-

creditur, socijs ad unum omnibus amissis. Demum post decennij errores ad Cretam appulsus, ab IDOMENEO rege in Corcyram mittitur, & inde in Ithacam traijcit: uindicat procorum uxoris petulantiam: TELEMACHVM filium è somnio quodam habere suspectum incipit: ideoq; eo in Cephaleniam relegato, dum filij alterius Telegoni incursiones hostiles arcere conatur, ab ignaro perimitur. Decantauit eius res gestas nobili carmine Homerus: cuius ab alijs additam occasionem fabulosam omitto: cùm quidem Philostratus meminerit, Poëtam illum in laudando Vlysse nimium esse, ideoq; Homeri ludibrium uocare haud dubitat. Huic addantur Dictys, Dares, Sophocles, Euripides, Suidas, Hyginus, Virgilius, Ouidius, Statius, Seruius: è quibus omnibus colligi potest, quod itidem Philostratus tradidit, fuisse hominem ingenio acri, sed inuido. Sanè cùm prædicetur in eo facundia, reprehenditur rursus malitia fraudulenta. Vt haud incommodè detorqueri in eum possit, quod est apud Virgilium lib. 11. de Drance.

Lingua melior, sed frigida bello
Dextra, consilijs habitus non futilis auctor.

Ac prodidit Suetonius, ab ingenio simili Imp. Cæs. CALIGVLAM auiam Liuiam Vlyssem stolatum appellare solitum. Variat de eius historia nonnihil Plutarchus. Homerici de Vlysse carminis hoc habet argumentum Horatius in epist. ad Lollium:

Rursus quid uirtus & quid sapientia possit,
Vtile proposuit nobis exemplar Vlyssem:
Qui domitor Troiæ multorum prouidus urbes,
Et mores hominum inspexit, latumq; per æquor,
Dum sibi, dum socijs reditum parat, aspera multa
Pertulit: aduersis rerum immersabilis undis.
Sirenum uoces & Circes pocula nosti,
Quæ si cum socijs stultus cupidusq; bibisset,
Sub domina meretrice fuisset turpis & excors
Vixisset canis immundus, uel amica luto sus.

Meminit cædis eius Ouidius in Ibin.

Ossibus inq; tuis teli genus hæreat illud,
Traditur Icarij quo cecidisse gener.

Ab Ausonio hoc celebratur epitaphio:

Conditur hoc tumulo Laërta natus Vlysses,
Perlege Odysseam, omnia nosse uolens.

CALLISTO, nominatur ab Athenæo libro quarto, capite 18.

CONIVGIVM VLYSSIS Penelopes castitas nobilitauit, è qua nascitur filius TELEMACHVS. Adduntur tamen huic liberi à CIRCE, Telegonus, Agrius, Latinus, Auson, seu ut Stephanus recenset, Romus, Antea & Ardea: è CALY-

PSO:

PSO: Nausithous & Nausinous. Etsi Zetzes Calypsus coniugium figmentum ducit, & procreatos ex ea liberos aliter nominat.

TELEMACHVS, conseruat pij animi in patrem absentem studium, reditumq; differentem apud socios duces inquirit: procorum matris uesaniam tolerat prudenter, & demum cædem eorum promto animo adiuuat. Post id tempus è somnio quodam patri suspectus factus, in Cephaleniam relegatur, apposita custodia, & primū ab interitu eius restituitur in integrum. Dictys, Homerus, Ouidius, Hyginus.

TELEGONVS, missus à matre ut patrem quæreret, tempestate ad Ithacam appellit, & è commeatus penuria agros populari aggreditur. Eam iniuriam Vlyssem prohibiturum ex occursu telo prosternit, & è morituro primùm parricidium suum cognoscit. Attamen componit cum fratre Telemacho, & regressus in Italiam, Prænestе & Tusculum condit. Dictys, Euripides, Plutarchus, Hyginus, Acron, Porphyrio.

AGRIVS & LATINVS, commemorantur ex Hesiodi gentilitate: etsi ego utrunque nomen ficticium duco: & quid de Latino credi conueniat, suo loco pluribus ostendimus. Idem intelligi de Stephani nominibus uolumus, cùm aliud idem de Prænesto nepote commentum attexat crassius.

AVSON, nominauit de se Ausones & Ausoniam, ut est in fabulis Eustathij. Nos enim & hoc fictitium nomen ducimus, ut nempè gens illa à moribus denominata sit, & respondeat significato, Germanico Quadi.

NAVSITHOVS & NAVSINOVS celebrantur nomine tenus Hesiodi gentilitate.

TELEMACHO Vlysses pater uxorem dedit Nausicaam, & genitum inde nepotem à fortuna sua (nam & Homerus de ipso hoc usurpat, & repetijt Cicero ad Plancum.) Poliporthum appellauit. Auctor est Dictys lib. 6. Addit Hyginus alterám, CIRCEN nouercam, quam à patris interitu pro Penelope concessa ipse rursus permutatione à Telegone acceperit: & ex TELEMACHO prolem aliam Latinum, ex Telegono Italum nominat. Sed eam fabulam repudiamus, ut itidem Plutarchi, qui Latini huius filiam Romam fecit. Etsi Telegoni genus diu floruisse, certum est. Memorant enim inde OETAVIVM MAMILLVM Tusculanum, à quo OETAVII & MANILII Romani familias suas deriuarunt, Liuius & Dionysius. Cæteroquin etiam fatu Vlyssis edita posteritas nequaquam obscura extitit. Quippè è qua etiam Andocides

des orator, Alcibiades σύγχονος, uideri oriundus uoluerit, idque fortè ex ea historia, quam de Chalcimo & Dæto, oraculi Delphici iussu in Atticam reuersis, & in ius ciuitatis receptis, prodidit Pausanias.

POSTERITAS
ACTORIS.

PROCREAT ACTOR ex Ægina liberos, ÆACVM & MENOETIVM: quibus Antoninus Liberalis & Scholiastes Apollonij ex Herodoto addunt Irum.

ÆACVS, excipit successione patris in Ægina regnum: Insulam de matre nouo insignitam nomine (antea enim Oenope dicebatur.) reddit colonis Myrmidonibus frequentiorem: & eam pietatis religiosæ famam promeretur, ut oraculo Delphico à Græcorum gentibus sterilitati auertendæ ceu ἱκέτης detigi iussus sit. Id quod legationis solennis rogatu demandari sibi passus, & compotem patriam pluuiarum frugiferarum facit, & eximiæ uirtutis opinionem in omnium animis de se confirmat. Ea felicitas domestico filiorum scelere ipsi turbatur: & necis Phoci Telamonem & Peleum auctores extitisse, edoctus, utrique exilium perpetuum indicit, & alterum Telamonem purgare se impendiò conatum, audit tantum, sed crimine non liberat. Vt fratris principatum in Phthia confirmaret, Diam ibi urbem condit. Atque ab Atheniensibus de auxilijs solicitatus contra MINOEM, hæc eis promta suppeditat, & legatum Cephalum tractat cumulatè. Pindarus, Isocrates, Diod. Strabo, Plutarchus, Pausanias, Apollodorus, Antoninus Liberalis, Stephanus, Hyginus, Ouidius. Fingitur à Platone & Poëtis in Europæos iudicium exercere apud inferos, & Plutonis claues seruare: quod figmentum ab iustitia eius profectum, & uitæ singulari integritate, dubium nullum est. De pluuia Græciæ impetrata narrationem Eusebius lib. 10. de Præparatione Euangel. cap. 1. totam fabulosam uult uideri, desumtam nimirum ex loco scripturæ sanctæ: Et clamauit Samuel ad Dominum, & dedit Dominus uoces & pluuias in illa die, &c. Inter exempla, qui Poëtarum & doctorum aliorum monumentis famam & æternitatem consecuti sunt, nominant Horatius Æacum 4. Carm. Odys. 8. quem locum elegantissimum subijcio:

—Neque
Si chartæ sileant, quod bene feceris
Mercedem tuleris. Quid foret Iliæ

Mavortisq;

Mauortisq; puer, si taciturnitas
Obstaret meritis inuida Romuli?
Ereptum stygijs fluctibus Aeacum
Virtus, & fauor, & lingua potentium
Vatum diuitibus consecrat insulis.
Dignum laude uirum Musa uetat mori;
Coelo Musa beat, &c.

Traditum etiam est ab Ouidio Metamorph. lib. 7. ab Minoë Æaci contra Athenienses petitam Societatem, huncque eam planè denegasse: quę ipsa expositio, & Minois cõcepta inde indignatio, hoc quasi epiphonemate clauditur:

Vtilius bellum putat esse minari
Quam gerere, atq; suas ibi praeconsumere uires.

Hoc ad Polydori regis Spartani uidetur Poëta ille allusisse apophthegma apud Plutarchum: Qui, cùm inimicis quidam assiduè minitaretur: Non uides, inquit, maximam ultionis partem abs te consumi. De nomine eius posteri Æacidarum usurparunt cognomentum.

MENOETIVS, adiungitur à patre IASONI socius ad expeditionem Colchicam. Illo è uita sublato, cum fratribus ijs contendit pietatis officijs, ut auitarum ditionum imperium ipsis integrum permiserit, & Opuntem Locrorum habitatum concesserit. Inter necessarios amicos principe loco HERCVLEM coluit. Cui in Oeta defuncto primus honores diuinos tribuit, immolatis ei Tauro, Capro & Ariete, idq; sacrificiũ Opuntij deinceps solenne peragerent, & Herculem pro heroe colerent, instituit. Pindarus, Apollonius, Diod. Scholiastæ Pindari & Apollonij, Hyginus. Meminit Homerus Iliad. λ.

IRVS, retinuit Phthiæ imperium, in eiusq; consortionem potestate æquali Eurytionem filium recipit. Hoc peremto etsi non potuit non de tanta acerbitate uehementer dolere, tamen à uindictæ studio sibi temperat, ac Peleo & offensam & mulctam remittit. Antoninus Liberalis & Scholiastes Apollonij. Nam Apollodorus Eurytiona F. Actore genitum, ait.

PRIMVM autem explico de Menætij & Iri propagine, quòd neque tempore diuturna, neque rebus gestis admodum illustris extiterit. Fuit autem cum Menoetio connupta Sthenele (Hyginus corruptè Philomelam uocat) è qua liberos suscipit PATROCLVM & Myrto.

PATROCLVS, interficit iracundiæ temeritate furiosa, puer in talorum ludo Amphidamantem quendam, seu ut alij nominant

[?]onem. Ideò uertere solum exilio coactus, apud P E L E V M à patre deponitur, & cum A C H I L L E ibi ita educatur, ut consuetudo utriusque in summam beneuolentiam coaluerit. Quare postmodo ad bellum Troianum ipsum comes sequitur: contra T E L E P H V M in Mysis fortitudine illustri pugnat: S A R P E D O N E M conficit duello: indeq; in Hectorem animatus dum dimicat incautius, perimitur, & cadauer hostili insultationi destinatum uix ab A I A C E conseruatur, tumuloq; in Sigæo honorificè conditur. Dictys, Homerus, Pindarus, Strabo, Philostratus, Apollodorus, Hyginus. Dares corpore pulcro fuisse, ait, oculis cæsijs, uiribus magnis, uerecundum, rectum, prudentem, dapsilem. Ab Achille tantum ei tributum fuit, ut cum Aiacem caput suum nominasset, hunc manus suas diceret, teste Philostrato: qui & ætate æqualem fuisse, asserit. Meminit Hyginus ex hostibus ab eo iugulatos numero 54. De studijs eius præclarè Ælianus edisserit lib. 2. animal. cap. 18. Qui locus sanè memorabilis cùm ueterum heroum depingat institutionem atque educationem, posterioris seculi ignauiæ admodum dissimilem, hic eum adijcio: Ars, inquit, & doctrina curandi uulnera apud Homerum per manus, uel ad tertiam usque ætatem traditur. Patroclum, Menoetij filium, Achilles Pelei F. medicinam docet, Achilleum uerò Chiron erudit. Disciplinas nimirum heroës tantum & Deorum filij exercebant: & radicum naturam, uarium herbarum usum, Pharmacorum temperationem, cantiones tum inflammationibus tùm reprimẽdo sanguini propitias & alia quædam nouerant. Nonnulla etiam his inferiores tempore heroës ac dij inuenerunt. Hactenus Ælianus.

M Y R T O, genuit ex Hercule E V C L I A M. Quæ in uirginitate defuncta, honores diuinos apud Locros & Bœotos promeruit, statua ei per fora erecta, cui ante nuptias sponsi sponsæq; sacrificarent. Plutarchus in Aristide.

I R I coniugium ignoratur. Nascitur tamen ei filius Eurytion.

E V R Y T I O N, consectatur I A S O N E M ad expeditionem Colchicam: Peleum patruelem cædis expiat, & generum ascitum, tertiaq; imperij parte honoratum, nouæ in Ætoliam expeditionis socium assumit. Ibi dum ambo pugnant fortiter, aberrantis teli ictu, quod temerè Peleus proiecerat, cadit. Apollonius, Apollodorus, Hyginus, Ouidius. Variat Antonius Liberalis, & in uenatione occisum, ait.

A N T I G O N E collocatur à patre propinquo P E L E O. Quem

Quem Parricidio coniugij desertionẽ addere ausum falsò edocta, laqueo uitam abrumpit. Apollodorus lib. 3.

AEACIDAE.

HABVIT ÆACVS in matrimonio Endeidem, quam Plutarchus Scironis, Apollodorus & Scholiastes Pindari Chironis Centauri, filiam fecere: Vndè liberos procreat: TELAMONEM & PELEVM. Addunt alij coniugem alteram Psamathen, quæ PHOCVM enixa est. Nam Pindari Scholiastes hunc nothum nuncupat. Et Theocriti item Scholiastes his Æaci liberis accenset Alcimum & Crotona, sed matrem non nominat.

TELAMON, tollit ex æmulatione, ut fertur PHOCVM fratrem. Quam cædem occultare frustra aggressus, Æginaq; à patre eiectus, in Salaminem secedit profugus, & reconciliationi paternæ frustrà studet. Ideò CYCHREI regis necessitudinem atque affinitatem ambit enixius, ductaq; filia eius Glauca, etiam regni successionem obtinet. Dedit nomen expeditioni Ætolicæ & Colchicæ, & in utraque fortitudinis illustris facinora multa edit. Cumq; Pelopidarum domus affinitati Peribœæ connubio se deuinxisset, HERCVLIS quoquè familiaritatem intrat. Quem in Troadem contra Laomedontem secutus, primus in Ilij oppugnatione muros conscendit, ideoque ceu fortis operæ præmium, HESIONEN, Laomedontis filiam, donum accipit. Hanc dum habet indignius, neque uel Priami rogatu dimittere, aut recipere in coniugalem locum dignatur, raptui HELENÆ, & bello Troiano, occasionem præbet. In quo cùm Aiacem filium amisisset, alterum Teucrum reuersum inde feliciter, deserti fratris crimine insimulat, & à Salamine perpetuo indicto exilio excludit, tum VLYSSEM, Aiacis æmulum, propemodum interceptum mulctat hostiliter. Dictys, Dares, Pindarus, Xenophon, Isocrates, Apollonius, Diodorus, Plutarchus, Pausanias, Apollodorus, Messala, Antoninus Liberalis, Hyginus, Ouidius, Iustinus, Seruius. Virtutis magistrum habuit Chironem, ut scripsit Philostratus. Exilij ipsius causam Pindarus attingens, & rursus dissimulans: Interdum, inquit, melius est non ostendere uirtutis faciem: & facere sæpè inter homines sapientissimũ consilium est.

PELEVS, conspirat cum Telamone in necem Phoci. Ideò ex Ægina uertere solum patris indignatione compulsus, cum ciuium

Myrmidonum parte in Phthiam migrat: EVRYTIONI agnato primum se hospitio, deinde affinitate iungit, & imperij ab eo partem tertiam imperat. Eam felicitatem corrumpit iterum societate expeditionis in Ætoliam. Etenim socerum imprudens perimit: coniugem fraude Astydamiæ (.Horatius Hippoclyten nominat, fuitque ea in matrimonio A C A S T I regis.) amittit, & dum concubitum huius casto pudore detrectat, Acasto per calumniam tentatæ mulieris pudicitiæ accusatur, & insidiosa machinatione eius trucidandus Centauris obijcitur. Hoc periculo liberatus à C H I R O N E, nouo Thetidis coniugio res iterum suas confirmat: I A S O N E M in Colchidem socius consectatur, nec multò pòst ope huius iniurias Astydamiæ bello uindicat: atque à Troiano contra Laomedontem bello Phthia omni recuperata, Phœnici quoque Dolopum regnum reddit, & L Y C O M E D E M Scyrium in Thesei ultionem per Achillem filium debellat. Sed neque tùm uitam absque incommodis, ut scripsit de eo Pindarus uiuere potuit. Nam Achille ad Troiam peremto, bello infesto ab Acasto petitur, finibusque omnibus exutus, latet profugus usque ad P Y R R H I nepotis reditum. Ab hoc restitutus, cum deinceps senectæ suæ solamen & præsidium eum habiturus esset, aliquantò pòst O R E S T I S scelere amittit: Itaque iam in luctu contabescens, moritur. Dictys, Dares, Homerus, Pindarus, Euripides, Xenophon, Antoninus Liberalis, Apollodorus, Diodorus, Strabo, Philostratus, Scholiastæ Pindari & Apollonij, Zetzes, Hyginus, Ouidius. Retulit Suidas hoc de ipso prouerbium: μέγα φρονεῖ μᾶλλον ἢ πηλεὺς ἐπὶ τῇ μαχαίρᾳ; id est, Magis sibi placet, quàm Peleus sua machæra: in eum, qui præter modum in re quapiam insolens est, ac tumet. De Thetidis coniugis transformationibus mirificis fabulam aliqui interpretãtur de prætextibus uariè quæsitis, quò hoc illa coniugium declinando effugerit: Cùm fortè gemini patricidij in Peleo infamiam, & tot aduersos hominis casus, formidaret. Herodotus tamen raptam à Peleo, ait, & rei gestæ locum Scipiadem nominat. Cæteroquin ipsum uirum magnum extitisse, inde euidens fit, quod nuptias eius Dij ipsi præsentia sua honestasse finguntur. Eustathius & Marcellinus etiam Pelusium Ægypti ab eo conditum & denominatum, uolunt. Cùm enim post Phoci cædẽ horrendis furiarum imaginibus raptaretur, Deorũ monitu lustrari in lacu, qui ciuitatis illius mœnia alluit, iussus est. Sed de ea narratione quisque quod uolet, sentiat. Meminit Plato in Gorgia.

P H O C V S, deduxit nouam in Phocidem coloniam: cum Iaseo fœdus & amicitiam iungit: itaque regnum familiæ recuperaturus

etiam finibus amplificat, & de se nomen hoc ei firmat. Hoc tam illustri facinore cùm patris beneuolentiam, quæ esset in ipsum mirifica, auxisset, fratres Telamonem & Peleum occultè alienatos urit: atque ab illo uenatum eductus, per insidias de uita tollitur. Pindarus, Diodorus, Plutarchus, Pausanias, Apollodorus, Scholiastes Pindari.

ALCIMVS, & CROTON memorantur à Scholiaste Theocriti in 4. Idyll. & illi regnum Corcyra, huic Croton Siciliæ, attribuitur.

PROPAGATVR fratribus hisce posteritas amplissima. Quæ cùm in sedibus regnisq; diuersis consederit floruerítq;, nos de ea hic ita explicabimus, ut Telamonis per Aiacem deductam propaginem integram subijciamus, Teucri historiam & stirpem pòst daturi in regno Cyprio. In Pelei posteris Achillis historiam tantùm attingemus. Quam tertio loco sequetur familia Phoci, itidem explicata integrè, hoc est, quantum de ea in autorum monumenta peruenit. Siquidem & penes hanc solam Phocidis regnum, unde primi gentis Æacidarum conditores prodierant, permansit.

TELAMONI coniuges fuêre GLAVCA, quæ absque liberis decessit, & PERIBOEA (. Athenæus Meliboœam uocat.) Alcathoi Pelopidæ filia, è qua nascitur filius AIAX. Nam HESIONEN Troianam, tantum pro concubina hàbuit, auctus tàmen inde filio TEVCRO. Neq; audiendus Dares, qui hac etiam Aiacem editum fabulatur.

AIAX, cognomento MAGNVS, accipit Megaræ imperium ab auo ALCATHOO: çum Achille agnato amicitiam colit, & Atridis, qui Græcorum tunc temporis potentissimi essent, uirtute innotescit. Ideò ad bellum Troianum ascitus socius contra TELEPHVM in Mysia pugnat fortiter: sternit Troianos in Troadis aditu: POLYMESTOREM Thracem, hosti confœderatum, & Phrygas cum finitimis cæteris facere imperata cogit, fugat Hectorem: Achillem Agamemnoni conciliat: cum Memnone duello congreditur: & denique Achillem Paridis insidijs peremtum sumtuosè funerat. Cumq; tot tamq; præclaris facinoribus laudem fortitudinis bellicæ ab Achille apud Græcos secundam promeruisset, euertitur iracundiæ furore & nimia uindictæ cupidine. Inde enim in insaniam prolapsus, etsi aliquantò pòst feliciter resipuit, tamen uiuere pudore haud sustinet, & suo ipsius gladio se transadigit. Dictys, Dares, Homerus, Pindarus, Isocrates, Diodorus, Pausanias,

Philoſtratus, Apollodorus, Hyginus, Ouidius. Variat de cauſa & tempore mortis Dictys libr. 5. de morte ipſa Dares & Suidas παλαμάδιον. De qua itidem Pindarus explicans: Si ueritatem, inquit, ſci-
" remus, non pater arma iratus Aiax fixiſſet in præcordia latum en-
" ſem: qui excepto Achille præſtantiſſimus inter duces ad Troiam
" profectus eſt. Et alibi: Deceptio nocuit Aiaci, & blandi ſermo-
" nes doloſi, & maleficum conuicium, quod lædit præſtantes, igno-
" biles leuiter curant. Idem Dares & Philoſtratus ſtaturæ ipſius de-
" ſcriptionem accuratam habent. Ab Homero inſigni encomio ἕρκος ἀχαιῶν ornatur: & apud Philoſtratum Achilles ei tantum tribuit, ut caput eum ſuum nuncupet. De faſtu eius & arrogantia hunc memorabilem locum habet Sophocles:

Aiax ſtatim initiò cum à domo proficiſceretur,
Patri benè monenti, ut homo amens, reſpondit.
Pater enim: mi fili, inquit, uirtute
Velis uincere, ſed auxiliante Deo ſemper uelis uincere
Ipſe uerò ſuperbè ac ſtultè reſpondebat:
Adiuuante Deo, inquit etiam ignaui
Vincere ſolent, Ego uerò uel abſq;
Auxilio diuino, confido me iſtam attracturum eſſe gloriam.

Ab Æginetis templo cultus fuit: è quo templo abripitur poſtea ad ſupplicium HYPERIDES, Orator Athenienſis, teſte Plutarcho. Sepulcrum habuit in Æantio oppidulo, de ipſo à conditoribus Rhodijs ita appellato, ibique & templum aliud & ſtatuam promeruit. Hanc poſtmodo ab Antonio ablatam reſtituit Ilienſibus Auguſtus Cæſar, ut ſcripſit Strabo. Idem ſepulcrum ſub ADRIANO maris alluuione eruitur, & inuenitur cruris mola diſci magnitudine, ut Pauſanias, oſſa 15. cubitorum ſtaturam præ ſe ferentia, ut Philoſtratus. Quod reſtituit, ad Troiam profectus, idem Imper. Adrianus, & oſſa ſuis manibus componit, amplexatur, oſculatur. Atq; affinxit ei hoc Auſonius epitaphium.

Aiacis tumulo pariter tegor obruta uirtus,
Illacrymans buſtis funeris ipſa mei:
Incomtas lacerata comas, quod prauus Atrides
Cedere me ſtructis compulit inſidijs.
Non dabo purpureum claro de ſanguine florem,
Teſtantem gemitu crimina iudicij.

TEVCRI hiſtoria & poſteritas poſtea à nobis pertractabitur.

PELEVS

PELEVS coniuges duxit: ANTIGONEN, unde genita Polydora, & THETIDEM, quæ peperit Achillem.

POLYDORA, nupſit Sperchio, è quo gignit Meneſthium. Homerus, Strabo, Apollodorus.

ACHILLES, ab Epirotis cognominatus lingua patria Aſpetus, hoc eſt, MAGNVS, educatur puer, & in literis eruditur à CHIRONE: militarē diſciplinam cum ſocio Patroclo à Phœnice addiſcit: & præſtantiſſimæ indolis generoſitate ductuq́ ſpem de ſe uirtutis eximiæ in animis omnium amplam concitat. Nec ſanè poſtea temporis uel degenerem ſeſe, uel expectatione tanta indignum præſtitit. Nam miſſus à patre contra LYCOMEDEM Scyrium, ut ſcripſit Philoſtratus, hoſtem uictum in poteſtatem redigit, ac clementer conſeruatum affinitate ſibi iungit. Hinc cum AGAMEMNONE proficiſcitur in Troianos: Suſtinet Telephum in Myſia, uulneratumq́ lethaliter ſanat: deprædatur Lesbum & Tenedum: cum Agamemnone, à quo Palamedis cæde alienatus eſſet, per Aiacem conciliatur: in POLYXENA ſpectaculo ſacrificij fortuito commouetur: Hectorem & Memnonem duello conficit & illius reddito cadauere, deinde ultrò iam à Priamo ad Polyxenæ coniugium inuitatur. De hoc dum per induciarum tempus tranſigere cum Deiphobo & Alexandro Paride ſatagit, fraude horum perimitur. Dictys, Dares, Homerus, Pindarus, Plato, Xenophon, Iſocrates, Strabo, Plutarchus, Scholiaſtæ Pindari, & Apollonij, Ouidius, Hyginus & Seruius. Extat corporis ipſius ſtatura heroica deſcripta apud Dictyn, Daretem, Philoſtratum: doctrinæ traditæ à Chirone, hoc eſt, Muſica, ars medendi, & præcepta morum, apud Plutarchum, Suidam, Quintilianum, Statium libr. 2. Achilleid. Claudianum de conſulatu Honorij: inter quæ præcepta hæc narrat Pindarus in Phthijs: Deum coleret & non priuaret honore parentum uitam. Ac Phœnix apud Homerum ſe etiam à Peleo adiunctum ipſi ait, μύθων τε ῥητῆρ᾽ ἔμεναι πρηκτῆρά τε ἔργων. Humatum & ſuperſtitione Græca honoratum templo accepimus ad Sigœum Troadis. Vbi itidem ſtatuam in ipſius honorem poſitam ſolennibus aduenas tripudijs colere ſolitos, Plutarchus auctor eſt. Hanc cùm Alexander in Perſas profecturus coronaſſet, felicem Achillem dixit, quod Homerum rerum ſuarum præconem nactus eſſet, & in amicum fidelem incidiſſet. Nam præcipuè poſteritati innotuit Homeri carmine: & tradidit Philoſtratus, pro dignitate ab eo Achillem laudari, ſed in Vlyſſe prædicando nimium eſſe. Idem multa habet de honoribus, quos Theſſali ipſi habuerint. Nuncupat de nomine eius Plinius

nius & oppidulum & herbam Achilleon, & sanatum hac Telephum, ait: cùm alibi ferri rubigine, quæ uim eandem obtineat, restitutum regem illum uelit. Erga Chironem præceptorem ἢ παιδοτρίβην obseruantiam ipsius, & grati animi studiũ, prædicat Iuuenalis Sat. 7. quem locum memorabilem adijcio:

Dij maiorum umbris tenuem & sine pondere terram
Spirantesq́; crocos, & in urna perpetuum uer:
Qui præceptorem sancti uoluere parentis
Esse loco: metuens uirgæ iam grandis Achilles
Cantabat patrijs in montibus: & cui non tunc
Eliceret usum citharœdi cauda magistri?

FVIT cum ACHILLE connupta Deidamia, Lycomedis F. è qua procreatur PYRRHVS, cognomento Νεοπτόλεμος. De huius historia pòst inter reges Molossidis agemus. Memoratur etiam concubina Hippodamia seu Briseis, sed prolem ex hac nullam legimus.

PHOCI coniugium ignoratur: Tamen filij eius nominantur, Panopeus & Crisus: à quibus propagatam generis prosapiam primùm pertexo, deinde ad Aiacis posteritatem explicando rediturus.

PANOPEVS, retinuit patris in Phocide imperium, & urbi Panopæ de se nomen imponit. Pausanias, Stephanus. Plura de urbe Panope idem Pausanias in Phocidis.

CRISVS, facinore illustri nullo inclaruit, memoraturq́; tantùm à Pausania in Corinthiacis, Eustathio in Homerum.

PANOPEO editi liberi sunt, EPEVS & Ægle.

EPEVS, excelluit mirifica ingenij solertia: & comitatus Atridas ad bellum Troianum, primus adinuenit machinam illam bellicam, quam & equum & arietem nominârunt ueteres. Cumq́; tandem Ilij hac mœnibus perruptis, Græci per ruinas secuti urbem cepissent, incensa est Poëtarum licentia, ut nescio quem equum Troianum ligneum fingerent. Auctor est Plinius libro septimo, capite 56.
» Pausanias in eandem sententiam explicans: Durateum, inquit, e-
» quum machinam fuisse bellicam ab Epeo factam ad muros deijcien-
» dos fateatur necesse est, qui Troianos nolit stuporis ac stulticiæ con-
» demnare. Dictys tamen & Philostratus historiam credidêre, & aliter de ea sentit Dares aliter Palæphatus. Condidit Metapontinos in magna Græcia: quos ferramenta, quibus equum Troianum fabricârit, adhuc suo tempore monstrasse, Iustinus scripsit.

ÆGLE, memoratur à Plutarcho inter mulieres à These amatas.

CRI-

CRISVS filium reliquit Strophium.

STROPHIVS, imperat Phocidi post Epeum, regia usus Pythone urbe: cum Pelopidarum domo amicitiam coniungit, ductaque Anaxibia (Hyginus Astyocheam uocat.) Atrei F. ORESTI hospitium tutum & fidum præstat, & tandem auxilia contra Ægisthum suppeditat. Post ab eo alienatus iterum parricidio matris, etiam filium Pyladem, facinoris istius socium, à se expellit. Euripides, Pindarus, Plutarchus, Pausanias, Scholiastes Pindari.

PYLADES, habet puer domi paternæ σύντροφον & exercitiorum socium, ORESTEM. Cui inde arctißima necessitudine iunctus, comitatur reducem in Peloponnesum: adiuuat Ægisthi & Clytemnestræ cædem; & Electram ceu operæ nauatæ præmium uxorem accipit. Ideò alieniore usus patre, patriaque eiectus, iterum Oresti se associat: prolapsum è conscientiæ stimulis in insaniam non deserit, & apud Tauroscythas morti se pro eo offert. Euripides, Pausanias, Hyginus. Dedit nomen Pylææ (erat is locus, in quo legati & concilium Amphictyonum sedebant.) propterea quòd ob cædem Clytemnestræ causam ibi dixisset, ut meminit Suidas. Ab Euripide ita describitur:

Dolosus uir

Sicut Vlysses, tacitè dolosus
Sed fidus amicis, & audax ad pugnam,
Peritus pugnandi, & lethalis draco.
Pereat ob tacitam prouidentiam, cùm sit maleficus,

De amicitia eius cum Oreste, & honoribus à barbaris utrique solennibus sacrificijs habitis, præclarè Lucianus in Toxari Ouidius libro 3. de Ponto.

SVSCEPIT Pylades ex Electra liberos, Medeonem & Strophium.

MEDEON, & STROPHIVS perseuerant ambo in maiorum cum Pelopidis amicitia. Ideò ut Heraclidarum in Peloponnesum uel impedirent uel remorarentur reditum, ARISTODEMVM Delphis ea de re oraculum petentem per insidias obtruncant. Pausanias. A' Medeone, Stephanus μεδέων, urbē Phocidis Medeona denominauit. Nec alij deinde è Phoci posteritate autorum monumentis referuntur: Vnde suspicari possumus, eam in fratribus hisce totam interijsse, uindicantibus fortè in ijs etiam Aristodemi cædem Heraclidis.

POSTERITAS AIACIS, SEV EVRYSACIDAE.

DVXIT tempore belli Troiani AIAX Tecmessam captiuam, Teuthrantis filiam, è qua filiũ procreauit EVRYSACEM. Addit Dictys concubinam Glaucam, Cygni F. unde filium nominat Achantidem: estq; fortè ex eadem genitus Canaurus, quem Stephanus retulit. Memorat etiam coniugem alteram Lysidicen Dictys, cuius filium facit Philium.

EVRYSACES, manet in castris post patris interitum: nec multò pòst Ilio expugnato, Græcorum ducum consensu reducendus ad auum in Salaminem Teucro traditur. A' quo cum summa uoluptate susceptus, regniq; hæres institutus, Teucro gratiam non bonam refert, & ab obitu Telamonis iterum ad Salaminem appulsum inhumaniter repellit. Ideò ut maturè à bello eius se defenderet, cum Athenienfibus, fœdus init, & ciuitatis huius studio tanto colitur, ut uitæ perfunctus muneribus aram promeruerit. Pausanias, Iustinus. Meminere Plato in Alcibiade primo, Philostratus in Heroicis. Isocrates περὶ ζεύγους posteros de eo εὐρυσακίδας nominauit.

ÆHANTIDES, memoratur à Dicty lib. 5.

BANAVRVS, dedit de se nomen Banauridibus, quæ insulæ Tyrrhenicæ sunt, cùm fortè isthuc coloniam deduxisset. Stephanus.

PHILIVS, nominatur ab auctore Zetze.

DE coniugio EVRYSACIS nihil in scripta autorum peruenit: Nascitur tamen eo PHILÆVS. Sequimur enim Pausaniam: à quo Herodotus, Plutarchus, Stephanus & Marcellinus discrepantes, fratres illos fecêre, & Salamine Athenienfibus tradita, alterum Baurone, alterum Melitæ (uicus uterque Atticæ est.) habitasse, tradunt.

PHILÆVS, donatur ciuitate ab Athenienfibus, & Philiadarum tribus, unde fuit PISISTRATVS Tyrannus, de nomine eius appellatur. Qua illectus humanitate, & Salaminis eis imperium permittit, & fortunarum domicilium Athenas transfert. Herodotus, Plutarchus, Pausanias, Stephanus. Marcellino Philæas est, qui posteritatem eius, quæ deinde in fortuna priuata uixit, ita deducit.

|

DAICLVS.

EPIDY-

EPIDYCVS.

ACESTOR.

AGENOR.

OLIVS.

LYCES.

TYPHON.

LAIVS.

AGAMESTOR, meruit summum Athenis magistratum: quo ipso in tempore nascitur ei filius.

TISSANDER. Meminit Herodotus lib. 6.

MILTIADES I. astruitur errore crassę supino Chersonesi cōditor ab Æliano V.H. lib. 12. cap. 35. Nam id rectiùs ex Herodoto ad Miltiadem nepotem refertur. Etsi neq; hic reprehensionem effugit: quippe qui etiam nomen eius omiserit.

HIPPOCLIDES, ambit in procis cæteris CLISTHENIS Sicyonij filiam, & è CYPSELIDARVM Corinthiorum affinitate, tyranni gratiam præcipuam colligit. Hac fretus, in certaminibus Musicis saltat indecentiùs, & dum monitus, id, quod prouerbiale inde mansit: Non esse istud curæ Hippoclidi: respondet, con fugio illo excidit. Sed rursus in patria meliorem experitur fortunam, & per omnes honorum gradus ad summum magistratum ascendit. Herodotus & Marcellinus, quorum ille nunc Hippoclidem nūc Cypselum uocat. Variat modicè Suidas.

MILTIADES II. claret in repub. sub PISISTRATI tyrannide: Olympicam palmam curriculo quadrigario reportat: DOLONCORVM Thracum legatos, qui Delphis per Phocenses & Bœotos Athenas se deportârant, hospitio fortuito, sed benigno

nigno accipit. Ideo de Oraculi responso(id erat, ut coloniæ nouæ ductorem asciscerent, qui primus templo abeuntes hospitaliter inuitaret.)ob eis edoctus, odio præcipuè dominationis Pisistrati hoc sibi muneris imponi patitur: & abductis Atheniensium uoluntarijs, condit Chersonesum urbem: Isthmum ipsum contra Absinthiorum incursionem muro cingit: cùm CROESO amicitiam fœdere iungit. Cumqúe aliquanto pòst in Lampsacenos profectus, dum rem gerit incautiùs, uiuus in hostium potestatem peruenisset, Crœsi minis dimittitur. Moritur absque prole, & ceu coloniæ conditor sacrificio, & certamine equestri gymnicoqúe honoratur. Herodotus, Ælianus, Suidas.

¶POST MILTIADEM Aiacis posteritas propagine & serie continua deficit, ipso etiam absque prole defuncto. Neque auctorum monumentis traditum usquiam est, quibus propinquitatis gradibus Miltiadem Stesagoras attigerit. Quem cum temporum ratio Hippoclidis fratrem concederet, uetat rursus, quod Cimon κοάλεμος frater Miltiadis uterinus nominatur. Vnde sequeretur, matrem horum fratribus duobus nuptam fuisse: Quæ coniugia Atheniensibus usitata fuisse, nusquam me legere memini. Cùm interim hoc certum sit è Plutarcho & Probo, concessa hæc liberis, qui matribus diuersis geniti essent. Attamen, hanc ceu interrupti generis distantiam remotam non fuisse, credibile est. Quò refero, quòd Miltiades Stesagoram alterum principatus hæredem instituit.

STESAGORAS, celebratur rebus gestis nullis, & conseruauit nomen solum, Herodotus lib. 6.

CIMON, à stolidi ingenij moribus cognominatus κοάλεμος, semigrat Athenis metu Pisistrati: Palmam in Olympijs quadrijugo certamine triplicem obtinet: & ab obitu Pisistrati in patriam reuersus, de nocte à filijs eius per submissos percussores ad Prytaneum de uita tollitur, ac trans uiam ante urbem sepelitur. Herodotus, Plutarchus.

PROCREANTVR Cimone liberi: STESAGORAS & MILTIADES III.

STESAGORAS, euocatur Chersonesum à MILTIADE patruo: & principatus successor nominatus, obtruncatur transfugæ cuiusdam insidijs. Herodotus, Marcellinus. Variat de historia eius Probus in Miltiade.

MILTIADES III. educatur domi paternæ priuatus: funera familiæ tempore non magno gemina eaque acerbissima spectat: & à Pisistratidis MILTIADI II. patruo successor missus fraudulēta

princi-

principum Chersonesi captiuitate dominatum confirmat: reprimit Barbarorum incursiones: Cares Lemno expellit: & prolixo erga patriam studio, felicibus uictorijs Cyclades huic insulas subdit. Post id tempus cum DARIO Hystaspis amicitiã coniungit, uel potius potentiæ Barbarorum formidine imperio ipsius se subijcit. Quem ad Scythicam expeditionem consectatus commilito, cum popularibus & finitimis tyrannis pontis Istri custodiam accipit, & Persarum rebus infeliciter cedentibus, rumpendi illius, & externi iugi excutiendi, socijs auctor fuit. Eam perfidiam cùm impediuisset dissuadendo HISTIÆVS, iam ipse etiam Barbaros habere suspectos incipit: uexatur atq; eijcitur à Scythis, Dariũ persequentibus: & restitutus aliquanto pòst Doloncorum auxilijs, iterum Phœnicum metu profugit, filioq; Metiocho intercepto, uix in Imbrum & inde Athenas euadit. Ibi dum redux absq; alia periculi suspicione amicis sese dat, tyrannidis ab inuidis postulatur. Sed absolutus à populo, mox etiam inter Prætores belli contra DATIN & ARTAPHERNEM, duces Darij, legitur. Quod munus, quia præ cæteris collegis administraret tum solertius tum acrius, per ARISTIDEM tandem solus obtinet: seruos ad pileum primus uocat: copias educendas urbi instat: idq; ubi persuasisset, ciuiũ nouẽ millibus Plateensibus mille, Persarum 300000. in Marathone fundit fugatq;, & uictoriam post homines natos omnium gloriosissimam de hoste reportat. Inde cùm multum iam apud populum posset, infelici instituto ad Parum insulam tentandã nauium 70. classem deposcit. Etenim successu frustratus, & re infecta regredi domum coactus, proditionis & conspirationis cum Dario à XANTHIPPO, patre Periclis, reus agitur: & quamuis per amicos causam defenderet (nam ipse seu è uulneribus, seu è morbo, æger erat) tamen ab ingratis ciuibus impensæ in classem factæ, hoc est, 50. talentorum damnatur insons: ductusq; in carcerem, quod nempe soluendo non esset, diem ibi supremum morte conficit. Herodotus, Ctesias, Plutarchus, Pausanias, Clemens, Stephanus, Suidas, Zetzes, Gellius, Iustinus, Orosius. Variat de historia eius aliquantum probus: de morte Herodotus: nec planè se explicat Pausanias: qui & monumentum eius ad Marathonem nominat, & de ipso pugnæ Marathoniæ loco hæc subijcit: In his, inquit, campis audiuntur per totam noctem equo- " rum hinnitus, & pugnantium etiam uirorum species cernuntur. Atq; " hæc quidem qui de industria auditum spectatum'ue uenerint, malè " multati abeunt: ex ira uerò manium, ijs qui fortuitò id animaduerte- " rint, nihil omninò unquam triste accidit, &c. Idem etiam de numero " copiarum Atheniensium discrepans, eas nunc 30000. nunc 9000. cum seruis & inutili turba tantum facit: & Orosius item numerum Barba-

rorum duplicem, hoc est, 600000. retulit. In mortuo Miltiade adeò iracundiæ sæuitiam non cessasse, ut corpus, quod cæteroquin populi tumultuantis clamoribus ad barathrum deposceretur, non antè ad sepulturam redditũ sit, quàm CIMON F. uinculis paternis constringendum se tradidisset, Plato, Probus, Valerius, Seneca & Iustinus scripsere. Etsi de nulla uictoria, quàm eà, quã ex Marathonia pugna consecuti sunt, impensius Athenienses gloriatos, è Pausania, Suida & Iustino constat. Quippe in qua uicerint gentes 46. ut meminit in Calliope Herodotus. Annotauit autem uictoriæ eiusdem diem Plutarchus in Camillo sextum Boëdromionis, qui cum nostro Augusto conuertit.

CONIVGES MILTIADI. III. duas fuisse reperimus: primam N. ἀνώνυμον, è qua filium Metiochũ, &, quæ nostra sententia est, Elpinicen, & aliam filiam ἀνώνυμον suscepit: alteram HEGISIPYLAM, Olori, regis Thracum, filiam, quæ edidit CIMONEM, & filiam ἀνώνυμον.

METIOCHVS, profugit cum patre è Chersoneso, & cum naue sua ad Imbrum in Phœnicum potestatem peruenit. A' quibus ad DARIVM excarnificandus missus, non solùm ueniam meretur, sed etiam facultatibus & domo augetur, & uxorem è Persarum nobilissimis accipit. Herodotus.

ELPINICE, uixit mente & moribus impudicior, cum CIMONE fratre consueuit familiarius, seu, quæ quorundam opinio est, matrimonium etiam contrahit: admittit Polygnotum pictorem: & amata demum à CALLIA homine prædiuite, & ipsa nuptijs ideò tantum assentitur, & dimittitur itidem à CIMONE, ut pro patre mulcta exolueretur. Nec interim à beneuolentia in fratrem discedit: & deprecari iam anus pro eo apud PERICLEM ausæ, cum scommate demittitur. Ideò ut uicissim illum ureret, cùm reuerso è bello Samio ipsa quoq; inter gratulantium mulierum turbam astitisset: Nimirum, inquit, ô Pericles hæc admiranda & coronis digna, quòd nobis multos ac bonos ciues perdidisti, non cõtra Phœnices Medos'ue bellum gerens, ut Cimon frater meus, sed urbem sociam cognatamq; nobis debellans, &c. Plutarchus, Probus, Suidas. Athenæus de eius historia aliter nonnihil sentit.

FILIA ἀνώνυμος fuit cum Oloro, è quo gignit Thucydidem historicum. Auctor est Marcellinus, qui Thucydidem eundem Miltiadis θυγατριδοῦν uocat. Et pertinet huic itidem Didymi testimonium, quod habet Scholiastes Pindari pag. 268.

CIMON, succedit pio animo in patris uincula: Sororem Elpinicen Calliæ pro mulcta exoluenda coniugem permittit: confirmat populum

pulum ad naualis certaminis ſubeundam aleam: ad Salaminē pugnat animoſè & prouidè. ARISTIDIS opera imperijs admotus, Eionem Athenienſibus uindicat: pellit Scyro prędones Dolopas: Aſiam ad Pamphyliam uſq; perdomat: claſſem regiam profligat ad Eurymedontem, & eodem impetu terreſtribus Barbarorum copijs diſsipatis, pacē illam celebrem Perſis extorquet, ut equi curriculo à mari abſtinerent, neq; inter Daneas & Chelidonias inſulas naue longa & ęrata nauigarent, tum ut Græci Aſiani liberi eſſent. Nec minus interea modeſtiæ ſtudens, ſocijs ſe benignum præſtat: PAVSANIAM Spartanum inſoleſcentem Ephoris accuſat, & Byzantij obſidet: reprimit Cherſoneſios Thracas, mulctat Thaſios, & à Macedonibus, quibus imperaret tum ALEXANDER Diues rex, tantum frugalitatis eorum amore & admiratione abſtinet. Ideò peculatus accuſatus, cùm honeſta excuſatione abſolutionem impetraſſet, nimio in Lacedæmonios ſtudio, & quòd iudicia reſtituere optimatibus ſatageret, in populi indignationem nouam incidit: & aucto ab inimicis in eum odio, optimatum Oſtraciſmi exilio decennali damnatur. Hanc iniuriam animo excelſo tolerat: coniungit ſe cum ciuibus pugnaturis ad Tanagram contra Spartanos: & cùm diſcedere iuſſus, permanentes amicos ad audendum fortiter cohortatus eſſet, reditum ea re PERICLIS ſcito impetrat. Quo tempore cùm pace tum Lacedæmonijs conciliata, Athenienſes partis opibus nimium elatos, & ſemper maiori potentiæ inhiantes, quieſcere non poſſe cerneret, ut bellum auerteret inteſtinum, in Cyprum cum nauibus 200. expeditionem ſuſcipit: regiam Cilicum & Phœnicum claſſem nauali prælio ſuperat: terret apud Perſas exulantem THEMISTOCLEM: & Citium urbem obſidere aggreſſus, morbo extinguitur. Herodotus, Thucydides, Diod. Plutarchus, Pauſanias, Athenæus, Euſebius, Suidas, Zetzes, Probus, Valerius, Iuſtinus. Excelluit belli paciſq; artibus, & in adoleſcentiæ annis aſperſam nomini ipſius incontinentiæ labeculam, ita poſtea eluit, ut cùm neq; patri audacia neq; Themiſtocli ſapiētia cederet, utrūq; iuſticia ſuperaret, & omninò animo magis Peloponeſio, quàm Attico eſſet, atq;

Vanus inepto ad res, ad maximas idoneo,

ut ſcripſit de Hercule Euripides. Nec aliud ferè plebem ab eo abalienauit, quàm erga Lacedæmonios beneuolentia: Quippe quorū exempla cum honorifica uirtutis teſtificatione ſæpè cohortando in publicis concionibus imitanda proponeret. Enimuerò neminē Perſarum regis Spiritus tam fregiſſe atq; ipſum, conſtat. Neq; alius deinde Gręcorum ducum quiſquam contra Barbaros facinoris quid præclari, uſq; ad AGESILAVM edidit: his ab Oratoribus ad bella inte-

ſtina pertractis,& inter ſe commiſsis. Partas bello opes ea liberalitate ciuibus impertiuit,ut agrorū ſepes tolleret, ut qui uellent,accederent, tum ſeniores & tenuiores cęteros non ſolum pauerit,quotidie eam ad rem cœna apparata,ſed etiam ueſtiuerit,ſæpè ex occurſu æmiculo ſuo indigentibus tradito. Suntq́ perpetuò ipſum pediſſequi cum nummis ſecuti,ut ſi quis opis eius egeret,haberet quod ſtatim daret,ne diſferendo uideretur denegare. Quæ enarrans Lactantius lib. 6. cap. 9. hunc memorabilem locum, & Chriſtianæ pietatis ſtudioſis, ſcitu dignifsimum,ſubiungit. Cùm illud, inquit, unum quod eſt maximum, deeſt, agnitio Dei, iam illa bona omnia ſuperuacua ſunt, & inania,ut fruſtra in his aſſequendis laborauerit. Omnis enim iuſticia eius ſimilis eſt humano corpori caput non habenti: In quo tametſi membra omnia locis ſuis conſtent & figura & habitudine,tamē quoniam deeſt, quod eſt omnium principale, & uita & omni ſenſu caret. Hactenus Lactantius. Capta Scyro inſula, THESEI oſſa ibi inuenta, cum magna ciuium gratulatione, anno à fuga huius ferè quadringenteſimo,Athenas reportauit. Quod occaſionem dedit certamini,quo ÆSCHYLVS à Sophocle uictus in Siciliā ſemigrauit, ibiq́ interijt. De exilij cauſa Suidas iterato uarians, hanc inceſtum cum ſorore nominat,& librum ab eo ſcriptum ait de equis dignoſcendis. Stratagemata ipſius habet Polyænus lib. 1.

CONNVPTAM primùm cum CIMONE fuiſſe legimus ELPINICEN, ſororem è patre: ſed proles inde nulla memoratur. Quam deinde duxerit, uariat expoſitionibus diuerſis è Steſimbroto & Diodoro Periegete. Plutarchus: & ab illo Clitoriam Arcadicam, ab hoc Iſodicam, Euryptolemi filiam, nominari ait. Nos ſententiam poſteriorē ſequimur, & filios Cimoni attribuimus: Lacedæmonium,Eleum,Theſſalum.

LACEDÆMONIVS, mittitur à PERICLE, cum nauibus decem auxilio Corcyręis contra Corinthios, & ideo mittitur, ut re præclara nulla geſta,eo magis uideretur Lacedæmoniorum partes fouere.Hos enim Cimonis domus magna beneuolentia habebat aſtrictos,& ipſi pater id inde nomen poſuerat. Thucydides lib. 1. Plutarchus in Pericle.

ELEVS, memoratur, nomine tenus à Plutarcho: res geſtæ eius nullæ celebrantur.

THESSALVS, intendit accuſationem ALCIBIADI, de profanata Deûm religione,hoc eſt,truncatis hermis & myſterijs inter potandum per iocum actis. Plutarchus in Alcibiade. Meminit Suidas θέτταλος.

¶ Hîc iterum ſtirps Aſiacis propagine fatiſcit. Crediderim tamen

men genitum Cimonis filijs MILTIADEM. IV. ut aui nomen in eo repetitū sit. HERODES Atticus progenie longinquior est, in quo nos etiam stirpem ipsam claudemus.

MILTIADES. IV. celebratur à filię regio connubio geminato: cætera nominis fama obscurus. Diodorus, Plutarchus.

EVRYDICE, fuit cum OPHELTA, rege Cyrenarum, & Athenienses ciues multos socios & auxiliarios uiro adiungit. Hoc defuncto, cùm Athenas reuersa, uitam modestam, & regij splendoris & luxus expertem uiueret, iterum DEMETRII Poliorcetæ nuptias promeruit. Diodorus, Plutarchus.

* * *

PLVTARCHVS, oriundus ab Æacidis, commemoratur à Suida ἠρώδου.

ATTICVS, patria Marathonius, rexit Asiam Proconsulis dignitate. Suidas.

HERODES, cognomento Iulius & Atticus, eruditur adolescentulus in bonis literis à Fauorino & Polemone. In quibus cùm præclarè profecisset, & Sophistæ nomine docere ipse cœpisset, ADRIANI & ANTONINI. Philosophi amicitiam promeretur: ornatur consulatus gemini honore: & regressus Athenas, thesauro reperto opes tantas consequitur, ut & stadium & theatrum tecto munitū Atheniensibus conderet. Scripsit Ephemerides seu acta diurna, scriptū eruditum, & epistolas & orationes ex tempore. Obijt anno ætatis septuagesimo sexto, tabe consumtus, & Scholæ successorem Adrianum Sophistam reliquit. Suidas. Prædicatur: à Gellio συγχέω lib. 1. cap. 2. & lib. 9. cap. 2. Vbi Græculum quendam cultu Philosophū se uenditantem, ideoq; pecuniam εἰς ἄρτους, ut ipse loquitur, ærusiantem, ita recudisse, ait: Video barbam & pallium, Philosophum non uideo. Idem lib. 19. cap. 12. contra ἀπάθειαν disputantem introducit.

FAMILIA ALCIBIADIS, ITIDEM AB EVRYSACIDIS ORIVNDA.

ALCIBIADES. I. accipit nomen hoc Laconicum à ueteri familiæ suæ cum Lacedęmonijs hospitio: euertit cū CLISTHE-

NE Pisistratidarum tyrannidem: & cùm inde potentia & dignitate florere illustri cœpisset, ostracismo bis damnatur. Thucydides, Isocrates, Suidas.

ALCIBIADES. II. renunciauit Lacedæmonijs progenitorum hospitium, & ostracismo ipse etiam bis eijcitur. Lysias, Scholiastes Thucydides pag. 85. Meminere Herodotus libro octauo Plato in Euthydemo.

GENITOS Alcibiade autumo, Cliniam & Axiochum.

CLINIAS, renouauit hospitium familiæ cum Lacedæmonijs, & ab Alcibiade Spartano, patre Endij, filio alteri nomen ponit. Bello Xerxiano in patriæ subsidium triremẽ cum propugnatoribus ducentis armauit suis sumtibus, & ad Artemisium omniũ præclarissimè pugnat. Occubuit ad Coroneam in prælio contra Bœotos. Herodotus, Thucydides, Isocrates, Plato, Plutarchus, Suidas, Scholiastes Thucydidis.

AXIOCHVS, refertur absque rebus gestis in Platonis Euthydemo.

CLINIAS, floruit singulari ingenij & formæ gratia, quod docet Plato in eodem dialogo Euthydemo, ubi etiam Alcibiadis patruelem uocat.

HABVIT in matrimonio Clinias Dinomachen, Megaclis filiam, unde liberos procreauit, ALCIBIADEM & Cliniam. Diodorus tamen & Suidas Alcibiadem Periclis è sorore nepotem fecère, à qua sententia discedimus.

ALCIBIADES. III. educatur à tutore & Propinquo PERICLE: in literis & Philosophia à Zopyro & Socrate eruditur: militiam primùm ad Potidæam obit, & Socratem ad Delium in pugna periclitantem defendit. Hinc reipub. munia capessens, tollit Hyperboli damnatione Otracismum: impedit pacificationem cum Lacedæmonijs: diuellit Peloponnesios: accendit bellum Siciliense: & ipse ad id cum NICIA imperator lectus, ob hermas mutilatos & profanata sacra Eleusinia, absens damnatur, publicatis bonis, & Eumolpidis in caput eius execrari iussis, Ideò exul primùm Elidem & Thebas, deinde ad Lacedæmonios profugit: atque ut uiuere se patriæ ostenderet, & bellum urgeri, & iuuari Siculos, & Deceleam muniri persuadet: adulterat AGIDIS regis uxorem Timæam: Ioniam auctoritate sua Peloponnesijs adiungit. Quare cum Agidis incurrisset inuidiam, & Lacedæmoniorum potentissimos ureret, per insidias occultas cædi destinatur.

ſtinatur. His proditis, TISSAPHERNIS hoſpitium & amicitiam impetrat: Barbarum Peloponneſijs immutat, inſinuat ſe arte Samijs Athenienſium copijs, & diſſoluto CCCC. magiſtratu, reditum per amicos ſcito THERAMENIS conficit. Quem ut ne tam multitudini quàm meritis ſuis debere uideretur, eripit Lacedęmonijs Mindari cæde maris imperium: occupat Cyzicum, Chalcedonem & Byzantium: Itaq; tandem uictor Athenas regreſſus, mirifica omnium gratulatione excipitur: reſtituuntur ei bona: abolentur Eumolpidarum imprecationes: & imperium terra mariq; confirmatur. Per hoc tempus cùm Eleuſinijs ſolenniter celebratis, hoſtem ad Andrum fugaſſet, nec tamen inſulam in poteſtatem redegiſſet, iterum ab inimicis clàm mordetur: nec multò póſt ob Antiochi legati cędem magiſtratu abdicatur. Quare deinde in arcibus ſuis, quas in Cherſoneſo haberet, ſe continet: uexat incurſionibus Thraces: offert ducibus ſucceſſoribus operam ſuam ad prælium nauale cõtra Lyſandrum, & regum SEVTHÆ & Medoci ſocietatem policetur: atq; reiectus cum contumelia, rebus perditis, metu Spartanorũ per Bithynos ad PHARNABAZVM in Phrygiam profugit. Ibi habitus aliquandiu honorifice, & Grynij caſtri uectigalibus, hoc eſt, talentis 50. annuis donatus, tum in ſpes Patriæ liberandæ erectus, 30. tyrannorum ſcelere & Spartanorum inuidia ab eodem hoſpite Pharnabazo per inſidias perimitur, & caput ceruicibus auulſum ad Barbarum affertur. Thucyd. Xenophon, Iſocrates, Diodorus, Plutarchus, Suidas, Probus, Iuſtinus, Oroſius. Fuit ingenio magno & impigro, ſed quod iam inde à puero cum adulatores tum amatores turpes uariè quaſi circumegerint atq; corruperint. Ideò & mores eius diſsimiles legimus: in quibus cùm plæraq; laudes, plura tamen uituperes, nempe luxum, libidines, petulantiam, leuitatem: de quibus omnibus pręclarè Athenęus lib. 12. cap. 16. Enimuerò HIPPONICO, uiro in primis illuſtri, ante Hipparetes matrimoniũ colaphum inflixit, non ira aut rixa motus, ſed quid riſus captandi gratia id ſe facturum pignore cum ſocijs certauiſſet. Ad hæc gentilitium clypei inſigne mutare auſus eſt, uſus palàm amore fulminifero. Vt per ambages rectè in eũ dixiſſe uideatur Ariſtophanes:

Educare in urbe leonem omnino haud expedit
Sin quis alit, eius obſequatur moribus.

Quo, ut ait Valerius, admonet, ut præcipuæ nobilitatis, & concitati ingenij iuuenes refrenentur: nimio uerò fauore ac profuſa indulgentia paſti, quò minus potentiam obtineant, ne impediantur: quòd ſtultum & inutile ſit eas obtrectare uires, quas ipſe foueris. Celebratur etiam Archeſtrati in eum dictum, Græciam duobus Alcibiadibus non ſuffecturã fuiſſe. Atq; obſeruauit in eo ſingulare quiddam TIMON

μισάνθρωπος, qui cùm reliquos omnes fugeret, ipsum solum amātissime complexus est, quia scilicet magno malo patriæ futurum uideret. Mores quibus cum uiueret, exprimere omnium potuit, ipso chamæleonte in forma mutanda celerior, ut ait Plutarchus. Ad rempub. accessit fretus maximè eloquentia sua. Qui ita operam dedit, ut non solùm in inueniendis & excogitandis ijs, quę ad rem propositam facerent, summam facultatem haberet, nec quid dicendum esset modò quęreret, sed & elocutionis studiosissimus esset, hoc est, uerbum durum ac insolens non secus ac scopulum fugeret, ut de Cæsare retulit Gellius: Vnde nō raró uerbis destitutus, lapsus est, & inter orandum obticuit, uocabulum quod ei excidisset, memoria requirens & circumspiciens. Auxit tamen uehementer erga ipsum populi beneuolentiam cum Socrate consuetudo. Huius enim & obiurgationes benignè admisit, & libenter disputationes audijt: atque inscripsit de nomine eius Plato dialogos duos. Cæteroquin etiam præceptorum cum eximio parendi studio obseruantissimus fuit, & cùm bonas literas auidè addisceret, ut tibia caneret, adduci persuadendo nunquam potuit: artem nempe illiberalem & ingenuo indignam iudicans. Nam plectrum quidem & lyram nihil de figura & forma, quæ liberalem hominem deceret, imminuere: fistulam autem inflantis uix etiam à familiaribus faciem agnosci. Igitur aiebat, canant Bœotorum pueri, qui loqui nesciunt: nos Athenienses exemplum Mineruæ & Apollinis imitabimur, quorum illa fistulam abiecit, hic fistulatorem excoriauit. Et sanè hæc seria inter iocandum referendo, & se & reliquos ab ea arte abstinuit: celeriter eo rumore inter pueros sparso, benè agere Alcibiadem, qui artem istam respuat, & eam discentes rideat: unde factum, ut hæc ars penitus è liberalibus disciplinis excluderetur. Euertitur autem ad extremū sua ipsius gloria: cùm eam in insana plebecula audaciæ prudentiæq; de se excitasset, spem, ut quodcunq; uellet conficere, posse uideretur, & si ciuium expectationem fefellisset, non facultate & successu, sed studio & uoluntate caruisse crederetur. Conditus fuit in Melissa Phrygiæ: ubi postmodo Imp. Cæsar ADRIANVS bouem immolari quotannis iussit, & imaginem eius è Pario lapide super sepulcro erexit, ut scripsit Athenæus. In togæ facinoribus Alcibiadis insigniorib. memoratur, quod erga bonas literas studio aliquando in ludum literarium ingressus, Iliada postulârit, & magistro nihil se Homeri habere dicenti, pugnum incusserit. Cùm significare uoluisset, absq; Homeri lectione institutionem felicem nullam esse posse. Additur apophthegma hoc memorabile. Cùm è bello Siculo ad causam dicendā reuocatus, fuga se subduxisset, quodam hoc institutum demirante atq; culpante, ἔξον φυγεῖν, inquit, μὴ ζητεῖν δίκην. De forma eius à pluribus celebrata, retulit id etiam

tiam Clemens, lapicidas Athenienses ad ipsum Mercurium effinxisse: & ridet inde stultam Ethnicorum εἰδωλολατρείαν. In facultatibus Alcibiadeis Plato nominauit iugera 300. Stratagemata ipsius diligenter collecta habet Polyænus lib. 1. Reliquas res gestas cum summarũ laudum præconio descriptas à tribus grauissimis historicis Thucydide, Theopompo, Timæo, Probus tradidit, hoc subijciens, cæteros scriptores omnes iniquiores ei fuisse.

CLINIAS, notatur stoliditatis à Platone de natura humana, quiq; nihil planè habuerit, uel animi uel ingenij fratris Alcibiadis. A' quo Periclis tutoris iussu auulsus, ut ne scilicet consuetudine eius corrumperetur, & apud Ariphronẽ eruditus, nihilo uel eruditior uel moratior euadit. Rectè enim apud Euripidem in Hippolyto Theseus.

O' quam multis in rebus errantes homines frustra,
Cur tam multas artes docetis,
Et omnia machinamini & excogitatis?
Vnum non scitis neq; inuenistis
Docere, quomodo sapiant, qui non habent mentem.

ALCIBIADES in matrimonium duxit Hippareten. Hipponici filiam: è qua proles suscepta ignoratur. Addidit alterã Medontidem Abydenam Athenæus, sed neque ex hac procreati liberi memorantur. In amicis etiam eius nominantur TIMANDRA, Theodote, & Melia. Postrema filiam unicam ἀνώνυμον sustulit. Timandra genitam ferunt LAIDEM Corinthiam: de qua prouerbium extitit, Non cuiuis homini contingit adire Corinthum. Et Demosthenes cùm ab ea pro nocte talentum soluere iussus esset, Ego, inquit, pœnitere tanti non emo. Habet historiam eiusdem Laidis Plutarchus in Erotico, Suidas aliquot in locis, Gellius lib. 1. cap. 8.

RETVLISSE tamen ad Alcibiadem genus accepimus fratres Samios, LYNCEVM & DVRIN. Ideo historiam eorum hîc subijcio.

¶ LYNCEVS, tenuit Patriæ tyrannidem: cumq; adolescens operam dedisset THEOPHRASTO Philosopho, ad scribendum se contulit & apophthegmatum opus pereruditum edidit. Athenæus lib. 3. cap. 5.

DVRIS, scripsit res Assyriacas, Pęrcas, Macedonicas & Agathoclis Syracusani historiam, & citatur passim ab Diodoro, Athenæo & Scholiaste Apollonij. Plutarchus maledicentiæ narrationes eius incusat, & quidem in ijs etiam, quæ nihil ipsum attingerent.

APPEN-

APPENDIX DE FAMILIA CALLIÆ.

PHOENIPPVS, refertur mentione Herodoti, Erato.

CALLIAS, aduersatur acerrimè PISISTRATI tyrannidi: bona huius patria eiecti publicè emit: reportat palmam in Olympijs equorum cursu, & in quadrigario secundus existit: in Pythijs, tum primas obtinet, tum in Græcos omnes munifici animi studio sumtus magnos facit. Sub Marathoniæ pugnæ tempus faciferi sacerdotis munus gerit: ac è cæsarie & tænia à barbaro quodam rex creditus, & adorationis honore affectus, de indicio etiam eius thesauri ingentis, qui in fossa clàm absconditus esset, compos fit. Sed quòd beneficium scelere compensârit, misero ne fortè ad alios enunciaret, iugulato. Quare malè apud populum audit, & familia omnis λακκοπλούτων cognomine per contumeliam à Comicis notatur. Cumque inde inimici animati capitis anquisiuissent, & in cæteris obijcerent, quòd in summa opulentia mihi planè ARISTIDIS propinqui subleuaret paupertatem, uiri integerrimi testimonio & continentiæ ipsius & munificentiæ suæ laudem ueterem confirmat. Herodotus, Plutarchus.

GENITI sunt Callia: HIPPONICVS & filiæ tres ἀνώνυμοι.

HIPPONICVS, uir in repub. gloria, potentia, genere & diuitijs præcipuus, cæditur colapho Alcibiadis petulantia. Qui cùm eo nomine reprehenderetur ab omnibus, ideoque se ad pœnam sponte offerret, Hipponicus adolescentem cæteroquin generosum non solum benignè habet, sed & filia desponsa, affinitate sibi iungit. Herodotus, Isocrates, Plutarchus. A' Probo omnium Græcæ linguæ eloquentia disertissimus nominatur.

FILIÆ tres ἀνώνυμοι utuntur patre sui amantissimo, & indulgentia eius benigna, quem quæque uellet, deligere ex Athenienſibus Sponsum iubentur. Herodotus.

RELIQVIT HIPPONICVS liberos: CALLIAM, HERMOGENEM & HIPPARETEN.

CALLIAS, à Suida cognominatus λακκόπλουτος, commouetur in ELPINICE, Miltiadis filia, & uxore ea ducta, mulctã illi indictam pro CIMONE exoluit. Post cuius ad Eurymedontem uictorias de pace legatus ad ARTAXERXEM Longimanum missus, hanc patriæ socijsque gentibus gloriosam conficit. Cum ALCIBIADE iam à patris obitu de sororis matrimonio transigit, & de dote

pôst importunius contendenti, etiam sua bona ea conditione legat, si absq; prole decederet. Herodotus, Diodorus, Plutarchus, Suidas, Probus. Prædicat Plato eius in homines doctos munificentiam, & in bonis artibus magistro PROTAGORA usum, ait.

HERMOGENES, celebratur in Platonis dialogis: cætera obscurus.

HIPPARETE, despondetur à patre Alcibiadi, & pôst à fratre cum dote 10. talentorum, hoc est 6000. coronatorum elocatur. In quo coniugio cùm uiueret modestè, & mariti cum primis amans esset, tandem ob iniurias eius, & consuetudinē cum urbanis & peregrinis meretricibus turpem, ad fratrem redit. Id dum ab Alcibiade contemnitur dissimulanter, ipsa ut discessionis libellum pręsens apud Archontem magistratū deponeret, instat. Quo cùm ambo cōuenissent, in abrepta, domum eius reducitur, & habita benigniùs, haud multò pôst cedit è uita. Isocrates, Plutarchus, Probus.

CALLIÆ filios Plato duos nominauit, sed nomina non expressit, neque alibi uspiam relata inuenies. Idem παιδείαν eorum hanc retulit, traditos in literis informandos Eueno Pario, & δίδακτρον facit minas quinq;, hoc est. coronatos 50. Celebrat autem Stobæus hoc Eueni dictum memorabile:

πολλοῖς ἀντιλέγειν μὲν ἔθος περὶ παντὸς ὁμοίως.
ὀρθῶς δ' ἀντιλέγειν, οὐκέτι τοῦτ' ἐν ἔθει.
καὶ πρὸς μὲν τούτους ἀρκεῖ λόγος ὁ παλαιός,
σοὶ μὲν ταῦτα δοκοῦντ' ἔστω, ἐμοὶ δὲ τάδε.

REGNVM

REGNVM SALAMINIVM TEVCRIDARVM IN CYPRO.

DE CYPRIORVM ORIGINE, IMPERIIS, FAMILIAE TEVCRIDARVM PROPAGATIONE, FORtuna, interitu.

CYPRIOS Herodotus miſcuit ex Phœnicibus, Athenienſibus, Salaminijs, Arcadibus & Æthiopibus. In his ATHENIENSES & SALAMINII Iones ſunt: reliquæ gentes conditores habuere, Sidonem, Cethimum & Chuſum. Atq; ad Arcadicam Cypriorum originem refero, quòd ſcripſit Ioſephus, occupatam Cyprum à Chetimo. Quippe cuius & Citium urbs, quæ edidit ZENONEM principem ſectæ Stoicę, nomen conſeruârit. Videntur tamen & numero & potentia prępualuiſſe iſthic Phœnicum coloniæ. Ideò facilè ijs aſſenſerim, qui fabulatorum Gręcorum à Cypro, Cinyræ filio, exploſo figmento, appellationem Cyprus faciunt Ebręũ Caphtor uel Copher, quorum illud Ieremias uates habet cap. 47. hoc Solomonis canticum cap. 1. Etenim inter poſteros Mizraim, quem SIDON, gentis Phœnicum conditor, patruum habuit, memorantur Caphtorim: quos ueteri Bibliorum tranſlatione perperam Cappadocas redditos, Cyprios intelligere malim. Nam Cappadoces pręterquam quòd ſedibus à Palęſtina remotioribus diſsiti fuêre, etiam origine, quæ eſt ab Meſech, differunt.

IMPERIVM Cyprijs ſcriptores ab ipſis gentis primordijs regium attribuêre, & ita attribuêre, ut incolas huic pariter omnes includant. Additur etiam à Seruio. (nam Apollodorus uariat.) regis primi nomen CINYRAS cui auus PYGMALION, filius ADONIS tribuitur, cuius Adonidis fabula è Poëtis nota eſt. Sed horum fides penes auctores eſto. Nam ut illud omittam, quòd diſparis, & diuerſi temporis immigrationibus Cyprus habitata eſt, etiam coloniarum in libertate defendenda ſtudium eximium reperimus. Quare Cinyræ regnum gentis Phœnicum tantùm intelligo: & refero ad hos itidem, quod Euſebius Cyprios mare obtinuiſſe, ait. Quia etiam Cinyræ genitor PAPHVS, & poſteritatis, quæ de nomine eius CINYRIDARVM celebratur cognomento, Paphi regnum nominatur, utriuſq; originem à Cinyra conditore deduco. Etenim Arcadicam

tam AGAPENORIS regis coloniam posteriorum esse, constat. Reliquæ Cypri ciuitates octo distinctis regnis discriminatæ fuère, è quibus reges aliquot memorãtur. Soloni sapienti σύγχρονος fuit PHILOCYPRVS Solensis, ut meminit Plutarchus, & retulit filiũ huius ARISTOCYPRVM Herodotus. Ab eodem ortum crediderim PASICRATEM seu Pasicyprum, cuius historiam habet Athenæus li.4.ca.20. In ALEXANDRI M. & successorũ tempora incidere PIMATVS, STASIÆVS, IDOMENEVS, MOSCHION: & celebrat DIPHILVM Eusebius de præparatione Euangelica, SOLONEM, generũ Ptolemæi Lagi, Athenæus, THEMISONTEM Stobæus. Cumq; tandem CINYRIDÆ, Paphij dignitate regia excidissent, sacerdotium Veneris Paphiæ haud modico tempore retinuère. Verùm antecelluit cætera regna tum potentia & opibus, tum rerum gestarum amplitudine Salaminiũ TEVCRIDARVM, ut nominauit Isocrates. Atq; ipsam adeò urbem Salaminem inter Cyprias maximam extitisse, Diodorus scripsit. Quapropter hoc in præsenti argumenti propositi scopus nobis tantum erit. Condidit autem idem regnum cum urbe Salamine TEVCER, genitus patre TELAMONE Aeacide. Quo lõgissima procreatur propago, sed ipsa & successionis & generis serie hiulcans & lacera. Neq; enim Teucri liberi nominantur, & prętereuntur item reliqui successores proximiores. Ac tametsi Isocrates & Pausanias de EVAGORA II. ab hoc oriundo sententijs conueniãt, progenitores tamen inter medios planè omittunt. His nos ex Antonino Liberali accẽsemus NICOCREONTEM I. & filiam ei attribuimus Arsinoën. Quem ex interuallo aliquo sequitur iterum EVELTHON: sub quo fortè primum etiam fortẽ acerbitatis communis ab imperio externo familia subijt. Edomuit enim Cyprum bello AMASIS (alij antecessorem APRYEM nominant.) rex Aegypti: cuius filio PSAMMENITO capto à CAMBYSE, Cypri etiam reges, interq; hos Euelthon, in eandem seruitutẽ succedunt. Ab hoc Euelthone Herodotus quatuor Sobolis continuos gradus numerauit, idq; tẽpus CAMBYSIS, DARII & XERXIS imperio definiuit. Vnde cum opinari libeat, ætate non magna regnum capessere cœpisse CORGVM, natum ipso NICOCRATEM, & Tirmarchum autumo de quibus iterum auctorum sententiæ minus planę sunt. Ac de Nicocratis quidem progenie nihil in literas relatum est. Quando & Isocrates Euagoræ II. patrẽ omittit, & regnasse negat Isocrates, Diodorus etiam de eo ita uariat, ut alibi à Nicocle Eunucho, alibi ab OCHO, rege Persarum, cæsum affirmet, & Eunuchi facinus tempore prius accidisse uelit: cum tamen haud multò

FAMILIA TEVCRIDARVM, EX ÆACIDIS, QVÆ REGNAVIT A BELLO TROIANO IN SALAMINE Cypri Annos DCCC. LXXIII.

TEVCER, Filius Thelamonis, appellatur hoc nomine ab materna origine: bello Troiano cũ fratre inter primos nomẽ dat: laudem arte sagittandi obtinet præcipuam: & in prælio cõtra Troianos & PENTESILEAM facinora fortitudinis præclara edit. Post Ilium expugnatũ Aiacis filios ad Telamonẽ reducit: & patria Salamine ipse ob suspicionem deserti fratris, seu ut habet Velleius, ob segnitiem non uindicatæ iniuriæ huius exclusus ab obitu illius redit: neque tum etiã ab EVRISTACE admissus, in Cypro considet, condit de patriæ nomine Salaminem urbem, & regnum ibi benè amplificatum ad posteros transmittit. Dictys, Homerus, Pindarus, Sophocles, Euripides, Isocrates, Strabo, Philostratus, Athenæus, Velleius, Hyginus, Tacitus, Seruius. Variat nonnihil de historia eius Iustinus, & post alteram à Salamine exclusionem, Hispaniæ littoribus appulsum, loca circa Carthaginem nouam occupasse, inde Galliciã transisse, positisq; sedibus, genti dedisse nomẽ ait. De Aiace deserto à patre intentatum crimen, ad Piræeum diluere conatum, in Plutarchi Atticis legimus. Et tractum quidem inde ab Atheniensibus in consuetudinem, ut qui in exilium ituri essent, si quod nouum fuisset in eos crimen conflatum, è naui, iudicibus in littore consistentibus, causam dicerent. Inuenit Teucrion herbam, cùm exta super eam proiecta adhæsisse lieni, eumq; exinanisse animaduertisset. Meminit Virgilius primo Aeneidos.

Atq; equidem memini Teucrum Sidona uenire,
Finibus expulsum patrij noua regna petentem
Auxilio Beli, genitor tunc Belus opimam
Vastabat Cyprum, & uictor ditione tenebat.

Quanquam fabulosè hęc dici, constat: cum Carthago, quam Diodore auctore conditam aiunt, nonnisi annis 60. Roma antiquior fuerit. teste Velleio. Citat Pacuuij Teucrum Priscianus libro 4. Isocrates posteros de ipso TEVCRIDAS nominauit. Apud Strabonẽ legimus, conditum ab Aiace in olbo Ciliciæ templum, cuius sacerdotes etiam Trachæę imperârit. Hæc regio post à Tyrannis alienata, nomen tamen principatus & sacerdotij Teucri retinuit, ac sacerdotes ipsi Aiaces & Teucri appellati sunt, fortè inde, quod socius ista in re fratri Teucer fuerit.

¶ POST TEVCRVM familia aliquoties seriè interrupta

ONESILVS, præstitit animi magnitudine & rei militari scientia. Ideò cum externum Persarum dominatum prorsus, fratrem ad defectionem sæpè frustrà solicitasset, fraude hunc regno excutit: Cyprios fœdere sibi adiungit: Amathusios in Persarum fide perseuerantes obsidione graui infestat: ac decertare denique prælio cum Persis ausus, proditusq; turpiter, à Stesenore, cadit in acie, & caput ceruicibus auulsum per ignominiam supra portas suspenditur. Id cùm postmodo examen apum inuasisset, oraculi iussu deponitur, humaturq; honorificè: & Onesilus ipse solẽni sacrificio inter heroas colit̃ Herodot.

PHILAON, consectatur XERXEM ad expeditionẽ in Græciam, eoq; bello regi fortis industriæ operã eximiã nauat Herodotus.

Nascuntur è fratribus hisce, forte genitore GORGO, Nicocrates & Trimarchus.

NICOCRATES, celebratur ab Athenæo inter reges Bibliothecarum studiosos, libro primo, capite 1.

TRIMARCHVS, refertur ex Aristotele his Zetzæ uersibus.

> Τρίμαρχον τὸν πατέρα δὲ Κυπρίου Νικοκλέους
> Ἀριστοτέλης γέγραφεν ἴσοχον τοῖς ὀδοῦσιν.

NICOCRATI filium attribuimus: EVAGORAM I.

EVAGORAS I. adit regnum post patrem: Persici imperij seruitutem tolerat prudenter, & cum Phœnicibus uicinis amicitiam firmam, sed sibi ad extremum exitialem colit. Etenim præcipui nominis exulem, hospitio dignatus, regni hunc aliquãtò pòst insidiatorem atque æmulum experitur, ac scelere barbari eiectus, uitam ferro amittit. Isocrates, Diodorus. De cæde Euagoræ uariat aliquantum Aristoteles libro 5. Polit. ἐπίθεσις, inquit, γέγονεν ἡ τοῦ εὐνούχου εὐαγόρᾳ τῷ κυπρίῳ. διὰ γὰρ τὸ τὴν γυναῖκα παρελέσθαι τὸν υἱὸν αὐτοῦ, ἀπέκτεινεν ὡς ὑβρισμένος. In quibus uerbis id etiam ambigui est, utrum euagoras Eunuchi filio an Euagoræ filius ipsi Eunucho uxorem eripuerit, cuius iniuriæ ulciscendæ causa Eunuchus Euagoram interfecerit.

PROTAGORAS, conspirat cum defectionibus Cyprijs contra OCHVM, regem Persarum, & Salaminem fraude occupatam sibi uendicat. Ideo barbari mandato ab Euagora patruele & Phocione Atheniensi obsessus atq; oppugnatus hostiliter, arte regis gratiam recuperat: eludit Euagoræ conatus: & à discessu huius urbe sponte Persis dedita, regnum retinet. Diodorus.

NICOCREON II. excipit successione patris imperium: cum ALEXANDRO in Persas profecto post prælium ad Issum a-

micitiam coniungit,& ad ludos eius,ſcenicos,à reditu ab AMMONIS oraculo in Phœnicia inſtitutos, ſumptus & Hiſtrionem Athenodorum Athenienſem præbet.Per quod tempus cum rege eiuſdem Athenodori uictoria alienato,etiam ANAXARCHVM Philoſophum habere hoſtem cœpiſſet,& is aliquando in conuiuio: comiter ab Alexandro rogatus,ut cœna placeret: reliqua quidẽ laudaſſet omnia,ſed Satrapæ adhuc cuiſdam,quem ipſo intuitu Nicocreontem deſignaret,apponi caput oportere dixiſſet,eam tanto atrocitatis iniuriam uindicat poſtmodo diriter. Nam tempeſtate hominem ad Cyprum reiectum,atq; à ſuis interceptum,in pilam malleis ferreis cõtundendum coniecit: & in ipſa tormentorum acerbitate cõuicia ingerenti linguam præciſurus,ita præuenitur,ut dentibus miſer præmorſam in faciem eius expuerit. In ducum Alexandri bellis pro PTOLEMÆI partibus propugnat:& leuiter ab eo alienatus,officiorum nouorum promptitudine reconciliationem impetrat: augetur deuictorum regum prouentibus,& fidem ſibi tantam facit,ut Cypro dux pręficeretur.Diodorus,Plutarchus,Laërtius,Valerius,Plinius.Fuit ingenio ſæuo & tyrãnico,ſed à bonis literis literatisq; non alieno.Ideo cõgreſſus Philoſophorum frequentes coëgit,ſolitus etiam eos ad ſolennia ſacrificiorum conuiuia ipſiusq; Athenis euocare. In quibus cùm MENEDEMVM, aliquando liberiùs obloqui auſum,cum obiurgatione retudiſſet,eadem mox importune iterantem tantùm non ad ſuppliciũ rapi iuſsit.Nec caruit feſtiuæ dicacitatis ſale. Cùm enim Dorion quidam ἁρματοποιὸς apud ipſum cœnatus,poculum quoddã laudaſſet impenſius,ideoq; alterum ſimile adhuc ab artifice fundendum expectare domum iuſſus,iſthuc regem reieciſſet:Haud ſtultè,inquit,dixiſti tibicen,quamuis antiquis ſermo,quòd

Non tibicinibus tribuerunt numina mentem,
Cum flatu quorum mens quoq; pulſa fugit.

ut ſcripſit Athenæus, Supplicij Anaxarcho irrogati meminit Ouidius in Ibin:

Aut ut Anaxarchus pila minuaris in alta,
Iactaq; pro ſolitis frugibus oſſa ſonent.

In religionibus ipſius nominatur Serapidis de aſtri Ægyptij cultus: Qui ab eo oratus quis Deorum haberetur,hoc dedit reſponſum:

εἰμὶ θεὸς τοιὸς δ' ἠμαθεῖν οἷον κ' ἀγὼ εἴπω.
οὐράνιος κόσμος κεφαλὴ, κ' ἀστὴρ δὲ θάλασσα,
γαῖα δὲ μοὶ πόδες εἰσὶ, τὰ δ' ὦκ' ἐν αἰθέρι κεῖται
ὄμμα τε τηλαυγὲς, λαμπρὸν φάος ἠελίοιο.

Coniugẽ NICOREONTIS II. Athenæus fecit BIOTHEAM: ſed prolem inde nullam memorat. Plura de eadem idem autor libro 8.cap.7.

TRIMARCHO naſcitur filius filius Nicocles.

NICO-

NICOCLES, uixit in fortuna priuata. Meminit ex Aristotele Zetzes.

EVAGORAS II. adolescit cum præclarissimi ingenij uirtutisq; indole: tyrannorum patriæ (nam Phœnici illi, EVAGORÆ I. percussori, alius è procerib. THYRSILVS successit. Insidias arte effugit, ac denique cum solis auxiliarijs 50. dominatũ is tum dissoluit: confirmat maiorum tum Atheniensibus amicitiam: CONONEM rebus ad ÆGOS Potamon perditis hospitio benigno accipit. In quo tempore pro Atheniensium libertate à 30. Tyrannis recuperanda audendum aliquid ratus, regijs Persarum ducibus mari Lacedæmonios urgendos persuadet, seu, ut habet Pausanias, ab ipso Artaxerxe Phœnissarum triremiũ imperium Cononi impetrat: classem sua impensa iuuat: & cœpta huius fortuna secundãte, eam meritis hisce à populo Atheniensi gratiam init ut statua honoratus sit. Inde ad insulę omnis imperium animũ adijcit: urbes plerasq; partim ui & armis partim policitationibus sibi adiungit, & reliquas societatem atq; iussa eius detrectantes bello uexat. Ideo hostis ARTAXERXIS decreto iudicatus, ACORIDIS Aegyptij & HECATOMNI Caris confœderatione sese munit: comparat classem: uastat Ciliciam & Phœnicen: occupat Tyrum, & bellum magno ausu ad decennium sustinet. Tum enim cum Barbarorum ducibus TERIBAZO & GAO confligere ausus, à felici initio fortuna se conuertente, cum clade profligatur. Vnde cum hosti fiducia creuisset, ipse uerò iam planè exhaustus, etiam ab ACORIDE iuuaretur segnius, pacẽ à TERIBAZO petit, eãq; homine stolido differente ijs demũ conditionibus ab Oronte impetrat, ut solius Salaminis regnũ retineret, tributum penderet, & tanq; Rex regi parêret. Post hoc tempus pacem iterũ aliquantisper trahit: OCHVM, Artaxerxis successionẽ, uirtute sibi conciliat, & recuperandis Cypri urbibus, in quib. etiã subdita ipsi Salamin, auctore PROTAGORA patruele, defecerat, cum Phocione Atheniẽsi, ab eo imperator deligitur. Cuius expeditionis successu frustratus, regi ab inuidis per calumniã accusatur: & quanq; de crimine se purgaret, imperito tamẽ illo & regno abdicatur, & pręfectura quadam Asię donatur. Ibi cùm tyrannicè se gereret, & Barbarorum metu fugam in Cyprum instituisset, cõpræhensus supplicio afficitur. Ctesias, Xenophon, Diodorus, Plutarchus, Pausanias, Eusebius, Iustinus, Orosius. Habet præclarissimum Euagoræ encomiũ Isocrates: etsi ibi pleraq; gratiæ Nicoclis filij data, non obscura argumenta euincunt. Conuenit tamẽ de belli Persici diuturnitate Diodorus, sicuti de cęde eius rectè Isocrates: Qui idem encomiũ suũ statuarũ corporis monu

» mentis comparans: Ego uerò inquit, pulcra monumenta esse, statuo » etiam corporum imagines: sed longè maioris precij esse puto: simulachra mentis & actionum, quæ in artificiosis duntaxat orationib. conspiciuntur. Quas ego ideo cæteris rebus antepono, cum quod præstantes uiros adnimaduerto nõ tam forma corporis superbire, quàm facinora, nominisq; memoriã sibi laudi ducere: tum quia necesse est, expressas corporum formas apud eos duntaxat esse, apud quos positę fuerint, orationes autem in Gręcia uulgari possunt, & in cœtus eruditorũ editæ, magnifieri ac diligi: apud quos esse in gloria pręstat, quàm apud uniuersos. Hactenus Isocrates.

FVIT enim EVAGORA Latona (λητώ.) ut meminit Lucianus, unde liberi ei geniti: NICOCLES, Protagoras, & quæ nostra opinio est, PYTHAGORAS.

NICOCLES, donatur ab OCHO Paphi regno, eiusq; Præclarè administrandi rationem ab ISOCRATE orationibus duabus perscriptam accipit. Eundem pro encomio in patris laudem scripto, ἀντιδώρῳ 20. talentorum, hoc est, 12000. coronatorum renumeratur: Quippe qui doctrinæ eruditæ doctorumq; inprimis amantissimus esset. À NICOCREONTIS obitu etiam Salaminem à PTOLEMÆO Lagi recipit. Quod beneficium cum non multo pòst defectione ad ANTIGONVM corrupisset, ideoq; per Argæum & Callicratem ad supplicium deposceretur, ignobili animo laqueo uitam finit. Isocrates, Diodorus, Polyænus, Plutarchus, Aelianus, studuit uehementer conuiuiorum & sacrificiorum apparatui: cùm ea in re æmulum haberet, Stratonem Sidonium. Liberos beneuolentia amoris tanta complexus est, ut Strathonicum Atheniensem in filios petulantius cauillatum ueneno necàrit, teste Athenæo. Interitum eius retulit Diodorus ad Consulatum. Q. Aemilij Barbulę II. & C. Iunij Bruti Bubulci IV. qui est annus conditi orbis 3656.

PROTAGORAS, nauauit patri fortem cõtra Persas operam, & absente illo apud ACORIDEM regem in Aegypto, exercitus imperium gerit. Isocrates, Diodorus. Apparet autẽ in hoc ipso bello eum interijsse, ideoq; imperij expertem fuisse.

PYTHAGORAS, militauit ALEXANDRO Magno ad Tyrum, & pręter alia munera, regione, quam peteret, donatur. Tandem calamitatis fraternæ consors fit, & exitium familiæ commune subijt.

CONIVGIVM NICOCLIS retulit Isocratis oratione secunda: ubi ipsum de continentia sua ita gloriantem introducit: Nec » in procreatione liberũm, regum maximę partis consuetudinẽ sum imitatus;

tatus: nec alios ex humiliore muliere, alios è nobiliore censui suscipi- «
endos: Sed curandum, ut omnes tum paternum tum maternum ge- «
nus, inter mortales ad Euagoram patrem meum, inter Semideos ad «
Aeacidas, inter Deos ad Iouem Opt. Max. referre possent: neque quic «
quam ex me genitus hac nobilitate priuaretur, &c. Habuit autem con
iugem Nicocles AXIOTHEAM: è qua liberos ei complures ge
nitos, tum Isocratis hoc testimonium, tum Diodorus docet. In his
TIMARCHVS duos maxillarum ordines habuit, alius ἐπώνυμος
non mutauit dentes priores, ideoque protriuit, ut narrat Plinius. Cæ-
terorum ipsiusque Axiotheæ, tum fratrum Nicoclis atque nuruum hoc
fatum Polyænus exposuit libro octauo: AXIOTHEA, inquit, Ni «
coclis regis uxor, magna multitudine militum ueniente à Ptolemæo, «
Aegypti rege, ad disturbãdum regnum, cùm Nicocles uitam laqueo «
finijsset, fratresque eius sibi ipsis mortem cõsciuissent, ipsa mortuorum «
uirtutes æmulata est: sororesque eorum ac matres, uxoresque conuo- «
cauit, & ijs persuasit, ne quid indignum genere committerent. Quæ
persuasæ, fortiter ianuas muliebris aulæ concluserunt: : recurren-
tesque ad tecta, multitudine ciuium confluente, liberos, quos in ulnis
ferebant, interfecerunt, & igne tectis iniecto, aliæ gladijs semetipsas
occiderunt, aliæ confidenter in flammam insilientes perierunt. A-
xiothea uerò ducem se in periculis optimam præstabat. Cùm enim
uideret omnes egregiè iacere, tum etiam ipsa summisso gla-
dio per cædem, se in flammam coniecit, ut ne
mortuo quidem corpore ho-
stes potiretur.

REGNVM

REGNUM MOLOSSICUM PYRRIDARUM IN EPIRO.

DE EPIRI LIMITIBUS, NOMINIBUS, GENTIBUS: QUAE HARUM ORIGO, QUAE IMPERIA: de familię PYRRHIDARUM propagatione, interitu, consuetudinibus.

EPIRI limites descriptos ab auctoribus Strabone libro decimo, Plinio libro quarto, Ptolemæo libro tertio, capite decimotertio, repeti inde, quàm noua expositione nostra inculcari satius fuerit. Et quæ in his occurrit discrepantia, magis fortè ad Romanos consuetudines, quàm gentium origines pertinet. Nominatur autem regio illa ab alijs EPIRUS DODONA, ab alijs Epirus tantùm, ut nempè in hoc posteriore κατάχρησιν quandam in altero epitheti denominationem intelligamus, quasi dicas, Epiras Dodonęa, seu gentis Dodonææ. Cæteroquin enim Græcam uocem ἤπειρος significari amplitudine se latius extendere, constat. Quippe quam Dionysius Alexandrinus ad pártes orbis transferat. Et Aristoteles eodem modo ἠπείρων in νήσους καὶ ἠπείρους distinxit. Neq; raro pro Asia usurpatum ἀσιανῶς inuenias, quo refero, quod est apud Suidam ἤπειρον: τῷ Ἰσοκράτει συνήθες δὲ τὴν ὑπὸ τῷ βασιλεῖ τῶν περσῶν γῆν οὕτω καλεῖν. Sanè sicuti dictionum Græcarum aliarum usu, ita huic etiam respondet Germanicum Saxonicæ dialecti *Marsch*, & Epirotę Marsos exprimunt. Habet enim frequentes Germania gentium appellationes, à locorum situ deductas, in quibus itidem ueteres illæ, Bructeri & Angriuarij, palustres & campestres uel campanos denotant. Ergo Epirus hæc singulari & angustiore nominis usurpatione, ea accipienda solum fuerit, quam Dodonei patriã uel sedem habuêre. Etsi Epitheton hoc postea in usu uulgari cessauit, ad eum uidelicet modum, quo hodie Coloniæ appellatione tantùm ferè Agrippinensis uenit, uti Marchię, Brandenburgensis: & cum Saxonia uetus partibus discriminetur. Ostuatia & Vuestualia pro illa nomen communius Saxonia obrepsit, quemadmodum in hac tantum partis mansit. Ac memorant nouæ usurpationis mẽtione, Epiri terræ & Dodonam urbem & fluuium Dodonem

Stephanus

Stephanus & Seruius: de quibus subiecta ab ipsis etyma fabulosa, omitto. Iuxta urbem Dodonam nemus Ioui consecratum fuit, oraculo Dodonæo & quercubus illis uocalibus percelebre. Etenim habuit oraculum idem Græcia omnium uetustissimum, ut est auctor Herodotus. Cumq; fortè locus initio solennibus aliquibus conuentibus destinatus esset, maligni spiritus fraude, in sedem oraculum respõsorum cõmutatus fuit. Quæ fascini instituto manifesto edita ita fuisse accepimus, ut quercus ipsę sese cõmouerint, atque insonuerint, uaticinio uoce uerbisq; articulatis expresso. Meminit huius Homer. Odyss. τ. & deduxit inde Stephanus prouerbium: Δωδωναῖον χαλκεῖον, de loquacib. ἤτοι inquit, τὸ χαλκεῖον πληττόμενον ἦχει ὑπὸ μάστιγος, ἢ ὅτι τῇ βίᾳ τῶν ἀνέμων ἦχει, ἀφ' οὗ ἡ παροιμία. Legimus etiam fraude huius in periculũ adductos ALEXANDRVM Molossum & PYRRVM II. cum iam reges Molossidis, utriusque progenitores, Thesprotis extortum sibi uindicassent. Ideò postea Aetoli, cum innatæ immanitati seruientes, tum eam quoque fortè imposturam auersantes, id incensum funditus euertêre, ut meminit Polybius. Tamen Iustinus aliam etiam nominis Epiri notionem à PYRRHO Neoptolemo nominat, & gentem ipsam Pyrrhidas cognominat. Sed hæc tam nugatione quam falsè tradita meritò reijciuntur, & Pyrrhidæ rectiùs cum Plutarcho non natio, sed familia à Pyrrho propagata creduntur.

COLONI Epiri antiquissimi nominantur SELLI. Qui originę barbari cuinam sint accensendi genti, auctorum monumentis traditum non est. Inde immigrarũt isthuc DODONÆI, Pelasgici Straboni dicti, à quibus Epirus habitata constantiùs (sacri enim habebantur καὶ ἄσυλοι, ut scripsit Dionysius Halycarnassæus.) etiam cognomentum Dodonææ ab eis inuenit. Nec dubium de eo habeo, propagatas ab ijsdem gentes illas quatuordecim, quas retulit è Theopompo Strabo, parte maxima. Discerno enim adhuc CHAONAS: &, si credimus Græcis, recentiores aliquanto sunt Amphilochiorum & Myrmidorum coloniæ, atque adeo ad origines externas pertinent.

CONDIDIT autem DODONÆOS Dodanim, filius Iauan, nepos Iaphet: A quo Dodanim quia Eusebius etiam Rhodios propagauit, id simul hinc euidens fit, non exoticę & Barbarę, sed Gręcæ stirpis gentem extitisse. Quanquam accolas barbaros multos, & inprimis Illyrios, DODONÆIS se immiscuisse, certum est. Vnde est, quod Strabo plerosq; duplici lingua, hoc est, Gręca & barbara, usos affirmat. Et Liuius aliã item Athamanũ quàm Atheniensiũ fuisse

linguam

linguam oſtēdit: Cū alibi Strabo Acarnanias Aetolis ἐμογλώττους faciat.

CHAONAS, omiſsis Græcorū & Virgilij Poëtæ deriuationibus fabuloſis, Aonas, hoc eſt, Iaonas, uel Ionas fuiſſe, crediderim: ut nempe enuntiationis Græcę ſonus in Barbaricum mutatus ſit. Etenim προθέσεις eiuſmodi in linguis peregrinis crebras obſeruare licet: & hodie Romania, ſeu Thracia, Thurcis Vrum eſt. Videntur & ipſi paulatim in barbaros degeneraſſe: quò refero, quæ habet de ipſis Thucyd. lib. 2.

AMPHILOCHI & ACARNANES conditi à Cephalo & Icaro, denominati ab Amphilocho & Acarnane, Melampodidis, exiſtimantur. Id quod ut de imperijs facilè conceſſerim, ita originem gentis utriuſque indigenam à Dodonæis retinere nos ſatiùs fuerit: etſi neque Argiuos & Lacedæmonios, hoc eſt, Achæos ab regibus ijſdem immixtos illis negò. Et quia peculiari indicatione de Acarnanibus Plinius addidit, antea CVRETAS nominatos, ego utrunque nomen non deriuatione, ſed enunciatione diſcerno: & coniungo cum eis CRETAS & CARES, à quocunque ſanè deducere principio uoluerimns. Certè neque mores gentium harum diſsimiles extitiſſe paſsim in hiſtoriarum monumentis uidere eſt: neque religionis ſuperſtitioſæ fama Dodoneis Cretenſes ceſsêre, ut neque militari audacia Caribus, cùm utroſq; honeſtarum legum ſtudijs uincerent. Quippe quas & LYCVRGVS Spartam Thalete iureconſulto abducto, ab eis mutuatus ſit.

MYRMIDONAS à bello Troiano in Epirum colonos deduxit PYRRHVS Neoptolemus: & demonſtrata à nobis eſt origo ipſorum alibi luculentiùs. Coaluerunt autem in nomen & imperium MOLOSSORVM: de quibus diuerſis explicatur ſcriptorum ſententijs, nec deſunt adeò, qui nomen primum à MOLOSSO, Pyrrhi Neoptolemi F. extitiſſe, uolunt, & Myrmidonibus ſolis id accommodant. Sed uetuſtius, inde etiam patet, quòd Moloſsis rex AIDONEVS attribuitur. Quare potius regi Moloſſo à gente datum exiſtimarim: quemadmodum itidem frater eius à Pergamo Pergamus cognominatus. Nec me repugnantem habituri ſunt, ſi qui Curetum partem accipere Moloſſos uoluerint, ut ſit enunciatio corrupta à uoce Miletus. Habet enim & Creta Miletū: & propior mutatio nominis eſt Miletum in Moloſſos, quam Aonū in Chaonas. De quibus duabus gentibus id adhuc poſtremò attingere uiſum fuit, quod potentia & rebus geſtis inter Epirotas à ſcriptoribus principibus nominentur. Et de Chaonia regione hæc addidit Stephanus: χαονία μέση τῆς ἠπείρου.

Imperia

Imperia Epirotarum Plutarchus à PHAETONTE, quem Poëtarum decantant fabulæ, orditur. Sed quæ de hoc nomine nostra sit sententia, alibi exposuimus: & quæ aliâs notatur in Græcis fingendi cum licentia, tum leuitas, etiam hîc meritò culpatur. Neque omninò fides Straboni debetur, qui Chaonas & Molossos Epiro omni imperasse, ait, ita ut primum Chaones, posterius Molossi floruerint. Etenim mox inter initia in diuersa Epirotas regna distractos fuisse, argumenta multa docent. In quibus regnis circa belli Troiani tempora uixere AIDONEVS seu ORCVS Molossus, PHIDON Thesprotius & ECHETVS. Aidonei historiam Eusebius, Plutarchus, Pausanias & Suidas habent: reliquos duos, & alterius Echeti crudelitatem immanem, Homeri & Apollonij carmen retulit. Accessit aliquantò pòst Molossorum regnum insititiæ PYRRHIDARVM familiæ. Nam cæteras Epiri gentes reges indigenas retinuisse, Strabo scripsit. Etsi quidem certè hos obscuriores cognoscimus. Et memorat de Thesprotis & Chaonibus Thucydides lib. 2. sua ætate non regibus, sed annuis magistratibus paruisse. Sub belli Peloponnesiaci motum Parabœis imperauit ANTIOCHVS, Orestis OROEDVS, Acarnanibus Agræis SALYNTHIVS. Inde paulatim Athamanum (etsi Plinius hos in Aetoliam collocat) potentia & nomen se exeruit: quorum reges AMYNTAS & AMINANDER, Philippi posterioris σύγχρονοι, Polybij, Liuij & Strabonis historijs celebrantur. Verumenimuero agemus nos in præsenti tantum de Molossico PYRRHIDARVM regno: Quippe quod & cætera paulatim aboleuerit, & fama nominis haud paulò illustriori floruerit. Retinuit autem denominationem eam gentis Pyrrhidarum Plutarchus à conditore PYRRHO Neoptolemo, Achillis F. cùm origine ex Aeacidis esset. Cuius propagatio personarum nominibus interrumpitur mox in Pyrrhi filijs: Cùm quidem eos iam imperia ipsa diuulsissent. Etenim ALEVAS in Thessalia consedit: Pergamus Teuthraniam Asiæ obtinuit, & soli MOLOSSVS & PIELVS Epiri regnum conseruârunt. Estque quidem certè in Aleuadis & Pergami familia ea tanquam iactura haud paulò conspectior. Nam ut in Aleuadis ne nomina quidem annotata sunt, ita è Pergami posteritate tantum Pracis mentio fit. Quibus incommodis ita Pieli progenies caret, ut etiam gradus propaginis certi memorentur, nempè retrò à THARYMBA usque ad PYRRHVM conditorē numero quindecim. In hoc enim sequentium iterum regum series inchoari ferè deducendo consueuit. Cùm alioqui non tam nomine quam rebus gestis obscuros fuisse, appareat. Sic enim Plutarchus in Pyrrho; Reges, inquit, qui primis istis successêre, «

" barbari ferè, & cùm uita tum potentia ignobiles fuerunt. Inserimus tamē nos ex Antonio Liberali & Stephano: DRYANTEM, MUNICHUM, APHIDANTEM, GENOUM, & his iterum ex Herodoto & Plutarcho subijcimus ALCONEM & ADMETUM. Qui postremi duo cùm temporibus uicini fuerint, Alconis nos filium Admetum astruimus, & hunc rursus Tharymbæ genitorem attribuimus, ita ut hîc idem sit, per quem supplicauit THEMISTOCLES exul. Neq; à uero alienum est, tanta Tharymbam in literis eruditum diligētia, quòd unica Admeto genitus proles esset, tum etiam doctrinarum studia usum iam frequentiorem obtinerent. Post THARYMBAM nihil deinde admodum familia dubij habet usque ad fratres NEOPTOLEMUM & ARYBAM: Quorum illum Iustinus non rectè Tharymbæ filium nominat: sicuti mox crassius de Aeacide hallucinando, eum Alexandri fratrem fecit. Hi infestis distracti agitatiq; discordijs, & regni urbes primum diuidere ausi, ijsdem malis liberos inuoluerunt, Mox enim regnum omne ad se Neoptolemi domus retraxit. Cui cùm ab Alexandri Molossi obitu iterum Arybbæ filij præualuissent, demum post expulsionem Aeacidæ, liberi Neoptolemi reducuntur, ut scripsit Plutarchus. Ideo his accenseo NEOPTOLEMUM, Alexandri Magni commilitonem, qui tædio bellorum in Europam regressus, Pyrrho in Illyrijs absenti per seditionem rex oppositus fuit. Certè oriundum ex Aeacidarum gente fuisse, Arrianus auctor est. Attamen redijt paulò post regium nomen atque potestas ad unum PYRRHUM, in quo & ipsius familiæ quasi ἀκμὴ consistisse uidetur. Eam enim ut omnium maximè extulerat, & amplificatam finibus, etiam ueteri progenitorum fortitudinis bellicæ gloriæ auxerat, ita posteritas paulatim ab eius uirtute heroica desciscens rursus obscurauit. De qua posteritate facere nos cum Pausania malumus contra Athenæū & Iustinū, qui PYRRHUM III. Ptolemæi fratrem uocant. Habet etiam Iustinus hoc de eodem Pyrrho erratum alterum, quòd Ptolemæo antecessorem præponit. Ac tametsi stirpem ipsam finiat in sororibus LAODAMIA & NEREIDE, de parentibus tamen harum nihil addidit. Cùm nos potius cum Pausania Nereidem PYRRHO. II. genitam credamus, & Laodamiam itidem è Pausania & Polyæno DEIDAMIAM intelligamus. In qua etsi regnum concidisse ijdem auctores conueniunt, tamen de morte discrepant, & alter ferro alter morbo extinctam astruit. Sed Polyæni nobis sententia potior est, quippe cui præter Iustinum etiam Ouidius subscribat. Ac malim cum eodem hoc poëta idem ab Ambracijs in Pyrrhum potius quàm in Ptolemęum sęuitum, opinari. Nam ita & Iustini de Ptolemæo historia sibi cōstabit: Tametsi quàm

quàm infarsitis rursus de OLYMPIADE, uehementer uacillant. Quæ autem ab hoc tempore noua cùm Molossos tùm reliquam Epirum fortuna exceperit, Polybius, Strabo & Iustinus docent. Nam extincti Pyrrhidarum generis cæde Deidamiæ facinus cladibus mox uarijs luerunt. Qua inuitati occasione Macedones & Illyrij bonam Epiri partem cum imperio retinuêrunt. Estq; inde quòd Liuius, eam Macedoniæ minimam accessionem nominat. Qui tamen libertatem adhuc defendit tùm tractus, indeq; à Græcis Eleutheræ cognomentum tulit, annuo Prætorum magistratu administratus fuit. In his cùm CEPHALVS quidam stulta defectione cum PERSEO se coniunxisset, id genti toti apud Romanos odium conflauit, ut PAVLVS ÆMYLIVS eo bello confecto, & Macedonia omni edomita, Epirum depopulandam militi concesserit, una hora septuaginta urbibus crudeliter direptis, & 150000. hominum in seruitutem abductis.

In consuetudinibus regum Molossidis è Pyrrhidis maximè notabile est, quòd familiæ hic honor habitus est, & hac progeniti ea inter se ipsi uixere concordiæ beneuolentia, ut perpetuò patris imperium filio delatum sit, neque eam dignitatem regnanti inuiderent, uel fratres uel agnati cæteri. Quod institutum plurimis sæculorum ætatibus religiosè obseruatum primus omnium ex insanæ ambitionis fastu conuellere impugnando ausus est ARYBBAS. I. regni parte dimidia fratri Neoptolemo armis extorta. Nec populi, regum obseruantissimi, motum in hos ullum usq; ad ALCETÆ I, & fratrum Acacidæ & Arybbæ tempora reperimus. Ac Alcetas quidem ab Illyrijs restitutus, regnauit deinde feliciter. E' cæteris duobus ille dum bellum contra Macedonas urget pertinaciùs, exautoratur, hic per seditionem opprimitur. Sub regni initi principium in Passarotrum sacrificium solenne instituere, ibiq; iuramento se populo obstrinxere, se secundum leges imperaturos: ac uicissim populus iurauit, ex legum præscripto regnum se conseruaturum. Regiam PYRRHVS. I. Ambraciam transtulit. Sepulturæ ipsorum locus non exprimitur. Meminit tamen Pausanias uiolatam illam à LYSIMACHO, sed ut interim refutet Hieronymum Cardianum, qui etiam ossa regum disiecta fuisse scripsisset.

NVMMVS ALEXANDRI. I. COGNOMENTO MOLOSSI.





FAMILIA PYRRHIDARVM EX ÆACIDIS, QVÆ REGNAVIT IN MOLOSSIDE EPIRI ANNI CIRCITER DCCCCL.

PYRRHVS. I. cognomento πολέμιος, educatur apud LYCOMEDEM auum in Scyro insula: patris ad Troiam perempti imperium, euocantibus socijs ducibus, magno animo adolescentulus suscipit, indéque cognominis id acquirit: habet in honore HELENVM uatem: EVRYPYLVM Mysum duello conficit: conciliat exercitui PHILOCTETEM, & tandem in Troia expugnanda operam fortem præstat. In hac uictoria grassatus crudelius, iugulat PRIAMVM supplicem, capite conto affixo: Astyanactá de turri præcipitat: POLYXENAM patri mactat inferias, & è captiuis ANDROMACHEN, quæ cum Hectore fuerat, cuiusque ipse filium iugulârat, accipere donum sustinet. Inde inter magnas difficultates Græciam repetit: uindicat auo PELEO ab Acasto illatas iniurias, confirmato eius in Phthia imperio: ac seu potentiæ nouæ acquirendæ studio, seu monitu Helenensi

leni cum Myrmidonum subdita gente in Molossorum finibus considet, & gentem utranque subditam potestati suæ retinet. Id regnum dum præpotentis PELOPIDARVM familiæ affinitate firmare satagit, contrario euentu turbarum hoc domesticarum atque interitus initium habet. Nam HERMIONEM uxorem ob continuatam cum Andromacha consuetudinem uehementer infensam experitur, & ORESTEM, cui desponsa illa primùm esset, ex ista prærepti coniugij iniuria, hostem acerrimum accipit. Addidit his denique ipsemet sacrilegij cogitatum scelus in Delphici oraculi donaria: cùm profectionis isthuc susceptæ prætextu uteretur eiusdem oraculi de prole ex Hermione consulendi. Ideo per insidias circumuentus, seu à sacerdotibus ipsis, seu ab ORESTE, proditione sacerdotis Macharei, ad aram Apollinis perimitur, & in templo oraculi iussu humatur. Dictys, Homerus, Pindarus, Sophocles, Euripides, Strabo, Pausanias, Arrianus, Eusebius, Scholiastes Pindari, Virgilius, Hyginus, Iustinus, Seruius. In historia Daretis Phrygij describitur à corporis & animi dotibus, magnanimus, stomachosus, blesus, uultu bonus, aduncus, oculis rotundis, superciliosus. De cæde ipsius, quam cùm Priamo, ad aram Iouis Hercæi obtruncato parem passus est, prouerbialis extitit locutio: Vltio Neoptolemæa, quando uidelicet qua quis alterum affecisset iniuria, eam ipse subiret. Neque honores à Delphis ullos usque ad Gallorum irruptiones, & oraculum ab his oppugnatum, tulit. Tum enim inter Heroum spectra, quæ in barbaros consurrexerunt, conspectus, parentalibus exinde quotannis solennibus cultus fuit. Cognomenti Νεοπτόλεμος causam Seruius exposuit in secundo Æneidos. Etsi Plutarchus id inuertens hoc ipsi nomen & Pyrrhi cognomentum ponit. Citat Accij Neoptolemum Priscianus Grammaticus libro decimotertio, & Diomedes à Pyrrho pedem Pyrrhichium denominauit, quod crebris & citis modulationibus bis breuiter prominentem clypeum genibus incumbens, & per hunc terrorem hostibus immittens, inferri soleret. Ab Ausonio eiusmodi celebratur epitaphio:

Orbe tegor medio, maior uirtute paterna,
Quod puer & regis Pyrrhus opima tuli:
Impius ante aras quem fraude peremit Orestes,
Quid mirum? cæsa iam genetrice furens.

Coniuges PYRRHI memorantur: ANASSA, Cleodæi Heraclidæ filia, & HERMIONE, Menelai filia. Hæc liberos ei nullos enixa est; illa mares procreantur: Pyrrhus, & quæ nostra

opinio est, ALEVAS & Ethnestus cum femellis quinque. In concubinis eius ANDROMACHEN numero: etsi Seruius scripsit, quasi legitimam habitam: & Iustinus adeo matrimonio acceptam, ait: Cum ipsa apud Euripidem seruam & ancillarum conseruam sese uocet. Hac nascuntur MOLOSSOS, PIELVS & Amphiatus.

PYRRHVS, memoratur solo nomine à Plutarcho: extinctus, ut coniectura nos auguramur, infans.

ALEVAS, retinuit auitum in Phthia regnum, cùm fortè PELEVS apud se educato testamento id reliquisset: & Thessalia ipsa temporibus eius in partes quatuor, Thessaliotidem, Pelasgiotidem, Phthiotidem diuiditur. Suidas. De Draconis erga ipsum amore fabuloso Ælianus lib. 8. animal. cap. 11.

ETHNESTVS, consedit cum Aleua fratre in Thessalia, & genti Ethnestarum id de se nominis reliquit. Stephanus ἔθνος.

MOLOSSVS, uixit à patris obitu sub Heleni tutela: Quo perbenigno usus, regnum etiam morientis pietate recipit, idque suo, quæ quorundam opinio est, insignitum nomine, moriturus itidem ipse, quod à liberis orbus esset, possidendum Pielo fratri relinquit. Pausanias, Scholiastes Pindari. Meminit Euripides Andromache, ubi spurium nominat, & subijcit:

> ————— *Sepe*
> *Arida seminatio uicit pinguem terram,*
> *Et multi nothi sunt præstantiores legitimis.*

Idem alibi successores Epiri reges deriuare à Molosso uidetur; Quam sententiam nos è Pausania deflectimus.

PIELVS, regnat post MOLOSSVM, & familiam felicis propaginis satu conseruat. Nam PYRRHVM. II. & maiores eius cæteros ad hunc potius quàm ad Molossum originem suam retulisse, Pausanias auctor est. Iustinus Pyladem uocat, & patris successorem facit.

AMPHIALVS, cognomento PERGAMVS, trajicit cum matre in Asiam: ARIVM Teuthraniæ imperantem ex prouocatione de regno, singulari certamine conficit, & Pergamo regia constituta, urbibus inde subditis nominis id conseruat. Pausanias, Hyginus, quorum ille cognomentum tantùm, hic nomen retulit. Nam ea nobis de hoc uiro coniectura uisa potior est, ut nempe consuetudine omnibus temporibus usitatissima ab urbe subdita cognomentum ei accessisse, intelligamus. Nec audiendus Pausanias, qui Pergamum de ipso nominauit. Hanc enim multò antiquiorem fuisse,

fuisse, neque Græcos, sed Mysos nostros conditores habuisse, alibi pluribus ostendimus. In posteris Pergami celebrat idem Pausanias pronepotem PRACEM, & fanum Achillis in Laconica fundasse, ait. Quod cùm redudi religio esset, solenne puberibus, qui in Platanetum pugnaturi descendissent, esse cæpit, ut ante pugnam Achilli rem diuinam facerent.

Filiæ quinque ἀνώνυμοι traduntur à patre nuptum finitimis regibus: cum affanitatum ille auxilijs confirmare regnum studeret. Iustinus.

Relinquit è fratribus hisce posteritatem, & sobole familiam amplificatam propagant, præter Amphialum (de cuius pronepote iam explicauimus) etiam ALEVAS & PIELVS. Primùm autem de Aleuæ progenie agemus.

ALEVADÆ.

ALEVÆ satu editos de ipso cum Suida ALEVADAS cognominamus. Etsi Pindarus uarians, eos Heraclidas potius ab Aristomacho facere uideatur. Horum generis propago nulla traditur. Nos tamen de ipsis hoc primum rectè credi posse censemus, regnum eos aliquantisper in Phthia retinuisse. Id cum posteribus seculis in aristocratiam mutatum esset, primum Samo Insulæ imperant, deinde seu postliminio Larissæ domicilium collocant, & opibus atque potentia amplificati, auctoritatem in Thessalis præcipuam obtinent. Quare & in ipsa Larissa reipub. statum immutant, & quod coniectare ex Herodoto possumus (is enim Thessaliæ reges nuncupat) regnum ibi nouum condunt. De hoc cum uel populi subditi conspiratione, uel Græcorum cæterorum indignatione periclitarentur, XERXEM, euocant, & ad bellum contra Græciam faciendum inflammant, ipsamque ei Thessaliam produnt. Ac spe denique & conatu omni, rebus barbarorum tam infeliciter cedentibus frustrati, regium nomen spontè deponunt, & Thessaliæ imminentem LEOTYCHIDEM, regem Spartanum, muneribus auertunt. Inde cum Alexandro Macedone tyrannum Alexandrum Pheræum oppugnat, & mox cum fratre illius PHILIPPO se coniungunt. Ab quo ob crebras defectiones uinculis & carceri destinati, Bœoci cuiusdam proditione periculum euadunt. Nec aliud ferè ab eo tempore memoria dignum quicquam gerunt, deterrente fortè eos à rerum nouandarum studio omnibus ex partibus circumfusa ipsis Macedonum potentia. Cæterum nominibus in Aleuadis soli exprimuntur atque celebrantur ANTIOCHVS, Aristippus, Semus, de qui-

bus Plato in dialogis, Demoſthenes pro Cteſiphonte, Theocritus in Charitibus.

POSTERITAS PIELI.

A PIELO deducta proſapia perſonarum ſerie continua ſathiſcit, deſunt quidem regum nouem nomina. Reliqui enim reſtitui ex Antonino Liberali & Stephano poſſunt: etſi propinquitas & tempora, quibus imperârunt, nulla annotantur. Facilè tamen antiquiſsimos in ijs crediderim DRYANTEM & MVNICHVM, ſuffragante huic coniecturæ fabulæ de ijs traditæ commento. Hos deinde proximè ſequuntur APHIDAS & GENOVS: poſt quos tandem in ALCONE & ADMETO propaginis continuæ deriuatio certa conſiſtit.

DRYAS, uixit fama nominis obſcura. Nam familia ἐν βαρβάροις χώνιος, iam ipſa etiam morum barbaricorum nonnihil induerat, neq; potentia magna erat.

MVNICHVS, claruit iuſticia, uaticinandi arte & religioſæ pietatis ſtudijs. Reliqua eius ex Nicandro fabula legatur apud Antoninum Liberalem.

Habuit in matrimonio MVNICHVS Lelantam, è qua liberos ſuſcepit: Alcandrum, Megaletorem, Philæum & Hyperippam.

Alcander, ſuperauit patrem uaticinandi ſcientia, huiusq; apud Ethnicos ſignificationes atq; euentus dubios ſuo exitu comprobauit. Etenim oppreſſus in agro à latronibus, & è turri reſiſtere iaculando auſus, fumo necatur. Antoninus Liberalis.

Megaletor, Philæus & Hyperippa, exitij paterni fraterniq; fatum commune ſubeunt: cæteroq; uitæ honeſtate & probitate inſignes. Antoninus Liberalis.

* * *

APHYDAS, poſuit de ſe genti Moloſſorum ἐπώνυμον nomen. Stephanus.

* * *

GENOVS, cognominat & ipſe de nomine ſuo Genoæos Moloſſos, ut retulit itidem ex Rhiano, Stephanus.

* * *

ALCON,

* * *

ALCON, procatur Agariſtã, Chriſthenis Sicyonij filiam, ut ſcripſit Herodotus. Cæterùm Pyrrhidam extitiſſe, credere id etiam permittit, quòd Cliſthenes ipſe Græcæ gentis hominum hoc certamen eſſe uoluerit: ut opinari liceat, familiam iura Græcæ originis ita tutatam, ut TEMENIDÆ Macedonici in id incubuere, qua de re notiſsimum ex Herodoto & Iuſtino de ALEXANDRO Diuite exemplum.

ADMETVS, regnat in belli Xerxiani tempore, & diffiſus opibus ſuis, belliꝗ euentui dubio, pro neutra parte propugnat. Barbaris profligatis, Athenienſium amicitiam & ſocietatem ambit: neꝗ cæteris in republica principibus repugnantibus, ſolum THEMISTOCLEM aduerſarium experitur, eoꝗ auctore etiam cum contumelia reijcitur. Iccircò etſi huic deinde hoſtis eſſet, tamen poſtmodo ad ſe profectum exulem, & ſupplicem factum, non ſolùm conſeruat, ſed & Athenienſibus ciuibus, ac Lacedæmonijs perſequentibus, & deditionem belli comminatione urgentibus, denegat, atꝗ tum uiatico ad fugam in Aſiam, quo cogitare ipſum intellexiſſet, iuuat, tum reliqua omnia, quò tuto facileꝗ diſcederet, ſuppeditat liberaliter. Thucydides, Diodorus, Plutarchus, Scholiaſtes Pindari. Probus diſcrepans, hoſpitium cum Themiſtocle habuiſſe, ait, huncꝗ nō per filium, ſed per filiam ſupplicaſſe, neꝗ antè è ſacrario egreſſum, quàm à rege data dextera, in fidem reciperetur: itaꝗ Lacedæmonijs denegatum, etiam cum præſidio Pydnam Macedoniæ deductum.

Retulit ADMETI coniugem Plutarchus PHTHIAM: è qua naſcitur proles unica, THARYMBAS.

THARYMBAS, tenetur in ulnis à THEMISTOCLE ſupplice, & infantilis ætatis reſpectu ac miſericordia ſaluum eum præſtat. Nec multò poſt patre orbatus, quoniam unicus è gente nobili ſuperesſet, intentiore omnium cura ſeruandi eius, educandique, populi ſcito tutorem SABYLINTHVM accipit: bonas literas Athenis addiſcit: & cùm proceribus ad Peloponneſiorũ partes inclinantibus, poſt felices profectus domum reuocatus eſſet, eundem tutorem Sabylinthũ adducere Cnemo Spartano copias auxiliares permittit: indeꝗ ſemper quãto doctior maioribus ſuis, tanto & gratior populo exiſtit. Quem ut uita cultiorẽ ſtatueret, primus & leges & Senatũ annuosꝗ magiſtratus et reipub. formam cõpoſuit, eaꝗ re nomen ſibi per omnẽ Græciam illuſtre parat. Thucydides, Plutarchus, Pauſanias, Iuſtinus.

Nomen

Nomen alij aliter ſcribunt. Nam & Tharrytas & Tharyps, & Tharypus & Arymbas nominatur.

ALCETAS I. excidit regno populi aduerſantis alienatione: & profectus exul ad DIONYSIVM, tyrannum Syracuſanum, Illyrios illi ſocios, ſibi auxiliares ad regnum recuperandum adiungit. Quòd proceres rebelles prohibituros, prælio fœlici ſternit, & irritatus hac iterata iniuria uehementius, ſæuire barbaros in ſubditorum facultates crudeliter permittit. Inde nouo bello ab Iaſone Pheræo infeſtatur: & cùm à paternorum ſtudiorum memoria prolixè Athenienſibus cuperet, cum TIMOTHEO duce, Cephaleniam inſulam oppugnante, ſocietatem init. Xenophon, Diodorus, Plutarchus, Pauſanias, Suidas. A' Iuſtino imperium & nomen eius præteritur.

Procreantur ALCETA liberi: NEOPTOLEMVS & ARYBBAS.

NEOPTOLEMVS, ſurrogatur in regno patri, quod ætate fratrem antecederet. Ideò hoc hoſte uſus, ne quibus propterea cladibus populus afficeretur, memorabili moderationis exemplo iure ſuo cedit, & collegam illum aſſumit: Cum tradito à maioribus inſtituto regnum hactenus in unius tantum poteſtate fuiſſet, & ita fuiſſet, ut ſemper patrem ſucceſsione filius exciperet. Diodorus, Pauſanias, Iuſtinus.

ARYBBAS, homo ambitione perditus, diſsidet regni æmulatione, infeſto à NEOPTOLEMO fratre odio: & dignitatis conſortionem, cum Moloſsidis parte dimidia, ei armis extorquet. Dehinc laudabiliorum uirtutum famâ ſolus imperat: deponit inſolentis animi faſtum, & TROADE ducta, nepotum tutelam benignam gerit, ac OLYMPIADEM Philippo procanti uxorem collocat. Moritur anno regni decimo. Diodorus, Plutarchus, Pauſanias, Suidas. Variant Iuſtini & Oroſij expoſitiones, & pro collocata Philippo Olympiade hanc ab homine malitioſè ingrato inijſſe gratiam memorant, ut aliquantò pòſt in exilium protruſus ſit, regno Alexandro tradito. In philoſophis plurimum XENOCRATI Chalcedonio detulit, qui etiam de regno libros quatuor nomini ipſius conſecrauit, ut meminit Laërtius. Nomen alij Arymbas, alij, Aryſba alij Arybas, alij Arribas ſcripſere.

NEOPTOLEMI coniugium ab auctoribus proditum non eſt. Attribuuntur tamen ei liberi, ALEXANDER, NEOPTOLEMVS, Arybbas, TROAS, OLYMPIAS & Cadmia.

ALEXANDER I. cognominatus à Gellio Moloſſus, utitur

ARYBBA

ARYBBA patruo tutore: PHILIPPO Macedoni per Olympiadem innotescit: & opera huius, Arybbæ defuncto adolescens annorum 20. successor datus, postea etiam infelicibus CLEOPATRÆ nuptijs gener asciscitur. Etenim socerum tum tantum non per latus suum mactari conspicit: gemit Olympiadis sororis orbitatem, & cædes mox crudeles horret. Inde ALEXANDRI sobrini æmulari gloriam bellicam occipit: Tarentinis euocantibus belli se imperatorem præstat contra Lucanos & Brutios: profectus tam cupidè, ut edomãdo occidenti, fato se destinari persuasum haberet. Nec sanè uel uirtus ei uel successuum felicitas aliquantisper defuit. Nam hostem prælijs multis uictum etiam urbibus præcipuis exuit: territat Metapontinos & Rutulos, & cum Romanis socios sibi adiungit. Post hoc tempus barbaris acrius bellum reparantibus, non hostis uirtute, sed fortunæ aduersantis impetu euertitur. Etenim inundationibus ab exercitu exclusus, cùm forti eruptione euasisset, & Lucanorum ducem cominus congressum obtruncasset, ab exule alio Lucano, qui hoc facinore reditum pactus esset, ueruto auersus trajcitur: & cadauer interceptum uecorde barbarorum immanitate fœdè laceratur, parte Consentia ad ludibrium missa, & ossibus demum Metaponto in Epirum deuectis. Diod. Strabo, Pausanias, Suidas, Liuius, Iustinus, Orosius. Fuit ingenio magno, & magnis item imperijs digno. Ante Italicam profectionem, quam Liuius collocat in annum V. C. CCCC. XV. gentile Dodonæum oraculum adijt, quod interitum eius hoc ambiguò responso prænunciasse ferunt.

> αἰακίδη προφύλαξαι μολεῖν ἀχερούσιον ὕδωρ,
> πανδοσίην θ' ὅθι τοι θάνατος πεπρωμένος ἐστί.

Nam ad horum nominum flumen & oppidum in Brutijs perijt: cùm principiò ipse ὁμώνυμα Epiri intellexisset, ideoq; libentius in Italiam abiuisset. Ibi bellorum cum gentibus præferocibus perspecta difficultate, sortem suam cum Alexandro Magno ita contulit, ut se quidem ad Italos ire diceret, quasi in ἀνδρωνῖτιν, Macedonem uerò ad Persas quasi γυναικωνῖτιν, teste Gellio lib. 17. cap. 21. Orosius à Samnitibus in pugna cæsum scribit, & quidem cùm iam in Romanos etiam bellum pararet. Addit nescio quam è Iustino stupri infamiam: cuius fides penes auctorem esto. Extat nummus eius argenteus, quem sculptura expressum suprà apposuimus.

NEOPTOLEMVS; consectatur ALEXANDRVM Magnum ad Asiaticam expeditionem socius: in Gazæ expugnatione primus muros conscendit, eaque audacia locum inter amicos regis illustriores promeretur. Neque aliam meriti tanti, ab obitu Alexandri habitam rationem indignatus, in Europam

regreditur;

regreditur: procerum decreto post Aeacide expulsionem reuocatur honorifico: PYRRHO in Illyrijs absenti rex opponitur & dum imperat uiolentiùs,& populi studio iterum excidit, & collegam Pyrrhum admittere pactione cogitur.In eo tempore cum neuter alteri fideret,primus ipse ad insidias se conuertit,easq; adeò etiam ad amicos & sororem Cadmiam effutire audet. Ideò his proditione enunciatis, dissimulanter ad sacrificij cœnam inuitatur, ac ceu hostia inter Scyphos obtruncatur.Plutarchus,Arrianus.

Arybbas,conspirat cum Atheniensibus & LEOSTHENE in Macedonas:qua societate post turpiter renunciata, iterum in Macedonum partes transit.Diodorus.

TROAS, iungitur connubio,cum ARYBBA patruo,& coniugem illum optimum,fratrum & sororum tutorem benignum experitur.Plutarchus,Iustinus.

OLYMPIAS, initiatur sacris adolescentula cum PHILIPPO: unde amari cœpta:coniux pòst ab eo ambitur atq; impetratur. In hoc coniugio cætera prolixe felicissima,nimio orgiorum studio ueneficij suspicionem apud regem incurrit:Quippe quam etiam conspectus draco iuxta corpus dormientis porrectus,augeret. Quare exinde deteriore loco esse incipit,& reginas aliquot æmulas sustinere cogitur. Hoc metu de Alexandro quoq; F. anxia,priuignum ARIDÆVM toxico mente priuat,& toto deniq, ob turbas per Alexandrum in CLEOPATRÆ nuptijs datas planè expellitur,atq; exulare in Epiro iubetur.Ea noua iniuria efferatior facta,iterū Alexandro, patri reconciliato,matrimonio Carici auctor fit: confirmat parricidam Pausaniam:Cleopatram cæde crudeli tollit,& natum ea Caranum in ęnea pelui torret. Cùmq; indè Macedonas uehementer à se alienasset,etiam ab Alexandro regni administratione priuatur. Quod ANTIPATRI imputans artibus,uarijs hunc criminibus onerat, & initiò ab Alexandro reiecta, tandem instando pertinaciùs fidem sibi facit: euentu tàm regi quàm sibi exitiali. Etenim & ille uita ueneno, & ipsa Macedonia armis expellitur,ac nepote HERCVLE indignè præterito,regnum in ARIDÆVM transferri conspicatur.Id ut uindicaret, ÆACIDÆ & Polysperchontis auxilijs Macedoniam repetit:regias oppositas copias & dignitate sua & Alexandri beneficiorū memoria in partes trahit: ARIDÆVM cum Euridice coniuge captum morte horrifica afficit: & indicio edocta de Alexandro Antipatri insidijs necato,diu cocti odij acerbitatem in domum eius effundit: euertit Iolai monumentum,& filium alterum Nicanorem cum amicis centum mactat. Iccircò populi iterum studia alieniora experitur:nec multo pòst in ARIDÆI & fratrum ultionem à CASANDRO bello

bello oppugnatur. Huic cùm frustra Æacidē & Polysporchontem oppo suisset, Pydnę obsidetur, & alimentis deficientibus permittere se hosti co gitur. Cumq; Athenas migrare iussa, metu insidiarū id exiliū detrectaret, seq; ad causam in Macedonū consilio dicendam offerret, primùm militibus trucidanda obijcitur, & his maiestatis eius respectu facinus id detrectantibus ab occisorū cognatis inuaditur: nihil tamen tum etiā muliebriter quicquā deprecata, sed præsenti animo morti se offerendo, etiam expi rans capillis & ueste crura cōtexit, ut ne quid scilicet in corpore eius conspici indecorū posset. Diodorus, Plutarchus, Pausanias, Arrianus, Ælianus, Iustinus, Orosius. Meruit magnanimitatis laudē, & prædicatur item in ea casti pudoris decus: sed culpatur rursus effrenis iracūdia, sæuitiæ im manitas, & insana dominandi cupiditas. Quæ auersatus in ipsa Alexander, etsi plurimū ei deferret, tamē in imperij partem peruenire nunquam permisit, deq; eo acrius instantē, festiuè retudit. Ferūt etiam Antipatrum iam moriturū, quasi præsagiendo crudelitatē eius, regni principes, id cauerent, diligenter præmonuisse. Ac meminit Probus, dissuasisse Macedoniæ repetitæ institutū EVMENEM, aut si in eo permanere liberet, à crudelitate tamē abstineret. Quare etsi crudeli nō tamē iniusta morte op petijt: de qua uarians Pausanias, ijs Macedonum, qui odijs in eam flagra rent acerrimis, traditam lapidibus obruendā, ait. Addit Diodorus, etiam insepultā abijci iussam: quod idem legimus in Alexandri epist. fabulosa ad Aristotelem. Recitat Gellius epistolę ipsius exemplū ad Alexandrum cum primis comis. Cùm enim ille ad matrē ita scripsisset: Rex Alexander, Iouis Ammonis F. Olympiadi matri salutem, ipsa ei rescripsit in hanc sen tentiā: Amabo, inquit, mi fili, quiescas, neq; deferas me, neq; criminere aduersus Iunonem. Malum mihi prorsum illa magnū dabit, cum tu me literis tuis pellicem illi esse confiteris. Habet aliud etiam è sepultura Alexandri dilata, in diuinitatem ab eo affectatam apophthegma ipsius Ælianus V. H. lib. 13. cap. 30.

CADMIA, habetur in honore à Neoptolemo fratre, & magno illius malo insidias, quæ Pyrrho necterentur, ex eo audit. Plutarchus.

ARYBBAS, alter Alcetæ filius, è coniuge Troade liberos suscepit: ALCETAM. II. ÆACIDEM, & quæ nostra sententia est, BEROAM.

ALCETAS. II. ejicitur à patre ob iracūdiæ impotentis uesaniam: cum CASANDRO inimicitias capitales gerit: & à fratris demū obitu procerum quorundam studio reuocatus, rex proclamatur. In hoc tem pore, bello à LYCISCO, duce Casandri, difficili oppugnatur, & decertare cum hoste gemino prælio ausus, in primo à suis deseritur, in altero cum clade repellitur. Ideo mox pacificationi studet: cumq; ea impetrata more ingenij sui furere iterum cœpisset, perimitur per seditionem à ciuibus. Diodorus, Pausanias.

ÆACIDES, præficitur regno post ALEXANDRI patruelis

 interitum:

interitum: OLYMPIADEM ab Antipatro eiectã habent benignè, & in Macedonia ab ARIDÆO recuperãda studio prompto adiuuat. Inde popularium inuidiam acerbã incurrit, & dum cogere inuitos ad militiam contra CASANDRVM instituit, absens regno abdicatur. Quare exul aliquandiu apud uicinos oberrat: & cum suis iterum placatis, bello à Philippo, fratre Casandri, oppugnaretur, & post infelicem pugnam, cum socijs Ætolis repeteret certamen audentius, cadit in acie. Diodorus, Plutarchus, Iustinus. Pausanias aliquot diebus post prælium interijsse è uulnere, ait.

BEROA, fuit cũ GLAVCIA, rege Illyriorũ, & PYRRHVM infantẽ ab marito receptũ supplicẽ, inter liberos educat. Plutar. Iustinus.

GENITOS autem fratribus ambobus liberos accepimus, sed Alceta fama nominis & rebus gestis obscuriores. Ideo hos primùm subijcio, Qui memorantur ἐκγόνοις: Alexander, Teucer, Esion, Nisus.

ALEXANDER & Teucer ablegantur à Patre rege ad colligendas contra Lyciscum copias: à quo uicti, in pagum quendam munitum profugiunt. Diodorus.

ESION & NISVS, necantur cum patre, ætate adhuc puerili Diod.

ÆACIDÆ coniux fuit PHTHIA, Menonis Thessali filia, quæ liberos enixa est: PYRRHVM, DEIDAMIAM & Troadem.

PYRRHVS. II. à gente sua cognominatus AQVILA, subtrahitur infans bimus paternorum hostium sæuitiæ ab Androclide & Angelo: protegitur in fuga à Megarensibus: à GLAVCIA Illyrico educandus inter liberos suscipitur, & anno ætatis duodecimo ALCETÆ. II. patruo armis surrogatur. Hac dignitate iterum in Illyrijs absens post quinquenniũ artibus CASANDRI abdicatur: dumq; recuperandæ ei ope necessaria destituitur, abit ad DEMETRIVM Poliorceten militarum: pugnat ad Ipsum, & obses pro eo in Ægyptum proficiscitur. Per id tempus in BERENICES reginæ amicitiam se insinuat: & filia eius ANTIGONA uxore ducta, etiam copias ad regnum recuperandum impetrat: tollit æmulũ, & mox insidiatorem NEOPTOLEMVM: ab ANTIPATRO, Casandri F. Ambraciam, Acarnaniã, & Amphilochiã cõfœderationis præmium accipit: decertat felici prælio cũ PANTAVCHO, duce Demetrij (.is enim pro Alexandro, altero Casandri filio propugnabat.) inuadit Macedoniam populabundus: in DEMETRIVM iterum LANASSÆ diuortio & Corcyra prærepta, quam ab eadem Lanassa dotem acceperat, accenditur, & exercitu eius ad se traducto, regem se Macedoniæ gerit. Ab eo instituto cùm alios Macedonici sanguinis principes tum LYSIMACHVM æmulũ accipit: adit Athenas: Corcyræos Tarentinorum auxilijs infestat: pro DEMETRIO se colligente denuo propugnat, & circumuentus Lysimachi artibus, Macedonia excedere atq; abstinere cogitur. Qui casus etsi tot laborum ei fru-

ctum

ctum eripuit, tamē neq; uirtutem fregit neq; cupiditates imminuit. Nam ut Tarentinis, qui peramplas etiā propagandi imperij ostenderent occasiones, gratiam referret, belli cōtra Romanos demandati sibi imperiū patitur: classe celerius in Italiam transmittit, quā uenturus audiretur: fundit elephantorum præcipuè terrore Leuinum Cos. ambit pacificationē frustra (reclamârat autē App. Claudius Cæcus.) per CINEAM: miratur C. FABRICII integritatem, & mox fidem experitur: tentat iterū prælij fortunam ad Asculū: & rebus minus prosperè cadentibus, in Siciliā gentis rogatu ad tempus quasi secedit: Carthaginenses clade ingenti affectos profligat: expugnat Erycen, & primus muros conscendit: reprimit Mamertinos: ac dū ex hoc successu se iam gerit asperiùs, neq; ab optimatum cæde abstinet, ciuitatū defectione omnia rursus amittit, & reuocantibus Tarentinis, cum ingenti periculo, & sacrilegij infamia, in Italiam regreditur. Ibi tertio congressus cum M. CVRIO Cos. prælioq; uictus, motū Tarentinorum arte reprimit: Epirum nocturna fuga repetit: uexat incursionibus ANTIGONVM Gonatam, & copijs exutū regno pellit: Ægas, regum mausoleis urbem cū primis nobilem, præsidio Gallorum coërcet, & ipsa mausolea euerti à barbaris permittit: tentat frustra Spartā cum CLEONYMO: in Argiuos pro Aristeæ cuiusdam cōfirmanda factione proficiscitur. Hîc cùm initia se præclarè darēt, intromittendis in urbem elephantis mora negociū corrumpit, seq; adeò in exitium præcipitat, atq; euertit. Interea enim hoste se armante, & prӕter Antigoni auxilia etiā AREI Spartani prӕsentia animato, infeliciter præliatur: turbatur lupi & tauri congredientium conspecta fatali imagine: receptu, elephanti lapsu impeditur: & dum Argiuo cuidā, à quo sauciatus esset, instat, à matre huius, quæ pugnā è tecto prominens, spectaret, latere sternitur: caput iaceti à Zopyro resecatur, & ab ALCYONEO ad Antigonū delatū, iussu eius cū corpore ipso crematur honorificè, & in fano Cereris, oraculi iussu erecto, humatur. Polybius, Plutarchus, Pausanias, Polyӕnus, Suidas, Probus, Valerius, Florus, Eutropius, Claudianus. Commendatur à multis & illustribus uirtutibus, scientia rei militaris, fortitudine, prudentia, facilitate erga amicos, moderatione & singulari in gratia referenda diligentia & promptitudine. Sed fortuna dissimili uixit. Quippe qui quæ agenda adeptus esset, propter spem ferè amiserit, cùm præ absentiū cupiditate nihil eorum, quæ cōsecutus iam esset, retineret, eoq; uti par erat, uti posset. Quare ANTIGONVS lusori eum cōparabat, qui, cùm optimè tessaræ caderent, arte utendi ijs, quæ iecisset, destitueretur. A' DEMETRIO Poliorcete utriusq; κηδεστία, potentiæ in natum malū, eum alienauit: & infidæ inter æmulos principes amicitiæ de ipso & Lysimacho exemplum memorabile Plutarchus habet. Vbi & hæc disputando subijcit: Reges, inquit, immeritò populū culpāt, si is utilitatis causa modo

huic, modo alteri pareat: ipsos enim imitatur, infidelitatisque ipsos & proditionis habet magistros, qui plurimũ lucrari existimant eum, qui quàm minimè ius sequatur. Inter necessarios amicos principe loco coluit CINEAM Thessalũ, Demosthenis auditorẽ: de quo fassus ipse est, plures illum urbes dicendo quàm se armis cepisse. Rectè enim Euripides:

Oratio conficit omnia,
Quæcunque ferrum hostile possit consequi.

Robore corporis tanto fuit, ut Mamertinum quendã ingentis staturæ, duello contendere ausum, gladio caput ita percusserit, ut ictus ille ad infimum usque corpus pertinuerit, unoque momento, corporis per mediũ dissecti utrinque partes deciderint. Retulere similia nostræ gentis annales exempla de ROLANDO Franco & GOTIFRIDO Bilioneo, item de milite quodam Germano in exercitu FRIDERICI Barbarossæ Nicetas Græcus. Dentium os unum & continuũ habuit, sed in quo tamen interualla tenuibus ueluti sulcis delinearentur. Et creditus fuit è liene laborantibus salutẽ afferre, si gallum albũ mactans, supinalis illis dextro pede leuiter splenem premeret: neque extitit quisquã ita uel pauper uel uilis, cui rogatus eam facere medicinã dedignaretur. In illustribus imperatoribus locum ei secundum ab ANNIBALE tributum, Liuius & Plutarchus scripsère. Et ipse quidem cum huic rei soli studeret, eam disciplinarum omnium maximè regiam duxit: reliquas tantum ad ornamentum & oblectationẽ facere ratus. Reliquit tamen de acie ordinanda ducendoque exercitu librum, & citantur alij etiam eius commentarij. De Sparta, è somnio ipsius quodã, Lysimacho purpurato desperante, cùm nugas eiusmodi diuinationes esse ostendisset ociosorũ & ad garriendum cõuenientium hominum, & multum omnino habere stulticiæ, subiecit: εἷς οἰωνὸς ἄριστος, ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. Et sanè artium eiusmodi uanitas paulò pòst manifestius in noctua apparuit, quæ hastam Argos inpressuri insederat. Hæc enim fausta haberi aliâs solita, ipsi mortem portendit, teste Æliano. Inter externos reges qui cum Romanis belligerârunt, ipse omniũ primus extitit, & fecit Florus hoc eius bellum annorum quatuor. Neque uerò aliũ hostem ullum plus admiratũ accepimus. Etenim milites Romanos à prælio primo, aduerso uulnere & uultu truci iacere omnes conspicatus, in hæc uerba erupit: Orbis se totius dominũ esse potuisse, si tales sibi milites contigissent. Fabricium etiam quarta parte regni in partes frustra solicitatum, tali ornauit elogio, ut difficilius eum à uirtute sua, quàm solem è cursu consueto dimoueri posse diceret. Præterea captiuos eis gratis remisit: qua de re Cicero 1. Offic. ex Ennio hanc ipsius præclaram recitat sententiam.

Nec mi aurum posco, nec mi precium dederitis:
Nec cauponantes bellum, sed belligerantes,
Ferro non auro uitam cernamus utrique,
Vósne uelit, an me regnare hera, quidue ferat fors,
Virtute experiamur, & hoc simul accipe dictum.

Quorum

Quorum uirtuti belli fortuna pepercit,
Eorundem me libertati parcere certum est,
Dono: ducite: doq; uolentibus cum magnis dijs.

Idem libro secundo de diuinatione hoc ex eodem Ennio datum ei oraculum ambiguum, ait:

Aio te Aeacida Romanos uincere posse.

Quia constructionis ratio tàm ipsum quàm Romanos credere uictores permittit. Memorat idem Augustinus libro 3. de Ciuitate Dei cap. 17. his uerbis: Dico te Pyrrhe, uincere posse Romanos. Variat de Pyrrhi historia nonnihil Pausanias in Atticis, Iustinus lib. 15. & 35. de sepultura Valerius lib. 5. cap. 1. Sacrilegij eius puniti exemplum illustre Liuius habet Decad. 3. lib. 9. corporis Alexandri affectatam & taxatam similitudinem Lucianus in Indocto. Qui idem alibi in sacrificijs & precibus suis unicum τὸ ὑγιαίνειν Deos poscere solitum ait: Quippe qui cæterorum tum omnium compotem se fieri posse confideret. Videtur autem allusisse huc etiam Iuuenalis Satyr. 10.

Orandum est ut sit mens sana in corpore sano.

Regni eius principium Plutarchus collocauit in annum secundum Olympiad. 121.

DEIDAMIA, despondetur ab OLYMPIADE Alexandro Posthumo. Ideo reducem in Macedoniam consectata, subit Pydnæ obsidionis periculum commune: & illam cæde, sponsum ueneno in Amphipolitana custodia, amittit. Inde DEMETRIO Poliorcete feliciori connubio iungitur: sub prælij ad Ipsum tempus Athenis deponitur, & ob cladem ibi acceptam populi defectione Megara dimittitur. Eius iniuriæ ultionem regem, ob iunctam affinitatem cum SELEVCO, differentem, in Cilicia adit, cumq; haud diu unà fuisset, ex morbo quodam decedit. Diodorus, Plutarchus, Iustinus.

TROAS, memoratur nomine tenus à Plutarcho in Pyrrho.

Duxit PYRRHVS præter ANTIGONAM coniuges, N. Pannoniam, Autoleontis regis F. Byrcennam, Illyriam, & LANASSAM, Agathoclis Syracusani F. Antigona Ptolemæum filium edidit, Lanassa ALEXANDRVM II. Byrcenna Helenum nouissimum. Quibus ab alijs additis Nereidi & Olympiadi filiabus, genetricem Pannoniam attribuimus. Et discedimus hic à Iustino, qui Helenum Lanassæ filium fecit.

PTOLEMÆVS, præficitur à pàtre, Italiam petituro, regno rector adolescens annorum 15. Corcyram tantum 60. militum manu recipit: in prælio nauali triremem ex scapha cum septem solis insilit, captamq; tenet. A' tanta audacia patri commendatus mirificè, primum ANTIGONO, quem uictum fugauit, opponitur, deinde Spartæ oppugnandæ socius assumitur. Per quod tẽpus cum irruptionẽ in urbem eũ mercenarijs

GALLIS frustra tentasset, obijcit se erumpenti AREO, & dum inter primos pugnat audacius quàm cautius, interficitur ab Oræso Cretensi. Plutarchus. Iustinus in ipsa urbe cecidisse ait: & addit interfecti cadauere in castra relato, patrem insanam eius audaciam ita improbasse, ut tardius aliquantò occisum diceret, quàm timuerit ipse, uel temeritas eius meruerit.

ALEXANDER. II. abducitur in Italiam à patre puer, & ideo abducitur, ut homini φιλοπόλεμῳ belli difficilis non tàm socius quam solatium esset. Sub expeditionis Siciliensis initium Locris deponitur, & Siciliæ ipsi ob auum maternum AGATHOCLEM rex destinatur. Hunc conatum successu frustrante, demum à patris in Argis interitu rex constituitur: uexat in ultionem eius bello ANTIGONVM Gonatam, regnoq; deturbat: & congressus improuidè cum DEMETRIO, Antigoni filia, tum occupata in Macedonia amittit, tum Epiro ipsa excidit, & profugere exul ad Arcadas cogitur. Ibi habitus honorificè & prolixè sperare iussus, non minore gentis suæ desiderio, quàm sociorum auxilio in regnum restituitur. Pausanias, Iustinus. Meminit Valerius lib. 5. cap. 1. In bonis literis tantum profecit, ut patris exemplo de ordinãda acie librum conscripserit, teste Æliano. Memorabile est apud Athenæum de fabis Ægyptijs historia, quæ regni ipsius tempore in Epiri palude quadam ad biennium fructificârunt. Hac de causa cum rex custodiam apposuisset, neq; carpere solùm, qui cupiebant, sed etiam ad lacum accedere, prohiberet, & palus exiccata est, nec fructum fabæ amplius tulerũt, etiam cùm aquam illa recepisset.

HELENVS, accipit hoc nomen ab HELENI Troiani memoria: cum patre in Italiam comes pergit, huicq; rex destinatur: ac denique à discedente arcis Tarentinæ cum Molone præfectus relictus, primum à uictoria ipsius de ANTIGONO Gonata reuocatur. In eo tẽpore iterum illi cum fratre Ptolemæo cõtra Spartanos & Argiuos militat: cumq; Argis muri partem ad exercitus ingressum deijcere iussus, per errorem elephantos portis intulisset, uno ibi casu fortuito in latus prolapso, neq; erigere se ualente, & patrem & semet euertit. Nam cædem huius miserabilem spectat, & fugam ipse frustrà tentans, ab ALCYONEO captiuus Antigono sistitur. Ab hoc habitus perbenignè, & cultum & animum gerere regium iubetur, & cum comitatu honorifico in Epirum remittitur. Plutarchus, Iustinus. Auctor est Valerius, nec dissentit adeò Iustinus, etiam ossa patris, aureæ urnę inclusa, in Epirum ei reportanda tradita fuisse.

NEREIS, collocatur à patre Geloni, HIERONIS Syracusani filia. Pausanias, Liuius, Iustinus.

OLYMPIAS, nupsit incesto connubio ALEXANDRO. II. fratri.

fratri. Quo mortuo, primùm pro filio deinde pro PYRRHO nepote regnũ administrat: reprimit Ætolos per DEMETRIVM generum: PYRRHVM iam regem salutatum concubina spoliat, & ab Ambraciis cęsum gemit. Nec multò post ipsa etiam animi uicta doloribus, & senecta inualida, uitam claudit. Athenæus, Iustinus.

Nascuntur ALEXANDRO. II. ex Olympiade liberi PTOLEMÆVS & PHTHIA.

PTOLEMÆVS, orbatur patre puer, & regni studiorumq́ gubernatricem matrem accipit. Ab ea iam puber regnare permissus, in Ætolos proficiscitur: cumq́ uirtute & genere digna ab ipsa facinora expectarentur, infirmitate in itinere decedit. Pausanias, Iustinus.

PHTHIA, traditur à matre in matrimonium DEMETRIO. II. regi Macedoniæ, ut nempe contra Ætolos auxilium, quod misericordia non poterat, iure cognationis obtineret. Iustinus.

Reliquit PTOLEMÆVS filium PYRRHVM. III.

PYRRHVS. III. uixit & ipse sub auiæ tutela: Qua per hoc tempus benignissima usus, in regno ob concubinam TIGRIDEM alieniorem experitur, eamq́ scelere illius necatam luget acerbè, uindicare non sustinet. Interficitur fraude ab Ambraciis, & cremati ossa absque sepulturæ honore per agros dispersa proiiciũtur. Pausanias, Polyænus, Athenæus, Iustinus. Meminit Ouid. in Ibin:

Nec tua quàm Pyrrhi felicius ossa quiescant,
Sparsa per Ambracias quæ iacuere uias.

Coniugium PYRRHI. III. in scripta auctorum non peruenit, & de pellicis Tigridis fortuna iam explicauimus. Nominatur tamen filia eius DEIDAMIA.

DEIDAMIA, uindicat bello patris cædem, & regni successionẽ hęreditatis nomine ambit. Ea ex re à popularibus, qui muliebre dedignati imperiũ, ad libertatẽ aspirarẽt, in odio habita, fraude circumuenitur, & in regiis stipatoribus Nestor quidam in cædem eius subornatur. Qui cum eam tùm reueritus tum miseratus, re infecta discessisset, ipsa ut periculum declinaret, in templum Dianæ confugit. Ibi iterum à Milone quodam, qui matre Philotera cæsa, eius parricidii adhuc reus esset, inuadi iussa, in aræ complexu perimitur, & gens PYRRHIDARVM à stirpe excinditur. Polyænus, Iustinus. Variat aliquantum Pausanias in Messeniacis. Ouid. in Ibin. de ea sic canit:

Natáq; ut Aeacidæ iaculis moriaris adactis,
Non licet hoc Cereri dissimulare sacrum.

Cæterum cædem eius iniustam uindicatam ita accepimus, ut percussor Milo in furorem uersus, nunc ferro nunc saxo, in summa dentibus laceratis uisceribus, duodecimo die pòst interierit: Epirotæ uerò & sterilitatem & famem passi, atq; intestina discordia uexati, ad postremum bellis externis propemodum consumpti sint.

FAMILIÆ

REGVM ATHENI-ENSIVM, QVÆ ORIGINE, NOMINI-BVS, IMPERII DIGNITATE DISTINCTAE, RE-GNARVNT ANNOS DCCC. LXXIV. GRAECAE HI-

ſtoriæ, quæ ſecundùm ſcripturam ſacram ueteris fundamentum eſt, atq; caput, partes præcipuas illuſtrantes.

CLARISSIMO IVRECONSVLTO, VIRO SAPIENTIA, DOCTRINAE ERVDITIONE, DIGNITATE ET VIRTVTE AMPLISS. D. GEORGIO CRACOVIO, ILLVSTRISS. Electoris Saxoniæ &c. Consiliario, Patrono suo obseruando.

REINERVS REINECCIVS STEINHEMIVS.

S. D.

CONstat de affirmatione sapientum, nullam ad prudentiam ciuilem comparandam, expeditiorem uiam esse, quàm diuersorum imperiorum ac rerumpub. nosse exempla, instituta, mores. Etenim cernere obseruatione experientiæ, est, plus hæc ferè quàm uirtutũ præceptiones, nisi exempla accedant, fructus nullius cognoscas. Sanè & ab hoc principio tot summorum uirorum extitere ad diuersas gentes per summa itidem pericula susceptæ peregrinationes, neq; alius historiarum ducendus finis. Vtræq; enim in eo consistunt, ut uita laudabiliter informetur: neque rarò accidit, ut cum uoluptate in historias incumbat, qui præcepta fastidiat: id quod cùm non ignoraret uir sapientissimus Demetrius Phalereus, regem PTOLEMÆVM crebrò de regno scriptos libros legere iussit, propterea quòd petere inde posset, quæ amici monere interdum subterfugerent.

Excelluit autem inter Græci nominis proditas literis respub. Attica è regno in nouam formulam istam mutata. Nam ipsius ciuitatis repetendo primordia, etiam quadam superbæ nobilitatis prædicatione αὐτόχθονες uideri Athenienses uoluere, eoq; nomine cum Græcis cæteris contentiones acerrimas susceperunt. Etsi quid ea de re credi conueniat, suo loco limatiùs à nobis enodabitur. Primùm autem in regno fama uirtutum insignium floruerunt, CRANAVS κτίστης, ERECHTHEVS, ÆGEVS, THESEVS, MELANTHVS, CODRVS. Hos in repub. exceperunt SOLON, CLISTHENES, MILTIADES, THEMISTOCLES, THRASY

BVLVS, TIMOTHEVS, CHABRIAS, IPHICRATES, PHOCION, & ducum Atticorũ ultimus, LEOSTHENES. Nam hoc uocari nomine rectè poteſt, propterea quòd deinceps rei bellicæ gloriam reſpub. amiſerit. Dei cuius nobiliſsimi & celeberrimi regni interitu cum alibi multa & uaria monumenta extent, quæ harum gentium memorabiles res geſtas & politiam ſeu Rempublicam multis ſeculis antè celebrarunt, haud operæ precium eſſe duximus peculiare opus de his hoc in loco inſtituere: tamen ne quid omitteretur quod ad nobiliſſ. Atticorum regnum illuſtrandum ceu καθ' ὅλον complendum faceret: hanc appendicem de Atticæ gente & nomine: De Atticorum potẽtia, origine, imperijs, familijs regijs, earumque propagatione, interitu & cõſuetudinibus adijcere placuit. Duces etiam Atticorum ſubiecimus, è quibus Leoſthenes ultimus fuit, non quod opera & induſtria illorum Reſpublica creuerit, ſed quod per eos uarijs modis afflicta ſit, & potẽtiá ferè omni exuta, uix tandem libertatem retinuerit. Hiſq́ paucis expoſitis, noſtrum propoſitum dirigemus ad expoliendum Atticorum regnum, quod onus ſolum hoc in loco ſuſcepimus, in hoc deſudare, deq́ illa monumenta reliqua nocturna uerſare manu uerſare diurna ſecundũ poẽtam, nobis propoſuimus. Quantũ enim hîc dubiæ perplexitatis, quantũ ſalebrarum occurrit: è quibus eluctari tum attentionis, tum prudentiæ etiam alicuius fuerit. Atque erit hac parte fortaſſe, quod noſtro ſtudio debeatur. Certè recta quaſi uia & absque ambagibus accederetur, contendimus ſeduló, monſtrata familiarum ſimul diſtinctione ſimul propagatione. Et quia narrationum pars præcipua fabularum inuolucris ſeu obtecta eſt, nos hæc ita diſſecuimus, ut ſuus ueritati nitor redierit. Qua ipſa in re quantum nobis laboris atque moleſtiarum deuorandum fuerit, alij iudicent, malo. Equidem nequaquam cum ijs facio, qui quæ fabulis quaſi ueſtiuntur, itidem fabulas ducunt. Et quid ea re ſpectatum fuerit, ab alijs expoſitum luculentius, hîc ut repetatur, opus non eſt.


Addidi autem huic commentationi noſtræ, quam appendicis noſtræ alterius partem alteram eſſe uolui, nominis tui patrocinium, uir ampliſs. Patrone Obſeruande, quòd cum illuſtri iuris cognitione & hiſtoriarum, & antiquitatis ſtudium eximium coniunxeris. Cùm nimirum Cato, ut ueteres locuti ſunt, iudicio perſpexiſſes, quàm inter ſe ambo coniurent amicè, ut mutuæ operæ ueluti ſubſidium præbeant. Neq́ non per iucundum eſſe poteſt, imperiorum eorum, quorum leges pertractantur, etiam ideam aliquam in hiſtorijs intueri, tum à quibus illæ legesq́ ipſæ conditæ ſunt, noſſe uitam, res geſtas,

gestas,fortunam, mores. Accedebat huc alterum,quòd Attica histo-ria nulli rectiùs competebat, quàm in quo Atticæ, hoc est, elegantis doctrinæ & eloquentiæ præstantiam miraremur, de qua utraq; cùm testis Germania esse posſit, neq; celata ea ſint ab exterorum prædica-tione & fama,à me attingi potius quàm exponi commemorando con ueniebat.Proinde obſeruantiæ hanc ſignificationem noſtram admit-tas benignè,me uoluntate,qua cœpiſti,tueri ornareq; pergas,oro. O-mninò quòd ſecundum reipub. laudatiſsimam nauatam operam & literarum ſtudia literatique debeant meritis tuis plurimum eſt. Hanc in me quoque & ſtudiorum hoc genus conferre benignitatis propen ſionem dignabere. Sanè tractationem huius tam utilem quàm neceſ-ſariam eſſe, atque in neglectione eius, fructus hiſtoriarum raros exi-ſtere,tam obſcurum tibi non eſt,quàm experientia apertum omnibus fit.Neq; tantum egomet beneficium obliterari in animo noſtro obli-uione patiar,ſed potius de me ornato lætere indies ue-hementius,ut debeo,faxo.Bene Vale.

Lipſiæ IV. Cal. Maij.

CIↃ. IↃ. LXXIII.

NVMMVS SOLONIS





DE ATTICAE NOMINIBVS ET GENTIBVS, QVÆQVE IN HIS ATHENIENSES CONDIDERINT: DE EIVS ATHENARVMQVE IMPERIIS, FAMILIIS REGIIS, ET quæ harum propagatio, quis interitus.

Collegit Strabo lib. 9. diuersa & regionis & urbis Atticæ nomina: quæ prætereunda mihi duxi, cùm quidem & ipse recitet tantùm, non autem recipiat uel approbet. Conueniunt tamen in hisce quatuor plurimi: OGYGIA, ACTE, IONIA, &, quod posteriora tempora retinuere, ATTICA. Primum, Ogygia, Stephanus à rege fabuloso Ogyge deriuauit. Ego magis notionem Aegyptiam probârim. Etenim inter Aegypti cognomenta Ogygia memoratur, & colonos Atticam habuisse Aegyptios, constat. ACTEN uel Actæam alij ab Actæo alij ab Actæone nominant: sicuti item ATTICAM ab Atthide, Cranai F. Sed rectiùs Strabo Græcum ἀκτὴν hoc est, littus astruit, indeq; nomine modicè uariato Atticam nuncupatam censet. Quia, inquit, maxima illius pars ad mare est extensa. Tametsi repugnantem me habituri non sunt, si quibus ab urbe Athenis deducta deriuatio placuerit. Vsitatum enim Græcis est, ut à metropolibus nomina regionibus ponant, neq; adeò in Germania nostra, eadem de re ignota exempla similia. Ac sanè tam uicina Atticæ ab ἀθηνῶν notio, quàm Argolicæ ab Argo. IONIA gentis originem exprimit. Et pertinet huc, quæ de Thesei statua, Atticæ à Peloponneso discriminandæ, limitatrea, inscripta auctorum peruenere. Nam quà

BB 4 Solem

Solem orientem ſpectaret, hac ſententia rex ille inſcriptionem addidit: Hæc non ſunt Peloponneſus, uerùm Ionia: qua occidentem, alteram huiuſmodi: Sunt Peloponneſus iſta, non Ionia. Adijcit his Strabo, Atticos principiò Ionas nominatos: eſtque inde, quod idem auctor Atticam dialectum ab Ionica non diſcernit. Quanquam & ſtatua illa, & Atticæ limites Dorienſium bello, quod contra CODRVM geſtum fuit, ſublata fuere, ipſa etiam Megarica à Dorienſibus occupata.

Conſediſſe in Attica gentes accepimus: PELASGOS, IONAS, PHOENICES, ÆGYPTIOS, PHRYGAS. Ex his Pelaſgos alibi propaginem DODANIMI fecimus, ac repeti inde itidem ueram nominis notionem uolumus. Nam quòd Græci ab auctoribus Athenienſibus id eis in his ipſis ſedibus primùm acceſsiſſe opinantur, ut fictitium reijcimus: nec audiendus Herodotus, qui linguam Athenienſium ab eis mutatam aſſeuerat. Cùm Pauſanias ſcripſerit, hac Athenienſes cum Argiuis antè Heraclidarum reditum eadem uſos. Eiecti autem denique Pelaſgi ab Athenienſibus, Lemnum occupârunt. IONES ſunt à conditore Iauan, filio Iaphet, omnium Græci nominis antiquiſsimi. Reliquæ enim Græcæ gentes à filijs eius cùm propagatæ tum deriuatæ fuere, idque ea appellationum permutatione, ut ab ELIZA communiter ἕλληνες ſe nuncupârint: cum literæ ſacræ nomen Iauanim retineant, PHOENICES tantùm Gephyræos Herodotus accipit: Quorum proſapia creditur eſſe à SIDONE, filio Chanaan, ÆGYPTIORVM ab Mizraimo, filio Cham, origo indubitata eſt: & qui ad id nomen in Atticis peculiariter referendi, pòſt declarabimus. PHRYGAS colligimus augurando ex loco Atticæ Phrygiæ, quem Thucydidis nominat hiſtoria. Et ſpectat huc, quod ſcripſit Strabo, Thraces initiò Atticam tenuiſſe. Sunt enim Thracum gens PHRYGES, à conditore Thyra, filiò Iaphet. Atque de Atticæ Thracibus intelligere malim, quæ de raptu Orithyiæ, Pandionis affinitate & bellis cum Erechtheo huiusque poſteris literis prodita ſunt. Nam Thucydides & Pauſanias diſcrepantes, Phocidis colonos fecere. Ita quod conciliare ita licet, ut hanc quoque eis paruiſſe prouinciam exiſtimemus: ſiquidem & Bœotiam ab eis poſſeſſam, è Strabone conſtat.

Condidere autem in gentibus hiſce ATHENIENSES, Soli Iones & Aegyptij: De illis magno conſenſu auctores conueniunt: hi à ſolo Diodoro, ſed è rationibus euidentiſsimis, memorantur. Etſi Herodotus Ionum eos planè horruiſſe nomen aſſerit, fortè à gentis caſibus aduerſis, & dominatus Perſarum ſeruitute. Inde enim deſpicatiores à cæteris Græcis habitos, dubium nullum eſt. Acceſsit huc &, fa-

ſtus

ftus is error, quod Ionas potius haberi colonos suos uoluere. Nam in hanc sententiam ista de re Strabo explicat: ex Attica primum Ionas in Peloponnesum migrasse, & pulsos inde ab Achæis, Atticam repetisse, tandemq́ ceu postliminio reduces cum Codri filijs in Asiam concessisse. Cæteroquin ad originem Ionicam refero, quod Athenienses se αὐτόχθονας, hoc est, aborigines, seu ipsa terra editos, prædicabant. Qua quidem arrogantia cùm alij Attici scriptores tùm Plato etiam inflatus, reliquis Græcis in Menexeno & Pelopes & Cadmos & Ægyptios & Danaos exprobrare audet. Cùm è diuerso Antisthenes Philosophus ita in id luserit, ut nihilo Athenienses bruchis & cochleis meliores diceret. Reuera autem uetustas tantùm, & sedium occupatarum possessio continuata, ea fuit indicata gloriæ prædicatione, quam uetustatem inter Græcos primam Ionibus deberi, suprà ostendimus. Ægyptiæ traditæ à Diodoro prosapiæ etiam Eusebius & Suidas de Cecrope assentiuntur: quorum ille inter cognomenti διφυὸς causas, linguæ duplicis cognitionem affert. Et Plato, sui quasi oblitus ita suffragatur, ut Saitas, Atheniensium se cognatos gloriatos, dicat. Addo his, quod tradidit Pausanias, templi Heliopolitani parietes, ingentium simulacrorum sculpturas habuisse, quæ Hetruscis & antiquis Græciæ operibus persimiles essent: Græcos nimirum Athenienses intelligens: cùm de Hetruscis constet, à conditoribus Lydis propagatos. Neque obscurum Strabonis testimonium, qui nomen Cecrops externum facit, & sacra ac religionis ritus, traditos ab rege illo, ait. Nam antea Græcis utraque ignota fuisse, Eusebius auctor est. Sanè neque nominis ἄθηνα, quo Minerua uertit, commodum Græca lingua etymum ullum admittit. Cuius cùm Græci autorem Cecropem asserant, ego utrumque potius nomen Ægyptium crediderim, ut ἄθηνα sit ab Adonai, Cecrops à Cherubim. Illa una est è ueri Dei appellationibus, retenta post sola à Iudæis: Vnde est quod septuaginta interpretes eandem uocem κύριος reddidere, D. Martinus L. Græcæ translationis uestigia secutus, Germanico Herr. Altera religionem regis denotat: Sunt enim Cherubim Ebræis imagines alatæ. Vt opinari libeat, quod sicuti bestias Ægyptij alias coluerunt, ita fortè Cecrops è patria religione ista Draconis & noctuæ cultum retinuerit, & in Atticam propagârit, tum adeò nomen id inde inuenerit: quemadmodum inter Imperatores Romanos HELIOGABALVS à deastro suo ὁμωνύμῳ se nominauit. Etenimuero etsi causas & occasionem tam uesanæ gentis Ægyptiæ superstitionis monstrare tum difficile tum fortè superuacaneum fuerit, tamen haud improbârim de Dracone coniecturam, conseruatam eo prin-

cipio

cipio memoriam lapsus primorum parentum. Adami & Euæ. Etenim ad eundem planè modum, & serpens æneus, quem Moses sanandis in deserto serpentum morsibus erexerat, postmodo idolatriæ in Iudæorum gente causam præbuit. Neq; à uero alienum est, turpissimum Osiridis & Priapi cultum à Chami facinore, & Nohæ patris genitalibus irrisis, extitisse, & ideò extitisse, quòd nulla non progenitorum facta diuina haberentur. Hoc enim maximè exemplo Ethnicorum idola, creuisse, historiæ euidenter docent. Pertinetq; huc ueterum Caianorum furor, qui de fictitio proditoris Iudæ Euangelio gloriati fuêre. Quod si cui etiam nomen Adonai in Patrum schola singulariter de Filio Dei ὁμοουσίῳ usurpatum, eaq; doctrina amissa, cùm nomen mansisset, noua maligni spiritus fraude tantum sapientiam Dei ἀνυποστατικὴν, intellectum illo, coniectare libuerit, ut inde tandem figmentum de Minerua conflatum sit, non repugno. Certè quod huic assuitur, genitam à Iouis cerebro, ab humana natura desumtam similitudinem refert. Credit enim Ecclesia, patris cogitatione Filium dei genitum: atque hominis cogitationes officinam cerebrum habere, è Physicorum doctrina notum est. Et potuit huic Noctuæ accommodari natura, sicuti alites aliæ dijs alijs consecratæ fuêre. Quippe à qua persuasione, tota adeo auguriorum doctrina dependerit. Cùm eadem superstitio etiam in Christiani nominis gentibus ita inualuerit, ut instituto tam impio quam ridiculo, Franci sub CONRADI II. imperio Palæstinam petituri, anserem in exercitu habuisse dicantur, quem spiritum S. nominârint. Tametsi Noctuæ cultum ita exagitauit DEMOSTHENES exul, ut quasi cum Minerua ex postulando ei obiecerit, cur tribus pessimis monstris delectaretur, Noctua, Dracone, & populo. Porrò autem urbis Athenarum conditor CECROPS creditur. Cuius à Minerua (hæc enim in Græca lingua Ἀθήνα est) deductæ denominationis causam μυθολογικὴν retulit ex Varrone Augustinus libro decimo, de ciuitate Dei capite nono. Quanquam ego ad posterioris ætatis instituta, & literarum studia, accommodata illa reor, de quibus utrisque ueterum elogia præclarissima è suis repeti auctoribus satius fuerit. Neque obscura sunt, cùm uetera alia de Carthagine, Samaria & tum in gentibus nostris de diuorum nominibus exempla similia. Estq; ue cum primis uerisimile, ceu asylum quoddam urbem hanc suis Cecropem esse uoluisse ideoque religionis opinione munire studuisse. Nam quod scripsit Iustinus AMPHICTYONEM regem primùm Mineruæ eam sacrasse, & nomen ipsi posuisse, habere locum non debet. Id constat, fortunam Athenarum, ut cæterarum urbium plurimarum, initiò humiliorem fuisse: & primus omnium THESEVS è tetrapolium

 geminarum

geminarum numero exemta, metropolin fecit. Ita enim Atticæ urbis nobiliores distinctas à Cecrope, aiunt: cùm reliquæ quatuor epastriarum nomine uenirent.

Regnum Atticæ rectè cum Pausania in ACTÆO, indigena ex Ionibus, ordiri possumus. Cuius successores CECROPEM, CRANAVM, AMPHICTYONEM distinctæ tres edidere familiæ. Harum primum Cecropis, pro sapia Aegyptiam extitisse, supra ostendimus. Reliquarum duarum originem indigenam crediderim: cùm fortè externum dominatum è ueteribus colonis proceres dedignarentur. Qui indè in factiones distracti, regnum nulli usque ad ERICHTHONIVM diuturnum esse permisêre. Is enim uerè Attico, & quod ueteres dixere, cato præditus ingenio, ijs hoc munijt præsidijs, ut facilè posteritas conseruârit. Attamen & de Cecropis, Cranai, Amphictyonis inserere progenie uisum fuit, quæ auctores de ea prodidissent. Ac transfero ad hos singulariter CECROPIDARVM nomen, quod Seruius de Cecropis successoribus omnibus usurpauit. Siquidem affinitate, solo excepto Cranao, posteritatem eius attigerunt, & ipse adeo Erichthonius haud alienus à Cecropis sanguine fuisse uidetur. Nam isthuc pertinet fortè figmentum de asseruato ipso à Cecropis filiabus, pertinet idem Isocratis narratio, de regno à Cecrope ei tradito. Nec repugnarim, si qui Pandroso editum uoluerit: quippe quæ custodiendum infantem accepisse prima fingatur. Cum hoc fortè significatum sit, clanculum Erichthonium educatum: & credibile est, regij istius generis sublatum fiducia, in Amphictyonem conspirasse. Illustratur autem Erichthonij familiæ propago præcipuè à Pausania & Apollodoro. Nam Iustinus ut de ipso rege primò ACTÆO nihil habet, ita etiam Erichthonium & Pandionem præterit. Atque quæ aliâs, ea hîc etiam cognoscere in Hygino menda licet. Nec minus de Erechtei & Thesei successoribus Iustinus impegit: Nisi fortè id ita excusandum quis putârit, hoc autorem illum studuisse, ut tantum illustriores daret. Cæterùm retinent de hac autores communius ERECHTHIDARVM nomen ab Erechtheo Erechthonij nepote. Nam qui his adduntur METIONIDÆ, PALANTIDÆ, THESIDÆ, cui surculi quidam feliciter germinantis stirpis ducendi sunt. Neque in propagatione huius perplexitatis quid obscurioris occurrit, & suo loco enodabitur, quid de Orithyia & Erechthei filiabus admitti posit. Atq; de Metionidis & PANDIONE II. ita conciliari Eusebius & Apollodorus posse uidentur, ut huius etiam exulis cõtinuatos imperij annos, illorũ uerò ob tyrannidem omissos, statuamus, & Aegei regnum itidem mox ab obitu patris ordiamur. Enimuerò de Pandionis exilio Suidas nihil

habet,

habet, & regni urbes ab ipso diuisas filijs censet. Id quod relinquo in medio: etsi quod narrat Apollodorus, filios Pandioni primum in exilio, genitos, repudiamus. Nec minus crasse alio loco à Suida erratum est, ubi ORESTEM Athenis Pandione regnãte uenisse, ait. Quod cum uel temporum consideratio falsum esse conuincat, nos etiam ab eo discedimus. Interea tamen alijs, & præcipuè ex intestinis discordijs, familiam casibus afflictam legimus. Primum enim contra PANDIONEM. II. regnum affectârunt, hocque expulso occupârunt, METIONIDÆ. Ab his cùm feliciter recuperasset ÆGEVS, propter orbitatem creditam æmulos PALLANTIDAS accipit. Et quanquam succesit ei THESEVS F. conseruare tamen dignitatem illã incolumem haud potuit, eoq; adhuc superstite Rex MNESTHEVS salutatur. In hunc iterum conspirant Thesei Filij: qui ut à dominatu recuperato meritò felices prædicantur, ita ab aduersitate ea notantur, quòd familiæ in eis propagatio defecit. Etsi nos filium Demophoontis facimus OXYNTHEM. Nam Pausanias meminit, ad quartum usq; posteritatis gradum, regnum in familia permansisse: cùm quidem Amphidanti fratrem Thymætem fuisse, ex Athenæo certum sit, huncq; Oxynthæ filium nominet Pausanias. Thymœtes autem parricidio regno potitus, ac deinde ob ignauiam eo deturbatus, etiam stirpem interitu suo finit.

Imperat ergo post Erechthidas altera & noua NELIDARVM, seu ex NELIDIS CODRIDARVM & MEDONTIDARVM familia. Nam & his nominibus celebratur, & celebratur rectius, quod Medontidæ soli in magistratu mãserint. Originem huius ex Achæis externam reperimus. Neq; enim audiendus Zetzes, qui Codrum ab Erichthonio propagat, & Thymetis filium fecit. Ac quomodo conditor MELANTHVS, qui exul Athenas peruenisset, ad id ascenderit dignitatis fastigium, suo loco declarabimus. Conseruârunt, autem regium inde nomen soli MELANTHVS conditor & CODRVS F. Hic enim cum pro patria uictima occubuisset, Athenienses in eius pietatis memoriam neminem deinde apud se regnare pasi sunt, ut est apud Iustinum. Etsi quod hic adijcit, reipub. tum administrationem annuis magistratibus commissam, id meritò improbatur. Verius enim Pausanias scripsit, Codri posteros tantum in ordinem redactos, seu ut loquitur Velleius, ἀρχόντων, hoc est, principum, ut Eusebij interpres Hieronymus reddidit, potestate imperare primum ita iussos, ut morte imperium finiretur, deinde uerò ultrà annos decem magistratum continuare uetitos. Prima sanctio in MEDONTE, altera in CHAROPE cœpit. Nec multum sanè ab hoc tempore in repub. MEDONTIDÆ potuere: unde ipsi etiam obscurio

res

res facti sunt. Nam propago eorum continua ignoratur & principatus successionem solus annotatam habet Eusebius. Tamen nobis coniecturam de ea sequi liberet, ut inde à Medonte usque ad ALCMÆONEM Æschyli F. semper parentum imperium excepisse filios credamus. Certè de Æschylo disertè id contestatur Eusebius: Sed Alcmæonis successores fratres duos, Charopem & Æsimedem, facit Pausanias. Post hos in Æsimædis F. Clidico consuetudo ista renouata durauit usq; ad ERICEM postremum. Omninò enim Velleio & Eusebio suffragamur, à quibus dissentiens Suidas, Medontidarũ hunc principatum in HIPPOMANE finit. Erice autem magistratu illo abdicato, respub. Athenis, & annui magistratus instituti sunt, & familia ipsa priuata esse cœpit. E' qua mox diuersæ quasi pullularunt propagines. Ex Codridis enim prædicârunt sese SOLON & PLATO. Ac legimus in Pisistrati ad Solonem epistola apud Laërtium, hunc ob maiores suos, quos Herodotus communiore nomine Nelidas uocauit, ad Tyrannidem aspirasse. Pertinent etiam huc ALCMEONIDÆ, quibus à conditore Alcmæone rege id nomen mansit. Quocirca & has familias quasi per appendicem subijcimus, accommodato noua & peculiari usurpatione familiæ Solonis & Platonnis CODRIARVM nomine. Quandoquidem stirpes cæteræ alijs item & peculiaribus referuntur nominibus. Desideratur autem series deriuationis in omnibus. Et Codridarum hęc prosapia omninò obscurior cognoscitur, Solone & Platone solis celebritatis inde aliquid adeptis. Neq; à quibus conditionibus descenderunt PISISTRATIDÆ auctorum monumentis prodiũ est. Nam quod Pisistratus in epistola ad Solonem πρόγονον suum Cecropem facit, id σφάλμα esse auctoris, temporis iniuria deprauati, abundè satis ea, quæ de Codro subijciuntur, arguunt. Vt ex hoc ipso loco magis isthuc inclinatione propendeam, & Pisistratidas ad Codridas uel Medõtidas pertinere. Id enim inde uerisimilius fit, quòd inter finẽ imperij Medõtidarum & tyrannidem Pisistrati, haud ita longum interuallũ intercesserit: & ueteres familiæ clientes, imperij eam dignitate florere, quã priuatam esse mallent. Herodotus quidem addidit, Hippocratẽ, Pisistrati pátrem, repetita memoria Pisistrati, filij Nestoris, nomen inde filio posuisse. Cęterum inclaruêre familiæ istę penè eodẽ tempore omnes: sed studijs & artibus diuersis. Nam PISISTRATIDÆ, ut diximus, tyrannidem asseruêre Huius odio cessit repub. SOLON, cessere item ALCMÆONIDÆ, & illo è uita sublato, hi haud antè quieuere, quàm se patriamq; restituissent in integrum. Ac defecere ex hac re primum PISISTRATIDÆ: quibus magistratuũ patriorum dignitate quasi surrogati ALCMEONIDÆ, obscurantur,

Cc ab afflo-

ab afflorescente Codridarum domo. E qua Plato studijs doctrinarum nominis famam illustrem consecutus, posteritatis degenerantis infelicitate rursus eam ueluti clausit. Nam deinde è Nelidarum statu nulli memorantur, cum inter fortunam uariam multis se seculorũ ætatibus cum indignitate conseruassent.

FAMILIAE REGVM
ATHENIENSIVM.

I.
CECROPIDÆ.

ACTÆVS, I. traditur primus Atticæ imperasse. Quod si recipimus, à terræ subiectæ situ mutatum nominis id apparet. Est enim ἀκταῖος litoralis: & Atticam maritimam esse cõstat. Meminit Clemens libro 1. Stromat.

AGRAVLOS, nupsit CECROPI, & dotis nomine regnũ ad hunc paternum attulit. Pausan. Apollod.

¶II. CECROPS, gente Ægyptius, migrat cum colonis in Atticam: ACTÆI regis affinitatem & regni successionẽ uirtute promeretur: monstrat oliuæ usum: condit arcem & urbem Athenas, illa de se, his à Minerua denominatis: diuidit ciuitates subditas in τετραπόλεις duas & ἐπακρίας: appellat Iouem: Palladi simulacrum erigit: aram statuit: uictimas immolat. Strabo, Pausanias, Athenæus, Clemens, Eusebius, Apollodorus, Zetzes, Nominantur anni regni eius 50. & inchoat idem regnum Funccij chronologia ab anno orbis conditi 2409. Tulit cognomentum διφυής, non quod humano & serpentino fuerit corpore præditus, aut superne uir, inferne mulier extiterit, ut fabulantur Græci, sed uel ob magnitudinem corporis, uel quod legem tulit, ut fœmellæ uirgines adhuc uni marito nuberẽt, easq; Nymphas appellauit. „ Quia, inquit Suidas, ante illum eius loci homines „ more pecudum coibant. Nullius enim ulla erat uxor, sed pro scorto „ cuiuis copiam sui faciebat. Nemo item sciebat, cuiusnam esset filius „ aut filia editus infans. Matris erat id dicere, quæ partum suum dabat, „ cui uolebat. Hoc instituit Cecrops, ut ex Ægypto oriundus, legum

Vulcani

Vulcani illius loci non ignarus. Dicebat autem Atticam ob illius petulantiæ consuetudinem undis fuisse obrutam. Ac ab eo tempore terræ Græcorum incolæ modesti fuerunt. Et iterum : Dicebatur autem διφυὴς, quòd ex Ægypto profectus regnum tenuisset. Hactenus Suidas. Sequuntur tamen Eusebius & Iustinus adhuc quartam aliam de cognomento isto opinionem, nempe inditum hoc regi illi quod linguæ duplicis, Græcæ & Ægyptiæ noticiam habuisset. Cùm Eustathius sententia Suidæ contraria de eadẽ re sic explicet: τὸν μὲν τοι, inquit, κεκροπα φᾶσιν εἰ μῦθοι τοὐναντίον ἀπὸ ὄφιως εἰς ἄνθρωπον ἐλθεῖν, ἐπειδὴ ἐκεῖνος ἐλθὼν εἰς ἑλλάδα, καὶ τὸν βάρβαρον αἰγυπτιασμὸν ἀφεὶς χρυσοῖς ἀντηλλάξατο τρόποις πολιτικοῖς. Et conueniũ cum hisce quæ habet Plutarchus de sera numinis uindicta. Idẽ Eusebius MOSIS σύγχρονον fecit, ut Pausan. LYCAONIS Arcadis, & numerat ab eo usque ad bellum Troianum annos 375. Alibi etiam in arce conditum fuisse ait. Incidit in ætatẽ eius diluuium Deucalionis, ut scripsit Augustinus libro decimooctauo de ciuitate Dei, capite decimo, qui addit anno regni eius ultimo MOSEN ex Aegypto Israëlitas mirifico illo maris rubri transitu eduxisse : ut Vulcani à Suida nominatæ leges IOSEPHI Patriarchę accipiendæ uideantur. Is enim optimè de Ægypto meritus, etiam rempub. præclarè constituit.

CONIVGIVM CECROPI sobole infelicius cõtigit, ipsa etiam Status masculi stirpe in eo extincta : σῖνλοι γὰρ οἶκον εἰσὶ ἄρσενες, secũdum Euripidem. Procreatos autem ei ex AGRAVLO liberos accepimus Erysichthonem, Hersen, Agraulon, & Pandroson.

ERISICHTHON, condidit templum Delium, & à patre successor regno destinatus, ante hunc è uita excedit. Pausanias, Eusebius, Apollodorus.

HERSE patitur stuprum, ut est in fabulis, à Mercurio, hoc est, homine mercaturæ negotiationibus addicto: è quo stupro nascitur.

CEPHALVS, fingitur raptus ab Aurora: Quod refero ad Orientales hominis peregrinationes : cùm ad has fortè auitæ originis memoria eum excitasset. Progenies ei attribuitur ab Apollodoro.

TITHONVS, acquisiuit id fortè nomen à militaribus studijs. Alludit enim ad Titanas, quos Titanas in Assyrijs militarem floruisse ordinem, alibi ostendimus.

PHAETON.

ASTYNOVS.

SANDOCVS — THANACE.

METHARME — CINYRAS, deduxit coloniam in Cyprum, condidit Paphũ, & Cinyridarum ibi familiã propagauit. Apollod.

OXYPORVS. ADONIS. ORSEDICE. LAOGERE. BRÆSIA.

AGRAVLOS, memoratur itidem in fabulis stuprata à Marte, quo fortè hominem militarem uetustas indicare uoluit: editurq; ea Alcippe. Ab obitu hic ei crudelis habitus honor est, ut homo in sacrificio ipsius cæderet. Pausanias, Eusebius, Apollodorus, Suidas. Stephanus tribum Athenienfem ab ea Argaulen cognominat.

ALCIPPE, patitur uim ab Halirothoo, Neptuni F. hoc est, rei nauticæ dedito homine: & pater eius, quem Martem finxit antiquitas, huius iniuriæ uindex, in Areopago, quem iudicij locum itidẽ inde retinuisse denominationẽ uolũt, (est enim ἄρης Græcis Mars: fuitq; ex Areopagitis hisce Dionysius, qui prædicatione Pauli Apostoli Ecclesiæ doctrinam amplexus est.) cædis perpetratæ absoluitur. Pausanias, Stephanus.

PANDROSOS, memoratur ab Antigono, Apollodoro, Ouidio, è quibus tum ipsius tum sororum qui uolet fabulas repetat.

¶ II. CRANAVS, claruit potentia & opibus inter Atheniẽses ciues sub Cecropis regno. Ideò successor ei datus, regnat annis 10. Cumq; dignitatẽ eam perpetuò trãquillam possedisset, lacessitur denique Amphictyonis generi armis, & uiribus impar, ad Lamprenses confugit, ibiq; defunctus exul, tumulo honorifico condit̃. Pausanias, Apollodorus, Suidas, Iustinus, Augustinus, Zetzes.

FVIT

FVIT cum CRANAO connupta Pedias Laconica: quę edidit filias Cranaen, Cranęchmem & ATTHIDEM.

CRANAE, & Cranechme commemorantur ab Apollodoro libro tertio. Scribit Pausanias, Cranai successorem Amphictyonem filiam eius uxorem duxisse. Hæc fortè rectè Cranaë creditur.

ATTHIS, moritur uirgo, & ut est in fabulis Pausaniæ, Apollodori, Eustathij, pater Cranaus Atticam ab ea cognominat.

¶III. AMPHICTYON, ponitur regio Cranai filię connubio. Quo inflatus arridentis fortunæ successu, contra socerum per seditionem arma capit, & regnū expulsione eius tenet annos 12. Patitur autem denique talionem ab ERICHTHONIO, qui cum optimatibus clam in eum conspirasset. Pausanias, Apollodorus, Zetzes. Ab Eusebio rex hic omittitur: ut regni eius anni Erichthonio accensendi uideantur. Iustinus Amphitryonem nominat, & ad tempora eius refert diluuium Deucalionis. Idem Orosius habet libro primo, capite nono. Sed nos Augustinum sequimur, qui antiquius fecit. Meminit ex Philochoro Athenæus, & primum omnium miscuisse uinum, ait. A Plinio inuentor interpretationis, ostentorum, & somniorum astruitur libro septimo, capite 57.

CONIVGEM AMPHICTIONIS è Pausania facio CRANAEN, Cranai filiam: qua nascuntur Itonus & filia ἀνώνυμος.

ITONVS, posuit nomē Itoni, urbi Thessaliæ. Scholiastes Apollonij, pag. 133.

BOEOTVS, editus matre Melanippe, consedit in Bœotia, & gentem illam, iuxta Græcorum fabulas de nomine suo nuncupat.

Filia ἀνώνυμος è Rharo quodam & Neptuno, ut retulit è Chœrili poëtæ fabulis Pausanias, filios enixa est TRIPTOLEMVM & CERCYONA.

TRIPTOLEMVS, traditur Græcorum fabulis, frugum cultum & sationem reperisse, in eiusq; muneris honorem noctes initiorum sacratas fuisse. Vide Iustinum libro secundo. Habet fabulam eius Pausanias in Atticis, Hyginus fabula 147. & 277. Ouid. libro quinto Metamorph. Seruius in libro primo Aeneid.

QVÆ uidetur nata historia CAINI. Hunc enim primum omnium Agriculturæ operam dedisse, literæ Sacræ affirmant. Et currus Triptolemi serpentibus iunctus magicarum artium suspicionem prębet. Ab Eleusinijs templo honoratus fuit.

CERCYON, notatur ab immani ſæuitia, qua cum in alios hoſpites, tum in eos maximè, qui in luctæ certamen deſcendere nollent, graſſatus eſt: Quippe unde fortitudinis laudem quæreret. Cumq; ad longam ſenectam hoc pergeret inſtituto. THESEA tādem antagoniſtam accipit: à quo uictus, perimitur, Plutarchus, Pauſanias, Ouidius. Cur pater ei Neptunus affingatur Gellius expoſuit libro 15. capite 21.

ECPHANTVS

ANTIPHEMVS

MVSÆVS, floruit inter heroici carminis poëtas: & præcepta ſcripſit ad Eumolpū F. uerſibus 4000. Suidas μύσαιος.

EVMOLPVS, audiuit ORPHEVM Poëtam: & patris æmulatus famam, ſcripſit heroico carmine initia Cereris, & initia ſuis filiabus tradita, item de inſpectione manuum librum unum, ſed proſa. Suidas.

ALOPE, interficitur à patre, ob proſtitutū pudoris uirginalis decus. Pauſanias, Suidas.

FAMILIA

II.

FAMILIA ERICHTHONII, QVÆ REGNAVIT ANN. CCCLXI.

ERICHTHONIVS, I. editur cognato Cecropis familiæ sanguine. Qua de causa cum forte successores eius uitæ insidiatores haberet, clam in templo Palladis educatur: atque tum hac iniuria tum auitæ dignitatis memoria extimulatus, in AMPHICTRIONEM coniurat, eoque regno deturbato, sibi id uindicat, potitus illo annos quinquaginta. Pausanias, Eusebius, Augustinus. Retulere fabulam eius Euripides, Apollodorus, Antigonus, Hyginus, Ouidius. De historia uariat Isocrates. & regnum à Cecrope accepisse tradit. Auctor est Suidas regnante ipso, primùm Panathenæa instituta, tum uirgines nobiles lectas, ut canistra Mineruæ ferrent, quibus inessent ea, quæ ad sacra pomporum pertineret. Addidit idem alibi, Telluri primum in arce sacrificasse, & aram dedicasse. In Æliani uariarum historiarum farragine legimus, equos eum primùm iunxisse, de quo quisque quod uolet, sentiat. Sepulchrũ in ipso templo Palladis habuit, ut meminit Eusebius libro secundo de præparatione Euangelica, capite octauo, & cónuenit historia & fortuna eius cũ IOA, rege Hierosolymitano. Homero ERECHTEVS est. Iliad. 2.

FVIT ERICHTONIO coniux Pasithea, è qua nominatur ab auctoribus filius unicus, PANDION. Nos ex Eusebij Chronologia addimus ORITHYIAM filiam. Is enim præter quam quod raptus Orithyiæ tempus ad Erichthonij regnum retulit, etiam Homericum Erechthei nomen de eo retinet, ut nempe erratum in personis, & nepotem pro auo obrepsisse intelligamus. Cæteroquin de Eumolpo credibilius est, hostilem ab eo sumptum animũ in propinquum, quàm in auum.

III. PANDION I. retinet occasione patris regnum, quod administrat annos quadraginta. Contendit de finibus bello cum LABDACO Thebano: & auxilijs adiutus à TEREO Thrace, infelici cœpto filiam Prognen ei uxorem collocat. Etenim dum firma re ita opes suas satagit, acerbissimi luctus initium habet, tam hac quã filia altera cum barbaro ipso sæuis casibus extinctis. Iccirco ex animi

ægritudine

ægritudine in morbum incidit: quo intabeſcente, cedit è uita, & ſtatua in arce honoratur. Thucydides, Pauſanias, Euſebius, Apollodorus, Zetzes.

ORITHYIA, rapitur & comprimitur à Thrace quodam, Boreæ nomine, eo ex euentu celebrato, quod Græci Thracas Boreales nuncuparent. Euſebius, ſcholiaſtes Pindari, Euſtathius. Ouidius in eandem ſententiam ſic canit.

Nomine ceperunt Aquilonis Erecthida Thraces, &c.

Idem præter alios fabulam Orithyiæ eleganti carmine expoſuit Metamorph. libro octauo. Et meminit ex Herodoto Suidas, ἀφῆς. Athenienſes inde Boream uentum cognatum duxiſſe, itaque etiam bello Xerxiano oraculo Delphico ei ſacrificare iuſſos. Fuiſſe autem raptorem hunc Thracem non è Thracia, ſed è Daulide Phocidis, Herodoti teſtimonium apud Scholiaſtem pindari pag. 124. planum facit. Etſi Plato in Phœdro ab hac ſententia diſcrepans, raptum turbinem intelligit, qua Orithyia præcipitata afflictaq; perierit. A Stephano ὠρωπῷ & eodem Pindari Scholiaſte perperā Cecrope genita traditur, & fabulosè item Macedoni collocatur. Poſteritatem eius hanc legimus.

ZETHES, CALAIS, Dederunt nomen expeditioni Colchicæ. Narrat fabulam Diodorus libro quarto, capite 4. Apollodorus libro tertio. Apollonius libro 2.

CLEOPATRA, fuit in matrimonio PHINEI, è quo Soboles ei nata eſt.

CHIONE, ſuſtulit ex Neptuno, ut eſt in fabulis, Eumolpum

PLEXIPPVS. PANDION.

EVMOLPVS, celebratur fabulis Apollodori lib. 3. Sunt qui initiationes Eleuſinias ab eo profectas uelint. Pro Eleſinijs cōtra ERECHTHEA, ꝓpugnās bello iſto cadit. ut ſunt

ut sunt auctores Thucydides libro secundo, Apollodorus libro tertio. Nam Pausanias in Atticis uariat. Propagata ab Eumolpo est familia EVMOLPIDARVM: de quib. id memorabile est, quod ALCIBIADEM & EPICVRVM Philosophum publicè deuouerint. Ac de hoc quidē explicans Suidas: Neglectis, inquit, grauibus Eumolpidarum & Cerycum, aliarumque sacrarum & dijs charарum gentium promulgationibus, infamem & effœminatam sapientiam est amplexus &c. Memorantur autem in filijs Eumolpi ex coniuge Daira.

MVSÆVS, creditur primus generationem deorum tradidisse: Sphæram inuenisse, & ex uno fieri atque in idem resolui, docuisse. Auctor est Laërtius lib. 1.	IMMARADVS, cecidit in prælio cōtra ERECHTHEA. Pausanias, Clemens.	CERYX, propagauit prǽconū Cærycum familiam. Pausanias. Aliter de natalibus eius Suidas.

HABVIT PANDION in matrimonio Zeuxippen: è qua liberos sustulit: ERECHTHEVM, Butem, Prognen & Philomelam.

III. ERECHTHEVS, regnat post patrem annos 50. Vixit fortuna dissimili, & luctus paterni de sororum casibus consors factus, eosdem in filiabus suis horret. Bellum unicum gessit cōtra Eleusinios. Quo in bello cùm de uictoria sciscitanti, oraculum hanc tum demum sperare iussisset, si filiarum unam Cereri immolaret, excordi conatu id exequitur: itaque cum EVMOLPO Thrace, quem hostis euocârat, congressus, uictum obtruncat. Perijt ictu fulminis. Euripides, Plutarchus, Apollodorus, Clemēs, Zetzes, Stobæus, Hyginus, Iustinus. Alij de bello Eleusinio aliter sentiunt: in quibus Pausanias alibi ab Erechtheo cæsum Immaradum Eumolpi F. alibi hoc seruato, & Eleusinij sacerdotij dignitate honorato, ipsum Erechthea cecidisse in pugna affirmat. Dedicauit statuam Nemesis Rhamnusiæ, teste Suida. Meminere Xenophon libro tertio, de dictis & factis Socratis, Cicero libro 3. de natura Deorum. De ædita ab eo Ægypto ob annonę difficultatem, & allato inde frumento, narratio apud Diodorum li. 1. cap. 2. alludit ad historiam IOSEPHI Patriarchę. Ab Ouid. Metamorph. lib. 6. hoc insigni elogio celebratur:

Iustitia dubium est, ualidisne potentior armis.

BVTES,

BVTES, honoratur à fratre Mineruæ sacerdotio, & filiæ connubio, conditque ipse clarissimam ETEOBVTADARVM familiam, è qua & sacerdotes reliqui, & Mineruæ urbanæ sacrificula diligebantur. Apollodorus, Suidas, Zetzes. Ad Eteobutadas retulit genus LYCVRGI Oratoris, Plutarchus de decem oratoribus, cuius uita descripta ab auctore illo luculentius repetatur.

PROGNE, datur à patre uxor TEREO Thraci. Quo coniugio ad extremum in felicissimo usque, ob uitium Philomelæ sorori oblatum, ea insaniæ sæuitia efferatur, ut filium Ityn comedendum marito apposuerit. Cumque post id facinus fuga Athenas rediisset, dolore & luctu contabescit. Pausanias, Orosius, Fabulam sororum harum descripsere Ouidius sexto Metamorphos. Hyginus fabula 45. Appollodorus libro tertio, &c. Quam historicè interpretatus Pausanias in hanc sententiam subiicit: Vulgatam, inquit, fabulam, earum alteram in lusciniam, in hirundinem alteram mutatam, ex eo existimo, quod auis utraque miserabiles & luctuosos cantus edunt.

PHILOMELA, stupratur per uim à TEREO, acne enunciare scelus hoc posset, lingua mutilatur. Eam truculentiæ atrocitatem cum Progne ulta, fugæ eius & fati aduersi consors fit, luctu nimirum & dolore cum illa extincta. Pausanias, Orosius.

CONIVX ERECHTHEO fuit Praxithea, Phrasimi F. è qua liberos Apollodorus nominat CECROPEM, Pandorum, Metionem, & fœminas Procrin, Creusam, Chthoniā. Nam Apollonii Scholiastes posteriores duas Cecropis filias fecit. Addunt alii Orneum, Alconeni, Thespium, Pandoram, Meropen & Protogeniam: & rursus de filiarum immolatione ita uariatur, ut alii duas, alii unam, sed quidem natu minimam, quidam maximam natu, mactatam affirment. Sunt etiam qui post unius cædem reliquas conspiratione facta, spontanea morte defunctas uelint. Sed ut iure hic ἐπέχειν licet, ita nos potissimum sequemur, de quibus inter plurimos conuenit.

ERECHTHIDÆ.

IV. CECROPS, cognomento iunior, surrogatur in regno patri, cui præfuit annos quadraginta. Deduxit coloniam in Eubœam: & filium PANDIONEM ea complexus est beneuolentia, ut pote-

ut poteſtatis & nominis regijs conſortem fecerit. Pauſanias, Euſebius, Apollodorus, Zetzes.

ORNEVS, dedit nomen Orneis in Argolide, cùm fortè coloniam iſthuc deduxiſſet. Pauſanias. Meminit Plutarchus in Theſeo.

PANDORVS, & Metion rebus geſtis nullis claruerunt. Neq; Pandori ſoboles nominatur. Metionis filij regnũ Pandioni II. eripuerunt, idq; ab hoc defenſum tandem filijs illius concedere coguntur, ut eſt autor Apollodorus. Cęterũ Metionidis cum eodem Apollodoro & Pauſania accẽſeo DÆDALI maiores, de quibus infrà. Nam Diodorus diſcrepat.

ALCON, memoratur è Proxeni hiſtoria à ſcholiaſte Apollonij pagin. 120. cum hac ſobole.

Phalerus, Chalciope.

THESPIVS, condidit Theſpias oppidum, & filias è mulierib. diuerſis 50. ſuſtulit. His ab HERCVLE impregnatis, nepotibus inde genitis de ſe nomen relinquit. Habet fabulam Diodorus libro quarto capite 2. Stephanus Theſpiadem uocat, & patre Teuthrante, auo Pandione, genitum, dicit

PROTOGENIA & Pandora offerunt ſe de oraculi iuſſu pro patria mactandas, immolanturq; in Hiacyntho pago ſuprà Sphendonios, à quo pago uirgines, exinde Hiacynthides dictæ. Auctor eſt Suidas παρθένοι, ubi ex hiſtorijs Phanodemi & Phrynichi ea ſe tranſcripſiſſe, ait. Hygino Protogenia Otionia eſſe uidetur pagina quadrageſimoſexta.

PROCRIS, nupſit CEPHALO, fœmina animo & moribus impudica. Primùm enim Ptoleonti, deinde MINOI Cretenſi ſe proſtituit. Tamen uiro conciliata, effugere imminentem ab Adraſtia diuina pœnam nequiuit. Cùm enim è ſuo illum metiens ingenio, ob uenationum ſtudium alienorum amorum ſuſpectum haberet ad rem certius cognoſcendam occultè in ſyluas ſequitur: & dum inter fruteta latet, & è uirgultorum motu fera ab ignorante creditur, iaculo transfigitur. Apollodorus, Antoninus Liberalis, Suidas, Ouidius. Hyginus etiam inceſti cum patre accuſat, & peperiſſe inde Aglauron F. ait.

CREVSA, collocatur Xutho cuidam, qui patri bello Eleuſinio auxilia adduxiſſet. Apollodorus. Habent fabulam eius Euripides, Pauſanias, Hyginus, &c. & à filijs eius Ione & Achæo,

quorum

quorum huic etiam nepotes Archandrum & Architelem, illi Pithyræum attribuunt, Ionas & Achæos conditos & denominatos uolunt. Verum hæc, uana temeritate conficta, & ideo conficta, ut Atheniensium origo ἐγχωρία, & ab his de Ionum condita colonia confirmaretur fabula, repudiamus, & quid de gente utraque credi cõueniat, alibi ostẽdimus. Nec tamen filios istis nominibus Creusa genitos negârim, cùm scilicet hæc à gentibus etiam uirorum propria esse cœpissent. Nam & Ion poëta & ACÆVS rex in historijs memorantur.

CHTHONIA, fuit in matrimonio Butæ patrui. Apollodorus, Suidas.

MEROPE, nominatur inter coniuges MINOIS Cretensis à Plutarcho Theseo.

EDITVR fratribus hisce solo excepto Pandoro, omnibus soboles: & de Thespiadib. iam diximus, & attigimus item METIONIDAS. Priusquam autem ad CECROPIS regis posteritatem pergam, præmitto Ornei & Metionis progeniem.

PROCREAT Orneus filium Petea.

PETEVS pellitur populi tumultu, fortè ob propugnatum PANDIONEM regem, cum ciuium parte, & sedibus in Phocidis finibus occupatis, Stirin urbem, quæ à comitibus è Stirensi curia id retinuit nomen, condidit. Pausanias. Meminere Homerus Iliados 2. Plutarchus Theseo. Variat Diodorus libro primo, capite secundo.

IIX. MNESTHEVS, ambit occultis machinationibus regnum contra THESEA, uagantemque per Græciam à ciuium in urbem unam conclusorum instituto criminatur: & perempto denique in Scyro complicum factione successor datus, regnat annos uiginti quatuor. Ad bellum Troianum Atridas socius consectatur: laudem acierum ordinandarũ illustrem reportat, & in reditu Eleam Æolidis condit. Sub quod tempus ORESTIS causa apud Areopagitas disceptata, absolutum cędis expiat, adhibitis more patrio remedijs, quæ ad obliuionem eiusmodi facinoris adhiberi solerent. Pellitur tandem à filijs Thesei, & cum colonis in Hispaniam migrat. Dictys, Dares, Plutarchus, Stephanus, Scholiastes Pindari. Ab Homero ornatur eiusmodi elogio Iliad. 2.

Τῷ δ' ὄπω τις ὅμοιος ἐπιχθονίων γένετ' ἀνὴρ
Κοσμῆσαι ἵππους τε, καὶ ἀνέρας ἀσπιδιώτας

Habet itẽ aliud Xenophon de uenatione. Variãt modice de historia eius

eius Pausanias & Ælianus: nempè à Tyndaridis regem Theseo oppositum: eoque ex Epiro reuerso cum opibus se inferiorem intelligeret, adulationem obsequijs à populo obtinuisse, ne reciperetur: indeque illum eosdem Tyndaridas primum omnium ἄνακτας καὶ σωτῆρας salutasse. Nec conuenit, de morte Plutarchus, qui in bello Troiano interijsse, ait, discrepatque item Eusebius, qui mortis locum Metum nominat: & Troię captę tempus alibi cum Clemente regni eius annum decimum octauum alibi ultimum facit. Idem etiam perperàm cum Peteo confudit. Pertinere item ad imperium eius ab Heraclidis repetitæ Peloponnesi historiam, temporum euincit consideratio exquisitior: & falluntur Pausanias, Valerius, Euripides & Antoninus Liberalis, quorum priores duo ad Thesei, alteri ad Demophoöntis regnũ id transtulere.

ERICHTHEVS, posuit nomen Erehtidi tribui: cuius ciues Lampras ridet à sacrificiorum tenuitate Theocritus Idyll. 4. Scholiastes.

METIONIDÆ.

METIONIS coniugem Apollodorus fecit Alcippen, & liberis eius accenset EVPALAMVM.

EVPALAMVS, retinuit fortè regnum à PANDIONIS II. fuga. Meminere Pausanias, Zetzes & Suidas, è quibus Pausanias Palamionem uocat.

Reliquit Eupalamus liberos, DÆDALVM, METIODVSAM & PERDICEM.

DÆDALVS, meruit famam & nomen in architectonica, eamque praeclarissimi ingenij industria uehementer tum excoluit, tum adauxit. Aiunt etiam simulacra tanta arte eum finxisse, ut incedere & spirare credita sint. Quæ feliciter æmulantem discipulum & nepotem è sorore, interficit ex inuidia. Ideò ab Areopagitarum consilio exilio mulctatus, in Cretam profugit: MINOI regi artis præstantia innotescit: adit Ægyptum, & ad Labyrinthi regionis huius similitudinem, alium in Creta redux condit. Ea re cùm adulterijs PASIPHAES reginæ occasionem præbuisset, eaque scelere suo confirmasset, Minois incurrit odium. A' quo custodiæ traditus, per fenestram quandam se demittit, ac regiam classem persequentem, quæ remis tantùm utebatur, ui elificationis adminiculo fuga in Siciliam anteuertit. Vbi à COCALO rege habitus honorificè, loca uaria extructionibus exornat, indeque tam regis quàm gentis reliquæ eam sibi beneuolentiam conciliat, ut & Minoi in Siciliam uindictæ cupidine in seculo, causa

necis extiterit. Xenophon, Diodorus, Pausanias, Palæphatus, Eusebius, Apollodorus, Scholiastes Pindari, Zetzes, Plinius. Extat apud Suidam hoc de eo prouerbium: ἐν παντὶ μύθῳ καὶ δαιδάλου μύσος, In omni fabula & Dædali execratio, in auctores atrocium facinorum, aut ingentium calamitatum quorum frequenter incidat mentio, sed non absque detestatione. Quantopere artes attentiore posteritatis studio crescere soleant, Plato Dædali exemplo probare conatur, & Pausanias opera eius alicubi rudia uocat: in quibus quæ suo tempore reliqua fuerint enumerat in Boëticis. Idem etiam nomen ipsius à Dædalis, hoc est, simulacris ligneis deducit, ut nempe per cognomentum hoc ei accessisse intelligamus. Inter inuenta Dędali Plinius lib.7.cap.56. nominat, fabricam materiariam, serram, asciam, perpendiculum, terebram, glutinum, & ichthyocollam. Fabulam eius eleganter descripsit Ouidius Metam. lib.8. De historia discrepant nonnihil Plutarchus in Theseo, Seruius in 6. Aeneid.

METIADVSA, fuit in matrimonio CECROPIS iunioris. Apollodorus.

PERDIX, coniugio uixit obscuro, in quo tamen enixa est filium Calum (alij Talaum, alij Attalum, alij etiam Perdicam uocant). Hoc à Dædalo peremto incredibili dolore afficitur, cui obsecuta pertinàcius, suspendio uitam finit, & ab Atheniensibus honores diuinos promeritur. Suidas. Ad Perdiccæ filij nomen, quod retinuit Hyginus, alludit Ouidij fabula Metam. lib.8.

DÆDALI coniugium ignoratur. Nominantur tamen inter liberos eius: ICARVS, Iapyx & Cocalus.

ICARVS, sequitur patrem in Cretam, fugæ eius periculum commune subit, & naue imperitia euersa, sub undis enecatur. Inde æstu maris iuxta Pergamum in Insulam quandam delatus, sepelitur in adiacente promontorio, & insula ipsa atque mare, quod eam accingeret, de eo nomen accipit. Pausanias, Palæphatus. Exposuere fabulam eius præter alios Ouidius 8. Metam. Strabo lib.14. Plinius malum & antemnam inuentum eius nominat.

ALYZVS, ponit urbi Alyziæ in Acarnania nomen. Stephanus ἀλυζια

Dædalus, refertur à Stephano ex Alexandri historia Lyciaca.

IAPYX,

IAPYX, naſcitur patre in Creta exulante. Cui poſtmodo in Sicilia fugæ comes factus, ad Italiam appellitur, & gentē Iapyges de ſe cognominat. Auctores ſunt Strabo lib. 6. Euſtathius in Dionys. Plinius lib. 3. cap. 11. Solinus cap. 7. Nam ego Iapygas potius Iazygas crediderim, uno tantum elemento nominis enunciatione uariata, ut uirum hunc potius à gente, quàm hanc de illo mutuatum nomen intelligamus.

COCALVS, accipit nomen hoc à COCALO, patris in Sicilia hoſpite, & Camicum urbem, quam ille extruxerat, cum imperio retinet. Stephanus.

¶ Cæterùm deriuat à DÆDALO genus ſuum in Platonis dialogis SOCRATES Philoſophus. Vt pertinere huc uideatur Plutarchi narratio de Dædali è Creta in patriam reditu, & profectò hoc à Deucalione Minois F. Theſei fide. Ideo hiſtoriam eius breuiter ſubijcio.

SOCRATES, genitus parentibus Sophroniſco & Phænareta, audit adoleſcens Archelaum & Anaxagoram, militat pro patria ad Delium & Potidæam: & Rhetoricam à triginta Tyrannis, docere uetitus, tùm diſciplinæ Phyſicæ ad uitam ciuilem uſum nullum ratus, primus ad Ethicen illuſtrandam aggreditur, & à uitæ ſingulari integritate præclaro oraculi Delphici teſtimonio ἀνδρῶν ἁπάντων σοφώτατος appellatur. Id cùm multos ureret, præcipuè oratores, Poëtas, & opifices ad uerſarios accipit: & ARISTOPHANIS comœdijs fœdè proſciſſus, tandem ab ANYTO, MELYTO & LYCONE impietatis & corruptæ iuuentutis accuſatur. Ab hiſce criminibus etſi conſtanter ſe tueretur, tamen damnatur inuidia: cumque ob præclara in patriam merita etiam Prytanei alimonia ſe dignū prædicaret, in candeſcentibus inde iudicibus uehementius, cicutam bibere ſeptuagenarius cogitur, Olympiad. 95 anno primo. Plato & Xenophon in Apologijs, Laërtius, Suidas, Gellius &c. De dictis & factis Socratis, idem Xenophon lib. 4. conſcripſit. Et abundat hiſtoria eius multifariarum uirtutum documentis. Ideò mox ab obitu ita eum populus deſiderauit, ut clauſis publicè gymnaſijs & palæſtris, ex accuſatoribus alios exilio. Melitum uerò capitis damnârit, & ſtatua ænea publicè honorauerit. Præcipuam uerò meruit laudem patientia eius, & æqualis tàm lætis quam aduerſis rebus animus. Et quod Plato de eo ſcripſit, pecunia multò magis inuulnerabilem fuiſſe quàm Aiacem ferro, id de ſe ita probauit, ut & ARCHELAVM Macedonum regem, & Scopam Cranonium honorificentiſsimè euocantes faſtidierit, neque uel pecunias ab eis miſſas accipere dignatus ſit. Et ſi uitiorum ſemina cum habuiſſe multa inſita, ideoque ſe totum quaſi refinxiſſe, ne

ipse quidem negauit. Cùm enim Zopyrus Physiognomon turpia quædam,atq; à moribus eius aliena de ipso dixisset:Haud erat Zopyrus,inquit,huiusmodi enim natura essem,nisi naturam Philosophia superassem,teste Eusebio lib.6.de præparatione Euangelica cap.7.In discipulis Socratis enituere:ALCIBIADES, PLATO, XENOPHON & Antisthenes,è quibus Plato & Xenophon grati erga præceptorem,studij monumenta præclara reliquerunt.

Habuit in matrimonio SOCRATES Xanthippen & Myrtonem, ARISTIDIS Iusti ex Lysimacho F.Aristide N. proneptem. Ex illa filium Lamproclem,ex hac Sophroniscum & Menexenum suscepit:de quibus aliud nihil in scripta auctorum peruenit. Et quomodo reliqua posteritas ab eo degenerauerit,ex Aristotele notum est.

POSTERITAS CECROPIS IVNIORIS.

Duxit in matrimonium CECROPS iunior Metiadusam: è qua filium unicum sustulit PANDIONEM II.

V. PANDION II. assumitur in regni consortionem patris uiuentis pietate. Quo regno ab obitu huius solus potitus, METIONIDAS patrueles hostes accipit,& denique per seditionem in exilium protruditur. Hæc calamitas mox coniugij ipsi felicitate compensatur.Cùm enim Pylæ Megarensis filiam in matrimonio haberet, ideoque soceri hospitio fideli protegeretur,hoc non multò post ob Biantis cędem in uoluntarium exilio profecto,regnum id dotis nomine retinet,morboq; ibi confectus diem suum obit. Pausanias,Apollodorus,Orosius,Zetzes.Nominauit Eusebius imperij eius annos 25. Vt Suidas & Apollodorus de historia eius dissentiant, suprà monuimus.Meminit Pausanias,monumentum ipsius in eo Megarensis agri loco, qui ab Atheniensibus Mergi scopulus appellaretur, adhuc suo tempore reliquum fuisse.

GENERANTVR PANDIONE è Pelia, Pylæ F. liberi: ÆGEVS, Pallas,Nisus & Lycus:Quibus alij addunt Oeneum, nothum. Etsi scripsit Plutarchus,Aegeum ab Erechthidis sanguine alienum fuisse,hisq; tantum adoptione insertum.

VI. ÆGEVS, recuperat cum fratribus regnum à Metionidis: Quod deinde cum ijsdem fratribus æqualiter partitus, cùm Athenas ipse ob ętatem retinere iussus esset,imperat annos 48. In hoc tempore rebus iam suis confirmatis,etiam in ciues,qui cũ Metionidis fecerant, animaduertit:Qui eo metu in Arcadiam profecti, Caphyas oppidum condunt: Nec fidem diu Lyco fratri seruauit: Quod quidem scelus casibus

casibus mox duobus atrocibus luit, dominatus nempe Cretensium seruitute ex Androgei cæde, & coniugij sterilitate. Illa tributum impuberum utriusque sexus crudele attraxit, hæc Pallantidas ad rerum nouarum studium impulit. Itaque de prole oraculo consulto, responsi ambiguitate quam prius redditur incertior, & in reditu à Pittheo, qui cum uetus ei esset necessitudo, ad filiæ eius Æthræ stuprum improuidè pellicitur. Hanc etsi soboli agnoscendæ indicijs certis instruxisset, nouæ tamen MEDEÆ Colchicæ fraude se corrumpendum præbet: THESEA inde insperatò agnoscit: compescit rebellantes PALLANTIDAS: dumque iam de filij uirtute atque gloria sibi gaudet, patriæque gratulatur, Cretensis tributi acerbitate iterum in luctum ingentem conijcitur. Etenim ciuibus partem calamitatis publicè sustinere regem iubentibus, Thesea ire in Cretam tributarium inuitus permittit. Cùm quo reditus felicis pactus signum uelum nauis album, illo præ immodico euitati periculi gaudio hoc mandatum negligente, & inter festinandum, nigrum, cum quo discessisset, retinente, de salute ipsius desperans, præcipitem de saxo se agit, eoque casu uitam finit. Euripides, Manetho, Diodorus, Plutarchus, Pausanias, Eusebius, Apollodorus, Zetzes, Catullus, Ouidius, Hyginus, Iustinus. De mortis causa, quam falsi nuncij famam de Thesei interitu astruit, uariat Suidas, & de maris Ægei ab hoc rege denominati cùm fabulatorum aliorum, tum Nicocratis historici commentum refutat Apollonij Scholiastes pag. 143.

PALLAS, accipit post Atticam recuperatam oræ maritimæ imperium, & è coniugio fœcundissimo filios 50. procreat. Hac felicitate insolescens, atque Ægei despiciens orbitatem, tum ipse ad regnum animum adijcit, tum filijs conatus eiusdem autor fit. Qui cum deinde suspecti obsequij cultu Androgeo interitum conflassent, post ob Thesea receptum; cum patre bellum mouent: sed euentu eo, qui sequi seditiosas molitiones plerunque assolet. Nam filijs Lai cuiusdam proditione oppressis, ipse à suis deseritur. Diodorus, Strabo, Plutarchus, Apollodorus, Suidas. Dissentit de natalibus eius & historia Hyginus, & Nelei, quem Theseus fratrem habuerit, filium facit, ac parentum à Theseo, ait. Ab Ouidio Metamorph. 7. memorantur inter Pallantidas.

CLYTVS. BVTES.

NISVS, retinet Megaræ regnum, eiq; cùm uirtutum aliarum tum eximiæ erga Aegeum fratrem beneuolentiæ & fidei commendatione præest. Ideò cùm post Androgei cædem à Minoë obsessus deditionem recusaret, & fortiter periculo illi occurreret, filiæ euertitur proditione. Strabo, Pausanias, Apollodorus, Suidas, Stephanus. Habet fabulam Nisi præter alios Ouid. 8. Metam. De nomine eius Megarensium nauale Nisææ denominationem retinuit. Coniugem Plutarchus fecit Abrotam: è qua soboles memoratur.

SCYLLA, exarsit furioso MINOIS patriam patremq́ue Nisum obsidentis, amore: cumq; prodito utroq; facinoris scelesti prēmium coniugium regis posceret, non modò fastiditur, sed & abijci in mare iubetur: & cadauer æstu in littus eiectum alitibus esca relinquitur. Pausanias. Descripsit fabulam eius Ouidius 8. Metam. Strabo sepultam in Scyllæo promontorio indeq; huic nominis id mansisse, ait. Amoris uesaniæ & proditionis punitæ exemplum simile narrat de ROMILDA, Gisulphi Longobardi coniuge, Sabellicus, Ennead. 8. lib. 6.

IPHINOE, refertur ex Megarensium cōmentarijs à Pausania in Atticis.

LYCVS, præficitur montano Atticæ tractui: Lyceo, in quo post modo docuit SOCRATES, nomen ponit: instaurat magnarum Dearum initia: gerit graues cum ÆGEO fratre inimicitias, ab eoq; tandem pulsus primum in Messenen, deinde in Asiam profugit, & Ielmisenses (Herodoto sunt Termilæ) de se Lycios cognominat. Herodotus, Pausanias, Suidas, Stephanus, Eusthatius. Cæterùm de gentis Lyciorum nomenclatura, magis probârim coniecturam, denominatos uel à Cilicibus nomine καὶ ἀφάρκιον principio mutilato, uel à moribus ut respondeat Heneto Velici. Sanè & in Germanica nobilitate multis iam seculorū ætatibus VVELFORVM claruit Familia, quod nomen aliqui significato exponunt Lupi catulos. Nec tamen à Lyco etiam deductam in Lyciam coloniam negârim, ad quam si quibus Græcorum commentum illud referre libuerit, non repugno.

OENEVS, nothus, nominatur à Pausania inter eos, qui tribubus Athenienfibus nomina posuerunt.

ÆGEO uxores duæ fuère: prima META, Opletis F. altera CHAL-

CIOPE, Rhexenoris F. Quæ cùm ambæ steriles essent, Aegeus repudiatas amicis concesśit, ut scripsit Athenæus. Interea autem ex Aethræ stupro THESEVM Filium procreat: & fuisse deinde cum eo MEDEAM Colchicam, aiunt: è qua genitus filius MEDVS, in Asiam cum matre reuertisse, & Media occupata, genti de se nomen dedisse, falsò astruitur. Etenim in Atheniensium hæc conficta gratiam, Diodorus etiam affirmat, & scimus nos è sacrarum literarum ueritate, nomen Medorum multò uetustius esse, profectum nempe à conditore Madai, filio Iaphet. Vt quæ alibi pasśim Græcorum occurrit in notionibus fingendis temeritas, hinc etiam euidens fiat. Addidit Stephanus filios ACHÆMENEM & Megareum, à quibus Persidis partem Achęniam & urbem Megaram cognominat, & filiam Ambraciam, auctorē nominis Ambracię. Sed & hęc repudiamus: & quid de Achæmene credi par sit, alibi ostendimus.

VII. THESEVS, editus natalibus illegitimis, iam puber à matre de ÆGEO genitore edocetur, & per signa ad eum euentum relicta, indicare se ipsi iubetur. Ergo pedestri itinere Athenas pergit: in latrones generoso animo inuadit, ac ductoribus horum Sinni, Phæa, Polypemone, Scirone, cęsis, etiam CERCYONEM gyganteo corporis robore tumentem lucta prosternit. Ab his facinoribus agnoscendum se porrò patri præbet: compescit seditiosè tumultuantes PALLANTIDAS: inter tributarios Minoi in Cretàm mittēdos sponte proficiscitur, ac felici ausu TAVRO duce (ita Plutarchus & Seruius Grammaticus: Pausanias Asterionem, filium Minois, nuncupat) qui Taurus regi ipsi ob adulterij cum Pasiphae suspicionem inuisus esset, & pueros tributarios, uictoriæ in ludorum certaminibus plerunque præmium ablatos, habere deinde crudeliter soleret, confecto, etiam à Minoe gratiam eam init, ut crudele is tributum remiserit. Iamque cū illustri gloria in patriam rediturus, perfidia in Ariadnen cùm infamiam tum luctus acerbitatem ingentem sibi attrahit. Etenim dum inconsulta festinatione de mutandis uelis iussum patris negligit, interitus ei causa existit. Post hoc tempus regno in se translato, legibus id constituere aggreditur: Atticæ incolas unius urbis Athenarum ciues legit: abolet Prytanea & Curias, & singula noua condidit: populum in patricios, agricolas & opifices distinguit, cudit nummum boue insculpto: ponit Peloponnesi limites in Isthmo, & simul in Neptuni deastri honorem ludos ibi Isthmios instituit. Necdum hac rerum gestarum fama exaturatus, HERCVLIS propinqui æmulari facinora occipit, & tum alia pericula pro eo subit, tum contra AMAZONAS in Asiam socius consectatur: Quas Amazonas pòst ad uindicandam Hippolytæ captiuitatem in Atticam infusas, fundit fugatque, &

quę,& Hippolyten ipſam coniugem retinet. Hac immatura ſublata morte, nouis PHÆDRÆ Cretenſis nuptijs graue domeſticum uulnus accipit, adeoq; dehinc tam moribus quam fortuna diſsimili uiuit. Nam cum Centauris & Lapithis repreſsis etiam ADRASTI Argiui ſocijs, ad Thebas cæſis, ſepulturam confeciſſet, & PIRITHOVM Theſſalum uirtutis opinione ad amicitiam ſuam adiunxiſſet, in HELENA nondum nubili inſanire incipit, hacq; abducta Pirithoum ad idem perpetrandum ſcelus in Moloſsidem comitatur. Ibi captus ab AIDONEO rege, MNESTHEI ęmuli artibus regno abſens abdicatur, & Attica Tyndaridarum graui bello uexata, etiam matris captiuitatem miſerabilem cernere cogitur. Cumq; tandem Herculis interuentu liberatione impetrata, in Atticam reuertiſſet, & Athenis ſeu excluſus, ſeu nouarum turbarum metu ſponte digreſſus, in Scyrum inſulam, ob ueterem gentis amicitiam, conceſsiſſet, ſeu Lycomedis regis ſcelere ſeu fortuito præcipitio, morte occumbit. Fuit in regno anno 30. Euripides, Thucydides, Xenophon, Iſocrates, Diodorus, Plutarchus, Pauſanias, Clemens, Euſebius, Suidas, Zetzes, Valerius, Iuſtinus, Seruius. Variatur de Theſei hiſtoria mirificè diſcrepantium opinionum pugnis: alijs aliud è fabularum labyrinthis aſtruentibus. Qua de re ſuas excuſans expoſitiones Plutarchus: optauerim, inquit, fabulas tantiſper nobis obſequi, dum expurgatis figmentis, hiſtoriæ ſpeciem induerent: ſicubi tamen eæ contumaciter ueriſimilitudinem reſpuerit, neq; ſe probalitate temperari patientur, æquanimi auditores, & qui benignè antiquitatis narrationem accipiant, opus nobis erunt &c. Pertinet eodē, quod eſt apud Pauſaniam in Atticis: Inoleuit inquit, apud multos fama, Theſeum ſummam rerum multitudini tradidiſſe, ex eo popularem adminiſtrationem ad id uſq; tempus manſiſſe, quo repub. oppreſſa tyrannidem Piſiſtratus inuaſerit. Sunt certè de hac ipſa re & alij minus ueri hominum ſermones, eorum nempe, qui priſcarum rerum (quod eas ſcilicet ex literarum monumentis non didicerūt) ignari, quęcunq; à pueris ex choris & tragędijs acceperunt, uera eſſe exiſtimant. Hactenus Pauſanias. Nec pauca inter ea, quibus fides hiſtorica aſſeritur, occurrunt, de quibus dubitare liceat: malimq; hîc præcipuè ſequi Plutarchum & Pauſaniam. Mors Theſei non ab Athenienſi ut falſò Suidas ſcripſit, ſed à PELEO uindicata fuit. Nam illi uti ſepulturam, quæ in Scyro, ubi interierat, ei contigit, neglexere, ita neque honoris quicquam impertinere uſque ad pugnam Marathoniam. In hoc tempore umbra eius inter pugnantes conſpecta, coli inter heroës cœpit. Cumq; à XERXIS bello, oraculum ſedandæ peſtilentiæ cauſa (ita enim retulit Philo) etiam oſſa eius recipi & haberi cum ueneratione iuſsiſſet, CIMON Scyro capta, magno

gno studio inquisita demum Aquilæ auspicio reperit, reperta Athenas reportauit: Vbi quidem excepta tum honorificè fuere: & monumentum ipsum, regione urbis media conditum, seruis & inferioris fortis hominibus asylum esse cœpit: addito insuper sacrificio annuo. A' fidelitate auxiliorum HERCVLI præstita dedit locum prouerbio: Non absq; Theseo: & ipse cum PIRITHOO amicorum paribus à Luciano annumeratur. Fabulas eius diuersi retulere: quos inter leguntur Ouid. in Metam. & epist. Heroid. Statius lib. 12. Thebaid. Pausanias & Suidas posteros de eo THESIDAS cognominant.

CONIVGIVM THESEI parum laudatum repetimus. Et Athenæus de incontinentia eius explicans, Mulieres, inquit, aliæ ex „ amore ei adhæsere, aliæ ex furto, aliæ ex legitimis nuptijs &c. Fuere au„ tem in amicis Hippe & Aegla: in raptis: Perigune, Ariadna, Anaxo, HELENA: in coniugibus Meliboea, Hippolite, (discedimus enim à Plutarcho & Euripide, quorum ille Antiopen nominauit, hic concubinis accenset) Phædra & Iopa. Ex his liberos edidere, Perigune Melanippum: Hippolyte, Hippolytum, Phædra Demophoontem & Acamantem. Vide de hac re tota diligentius differentes Athenæum lib. 13. cap. 2. Plutarchum in Theseo.

THESIDÆ.

MELANIPPVS, refertur mentione Plutarchi in Theseo, Suidas facellum quoddam de eo Melanippeum cognominat.

IOXVS, deduxit cum Ornyto coloniam in Cariam, & Ioxidibus ibi originem & nomen dat. Plutarchus.

HIPPOLYTVS, amandatur à patre, sub Phædræ nuptias, Trœzenem ad PITHEVM auum, ut ne scilicet nasciturae proli uel imperare uel parere asuesceret, & Trœzenij regni succesionem facilius retineret. Ibi dum uenationibus se totum dedit, fortuito conspectu in mysterijs Cereris nouercæ innotescit, & amoris ab hac uesania tanta amatur, ut etiam ad concubitum solicitaretur. Id scelus casto animo auersatus, per calumniam uiolati paterni tori Theseo accusatur: & illo nimis temerè isti criminationi fidem habente, diris & execrationibus eius perit. Euripides, Xenophon, Diodorus, Plutarchus, Pausanias, Hyginus, Ouidius. A' Suida hæc eius Chria memorabilis refertur: ἄκαιρος εὔνοια, οὐδὲν ἔχθρας διαφέρει, Intempestiua beneuolentia nihil ab odio differt. Tradunt fabulæ reuocatum Virbij nomine in uitam ab Aesculapio, neque postea unquam ignoscere patri uoluisse, uerùm omni eius deprecatione spreta in Italiam uenisse, ibique dicato Aricinæ Dianæ templo, regnasse. Trœzenij & luco, & templo eum honorârunt, ferturq; rem diuinã primus ipsi fecisse DIOMEDES

Aetolus,

Aetolus. Additur hisce, uirgines Troezenias ante nuptias succisum si bi capillum in templo Hippolyti consecrasse. Cæterum flagitij & cri minationis muliebris exempla similia præter Biblicum coniugis Poti pharis historiæ prodidere de Astydamia & Sthenobœa, tum FAVSTA & Maria Arragonia, Augustis, quarum illa CONSTANTINO Magno, hæc OTHONI III. connuptæ fuere.

IX. DEMOPHOON, dimittitur à patris expulsione in Eubœam MNESTHEI humanitate, indeq; cum Elephenore ad Troiam socius proficiscitur. Ab hoc bello reuersus feliciter, & noua deducta in Cyprum Aepiæ coloniæ gloria auctus, iterum à Mnestheo excluditur. Iccircò indignabundus rem armis tentat, & fortuna cœpta secundante, uictum pellit, regnumq; recuperatum tenet ann. 33. Plutarchus, Pausanias, Zetzes, Scholiastes Thucydidis, Iustinus. Aepiam coloniam postmodo nomine mutato à SOLONE sapiente Solos appellatam, Plutarchus refert in uitis. Phyllidis Threissæ à Demophoonte amatæ fabulam habent Ouidius in epist. Herod. Hyginus fab. 59. Seruius in 5. eclog. Virgilij: Palladij Argiuis prærepti & ab Agamemnone defensi stratagema, Polyænus & Suidas. Acadijcit Pausanias, eadem occasione primum ipsum in Palladio causam dixisse.

ACARNAS, fit laborum fortunæq; fratris Demophoontis consors. A' bello Troiano tẽpestatibus aliquãdiu in Phrygia detinetur, ac per hoc tempus de nomine suo Acamantium oppidulũ cõdit. Inde in Atticam regressus, cum fratre bellum contra Mnestheum urget, eoq; euerso patriam recipit, & tribui Acamantiæ nomen ponit, Pausanias, Stephanus, Suidas, Zetzes. Meminere Euripides in Heraclidis, Ouid. in Epist. Heroid.

|

ALEDRVS.

|

CHYTRVS, condidit Chytros Cypri. Stephanus.

DEMOPHOONTI iuncta connubio fuit Laodice, quæ edidit Munychum, teste Plutarcho. Ego genitum eadem cum Zetze crediderim OXYNTEM: nisi fortè quis nomine deprauato hunc cum illo eundem censuerit: Qua quidem consideratione & de Oxynte solo explicare hîc uoluimus.

X. OXYNTES, regnauit annos 12. neq; aliud de eius rebus gestis in scripta auctorum peruenit. Sustulit è coniuge legitima filium APHIDANTEM, è concubina THYMÆTEM.

XI. APHIDAS, adit regnum post patrem de quo æmulo usus

THY-

THYMÆTE fratre, ſcelere eius de uita tollitur, anno imperij primo. Athenæus, Euſebius.

XII. THYMÆTES, nothus, ambit conatu ſceleratè nefario regnum contra fratrem, idq́ cæde huius occupatum ui deinde retinet. Vnde cùm beneuolentia ciuium nulla imperaret, etiam de finibus cum XANTHO Thebano contendere bello audet. Cuius absq́ multitudinis innoxiæ ſanguine finiendi gratia, ab Xantho ipſo ad ſingulare certamen prouocatus, timidi animi uecordia id detrectat. Ideo ueteri in eum ciuium odio exaſperato, tũ hoc nomine peſsimè audit, tum ſubeunti diſcrimen idem ad patriæ uindicandum decus MELANTHO, concedere regnum cogitur. Fuit in magiſtratu annos octo. Pauſanias, Athenæus, Euſebius, Suidas, Zetzes.

III.

FAMILIA MELANTHI, QVÆ EX NELIDIS POSTERECHTHIDAS, PARTIM REGIO, PARTIM ARISTOCRATICO PRINCIPVM NOMINE & imperio regnauit annos CCCCXLIV.

NELEVS, rex Pyli.

PERICLYMENVS. — NESTOR, interfuit bello Troiano.

PENTHILVS.

BORVS.

ANDROPOMPVS, edidit filium MELANTHVM, regem ex hac familia primum: cuius hîc hiſtoriam & poſteritatem ſubijciemus. De reliquis dicendum erit interreges Meſſeniacos.

I. MELANTHVS, eijcitur Peloponneſo Heraclidarum armis: & profectus exul Athenas, ciuitate donatur. Ob id meritũ THYMÆTEM regem ad bellum contra XANTHVM Thebanũ conſectatur cõmilito: ſuſcipit ab eodem recuſatum duelli certamen, & hoſtem

stē dolo potius quàm uirtute cōficit. Etenim in congressu astare Xantho à tergo quendam nigra caprina pelle indutum, seu uerè conspicatus seu conspicari se simulans, perfidiæ inde & uiolatæ pactionis incusare hominem occipit, ausumq; improuidè respicere, obtrūcat. Quare & multitudinis congratulantis applausu REX salutatur cōfirmaturque, & in huius imposturæ memoriam festum Apaturia instituitur. Præfuit regno anno 37. Strabo, Pausanias, Polyænus, Eusebius, Suidas, Zetzes. Oraculum, quo de sede certa obtinenda confirmatus fuit, retulit Athenæus lib. 3. cap. 9. In apaturijs solenne esse cœpit, ut pueris capilli raderentur, & nomina eorum in tribus inscriberentur, teste Platone in Timæo.

II. CODRVS, unica MELANTHO natus proles, defuncti regnum successione excipit, idq; tenet anno 21. Meruit laudem ad posteritatem ab insigni in patriam pietate. Etenim moto à Doriensibus bello, ob receptos Peloponnesios exules, qui turbarum nouarum auctores formi dabantur, ijsdemq; Doriensibus ab oraculo de uictoria confirmatis, si regem Atheniensium conseruassent, primum castra hosti opponit: deinde oraculo satisfacturus, pro regijs ornamentis lignatoris habitum assumit: Doriensium excubias cum silentio adoritur, & cæso uno, à reliquis comprehenditur conficiturq;, & interitu hoc suo fugam hosti suis salutem parit. Herod. Plato, Strabo, Plutarchus, Pausanias, Polyænus, Eusebius, Suidas, Zetzes, Velleius, Vallerius, Iustinus, Ammianus, Seruius. Memoriæ Codri, & in patriam merito, eam uenerationem Athenienses tribuêre, ut in honorem ipsius nemini deinceps dignitatem regiam concesserint, atq; adeò posteros principum nomine contentos esse iusserint. De occasione cædis, & oraculo ipso, alij aliter: discrepantq; de gente quicum belligeratum sit, Plutarchus & Stobæus. Addidere etiam Strabo & Polyænus, Dorienses tum ab instante hoste prælio fusos fugatosq;, sed ita ut tamen Megara illis manserit. Suidas prouerbia à Codro deduxit: Codro nobilior, &, Codro antiquior, quorum posterius de ualde uetustis interpretatur: & alibi posteros ab eo CODRIDAS denominat. Meminit Virgilius Eclog. 5.

Incipe Mopse prior, si quos aut Phyllidis ignes,
Aut Alconis habes laudes, aut iurgia Codri.

Coniugium CODRI proditum auctorum monumentis non est, attamen filij eius hi memorantur: MEDON, Neleus, Androclus, Cyaretus, Damasichthon, Promethus, Andræmon, Damasus, Naoclus & Cleopus.

III. MEDON, claudicauit cruce altero. Ideò cum patris interitu prin-

tu principis nomine regnare iussus, ob id uitium oppugnaretur à Neleo æmulo, qui hanc dignitatem membris corporis integro deberi contendebat, oraculo, ad quod disceptatio hæc reiecta fuerat, confirmatur, ac retinet MEDONTIDARVM nomine imperium idem posteritas. Fuit cum potestate annos 20. Pausanias, Ælianus, Eusebius.

NELEVS, intendit de successione fratri MEDONTI litem: qua oraculi Delphici sententia composita, IONAS Peloponneso extorres (eiecerant autem ACHÆI, cùm in domicilij partem receptos, inde hostes accepissent, quòd TISAMENVM suscipere regem nollent) sibi associat, & cum fratribus cæteris postliminio in Asiam reducit, ipse imperij sede Mileto potitus. Strabo, Pausanias, Ælianus, Suidas, Zetzes, Marcellinus: è quibus quod priores auctores tres addidere, Ioniam antè Barbarorum, hoc est, Carum, Lydorum, Mygdonum & Lelegum sedem fuisse, ab eo discedimus. Nam Ionum primordia non in Græcia, sed in Asia cœpisse, è literarum sacrarum constat ueritate. Quare gentilibus isthic reliquis reduces potius permistos quàm planè extraneos accessisse, malim. Etsi & hoc accidere potuit, ut qui è barbaris in Ionia insedissent, tum eiecti sint, itaque in sedes horum ipsi successerint. Ferunt et Naxum insulam ab ijsdem hisce colonis tum primùm habitari cœptam: relictis isthic à Neleo qui scelere aliquo polluti essent: cùm eam confessionem lustrationis commento eis expressisset, teste Æliano.

PHRYGIVS, retinuit à patris obitu Mileti imperium: ciues rebelles Myuntem dimittit: & motus denique in Pieria quadam, pacem interuentu ipsius fieri permittit, & uoto ea re Græcanicarum mulierum, quæ amari se ita uelle dicerent, sicuti Pieriam adamasset Phrygius, initium præbet. Plutarchus, Polyænus.

ÆPYTVS, condidit Prienen: ubi natus BIAS locum inter septem Græciæ Sapientes promeruit. Strabo, Pausanias, Eustathius.

NN. Filij ἐνάτυμοι consedere cum colonis in Cycladibus. Plutarchus.

ANDROCLVS, occupauit Ephesum & Samum insulam: ac prælio cum Caribus congressus, cadit in acie, & in finibus Ephesiorum tumulo honorificè conditur. Pausanias. Variat aliquantum Strabo, & subacta Ionia imperij fines in Æolidem propagasse, ait. Posteritas BASILIDARVM cognomento in principatus dignitate tum Ephesi, tum Erythris floruit, idque utrobique fama nominis & fortuna illustri. Sed Ephesi denique PYTHAGORÆ insidijs, Erythris populi inuidia, paucorum imperium dedignantis, euertitur, ut sunt auctores Aristoteles lib. 5. Polit. cap. 6. & Suidas, qui Ephesiam familiæ calamitatem CYRI regno antiquiorem facit. Nam Strabo iterum dissentiens adhuc suo tempore Basilidas reges Ephesi nominatos, & honores illustriores possedisse, ait, nempe in certaminibus locum principem & purpuram, regij generis insigne, tum scipionem pro sceptro, & Cereris Eleusiniæ sacra. Monumentum Androcli ad portam Magnetidem adhuc suo tempore reliquum fuisse, & insigne uirum armatum habuisse, Pausanias asseuerat.

CYARETVS, consedit Myunte, de cuius urbis fortuna multa Pausanias habet in Achaicis. Strabo Cydrelum & nothum uocat.

DAMASICHTHON & Promethus, migrârunt Colophonem. Vbi cùm ex amicissimis imperij æmulatione capitalibus odijs commisi, Damasichthonem peremisset Promethus, exul in Naxo uita defungitur, & ossa à filijs Damasichthonis Colophonem reportantur, Pausanias.

ANDRÆMON, insedit agrum Lebedium. Pausanias. Straboni Andrôcopus est.

DAMASVS & Naoclus, deduxere cum socio Gere Bœoto coloniam Teon. Pausanias. Strabo Naoclum nothum facit.

CLEOPVS, uendicauit Chrysennes Thessalæ astu Erythras Ionibus colonis. Habent historiam præter Pausaniam Strabo lib. 14. Polyænus lib. 8. quorum ille Cnopum, hic Nopum nominant.

MEDONTIDÆ.

MEDONTIS filium Archilochus fecit ACASTVM.

IV ACASTVS, imperauit ann. 36. cætera obscurus. Memoratur autem ab Eusebio & Archilocho, & ille posteritatem eius hanc subijcit.

V. ARCHIPPVS. ann. 19.

VI. TERSIPPVS. ann. 41.

VII. PHORBAS. ann. 31.

Pausa-

Pauſanias ad imperium huius Megarenſium bellum quoddam retulit contra Corinthios.

IIX. MECADES. ann. 30.

IX. DIOGENETVS. ann. 28.

X. PHEREDVS. ann. 19.

XI. ARIPHRON. ann. 20.

XII. THESPIEVS. ann. 27.

XIII. AGAMEMNESTOR. ann. 20.

XIV. ÆSCHYLVS. ann. 23.

Euſebius principatu huius Olympiadas orditur, & σύγχρονον eius facit regem IOTHAM.

XV. ALCMÆON ann. 2. Meminit Velleius uolumine priore.

XVI. CHAROPS ann. 10. Amittit ius continuandi uſque ad uitæ finẽ principatus, ac ipſe poſterique poſt annũ decimum deponere hunc iubentur. Velleius. Ab Halicarnaſſeo & Euſebio cõditæ Romæ tempus nominatur annus imperij ipſius primus, qui fuit Olymp. 7. annus primus, mũdi 3212.

XVII. ÆSIMEDES an. 10. Incidit in imperiũ huius bellum Meſſeniacum primum, et Amphea anno eius quinto capitur. Pauſanias.

*

XIIX. CLIDICVS ann. 10. Meminit Pausan. in Atticis.

XIX. HIPPOMANES ann. 10. Procreauit in reliquis liberis etiam filiam, forma & morum gratia præstantem. Huic cum è ciuibus quidam uitium clàm obtulisset, flagitium id ita ultus est, ut coniugio utrique denegato adulterum equis discerpserit, filiam uerò uinctam cum equo in carcerem coniecerit, neutri alimento præbito: Vnde equus fame in rabiem actus, puellam uiuam deuorauit. Auctor est Suidas, qui & locum ipsum (nam domus postea destructa fuit) πάριππον καὶ κόρην inde denominat. Pausanias bellum Messeniacum primum imperij eius anno quarto finitum, ait. Ouid. de filiæ uindicato stupro sic canit in Ibin:

Vtque nouum passa est genus Hipponaneia pœnæ,
Tractus & Actææ fertur adulter humo. &c.

XX. LEOCRATES. ann. 10.

XXI. ABSANDER. ann. 10.

XXII. ERIX. ann. 30.

Finijt familiæ imperij decennalis honorem: & rempub. exinde magistratus annui, qui è ciuibus prensantibus legebantur, gesserunt. Velleius uolumine priore. Eusebius Erixiam uocat.

APPENDIX

APPENDIX DE FAMILIIS PISISTRATIDARVM, ALCMAEONIDARVM, CODRIDARVM.

FAMILIA PISISTRATIDARVM, QVÆ TYRANNORVM DIGNITATE ATHEnis imperauit ann. 36.

HIPPOCRATES, claruit in Atheniensium repub. à maiorum memoria. Cumq́ in Olympijs sacrificans, feruere absq́ ignis adminiculo lebetes cœpissent, crudele à CHILONE Lacedæmonio, qui Græciæ sapientibus annumeratus fuit, consilium accipit, ut uel persisteret cœlebs, uel si uxorem duxisset, dimitteret filiosq́ necaret. Herod. Laërtius.

PISISTRATVS, edomat felici bello Naxum insulam: instat cum SOLONE propinquo (erant enim duabus consobrinis nati, & inde à puero beneuolentia coniuncti) de Salamine contra Megarenses uindicanda: atq́ ipse inter duces lectus, hostem Atheniensium matronis in Eleusinijs sacris insidiantem, fundit fugatq́, & expugnata Nisæa tantum non urbem Megaram capit. Inde Diacriorum factioni, qui Solone absente contra Pediæos & Paralos pro populari statu contendebant, se adiungit: Solonem à reditu paci consulentem eludit: fingit uoluntarijs uulneribus inimicorum insidias: itaq́ Aristonis cuiusdam scito 50. clauigerorum satellitio munitus, & mox de populi uoluntate asciscere plures permissus, arcem occupat, seq́ apertè Tyrannum gerit. In hac potestate etsi insolenter nihil faceret, & rempub. eo statu, quem condidisset Solon, relinqueret, tum ipse adeò legibus se subijceret, & Solonem, qui præcipuè ei aduersaretur, maximè demereretur, pellitur tamen MEGACLIS Alcmæonidæ & Lycurgi conspiratione. Quibus haud multò pòst nouis contentionibus distractis, à Megacle ducendæ filiæ eius pactione reuocatur, & commento reductricis MINERVÆ (ea mulier quædam, PHYA nomine, Deæ habitu exornata, uulgi stoliditate credebatur) tyrannidi restituitur. Ab eo tempore cùm prioris periculi memoria atq́ formidine diligentiùs se imperiumq́ munire cœpisset, domesticis turbis, ob nouæ nuptæ deuitatam consuetudinem uexatur, & alienantur ab eo Megaclis soceri artibus militum animi. Iccirco dum uim metuit Athenis Eretriam profugit. Ibi ab HIPPIA filia ad dominatum re-

EE 3 cuperan-

cuperandum animatus, sociorum auxilia ualida cogit: Marathonem ui expugnat: ciues in se profectos astu opprimit, eodemq; impetu arce occupata absq; motu alio tyrannidem deinde in annos 34. continuat. Herodotus, Isocrates, Diodorus, Plutarchus, Pausanias, Polyænus, Eusebius, Suidas, Valerius, Iustinus. Vixit diuersarum uirtutum gloria, ac testatum de eo Solonem accepimus, neminem ipso magis aptum natura ad uirtutem, neque meliorem ciuem, si modo studium principatus ex animo eius eximeretur, cupiditasq; tyrannidis pelleretur. His accedebat insignis eloquentia, accedebat ad tenuiores iuuandos propensio atq; liberalitas munifica, & circa inimicitias moderatio, habentq; de posterioribus duobus exempla notatu in primis digna, Plutarchus in Apophtheg. lib. 12. cap. 15. Valerius lib. 5. cap. 1. Seneca de ira. In bonarum literarum studia id meritum contulit, quod dissipata Homeri carmina, & passim per alia literarum monumenta dispersa, in unum collegit, & Iliadem atq; Odysseam distinxit, testibus Pausania & Æliano. Quomodo homines otiosos inhibuerit, eosq; impensa subleuârit, idem Ælianus narrat V.H. libro 9. cap. 25. Suidas prouerbium ab eo deriuauit: καὶ σφάκελοι ποιοῦσιν ἀτέλειαν.

Habuit PISISTRATVS coniuges tres: Prima ἀνώνυμος liberos edidit: PIPPIAM, HIPPARCHVM & filiam ἀνώνυμον: altera itidem ἀνώνυμος, Megaclis Alcmeonidæ filia cum gentili infamia uirum à se alienasset, thoro eius expellitur: Tertia Timonassa, Argiua, filios enixa est Iophontem & Thessalum. Etsi Plato & Ælianus Hipparchum filiorum Pisistrati natu maximum, ideoq; patris successorem, fecere, & huic demum Hippiam surrogârunt: quod firmioribus Thucydidis expositionibus refutatum, nos etiam reijcimus. Addidit concubinam Herodotus Argiam, è qua nata soboles unica Hegesistratus.

HIPPIAS, instat apud patrem iterum exulantem de tyrannide recuperanda, in eaq; pòst defuncto succedit. Cumq; inter initia totum se ad exemplum paternum componeret, cum eximia sapientiæ, moderationis & uirtutis laude floret: ac uigesimarum contributione de rebus nascentibus contentus, rempublicam præclarè tum administrat, tum ornat. Eam felicitatem primum ipse CIMONIS cęde corrumpit, deinde conspiratione Harmodij & Aristogitonis in fratrem HIPPARCHVM amittit, & periculum idem sola extra urbem absentia effugit. Ideo cùm ciuium motu, maturo consilio composito, acerbè in Aristogitonem (nam Harmodium mox satellites confecerunt) & amicam huius leænam, tum conscios cæteros animaduertisset, & ita animaduertisset, ut & è suis amicis præcipuos, falso iudicio ab Aristogitone excruciandi eius causa inter coniuratos nominatos, morte mulctârit,

ctârit, nouarum insidiarum metu grassari paulatim in plures occipit: munit se externis affinitatum præsidijs: ciues pecunijs emungit: domi-natusq; hisce moribus triennium integrum, tandem ALCMÆO-NIDARVM artibus Lacedæmonios hostes accipit. Hos etsi prælio uictos, & bellũ mox cum rege CLEOMENE acrius instaurantes, etiam ab obsidione, qua in arce premebatur, depulit, tamen ob liberos interceptos pacis arbitros admittere cogitur. Ergo intra dies quinq; excedere Attica iussus, in Asiam pergit, & ciuiũ permissu in Sigæo considet. Inde aliquantò pòst Lacedæmonijs reuocantibus Spartam regreditur, & iam in restitutionis spem erectus impeditur à Corinthijs. Içcirco cùm per Thessaliã, ubi & AMYNTAS I rex Macedoniæ, Iolcon ei detulisset, Asiã repetiuisset, ARTAPHERNEM, Lydiæ & Ioniæ satrapam, sibi conciliat, & inde ad DARIVM Hystaspis in Perside tendit. Cuius iussu Græcia frustrà à MARDONIO tentata, ipse se successoribus huius Artapherni & DATI belli socium adiungit: & in Marathone acri ab Atheniensibus prælio exceptus, id quod ipse sibi è dentis, tussi uehemẽtiore excussi, ostento prædixerat, fatũ subit, & in acie cadit. Herodotus, Thucydides, Plato, Aristoteles, Polyænus, Eusebius, Tzetzes, Iustinus. De morte Hippiæ uariat à Cicerone & Iustino Suidas, & è pugna Marathonia fuga in Lemnũ reuersum, ibi in morbũ incidisse, uisuq; amisso, quod sanguis per oculos efflueret, acerbo mortis genere interijsse, ait. Nec de reliqua eius historia planè idẽ Iustinus conuenit, & fœdiore errore Gel. lib. 9. cap. 2. Hipparchi cædem ad hunc transtulit: etsi lib. 17. hoc retractat. Conuiuiorũ & commessationum studium taxat in Hippia Athenæus lib. 12. cap. 15.

HIPPARCHVS, collegit summã patris gratiam præclara in bonis literis eruditione, & ab obitu huius cum fratre successore concordia summa uiuit. Ea ex re cùm multum posset in republica, turpi Harmodij amore accenditur, & repulsam bis passus, odium inde conceptum in sororem eius effundit. Ideo iam amasium ipsius priorem Aristogitonem hostem accipit: quorum conspiratione in ipsa Panathenæorum pompa oppressus, crudeli morte occumbit. Thucydides, Pausanias, Ælianus, Eusebius, Suidas, Gellius. Quomodo de historia eius uarietur, quibusdam ei paterni imperij successionem asserentibus, suprà monuimus. Et discrepantiæ huius auctor præcipuus Plato, in cæteris etiam collectorum Homeri carminum laudem ipsi ascribit, & rhapsodos, ut in Panathenæis memoriter illa recitarent, coëgisse, ait. Hominum doctorum consuetudine delectatus mirificè est, & missa quinquaginta remorum naue, ANACREONTEM Teiũ Athenas accersiuit, Ceumq; SIMONIDEM magna mercede & muneribus persuasum semper apud se habuit. Edidit etiã

poëmata ipse elegiacis uersibus, & statuarum eius Mercurialium inscriptiones à Platone eiusmodi memorantur: μνῆμα τοῦδ' ἱππάρχου· στεῖχε δίκαια φρονῶν. Et: μνῆμα τοῦδ' ἱππάρχου· μὴ φίλον ἐξαπάτα. Suidas hoc de Hipparcho prouerbium retulit: τὸ ἱππάρχου τειχίον de rebus sumtuosis, propterea quod cùm Academiam muro cinxisset, multum Athenienses impendere coëgerit. Pridie quàm periret per quietem uirum quendam hosce uersus accinere sibi uisus est:

τλῆθι λέων ἄτλητα παθὼν τετληότι θυμῷ,
οὐδεὶς ἀνθρώπων ἀδικῶν τίσιν οὐκ ἀποτίσει.

Addit aliud somnium Plutarchus de sera numinis uindicta, nempè Venerem ex Phiala quadam sanguinem sibi in faciem spargere, conspexisse. Interfectoribus eius Harmodio & Aristogitoni primis in foro statuas collocatas, Aristoteles auctor est, Rhet. lib. 1. A' Iustino perperam Diocles nominatur.

FILIA ἀνώνυμος, puella moribus & forma præcellenti, amatur ardentissimè à THRASYMEDE quodam, & in pompa publica ab occurrente exosculatur. Id iniuriam rata, cùm eo nomine delatum illum Pisistrati dimisisset humanitas, aliquantò post ab eodem ui rapitur, & naui in Æginam auehenda imponitur. In ea rerum acerbitate capta cum raptore ipso ab Hippia fratre, is ad Tyramum iterum adductus constantia sua non solum delicti ueniam, sed etiam puellæ coniugium impetrat. Plutarchus, Polyænus, Valerius.

IOPHONTES & Thessalus memorantur ab auctoribus Thucydide lib. 6. & Plutarcho in Catone maiore.

HEGESISTRATVS, nothus, constituitur à patre Sigæi tyrannus. Ideo Mitylenæorum bello oppugnatus, uictorias de hoste præclaras multas reportat, & in manubijs ALCÆI poëtæ arma capta Mineruæ donum suspendit. Herodotus.

Fuit cum HIPPIA connupta MYRHINA, Calliæ F. quæ liberorum quinque mater facta est, teste Thucydide: etsi is solos nominauit: Pisistratum & Archedicen.

PISISTRATVS, honoratur à patre Præturæ magistratu, & eo in tempore aram XII Deorum dedicat, addita inscriptione in hanc sententiam:

Monumentum hoc suæ Preturæ Hippiæ filius
Posuit in luco sacro Apollinis Pythij.

Auctor est Thucydides lib. 6. Cæterùm tum de hoc Pisistrato, tum de fratribus intelligo, quæ Herodotus de Pisistratidis apud XERXEM retulit. Huic enim ad bellum Græciæ inferendum cum ALEVADIS Thessalis auctores facti, id deinde cum rege urgent gnauiter, & captis Athenis, cum obsessis in arce de deditione agunt. Scholiastes

Thucydidis

Thucydidis etiam huius genus à Pisistratidis propagauit, à quo discedimus.

ARCHEDICE, datur à patre uxor Æantidæ, filio Hippoclis, tyranni Lampsaceni, & ideò datur, quod multum apud DARIVM Hystaspis hunc posse comperisset. Ab obitu Lampsaci tumulo conditur, cum epitaphio eiusmodi:

Viri sua ætate principis in Græcia
Hippiæ filiam Archedicen hæc tegit humus,
Quæ cùm patrem, uirum & fratres haberet tyrannos,
Liberosq́, non tamen animum sustulit, ut quid iniustè faceret.

HIPPARCHO Pisistratus collocauit PHYAM, quę primò exulantem reduxerat, ut scripsit Athenæus. Sed soboles ex hac nulla memoratur.

¶ E gentilibus Pisistrati Plutarchus Hipparchum retulit, & omnium primum damnatum ostracismo, ait: cùm fortè Pisistrati tyrannis inuidiam ei peperisset.

FAMILIA ALCMÆONIDARVM.

MEGACLES, meruit ab eximia uirtutis commendatione summum patriæ magistratum: CYLONI, qui ad tyrannidem aspirasset, in eoq́ conatu oppressus, imagini Mineruæ supplex assedisset, iudicio se sisteret, persuasit: Cumq́ is cum socijs fano egressus ita esset, ut filum textum inde extensum progrediendo teneret, hoc rupto, cum collegis eam inde calumniam extruit, ac si ultio diuina supplicationem irritam esse uellet: nec mora, impetum in miseros facit, & qui extra templi fores deprehensi essent, lapidibus obruit, qui uerò ad aras confugerant, iugulat, solis ijs dimissis, qui suæ collegarumq́ uxoribus supplicassent. Quare malè exinde cum tota posteritate audit: nec placari de hoc facinore antè populus potuit, quàm SOLON in publico iudicio disceptandam causam proposuisset. Quo cùm superstites exilio uertere solum iussi essent, defunctorum cadauera effossa, & extra limites ciuitatis proiecta sunt. Herod. Plutar.

ALCMÆON, belligerat pro Delphico oraculo contra Cirrhæos: CROESI regis legatos habet honorificè, euocantemq́ hunc aliquanto pòst, uisit, atque è fisco tantum auferre auri iussus, quantum ferre corpore suo posset, tum uestem tum cothurnos, ad id præparatos, denique & os & capillos farcit, indeq́ familiam diuitijs immensis accumulat.

accumulat. In Olympijs primus equorum iugo uicit. Herodotus, Isocrates, Plutarchus, Scholiastes Pindari, Zetzes.

MEGACLES, adiungit se procis Agaristę, CLISTHENIS Sicyonij filiæ, & Hippoclide, in quem tyrannus antea inclinatione propendisset, ob saltationes inuerecundiores repudiato, coniugem illam ipse accipit. Ea affinitate opibus uehementer amplificatus, iam etiam in republica multum potest: propugnat pro Paralorum partibus contra PISISTRATVM & Lycurgum, & illum deniq; arce occupata tyrannum se gerere ausum, cum Lycurgo socio expellit. Ab hoc tempore cùm nouis iterum contentionibus uexaretur, quadam desperatione cum PISISTRATO & reditum & filię connubium clàm paciscitur, & reducem conatus temerarij commento in ipsam arcem collocat. Veruntamen neutri institutum hoc feliciter cessit, neq; malè sarta gratia, & è turpi causa coniuncta amicitia, diuturna esse potuit. Etenim PISISTRATO uxoris fugiente consuetudinem ob piaculare familiæ crimen, multo acerbiore odio in eum exardescit: destitutum à milite pellit: & dum sociorum auxilijs confirmato, occurrere bello audet, astu oppressus, patria excidit, eaq; cum agnatis sæpe frustra tentata, exul Lipsydrij considet. Herodotus, Plutarchus, Polyænus, Suidas, Sholiastes Pindari, Zetzes.

Reliquit MEGACLES ex Agarista liberos CLISTHENEM, Hippocratem & filiam ἀνώνυμον.

CLISTHENES, auo materno, ὁμώνυμος, fit patri exilij cæterorumq; laborum pro patria recuperanda susceptorum consors: templum Delphicum mercede extruendum ab Amphictyonibus cōducit, & quia admodum pecuniosus esset, sumptuosius quàm stipulatus fuerat, exædificat. Vnde Delphis ipsis commendatus mirificè, uatem etiam pecunia tandem corrumpit, per eamq; de pellendis Pisistradis apud Lacedæmonios instat. Hoc ubi cessisset feliciter, patriam repetit: cum ISAGORA de repub. contentiones graues suscipit: auget tribus, conscriptis in eas tum peregrinis tum seruis municipibus: ciuitatem ad concordiam reductam in saluberrimo statu collocat: eaq; ex causa de inflatu Isagoræ pulsus à CLEOMENE, rege Spartano, propenso ciuium studio reuocatur, & socium deniq; cœptorum ARISTIDEM Iustum, æmulum CIMONEM, accipit. Herodotus, Isocrates, Aristoteles, Plutarchus, Scholiastes Pindari, Zetzes. Introduxit ostracismum, & si credimus Æliano, primus eo damnatur.

HIPPOCRATES, memoratur absq; rebus gestis ab Herodoto lib. 6. Meminit Scholiastes Pindari pag. 230.

FILIA

FILIA ἀνώνυμος iungitur infelici connubio PISISTRATO Tyranno:& toro expulsa, etiam patri hac iniuria, exilij causa exstitit. Herod.

CLISTHENIS coniugium ignoratur: tamen genitum eo crediderim Alcmæonem.

ALCMÆON, rebus gestis nullis inclaruit, memoraturq; nomine tenus à Suida: Qui & uxorem eius cum Zetza retulit Cęsyram, mulierem ob luxum & ornamenta celebrem, indeq; sobolem nominat, Megaclem & Lamachum.

MEGACLES, celebratur à Pindaro in Pythijs à quadrijugi curriculi uictoria, & nominantur ibi plures familiæ uictoriæ, nempe Isthmiæ quinque, una Olympia, duæ Pythiæ. Meminit Zetzes Chiliad.1.

LAMACHVS, nomine obscuro uixit: estq; ab eo diuersus ὁμώνυμος, nimirum Xenophanis filius, quem in bello Siculo NICIAS collegam habuit.

MEGACLES coniugem duxit Agaristam: è qua filiam procreat DINOMACHEN. Nã eam ex Isocrate sequi & amplecti coniecturam malim. Tametsi is, gradu generis uno omisso, ALCIBIADEM, Dinomaches filium, tantummodo Clisthenis pronepotem fecit: Id quod cùm liquidò refellat de Megacle, Dinomaches patre, scriptorum consensus perpetuus, habere locum non debet. Et crassius è recentioribus hallucinati sunt, qui eandem Dinomachen Megaclis, qui patrem Hippocratem habuit, filiam fecêre. Cùm enim alibi Suidas tradiderit, matrem Alcibiadis, Periclis sororem fuisse, nempè ex parente altero seu matre, sequeretur hanc fratrem uxorem habuisse: quod coniugium tradita auctorum monumentis de Atheniensium institutis nos credere uetant. Et notum Plutarchi de Euryptolemo, Megaclis filio, testimonium, quem nunc Periclis nunc Alcibiadis consobrinum uocat.

DINOMACHE, fuit in matrimonio Cliniæ, & filios ALCIBIADEM & Cliniam parit. Plato, Plutarchus, Ælianus, Suidas.

POSTERITAS HIPPOCRATIS.

HIPPOCRATE, fratre Clisthenis, nati sunt: Megacles & Agarista.

MEGACLES, nihil memoria posteritatis dignum egit, habetq; nomen solùm Herod. lib. 6.

EVRYPTOLEMVS, matrimonium alterum florente iam in repub. PERICLE contrahit, neq; uel sanguinis necessitudine præsentiam eius in nuptijs impetrare potest. ALCIBIADEM

reducem formidine quadam egredi trireme cunctantem sua præsentia cõfirmat, nec multò post iteratum eius exilium gemit. Plutarchus.

ISODICA, collocatur à patre CIMONI, Miltiadis filio: & amata tenerrimè, etiam prole eum felice auget, & morte deniqꝫ sua luctus acerbissimi dolore afficit. Plutarchus.

AGARISTA, tenuit ab auia Agarista nomen: & coniunx data Xanthippo, ab eoqꝫ impregnata, in somnis parere sibi leonem uisa est, nec multò post PERICLEM edit. Ab obitu Xanthippi nubit iterum agnato Magacli, in eoque coniugio filiam Dinomachen enitur.

¶Cæterum cùm felici affinitate iunxerit se ALCMÆONIDARVM domui Xanthippus, pater Periclis, & uterqꝫ fortuna & dignitate illustri floruerint, ideoqꝫ multorum auctorum monumentis celebrentur, familiam eam, Alcmæonidis quasi insertam, hîc subijcio.

ARIPHRON, homo genere clarus, factis obscurus, nominatur indicatione Herodoti, Diodori & Æliani.

XANTHIPPVS, scripsit MILTIADI III dicam ob malè administratum bellum Parium: contra XERXEM pugnat ad Salaminem tàm prouidè quàm animosè. Ideò THEMISTOCLI ex auctorato successor datus, cum Persis ad Mycalen debellat: retinet in sedibus suis Ionas & Æolas: Sestum deditione occupat, ibiqꝫ captum Arctayctem Satrapam in ultionem uiolati templi Protesilai suspendio necat. Herod. Diodorus, Plutarchus. Memorabile est: quòd de canum erga Xanthippum fide Ælianus & Zetzes prodidere. Hi enim domino ex oraculi iussu cum ciuibus in classem demigrante, seipsi ex Attica in Salaminem traiecerunt.

Fuit cum XANTHIPPO connupta Agarista, quæ liberos enixa est: PERICLEM & Ariphronem.

PERICLES, dedit adolescens operam, in Musicis Damoni, in philosophia ZENONI Eleatæ, in eloquentia ANAXAGORÆ: à qua eloquentia in admiratione habitus, ostracismi formidine repub. usqꝫ ad Aristidis mortem & Temistoclis exilium abstinet. Ab hoc tempore per contentionum studia CIMONI se aduersarium opponit: imminuit Areopagitici Senatus auctoritatẽ, & econtrario populi potentiam extollit: pugnat forti ausu contra Lacedæmonios ad Tanagram: CIMONEM conciliatum ab exilio reuocat: ciues in re nautica exercet diligenter: deducit colonias in Chersonesum, Naxum, Andrum, Thraciam & Italiam: urbem extructionibus uehementer exornat: Thucydidem æmulum, ostracismum intentantem talione plectit.

Nec

Neciam populo amplius,sed naturæ suæ obsecutus,ad optimates redit:indicit frustra Græcorum concilium: Chersonesi Isthmum muro sepit:sternit prælio Sicyonios: Ponti Euxini accolis Græcis securitatem præstat: pellit Sinope TIMESILAVM Tyranum: oraculum Delphicum Phocensibus restituit: PLISTOANACTEM regem cum copijs in Atticam progressum auertit muneribus: recipit Euboeam: mulctat Samios: suadet Corcyræorum societatem: Peloponnesiacum bellum tum pertinaci in Megarenses odio,tum periculi metu è Phidiæ, ASPASIÆ & Anaxagoræ casibus,inflammat:ciues ad hostium in Atticam irruptionem in urbe continet, idque indignantes coloniarum deductionibus placat:uastat Megaricam: tentat conatu irrito Epidaurum:atque inde inuidia, quam pestis calamitas refricuisset,apertius erumpente, & imperio abdicatur, & mulctatur pecunijs. Accessere domesticæ filiorum calamitates,quorum cum alterum improbè contumacem expertus esset, utrunque peste amisit. Quare à reipub. deinde negocijs abstinet,& uix demum ab ALCIBIADE persuadetur, ut in publicum progrederetur. Ibi populo ingratitudinem suam excusante, & imperium ultrò offerente, legem de spurijs abrogat,& filium suum nothum inter curiales refert. Nec multo pòst morbo affectus,etiam mente nonnihil mouetur, & uitam exitu placido claudit. Herodotus, Isocrates,Diodorus,Plutarchus, Polyænus,Suidas,Iustinus. Excelluit animi magnitudine,sapientia, moderatione, integritate: & à diuina eloquentia cognomentum OLYMPII promeruit: Quippe quem scripserint Comici in concionibus tonare ac fulgurare,horribileq; in lingua fulmen ferre,seu ut retulit Valerius in labris melle dulciorem saporem habere, inq; animis eorum,qui illum audierant quasi aculeos quosdam relinquere. Et addidit ipse hanc religiosi animi circumspectionem,ut quoties ad tribunal dicendi causa accederet,comprecatus sit Deos: ne quod sibi præter uoluntatem uerbum excideret, quod ad rem propositam non faceret. In corporis forma, cætera decenti, caput tantum oblongius & inconcinnius notatum fuit: quod uitium dotes complures compensauerunt,ac texerunt,nempe uultus grauitas, lenitas in incessu,in uestitu mundicies,oratio affectu nullo perturbata,uox composita ac placida. Ne populo sui pareret satietatem, & auctoritatem apud amicos tueretur,quasi per interualla,& cùm magna aliqua res operam ipsius requireret,conciones adijt,ac conuiuia perpetuò uitauit. Apud Thucydidem ita se prædicat,ut nulli se inferiorem esse dicat γνῶναί τὰ δέοντα καὶ ἑρμηνεῦσαι ταῦτα. Et cùm in repub. à muneribus inuictus esset, rem familiarem diligenter tutatus est. Bella ita gesit ut maximè securitati studeret, neque incerto euentu prælia iniret: solitus crebrò ad ciues

ſuos teſtari, quantum in ſe poſitum eſſet, ipſos nunquam morituros. Neq; aura popularis uel gratiæ uel inuidiæ ſe circumagi unquam paſſus eſt: ſed ſuis innitens conſilijs, etiam inuidorum criminationes atq; minas tum cantilenas & dicteria ſemper contempſit. Tenuit autem primas in repub. annos 40. poſt Thucydidis æmuli exitiũ annos 15. & per hoc tempus dux & uictor trophæa nouem ſtatuit. Auctor eſt Suidas, primùm in iudicio ſcriptam orationem habuiſſe, cùm qui illum anteceſſerant, ex tempore dixiſſent. In apophthegmatis eius hoc celebratur: Amico cuidam teſtimonium falſum, cui & iuſiurandum ineſſet, roganti: Vſque ad aras, inquit, mihi amico eſſe licet. Carpitur à Platone in Gorgia, ceu qui Athenienſes pigros, timidos, loquaces, ob conſtituta ſtipendia, fecerit.

ARIPHRON, egit cum Pericle tutelam Alcibiadis. Plutarchus in uitis.

Vxores PERICLES duas habuit: prima ἀνώνυμος filium Paralum, altera ASPASIA Mileſia, Xanthippum edidit. Nam ſequor Platonem, à quo diſſentientes Plutarchus & Suidas ex una Aſpaſia germanos illos fecere. Additur concubina ἀνώνυμος, quæ filium enixa eſt Periclem. De Aſpaſia autem multa habent Plutarchus in Pericle, Plato in Menexeno: Quorum ille ab eximia prudentia, facundia & rerum ciuilium peritia, tam illuſtre meruiſſe nomen, ait, ut CYRVS iunior, quam è pellicibus cariſsimam habuit, Miltô ante uocatam, Aſpaſiam appellârit.

PARALVS, accipit nomen hoc contra patriæ inſtituta ab heroë quodam: & morte ſua, quam die quarto poſt fratrem Xanthippum obijt, ita patris frangit conſtantiam, ut is defuncto coronam imponens etiam eiulatum emiſerit, & uim lacrymarum effuderit. Plato, Plutarchus, Ælianus, Athenæus, Suidas, Valerius, Macrobius.

XANTHIPPVS, homo ingenio prauo, honoratur uxore à patre: Cuius frugalitatem peroſus, nomina ingentia facit, & ſolutionem recuſantem flagitioſè traducit. Ideo cùm malè apud bonos omnes audiret, lue peſtifera inficitur: dumq; ne ſic quidem de offenſa erga patrem quicquam remittit, extinguitur. Plutarchus, Ælianus, Athenæus, Suidas, Valerius, Macrobius. Meminit Plato, & in Alcibiade primo de ipſius & fratris Parali educatione ita explicat, ut quadret in utrunq; quod eſt apud Horatium:

Syncerum eſt niſi uas, quodcunq; infundis aceſcit.

PERICLES, manet fratribus legitimis ſuperſtes, ideoq; patris opera, progeniem ſuam ſupereſſe cupientis, inter tribules refertur. ALCIBIADI imperio abdicato, cum collegis nouem ſucceſſor datur: ad Arginuſas Callicratidis expugnata naue, uictoriæ initium facit,

facit,& damnatus cum ducibus septem,ob cæsorum neglectam sepulturamq; capite mulctatur. Xenophon,Diodorus,Plutarchus.

FAMILIA CODRIDARVM.

EXECESTIDES, genitus illustri Codridarum prosapia, tenuit opibus & potentia medium inter ciues locum: & aliis gratificando,rem familiarem uehementer imminuit. Plutarchus,Laërtius,Stobœus,Suidas.

Procreantur Execestide filij: SOLON & Dropides.

SOLON, adolescit summa cum PISISTRATO beneuolentia:mercaturam iuuenis peregrinationum studio exercet: in Ægypto operam dat Sacerdotibus:excolit præcipuè politicam Philosophiæ partem:tripodem aureum à Milesijs piscatoribus inuentum, & sapientissimo dari oraculo iussum,tertio loco accipit:ANACHARCHIDEM Scytham admittit inter familiares: audit à THALETE coniugij incommoda: renouat insaniæ simulatione decretum de Salamine à Megarensibus uindicanda,eamq; primùm armis,deinde iure retinet: inflammat AMPHICTIONES in Cirrhæos: persequitur Cylonium piaculum: tyrannidem à ciuibus oblatam respuit,contentus nimirùm principis dignitate, & legum ferendarum munere,quas quidem leges post homines natos laudatissimas tulit, & de repub. omnium optimè meritus fuit.Etenim σεισάχθειαν introduxit:aboleuit leges DRACONIS: instituit censum: condidit senatum geminum & tribus,ac denique his quasi auctarium, anni correctionem addidit.Ab hoc tempore cum legum,in quas tamen iam ipsi magistratus iurassent,ab eo rationes poscerentur,ne fortè inde auctoritas illarum minueretur,prætextu curandæ rei naualis decennalem peregrinationem instituit: adit iterum Ægyptum, Cyprum & Ciliciam,& utrobiq; oppidis Solis de se nomen ponit:retundit CROESI Lydi de diuitiarum beatitate fastum, eamq; in uita permanenti detrahit,morienti eò usq; concedit,si Deus res secundas ad finem usq; prorogaret.Interea rebus Pediæorum,Paralorum & Diacriorum factionibus turbata,Athenas repetit: cum factiosorum principibus de compositione agit:olfacit PISISTRATI de tyrannide conatum, seq; paulatim aperientem uoce,armis & stylo oppugnat:& cùm frustrà omnia molitus, tyrannus etiam demereri ipsum impensius pergeret, per otium ad scribendum animum appellit, & opus de sermone Atlantico,quem è doctis apud Sain Ægypti audiuisset aggreditur: nec

multum progressus, senecta & morbo extinguitur. Plato, Polybius, Plutarchus, Lucianus, Suidas, Zetzes, Iustinus. Variant de historia eius Laërtius & Suidas, & de morte conueniunt Valerius & Gellius, quam obijt ętatis anno centesimo, teste Luciano. Nomen Solon à studijs reportasse ex Ægypto creditur. Est enim Ebræum Solomon, εἰρηναῖος, pacificus, ita nempe inflexũ, ut ex Absolomo usus fecit Absolon. Neq; leges (Athenienses Axonas, quod in ligneis tabulis scriptæ essent, nominârunt.) ipsius inuẽtum extitisse, sed ab Ægyptijs mutuatũ, certum est. Floruit enim per ea tempora præ reliquis regnis Ægyptus cùm disciplina & legibus, tũ doctrinarũ studijs, & inde floruit, quod hospites IOSEPHVM & Israëlitas habuisset, quorũ ille tam religionem quàm rempub. cõstituerat, & religione rursus teterrimis superstitionibus corrupta, respub. multis sæculorum ætatibus sibi cõstitit. Tametsi hoc nõ negârim, Solonẽ quędam mutasse, indeq; adeò rem totã cunctantius egisse. Sanè & ANACHARSIDEM hospitẽ in id ipsius institutũ lusisse ita accepimus, ut leges nihil ab aranearũ telis differre diceret: propterea quod perinde atq; illę tenerent, si quos infirmos & tenues cœpissent, à potentibus autem perrumperentur. Quo alludere item Satyrici illud uidetur.

Dat ueniam coruis, uexat censura columbas.

Retulit aũt complures Solonis leges Plutarchus, in quibus illa memorabilis, & nostro seculo cũ primis necessaria, quod prohibuit mortuis fieri cõuicia, item uiuis obtrectare in templis, iudicijs, curia, et cùm spectacula ederentur. Ac soluit parentes alendi necessitate filiũ, qui nullã artem doctus esset. Neq; enim ignarus, quæ parere otiũ uitia soleat, eo ciuibus ita interdixit, ut mãdârit Areopagitis, ut inspicerẽt, qua quiuis ratione uictũ suum exsarciret, otiantesq; punirent. Inter adolescentiæ studia poësin quoq; attigit: sed qua pòst aliam ad rem nullam usus sit, quàm animi tantũ fallendiq; temporis causa. Cumq; Thespis primùm tùm Tragœdias protulisset, etsi studiosè hominẽ iam senex audiret: tamẽ cùm sciscitatus, ecquid eũ non puderet corã tanta multitudine ita mentiri: ille respondisset, hęc animi causa ita agi, terrã grauiter scipione percutiens, Mox, inquit, fiet, ut cũ hunc ludũ laudemus, & honore afficiamus, cum in cõtractibus, inueniamus. In Draconis abrogatas à Solone leges lusisse ita postmodo DEMADEM accepimus, ut ob nimiæ seueritatis rigorẽ, non atramento, sed sanguine eas scriptas fuisse, diceret. Cũ Solon potius in repub. cõstituenda secutus sit, quod ante id munus familiare ipsi fuisse ferunt: Ab æqualitate nullum oriri. Crœso ab eo datũ de beatitate respõsum, expressit hoc modo Oui. 13. Met.

Vltima semper
Expectanda dies homini est, dicią; beatus
Ante obitum nemo, supremaq; funera debet.

Ex

Ex apophthegmatis eius celebrantur: principi consule non dulciora sed optima: Amicos citò noli parare, quos autem paraueris, ne reijcias: Ne quid nimis: Senescens multa addiscere uolo, idq; ut Plato addidit, à bonis. Nummum Solonis suprà apposuimus.

DROPIDES, celebratur à poëticis studijs à Suida, & meminere Plato & Laërtius.

CRITIAS. Plato, Laërtius.

GLAVCON

CHARMIDES, gessit sub Tyrannis 30. Pyræi præfecturam: & dum contra Thrasybulum pugnat incautiùs, perimitur. Xenophon. Platonis dialogis ab eximia pulcritudine, temperantia & Poëtices studijs prædicatur.

CALLÆSCHRVS, numeratur in 30. Tyrannis à Laërtio: quod equidem cum Xenophonte συγχύσει de filio Critia accipere malim.

GLAVCON

CHARMIDES, habuit & ipse familiarem SOCRATEM: quē dum de Genij monitu à ludis Nemeis dehortantem fastidit, infelici id conatus illius exitu luit. Ælianus.

PERICTIONE, fuit cum Aristone agnato, ad cuius iam familiam explicandam pergo.

CRITIAS, dedit adolescens operam SOCRATI, & inuidorum artibus in exilium proiectus, redux ALCIBIADEM reuocat, caq; de re legem ad populum promulgat. Captis à LYSANDRO Athenis inter 30. legitur: exilij iniuriam & cædibus & exilijs alijs uindicat acerbiùs, & THERAMENEM tum hunc conatum, tum cæterorū collegarum sæuitiam improbantem per calumniam opprimit. Quare nouum THRASYBVLI bellum attrahit: quem Pyræo depulsurus, pugnando cadit. Xenophon, Plutarchus, Ælianus, Iustinus. In bonis literis tantum profecit, ut poëmata cōdiderit: & cùm familiarissimo Socrate uteretur, cum Alcibiade ad Aristophanē coràm audiendum induxit.

¶ ARISTOCLES, genere Codrides, rebus gestis nullis inclaruit: hoc uno à scriptoribus celebratus, quod nepoti Platoni de eo nomen positum fuerit. Laërtius, Suidas.

ARISTON, mittitur in Æginam, ut agrum ibi ciuibus sortiretur, & re infecta, à Lacedæmonijs pellitur. Laërtius, Suidas, Apuleius.

Habuit ARISTON in patrimonio Perictionem, è qua liberos procreauit: Aristoclem, Adimantum, Glauconem & Potonam.

ARISTOCLES, ab egregio corporis habitu cognominatus PLATO, ponit puerilium studiorum rudimenta apud Dionysium quendam: in palæstra ab Aristone exercetur. Studet picturæ & poësi, & anno demum ætatis uigesimo audire SOCRATEM occipit. Hoc è uita sublato, iterum ad Cratylum & Hermogenem se confert: audit Megaræ Euclidem: suscipit peregrinationes in Cyrenas ad Theodorum Mathematicum, in Italiam ad Pythagoricos, in Ægyptum ad Sacerdotes & Prophetas, & morbo tum tentatus, curatur feliciter. Nec minus interea rei militari uacat: Quippe qui pro patria ter militârit. Verùm cùm natura totus ad philosophiam ferretur, & reditum in Ægyptum bella Persica denegarent, in Academia (erat is locus in suburbano nemorosus, à quodam heroë Ecademo nominatus) publicè docet, & sagaci ingenio Heracliteorum, Pythagoricorum & Socraticorum rationes ita miscet, ut in ijs quæ sensibus subiacerent, Heracliti partes tueretur: quæ ad intelligentiam pertinerent, Pythagoræ acquiesceret: in rebus ciuilibus SOCRATEM complecteretur: itaque triplicem philosophiam in unum corpus compegerit. Quare & apud ciues & per Græciam reliquam famam nominis illustrem consequitur: adit nouo peregrinationum studio Italiam & Siciliam: apud DIONYSIVM priorem de Tyrannide liberius disputat, ac propterea cædi destinatus, uix à DIONE conseruatur, & Polidi Lacedæmonio in seruitutem addicitur. Ab hoc in Æginam traductus, ob interdictam Atheniensibus insulam iterum de uita periclitatur, uniusq; Amiceridis humanitate, & redimitur & Athenas remittitur. Ibi magna rursus confluente ad eum auditorum turba, DIONYSIVM per literas offensam deprecantem fastidit: audit Polidis hostis à CHABRIA submersi interitum: Siciliam rogatu DIONYSII iunioris bis repetit, & prima profectione uehementer Dionis exilio offensus, altera graui periculo obijcitur, uixq; ARCHITÆ Tarentini opera euadit. Idcirco exinde repub. abstinens,

totum

totum se Philosophiæ illustrandæ dedit: dissuadet Dioni in Siciliam expeditionem: Megalopolitanis operam ipsius ad rempublicam constituendam poscentibus denegat: propugnat in iudicio pro periclitante CHABRIA, hisq; & studijs & moribus ea gloria crescit, ut etiam in Olympia Græcorum in se omnium ora conuerterit. Moritur octogenario maior in nuptijs discumbens, Olympiad. 108. anno primo. Plutarchus, Laertius, Suidas, Apuleius. Fuit ingenio naturáque præstanti: & fertur Socrates, pridie quàm ad eum adduceretur, uidisse in somnis oloris pullum sibi in gremio plumescere, qui continuò exortis alis in altum aduolans suauissimos cantus ediderit, idque illum deinde ad Platonem transtulisse. Facundiam eius apum ostentum in patris sacrificio præsagijt: & Cicero ipse orationis eius maiestati tantum tribuit, ut Iouem, siquidem loqui ei liberet, haud alio quàm Platonis sermone usurum, dixerit. Qua eadem de re edisserens Quintilianus libro decimo, capite tertio. Multum, inquit, supra prosam orationem, & quam pedestrem Græci uocant, surgit, ut mihi non hominis ingenio, sed quodam Delphico oraculo uideatur instinctus &c. Nec desunt in scriptoribus Ecclesiasticis, qui Mosen Atticum uocare audeant: & Philo Iudæus ita se eius imitationi dedit, ut celebrari inde cœperit, ἢ φίλων πλατωνίζει, ἢ πλάτων φιλωνίζει. Quanquam omnino in Philosophia eius quędam, haud dubiè ab Ægyptijs accepta, tradi obscurius, constat. Ideò & discipulus ARISTOTELES aliquoties eam oppugnat: & cum reliquis Philosophorum sectis penè abolitis, iterum Platonis Philosophia excoli cœpisset, quod accidit Romanæ monarchiæ tempore, Platonici (nam ita suspecto primo Academicorum nomine, dici maluêre) etiam ab artibus Magicis haud abstinuere, & tàm importunè quàm impiè è fundamentis huius doctrinam Ecclesiæ de Filio Dei ὁμοουσίῳ conuellere ausi fuere. In condiscipulis maximè XENOPHONTEM æmulatus est: qua de re multa Gellius habet lib. 14. cap. 3. Grammaticæ uim primus speculatus est, primus item Dialecticam nominauit, & Dialogos introduxit. Iuuenis modestiæ adeò studuit, ut nunquam risisse nisi modicè depræhensus sit. Et cùm Philosophiam suam perfectam esse cuperet, nec labori nec sumptibus unquam pepercit, emptis à Philolao tribus libris Pythagoricis, minis centum, hoc est, coronatis mille. Conditus fuit in Academia, ubi sepulchro eius hoc additum epitaphium ferunt:

σωφροσύνῃ προφέρων θνητῶν ἤθει τε δικαίῳ
ἐνθάδε δὴ κεῖται δῖος Ἀριστοκλέης,
εἰ δέ τις ἐκ πάντων σοφίης μέγαν ἔσχεν ἔπαινον,
οὗτος ἔχει πλεῖστον, καὶ φθόνος οὐχ
ἕπεται

*

ADIMANTVS, nominatur in patris testamento à Laërtio. Nam Suidas Platonem cœlibem decesſisse, ait.

ADIMANTVS, audiuit cum fratre SOCRATEM, eiq́ in iudicio adest. Plato, Laërtius: Quorum ille de ipso & Glaucone ex elegia quadam, in utriusq́ honorem scripta hunc uersum repetit:

Filij Aristonis, diuûm genus, inclyta proles.

GLAVCO, retrahitur à reipub. capessendis muneribus hortatu Socratis, & ideo retrahitur, quod rudis & rerum imperitus esset. Laërtius, Suidas.

POTONA, nupsit Eurymedonti, & SPEVSIPPVM, quem Plato in Academia successorem habuit, enititur. Laërtius, Suidas.

FINIS.

AVCTOR LECTORI S.

QVOS hoc in tractatu secuti scriptores simus, superius exposito ostendimus indice. Et præcipua quidem apud nos ueterum fuit auctoritas: Quæ res quoties dissentire ab recentioribus plerisq; coë gerit, collatio docere poterit. Nec tamen hæc quasi φιλαυτίας cuiusdam ambitio aut curiositas uideri debet, sed ueritatis studium. Si enim, quod ille ait:

Dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ,

Cur non potius ad fontes, quàm ad riuulos nos conferremus? & eos riuulos, quos uel incogitantiæ uel temerariarum opinionum tanquam ductibus turbidiores cognoscas. In annorum & temporis supputatione cæteris omnibus Funccium prætulimus: Nisi ubi rationes euidentiores ab hoc etiam discedere coëgere. Et debemus quidem ea parte maximè cùm alijs uiris doctis, tùm præcipuè Chronico Philippi, & Nicephorianæ Ioachimi Camerarij commentationi. Etsi quidem certè uerissimum est, quod obseruårunt prudentes quidam, duo inter eruditos hominum esse genera, qui concordare nequeant, Anatomicos uidelicet & Chronicos. Et est cæteroquin temporis ratio in annos regnorum atq; imperiorum distributi minus exquisita, uel potius uehementer intricata & dubia. Id quod scriptorem grauissimum Thucydidem adeò permouit, ut in hyemes & æstates rerum à se descriptarum seriem distribuerit. De numeris, quos personis in familiarum expositionibus adiecimus, hanc addo admonitionem postremam, præpositis regum à nobis denotatam successionem, postpositis nominum eorundem iterationem: & quidem utrunque in familia eadem. Nam reges non à successione, sed à familijs numerauimus: secuti hanc rationem ideò maximè, ut & ipsi à se inuicem, & nomina eorum, ac res gestæ discerni eò rectius & facilius possent: etsi tam ueteribus quàm recentioribus ignotam esse, haud nos præscribat. Ac obseruari itidem de lineis, quibus in tabulis usi sumus, poterit, transuersas & personis medias interiectas coniugium indicare, descendentes sobolem: quæ si in ramos diffusæ fuerint, tot quot ipsæ fuerint, numero liberos significant.

Tu

AD LECTOREM.

Tu Lector optime, quam præbemus tibi, frueris opera feliciter, & hisce ueluti ὁδηγίαις ad auctores ipsos contendes gnauiter. Ita enim ad augusta illa historiarum penetralia peruenire feliciter poteris: inuenturus ibi eos reconditæ sapientiæ thesauros, quibus non fortunæ, quæ momentanea sunt, sed animi bonis locupletêre. Vale.

B A S I L E Æ,
EX OFFICINA HENRICPETRINA,
ANNO VIRGINEI PARTUS CIƆ Ɔ LXXIV.
MENSE MARTIO.



TOMVS II.

CONTINENS HISTORIAM QVADRIGEMINAM.

DE FAMILIIS DVORVM AEGYPTI Regnorum, Battiadarum Cyrenæorum, & Dynaſtarum, Regum ac Pontificum Iſraëliticorum.

QVA PHARAONVM SVCCESSIO CONTINVA, AEGYPTII REgni à Perſis defectio atq; inſtauratio, & tam BATTIADARVM, quàm Dynaſtarum, Regum ac Pontificum gentis Iſraëliticæ, ſtirpes, diligenti ſtudio collectæ, & natalibus ſuis ceu reſtitutæ, exponuntur, quæq; de ſingulis dubia occurrunt, accuratè enodantur.

AVCTORE,
REINERO REINECCIO STEINHEMIO.



Cum Gratia & Priuilegio Cæſ. Maieſt.

BASILEAE, EX OFFICINA HENRICPETRINA.

MAGNIFICO VIRO,

NOBILITATE GENERIS, DOCTRINA, DIGNITATE ET VIRTVTE AMPLISS. D. IONAE

à Zeschauu, in Buchauu, Illustriß. Elect. Saxoniae &c. Curiae supremae Praesidi ac Consiliario, Patrono suo omni obseruantia Colendo.

S. D.

REINERVS REINECCIVS

Steinhemius.

DIV suspensos nos cogitatio tenuit, & solicitudine atq; cura multa defatigauit, operæne aliquid in ueterum Aegyptiorum regum historiam conferremus. Et cùm quæ isthuc impellerent, nonnulla occurrerent, plura tamen & potiora erant, quæ planè retrahere inde uiderentur. Cùm enim in id genus explicationibus caput esse soleat, quo assensio nitatur, bonorum auctorum copia & fides, quàm hîc monumentis commodis destituimur? quæ in ijs, quæ adhuc fortuna nobis reliqua conseruauit, discrepantium opinionum pugna? Quando neq; cum Herodoto Diodorus conueniat, & abutrisque atq; inter se Manetho & Eusebius dissentiant. Accedit tertium incommodum, quod exposuit auctor grauiss. Strabo, Aegyptiam historiam minus fidei ob scriptorum simplicitatem inuenisse. Etsi id potissimum ad sacerdotum commentarios uidetur referendum. Hos enim peculiare habuisse munus, ut regum res gestas in literas referrent, Iosephus & Diodorus tradidêre. Cùm cæteroquin tam religionis, quàm bonarum artium curam soli gererent. Quarum illam uti superstitionibus & fabulis nefarijs inuoluerunt atq; obscurârunt, ita neq; historias ab ea labe immunes esse siuerunt. Quemadmodum importunitatis audacia simi-

lis, in superioris temporis indoctorum rhapsodijs uidere est. Quæ sanè causa est, ut ingentium nostrarum historijs hærere creberrimè cum fastidio & indignatione cogamur.

Hæc quanquam ita sint, & prudentum moneat præceptum, ea quę fieri non posse uideantur, in deliberationem uenire non debere, tamen cùm opera hac carere haud posset literarum sacrarum tractatio, & eandem auctores in utraque lingua præcipui requirerent, neq; per se in re laudabili conatus improbetur, experiri hîc etiam qualemcunq; ingenij nostri industriam uolui: Cùm præsertim ceu ὁδηγίαν præberet eadem literarum sacrarum scriptura. Cum qua quando ita tandem Herodotus conuenit, ut de regibus posterioribus dubium nullum relinquatur, ad ueteriorum natales restituendos coniecturas eas attulimus, quæ auctorum testimonijs euidentibus niterentur: Idq; uti fieret commodius, antiquitatis monumenta, quæ nancisci potuimus, percurrimus, legendo sedulò, omnia nimirum rimantes, quæ ad institutum nostrum pertinerent. Qua tamen in re si quid adhuc quispiam desiderabit, non diligentiæ operam, sed ingenij perspicacioris uim, defuisse nobis, existimabit. Quippe qui in eas quandoq; præcipitati tenebras fuerimus, unde ad lucem reditio sperari nullam poterat. Atq; ut omnino alicubi mentis nostræ acies caligârit, ita præstatum hoc abundè confidimus, ut non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem, secundùm Poëtam, studuisse nos, uideamur. Porrò autem ad quos & quot adeò scripturæ tractatus commentatio hæc pertineat, quibusque item alijs scriptoribus explanandis deseruiat, suo loco pleniùs demonstratum est. Sanè quæ Israëliticam Ecclesiam uel beneficijs maioribus cumulauerit, uel incommodis grauioribus afflixerit, alia quam Aegyptij gens mentione historiæ Biblicæ nulla memoratur. Quippe quæ & Abrahamum & Iacobum cum posteritate hospites & finium incolas admiserit, & cùm deniq; inanis periculi metu exitium his moliretur, conatus huius nefarij pœnas eas dederit, quibus post hominum memoriam terram nullam

pertu-

pertuliſſe triſtiores, reperimus. Iniêre etiam cum Aegyptijs fœdera Reges SOLOMON, IEROBOAMVS, HOSEAS: ſed euentu ipſis ferè exitiali. Ideò IOSIAS Nechaonis amicitiam planè reſpuit: etſi neq; hoc ei feliciter ceſſit, Iudæis ſeruitute imperij externi acerba mulctatis. Id quod dum maiorum exemplo ueluti corrigere ſtudet Sedechias, extremum regno interitum attrahit: & Iudæorum reliquiæ poſt Iſmaëlis ſeditionem petere Aegyptum auſæ, Apryis iſthic regis crudelitate opprimuntur. Iam qua laudum & meritorum prędicatione Aegyptios reliqui ſcriptores celebrârunt? Quippe à quibus Græci & leges & diſciplinas ſuas accepiſſe ſe fateantur. Cùm dubium nullum ſit, utraſq; in Aegypto uel propagatas uel inſtauratas à Ioſepho. Eſt & ea confirmatio auctorum certa & euidens, conditos ab Aegyptijs Argiuos & Athenienſes. Quibus uirtutum addendo documenta, quæ Aegyptia proponit hiſtoria, ſanè quibus animus informetur, occurrunt plurima. Quantum enim in Oſiride & Amaſi pietatis religioſæ ſtudium eluxit? quę Seſoſtris, Thulis, Pſammitichi, Nechaonis, Apryis prædicatur militaris uirtus? quæ Ori, Aliſphragmathoſis, Thuoris in Aſtronomicis ſtudijs excolendis extitit diligentia? quæ Amaſis, ſimul prudentia, ſimul manſuetudo? Quibus in alijs pleriſq; oppoſita uitiorum turpitudinem & dedecus, ſcelerum ultrix Nemeſis ijs infamiæ pœnarumq; ueluti ſupplicijs ulta eſt, ut qui recti præceptis minus permouentur, his exemplis peccare meritò odiſſe (ut loquitur idem Venuſinus Poëta) incipiant.

Cæterùm ut & receptam quadam obſeruatione maiorum, & peculiarem meam in laboribus noſtris publicandis tenerem conſuetudinem, ad Ampl. T. Vir Magnifice Patrone Obſeruande, mittere Commentarium hunc uiſum fuit. Quippè quem & generis & animi uirtus, loco dignitatis illuſtri collocaſſet, cuiuſq; laudem merita in rempub. & opt. artium ſtudia commendarent plurima. Cùm in eaſdem artes tractando ipſe incumbendum ita exiſtimaſſes, ut ueluti κυμήλιον, ſeu potius uitæ magiſtram, his adiungeres antiquitatis

& historiarum cognitionem. Quando nimirùm à sagacis ingenij prudentia facilè perspiceres, quàm doctrinarum eruditio à suo tanquam uestitu nuda esse soleat, nisi exemplorum ornatus accedat, utq; tractari respublica feliciter nequeat, quem hæc ueluti norma destituit. Quanquam quæ currere lata uia, ut Poëtæ utar uerbis, minimè sinunt, sanè plurima sunt. In quibus quæ ad familiarum explicationem à nobis sit allata studij diligentiæq; opera, repetendo ut inculcetur, opus non est. Cùm hoc nomine & ab A. T. eam mihi beneuolentiam & uoluntatem nauari meminerim, ut obligatus ipsi uehementer sim, & qualecunq; officium hoc maturarim libentius. Ergo præstare de se A. T. utrunq; dignetur, ut & laborem hunc nostrum in patrocinij sui tutelam admittat, neq; obseruantiæ nostræ gratæ significationem fastidiat, oro. Enimuero addit ferè ad studium quoduis urgendum calcar ingens, cùm uirorum dignitate præstantium, tum comprobatio accedit atq; auctoritas, tum subsidij ostenduntur adiumenta. Quorum alterum cùm ab A.T. profectum iam abunde sit, ad alterum eam afferet uoluntatem, quam ab eximia ipsius in literarum studijs iuuandis propensione me expectare par est. Equidem ut ne quæ desiderentur in me animi grati partes, quo possum & debeo studio contendam, & beneficium tantum immortali memoria colam. A.T. benè & feliciter ualeat.

Lipsia M. VIIbr. D. XIV.

CIϽ. IϽ. LXXIII.

REGNVM

REGNVM ÆGYPTIVM
PRIMVM.

DE AEGYPTII REGNI ORIGINE ET FAMILIIS REGIIS, QVAQVE AB HIS SERIE, QVO ANNOrum ſpatio regnatum, denique quæ regum conſuetudines fuerint.

CVM de Ægypti appellationibus, & gentis ipſius origine, alibi diſcernimus copioſe & luculentè, utriuſque capitsi inde explicationes repeti, quàm nouas hîc afferri ſatius fuerit. Regnum de certiſsimis ſacrarum literarum aſſertionibus cum gentis primordijs inchoamus. Nam OSIRIS, qui inter reges princeps nominatur, MIZRAIM eſt, nominis enunciatione paululum mutata. Quod cum aliæ confirmant coniecturæ tum Diodori planum facit teſtimonium, qui patre Ammone, hoc eſt, CHAMO, natum ait. Eſtque idem planè cum Oſiride Minæus & Menas ſeu Menis (ſic enim lego, non Mneuis) quem celebrant Herodotus, Diodorus, Ioſephus, Ælianus, ut nempè dignitatis uel officij denominationem eam intelligamus. Crebrò enim obſeruare licet, huius generis appellationes pro proprijs obrepſiſſe, ut neque ijs refrager, qui faciunt Ebræum Meni, quo apud Eſaiam uatem Mercurius intelligi creditur: referunturq; ad eandē originem Græcū Μήν, & Arabicū Almanah. Nec ſanè diſsimilis eſt nominis ORI, qui Oſiridi ſucceſſor ſubiungiť, origo, ſignificato lumē exprimente, quācunq; tandem notionis iſtius opinari cauſam uoluerimus. Etſi ignis ſacri cultū tum primùm inualuiſſe, conſtat: Quē an hic etiam Rex ſuis obtruſerit, indeq; nominari uoluerit quod affirmem, nihil habeo: Cùm fieri tamē hoc potuerit, ut aſſentatorū improbitas paulatim eum à pietatis & ſincerę religionis ſtudio alienârit. Eſt autē utriuſq; regis huius hiſtoria fabulis intricatiſsima, neq; de ſucceſſoribus affirmari quid certi poteſt. Et meminit Strabo, ipſorum Ægyptiorū, hoc eſt, ſacerdotū (hos enim tantùm regū res geſtas cōſcripſiſſe, Ioſephus auctor eſt) cōmentarios minus fidei ob ſimplicitatem inueniſſe. Accedit noua diſcrepantis ſententię Diodori opinio, ſubactā nimirum Ægyptum atq; occupatam à Nino: quod tempus, Ori regnum longo interuallo anteceſsit. Et alibi item numerat ab exordio regni Ægyptij annos uſq; ad ORVM 1300. quæ tamen diſcutienda alijs relinquo. Ego uero ORO ex ſcholiaſtè

memoria nomen datum, ipso fortè MIZRAIMO seu Osiride, eius nomenclaturæ auctore. Sanè posteritatē huius etiam AMOSI edita progenie usq; ad AMENOPHIN.II. propagatam ac dominatam ita opinamur, ut semper patris imperium exceperit filius. Quod idem præclaro testimonio Diodorus confirmat: nisi quod ad annos 1040. dominatū istum extendit, & reges usq; ad BVSIRIDEM. I. quinquaginta duos numerat. Nam hunc potius AMENOPHIS. II. successorem accipimus, & familiæ nouæ conditorem facimus, atq; ex Eusebio Orum intelligimus. Qua de re notum Iosephi testimonium. Fitq; cum primis uerisimile, ab eadem mutatione etiam Israëlitarum afflictiones cœpisse. Cùm enim nihil his ORVS obligatum sese existimaret, ac potius formidine multitudinis suspectos haberet, premere illos apertè cœpit: estq; exemplum idem secuta deinde posteritas. Enimuero sæuitiæ istius initium ad hunc regem pertinere, temporum consideratio exquisitior ostendit. De cuius successoribus & sobolis progenie optandum esset plura tradita à Moyse. Nam Diodorus, qui Busiridem II. propagine octauum ab eo diuulsit, fidem nullam meretur. Etsi diuersum ab Oro esse constat, qui periit in mari Erythræo: & temporis ratio credere permittit, hunc ipsum alios antecessisse intermedios. Quos equidem Acenchrem & Rathorim accipio, & hostem illum Israëlitarum Deiq; cum Eusebio & Orosio Chencrum astrui. Huius filius Acherres Diodoro Vchoreus esse uidetur. Tametsi quæ is de generis gradibus (nam ab Busiride II. octauum facit) adiicit, in eo fidem illi iterum derogamus. Nec minus auctor idem de Myride impegit: quippe quem ab Vchoreo duodecimum nominet: Cùm rectius haberi Armeus posset, ipsa nominis enunciatione haud multum discrepante. Atq; incurrere reprehensionem hìc iustam Manetho & Eusebius, quorum ille Zethum (ipse Sethosin uocat) & Armaim, hic Armeum & Remessem, fratres Ægyptum & Danaum accipiunt: incurrit item Berosus, qui eadem hæc nomina ad Cherrem & Armeum fratres transtulit. Satius enim fuerit, de utroq; iis insistere ueritatis uestigiis, quæ Græcæ fabulæ suppeditant. Certè Herodotus ut tum hoc tum reliqua de regibus superioribus uitaret incommoda, seriem horū usq; ad Myridem planè omisit. Quanquam quem eorundem numerum adiicit, hoc est 333. repudiamus, libenterq; hic iis acquiescimus, quæ suprà hac de re ex Iosepho retulimus. Iam quod in Zetho, qui Sesostris II. est, familiam Manetho propagando pertexit, id rectè sequi possumus. Quando & Diodorus Sesostrim à Myride septimum facit. Quod testimoniū ut originem certam cōmonstrat, ita de generis gradibus habere locum nō debet. Nam Sesostrim cū Zetho eundem esse rerum gestarū, quas de his Manetho & Diodorus exposuêre, simi

litudo

litudo ostendit. Vnde & Sesostrin filium Ramsen ex Eusebio accipio, eundemq; ex Plinio Vchoreum appello, seu propria uirorum nomina, seu dignitatum intelligere notationes uoluerimus. Siquidem regem eundem Herodotus Pheronem uocauit, quæ est appellatio communis Pharao, cuius suprà meminimus. Nec dubium habeo, Lartis itidem nomen dignitatem exprimere, fortè à rerum bello gestarum magnitudine. Primum enim de Zetho usurpauit Manetho. Cuius posteri fortè ita retinuerunt, ut LARTES PHARAONES se appellarent. Quemadmodum apud Romanos consuetudo inualuit, ut Principes salutari Imp. Cæsares uellent. Ac uidemus hac imitatione hodie etiamnum Reges hæreditariò certos usurpare titulos, in quibus de Imperatore, & regibus Gallorum, Hispanorum, inuictissimi, Christianissimi & Catholici, nota. Quæ autem de his ipsis Sesostris rebus gestis, quem Diodorus secundum credidit, nostra sit opinio, suprà exposuimus. Etsi haud negârim, hunc quoq; uirtutis gloria claruisse, indeq; adeo antiqui illius historiam cum huius rebus sectis permistam fuisse. Nam fieri potuit, ut primi Sesostris exemplum hic alter imitatus sit, ita ut cùm nomen inde idem assumsisset, etiam posteritatis studium fama illum eadem celebrârit. Id quod quidem certè in usu frequenti positum uidemus, & dominatur hac parte propemodũ ipsorum scriptorum beneuolentia. Cæteroquin nomen id à multis usurpatum, suprà meminimus, & suffragatur nobis Ausonius epist. 4. ubi eodem nomine intelligi Psammitichum: temporis ratio probat. Ac quàm de aliorum regum quorundam nominibus uarietur, suo loco monebimus. Porrò autem quod hîc iterum plures ante Amasin Diodorus reges inculcat, in eo fidem ei derogamus. De hoc enim ex Eusebio Amenophis nomen retineo, ut Messenis seu Ammenemis de Menide. Cui à Diodoro præmissum Actisanem fortè ideo Eusebius omisit, quòd nihil ad familiam pertineret. Etsi equidem è Manethone hũc Sethonem credere malim, ut Æthiopica origo ad euentum aliquem, hoc est, quòd uel in gente ista educatus fuerit, uel moribus similibus studuerit, uel denique colore nigriore extiterit, referatur. Ac discedo hoc loco iterum à Diodoro & Herodoto, è quibus uti ille Menidis genus usque ad gradum quintum propagat, ita uterq; ab eo PROTEVM excludit. Cùm enim Rex iste testimonio Eusebij Thuoris esse commonstretur, successorem nos Menidis atq; filium ex Herodoto astruimus. Et quia nomen Græcam prorsus sapit originẽ, usurpatum etiam ab his tantum opinor. Addidit autẽ Diodorus, mansisse successione regnum Protei filio, & ab huius obitu demum ad stirpem aliam translatum. A' qua sententia etsi ita deflectit dissentiendo Eusebius, ut temporis huius imperium non regnum sed dynastiũ Diospolitanorum

litanorũ nuncupet, nobis tamẽ probabiliores Diodori uidenť expositiones. Et fortè Diospolitanorũ apud Eusebiũ nomen ad regni mutatam sedẽ alludit: quã à filio Protei iterũ Thebas (has enim Diospolin esse, suprà ostẽdimus) translatam, etiã successores aliquãtisper ibi retinuere. Nam posteriores quidẽ reges & Sai & Memphi cõsedisse, reperimus: & quomodo Thebę tandẽ excisæ fuerint, Nahumus uates tradidit cap. 3. Interijt igitur ORI posteritas in Protei filio, seu Rampsinito. Nam ita ex Herodoto nomino: Cùm in eo rursus ab auctore illo dissentiã, quod Cheopẽ ipsi surrogat. Potior enim hîc Diodori debet esse auctoritas. Etsi quod obscuriores Rampsaniti successores facit, eius Æthiopũ potius irruptiones, quàm otiũ illorũ atque uoluptates credere causam possumus. Nã ad hoc tẽpus propriè refero in Ægyptio regno mutationẽ, quàm his uerbis expresit Plinius: Ægyptus nunc seruiuit, nũc imperauit Æthiopibus. Estque consentaneũ, ipsum nomen PHARAO inde iã in desuetudinẽ aliquam uenisse: Quippe quod abhinc literę sacrę ita referãt, ut semper id quod reges habuère propriũ adijciãt: cùm uetérrimos illos appellatione cõmuni Pharaones nũcupent. Fecit añs Eusebius tẽpus illud ann. 177. Diodorus regũ septem. Quos reges & gente & stirpe diuersis editos accipio BANCHYRIN, THVLEN, NEOCHABEN, BOCCHORVM, SENYEM, TONEPHERSOBIN & VAFREM. Quanquã si cui fortè uel cũ superioribus uel inter se quorundã conciliare atque cõiungere nomina libuerit, nihil repugno. Qua in re cùm rationes nobis sufficientes nullę occurrerent, his insistere cõiecturis maluimus. Quãdo & de postremo Vafre discrtè nobiscũ facit Clemens. Huius successor rectè è literis sacris SESACVS, ex Eusebio Susachin & Smendes assumiť. Cumque illę Vafri etiã liberos attribuãt, Sesacũ his accenseo, & in Vafre familiã nouã ordior. De cuius tamẽ ꝓpagine in auctorũ scripta nihil peruenit, & uehemẽter suspecta nomina sunt, quæ de Smendis successorib. habet Eusebius. Quare deinceps ab Chronologia huius planè discedo, & ea retineo rẽgũ nomina, atque res gestas, quę habẽt Herodot. & Diod. Certè utraque cũ literis sacris cõuenire propius, apertũ omnibus est. Nec obstat hîc Manethonis de Herodoto refutato, et mendacij insimulato, à Iosepho expositum testimonium. Nam id tantũ ad superiora illa tempora pertinet: de quib. ut pleraque fugere Græcos potuere, & ideo fugere, quòd reges arceri ab aditu Ægypti quosuis iuberent, ut scripsit Strabo: ita posterioris temporis historiam commercia frequentiora notiorem fecere. Cæteroqui CHEMMIS imperium id propemodũ tempus complectitur, quod Smendis successorib. usque ad Persusennẽ, à quo recentiores plerique suã itidem quasi secessionem fecere, attribuit Eusebius. Quaꝑpter SESACO hũc filiũ assero, et qui eius regno desunt, annos successoribus

successoribus adijcio. Quæ res tota cùm à coniecturis pendeat, has cuique liberas esse uolo: fueritque satius interea nos Eusebij & Funccij computationes sequi. Chemmi rursus non fratrem, sed filium CEPHVM seu Cleopa subiungo. Nam eam gentilitatem ipsa temporis ratio exigit. Et discedi hoc loco tutius à Diodoro potest, quod nec sibijpsi planè constet. Estque sanè quod in eodem auctore & de Mycerini successoribus desideres. Huic enim Bocchorum surrogat, & deinde exactis seculis aliquot regnasse demum SABACHVM dicit. Qua parte cùm plana sit Herodoti historia, ei nos inhærere satius fuerit: ita ut Mycerino successor detur ASYCHIS, & à Diodoro nominata secula, & huius & ANYSIS imperio compleantur. Enimuerò Bochorum etiam tempore priorem fuisse, suo loco ostendemus. Cùm fieri tamen hoc potuerit, ut ab ea uirtutum fama, qua floruisse regem hunc constat, Asychis nomen eius repetierit. Neque adeò à familia Vafris, Asychin & Anysin excluserim, ita ut illum Mycerini filium, hunc nepotem, atque ipsius stirpis ultimum faciamus. Nam deinde regnum SABACHVS alienigena occupat, & huic iterum è Sacerdotum ordine SETHON substituitur. Quam quidem ex Herodoto sententiam magis probârim contra Diodorum, qui & Sethonem omittit, & post biennij interregnum rerum summam cum regij nominis dignitate commendatam duodecim Principibus, scribit. Id enim interregnum Sethonis primum imperio subiungo, & attexo
a huic demum annos 15. quibus principes imperârunt. Cæterùm in Principibus illis unum tandem PSAMMITICHVM regnum retinuisse, magno consensu omnes tradidère. Nec iam historia hæc perplexitatis quicquam habet: concordatque de APRYE cum Herodoto Diodorus. Qui per rebellionem à suis oppugnatus, & in prælio captus atque strangulatus, successorem ex familia noua & in serie hac postrema, AMASIN accipit. Nam filio huius PSAMMENITO uicto & capto à CAMBYSE, Ægyptus Persarum prouincia fit, cùm reges in uniuersum habuisset 49. Neque enim audiendi hìc Herodotus & Diodorus, quorum ille usque ad SETHONEM, & reges & Pontifices 340. hic reliquos, usque ad Ptolemæos, adijciendo 370. numerauit. Et apparet hinc itidem Melæ erratum, qui reges usque ad Amasin numero 333. definiuit. Vt ad seriem hanc fabulosam referam Vulcanum & Solem F. de quibus Cedrenus pagina 172. & Suidas ἥλιος & ἥφαιστος. Quomodo autem imperij Persici iugũ excutere rursus Ægyptij conati sint, suo loco pleniùs docebimus.

DE CHRONOLOGIA Ægyptiorum regum dubitare iure possumus. Maximè aũt ueteribus illis, hoc est, OSIRIDE, ORO, Sesostri, Timao, Alisphragmathosi, res hæret: & crassissimè omnium impegit,

impegit labẽdo Diodorus, qui regni annos usq; ad ORVM 13006. numerauit. Ab Orosio & liberationis & dignitatis Iosephi auctor Amesis astruitur. Ideo & regnum eius maturius cœperit, & durârit diutius, necesse est. De quo tamen suas cuiq; coniecturas liberas esse uolo. Et quia sequentium regum usq; ad CHENCREM ab Eusebio & Manethone annotati anni, haud planè id tempus, quod literæ sacræ nominârunt, exprimunt, sanè & hi pro arbitrio cuiusque, regibus cum adimendo tum adijciendo, distribuãtur licet. Quanquam quòd hæc res tota à coniecturis pendeat, nos quoad certius quid reperiretur, referre Manethonis & Eusebij annos maluimus. Nec omnino inter se tam de his regibus quàm de successoribus conueniunt Manetho & Eusebius, & discrepat ab utroq; de SESOSTRI II. seu Sethosi Diodorus, cui mox aliud maius de RAMPSINITO eiusq; successoribus succedit incommodum: Quippe de quorum etiam nominibus ambigatur. Et quæ adeò de tota familia Vafris nostra sententia sit, suprà exposuimus. Reliqui temporis series atq; computatio ex Herodoto & recentiorum scriptis plana est. Ac colligendo indè ab Osiride usque ad Psammenitum annos, proueniunt hi circiter 1637.

CONSVETVDINES regum sanè laudatas, diligenter Diodorus exposuit lib. 1. cap. 3. In quibus de uetustioribus illa cum primis memorabilis est, quod non è libidine, sed secundùm leges ueterum atq; imperare iubebantur: Quippe qui ministros etiam domesticos haberent, non seruos emtitios, sed nobilium sacerdotum filios; præclarè in bonis literis eruditos: essetq; interioris uitæ disciplina omnis ad modestiam, frugalitatem & honestatem composita. Huic publicè ipsorum sacerdotum accedebat in sacris procurandis ueluti adiuncta societas, accedebant laudum præconia conuenientia. Vt uerisimile fiat, cœpisse ab hoc itidem initio, quod Reges ipsi in sacerdotia cooptabantur. Quod quidem certè adeò obseruatum rigidè fuisse, ut si quis fortè è familia noua regnum per uim occupasset, ad initiationes solennes ante inaugurationem adigeretur, Plato auctor est. Extructionum monumentis ut qui maximè delectati fuêre. Vnde mirificas illas Pyramides, lacus, obeliscos & Labyrinthos legimus, de quibus præ cæteris luculentè Diodorus. Quanquam Pyramides fortè etiam Astronomicis studijs initiò inseruierunt, uti lacus Nilo receptacula præbuere, & Labyrinthi sepulcrorum usum præstabant. Nam hæc posteriora duo disertè ac auctoribus exprimuntur, uti itidem Pyramides alicubi ad sepulturas referuntur. Cùm nihilominus accedere ea quoque potuerit causa, quòd famæ & impe-

rij esse monumenta ea reges uoluerint. Cæteroquin enim sepulturæ eorum loca & Thebæ & Memphis & Sais memorantur: in quibus Thebaicas Diodorus numero 47. Strabo 40. definiuit, addita insuper mentione inscriptionum, quibus & potentia eorum & tributa & exercitus, interque hos ad 1000000. indicarentur. Traditur autem ipsius sepulturæ ritus eiusmodi: Luctum populus omnis totos 72. dies agebat, ita ut is quotidie publica præconis denunciatione bis renouaretur, & interea forenses actiones & sacrorũ festiuitates tum ciborum delicatiorum usus planè omitteretur. Deinde funus cum solenni pompa ad templum deducebatur: Vbi recitatis defuncti rebus gestis, ex meritis denique sepultura concedebatur. In qua ut putræfactio caueretur, corpora sale condiebantur, quomodo de Amasi Herodotus scripsit. Dignitatis appellationem primam & antiquissimam eos usurpasse PHARAO, supra meminimus. Quæ cum sanctæ scripturæ notissima sit, ita ut hanc ferè solam teneat, denominationibus proprijs omissis, uisum fuit hîc adijcere, quæ de illa habent Iosephus, Eusebius & Suidas. Sic igitur Iosephus Ant. libro octauo, capite secundo. Quoniam, inquit, uideo, multos quærere, qui factum sit, ut omnes Ægyptiorum reges à Minæo illo, qui Memphim condidit, quiquè multis annis auum nostrum Abrahamum præcessit, usque ad Solomonis tempora, per mille trecentos & ampliùs annos Pharaones dicti sint, à quodam rege nomine desumto: operæprecium existimo, eorum ignorantiæ mederi, & manifestam huius appellationis causam reddere. Pharao regem Ægyptijs sonat. Opinor autem ipsos à pueritia nominibus alijs discretos, quam primum reges creati fuerint, potestatis eius nomen patriæ linguæ uernaculum assumere. Nam & Alexandrini reges alijs prius nominibus uocati post assumtũ regnum uocati sunt Ptolemæi, à primo eius urbis rege: & Romanorum Imperatores alioquin gentilia nomina habentes, Cæsares appellantur, principatus & honoris uocabulo, posthabito illo priore, quod à parentibus hæreditarium in eos demanauit. Et hinc est, ni fallor, quod Herodotus Halicarnasseus cùm CCCXXX reges post Minæum Memphis conditorem, deinceps successisse dixerit, nomina eorum non recensuit, quia Pharaones uocati sint omnes. Cùm enim post hos muliar imperium arripuisset, nomen eius ponit Nicaulen: nimirum ea de causa, quod soli mares huius appellationis essent capaces, & non etiam fœmina, oportuit peculiare ipsius nomen dicere. Ego uerò in nostræ gentis commentarijs reperi, quòd post Solomonis socerum Pharaonem, nemo Ægyptiorum regum

amplius

amplius hoc nomine sit uocatus: & quod post illum uenerit ad Solomonem iam dicta mulier, quæ tum Ægypti simul ac Æthiopiæ regnum obtinebat. Eusebius hæc annotauit: Ægyptiorum reges tunc omnes Pharaones uocabantur, non hoc proprium habentes nomen sed pro dignitate reges tunc utebantur hoc nomine: sicut & apud nos Imperatores Augusti appellantur. Habebat ergo unus quisque Pharao proprium nomen. Hoc nos ex libris Manethonis, sacerdotis Ægyptiorum, lectum possumus. Suidas ita scribit: Pharaones uocabantur omnes Ægypti reges à primo Pharaone &c. In quibus Iosephi & Suidę testimonia haud mediocre de Nicaule & nominis Pharaonis tum origine tum significato atque duratione dubium relinquunt. Atque de Nicaule rem suo loco plenius enodabimus. Significatum nominis PHARAO, uti perpetuo appellaui, (ita enim cum Grammaticis nominemus.) nostri temporis uiri docti interpretando tradidere liberi, & sono uicinum faciunt Germanico Frey/ quod Latina enunciatione Baro est. Vt Iosephus magis usum eius, quàm originem expresisse uideatur. Neque scriptura sacra post Solomonis tempora Ægyptios reges hosce Pharaones uocare ita definit, ut nomen hoc omittat, sed ut alterum, quod habuêre proprium, addat. Etenim & Sesaco & Soæ & Nechaoni & Apryi id adijcit. Cùm Pharaonibus adhuc Lartes inserant Manetho & Eusebius, idque nomen regibus quatuor accommodent. Etsi præter usurpationē solam aliud de hoc nihil habemus: Quam si quis referre isthuc uoluerit, quo nominauit Berosus Orum, Acenchrem & Rathorin reges magnos, Diodorus Osymandyam & Sesostrin reges regnum, nihil repugno. Regijs familiæ diuersæ itidem diuersis usæ sunt, & ijsdem fermè quas sepulturæ loca habuêre, hoc est, Thebis, Memphi & Sai. Insignia regum in hanc sententiam Diodorus descripsit libro 1. Ægyptijs, inquit, regibus mos erat, aut leonis, aut tauri, aut draconis priorem partem in capite ferre, insignia Principatus. Quandoque uerò arborem, aliquando ignem, quandoque redolentia supra caput unguenta: hæc tum ad decorem pertinebant atque ornatum: tum stuporem ac superstitionem quandam aspicientibus inijciebant. Hactenus Diodorus.

FAMILIAE REGVM ÆGYPTIORVM.

I.

FAMILIA OSIRIDIS.

I. OSIRIS, in literis sacris appellatus MIZRAIM, in Ethnicorum libris Menas & Menis, à Iosepho Minæus, Chami F. Nohæ N. condit & denominat ex se Ægyptios, ijsque in terram ἐπώνυμον deductis primus cum imperio summo præest. Hoc cùm animo uerè paterno gereret, religionis docet ritus, leges fert, fundat urbem Thebas, & ad populi salutem multa utiliter sancit, atque tum de rebus necessarijs alijs, tum quæ ad uictum pertinerent, studiosè & prudenter prospicit. Ideo per Chananæam & regiones finitimas fame grassante, cum suis abundat. Qua fama & spe ad se profectum ABRAHAMVM imprudens uxore spoliat, & monitus errati oraculo eam reddit, & hominē diuinum habitum benignè, deinde doctorem cùm in rebus cœlestibus tum in bonarum artium studijs audit, tandemque donatum amplissimè dimittit, Genes. capite duodecimo, Strabo, Iosephus, Eusebius, Cedrenus. Habet historiam eius fabulosam Diod. libro primo, capite secundo, ubi à Græcis Bacchum nominatum, ait, & cum Serapide eundem facit. Addit præterea, cultum eius primum Græcis ab ORPHEO traditum, cumque is Thebanis in primis amicus esse Bacchum Semele genitum, finxisse. Etsi idolatriæ istius Orpheus pœnas iustas dedit, discerptus nempe à Bacchis mulieribus. Quo autem Bacchi fabula alludat, quidue denotet, alibi explanauimus. Et turpissimus uirilium Osiridis cultus haud dubiè cœpit à memoria facinoris Chami, qui in patrem Noham ex ebrietate obscœnius iacentem impiè illuserat. Mercurio habitos ab Osiride ob communicatas doctrinas Astronomicas & medicas, honores de Abrahamo accipio. Etsi quod refert Mercurium significato nomen, hoc est, Menas ad ipsum Osiridem pertinet. Et credibile est, doctrinas eas postea instaurasse, & obscuratas expolijsse, IOSEPHVM. Sanè in Ægypto præcipuè floruisse, indeque in Græcia transplantatas, certum est. Epitaphium Osiridis posterioris temporis uidetur effinxisse superstitio, neque γνήσιον Isidis est, quod itidem Diodorus exposuit, ac potuit etiam in interpretando auctor ille falli. Cæteroquin

quin Straboni Osiris Apis est, hoc est, bos Lunæ facer. Nam Ælianus ab eo distinxit Mneuim, quo nomine bouem Soli sacrum appellat. Etsi ego regis unius nomina crediderim, ut posterius sit Menas, quod suprà ex Diodoro & Herodoto retulimus. Atque equidem nomen Apis rectè regi huic competit: Est enim ab Ebræo, Ab, pater, ut nempè ad gentem ab eo propagatam alludatur. Cuius cultus unde ad bouem translatus sit, affirmari certò nequit. Etsi facilè assenserim, si qui agriculturæ, quam suis fortè Osiris demandauit, in eo datum aliquid uellent. Estquè credibile, ISRAELITAS ad bouis eius imitationem uitulos suos aureos in eremi transitur conflasse. Eusebius etiam in nomine Osiris ab astronomiæ studijs significationem quæsiuit, idquè interpretatur multiocculus. Nam Osiridem solem accipit. Iosephus alibi nunc Pharaonem, nunc Nechiam nominauit: Quorum alterum cùm sacrarum literarum sit, alterum è Manethone desumtum, opinor.

CONIVGEM OSIRIDI attribuunt ISIDEM, sororem, unde Berosus & Diodorus liberos nominârunt: Anubin, Macedonem & ORVM. De qua narratione quisquè quod uolet, sentiat. Cùm enim gentem Ægyptiam Osiris propagârit, liberos eius definire fortè conatus tam ridiculi quàm inanis fuerit. Et meritò hic Diodoro, qui scopum alium propositum haberet, aliquid condonatur. Ferunt autem Isidem hanc & mariti, & uirtutis optimarumq; disciplinarum cum primis studiosam fuisse, & primū illi honores diuinos se decreuisse: quæ fortè initiò ueneratio honesta fuit. A' morte Lunæ nomine culta fuit: unde in consuetudinem uenit, ut statuæ eius cornua adderentur. Nomen creditur esse Ebræum Ischa, uirago: quod cùm repetijsset in Cleopatra M. ANTONIVS Triumuir, se etiam Osiridem appellauit. Cultum Isidis Romæ sustulit Imperat. Cæs. TIBERIVS, & ideo sustulit, quòd sacerdotes Isiaci stuprum Paulinæ matronæ procurârant. Etsi repetitum hunc postea constat: & scripsit de DOMITIANO Suetonius, Isiaci hunc habitu Capitolio expugnato, periculum euasisse. In Sueuorum ueterum Dijs Tacitus etiam Isidem nominauit. Atque inuenias, qui inde urbis Isennaci denominationem deducant, sicuti itidem à Gratijs, Luna, Hammone, Madeburgum, Luneburgum & Hamburgum nuncupant. Sed hæc è fabulis, & absque rationibus certis conficta repudiamus. Estquè uerisimilius, Isennacum ad ferri metalla, quæ fortè uicinia ista habuit, alludere. E reliquis appellationibus Madeburgum & Hamburgum sunt à Mædis & Gambriuijs, gente Cimbrorum, de quibus utrisq; alibi plura disseruimus.

ANVBIS & MACEDO militârunt inter duces apud patrem, & cùm alter canem alter lupum armorum insignia ferret, animal inde utrunque Ægyptijs sacrum esse, & ipsi formis horum coli, cœperunt. Auctor est Diodorus libro primo, capite secundo. Cæterum ut de Anubi haud repugnârim, sic de Macedone, ad quem & gentis & nominis Macedonum refertur origo, iure dubitare possumus. Neque enim rex quispiam Macedo fuit, unde ea denominatio profecta sit, sed Ceteos auctores habet, quos Ceteos lōgè pòst in Europa insedisse, suo loco pleniùs demonstrauimus.

II. ORVS, administrat successione regnum à matris obitu: Qua in dignitate cùm nihil de Astronomicis & medicis studijs remitteret, & medendi & uaticinandi arte nomen cum primis illustre inuenit. Diodor. Cedrenus, Berosus historiam eius in Herculis fabulam commutat. Nam Orus, Spareti Assyrij σύγχρονος, ab hoc diuersus, & tempore posterior est.

III. SESONCHOSIS, seu ut alij SESOSTRIS, ut alij VEXORES, meruit famam ad posteritatem insigni fortitudine, & gloria bellica. Nam Æthiopia & Troglodytica subacta, in Asiam transcendit, armaq́ ibi latè circumfert, territat item Europam, & uictoriarum suarum monumenta, quæ literarum sacrarum inscriptiones haberent, passim relinquit. Nec minus interim se pace bonum præstat: nam & regnum legibus constituit, & populum ordinibus distinxit. Vt faciliora cum Indis redderet commercia, sinum Arabicum cum Pelusiaco coniungere instituit: & Geometricis rationibus edoctus, maris summitatem altiorem esse, inundationis metu ab eo cæpto destitit. Aristoteles, Diodorus, Strabo, Arrianus, Cedrenus, Scholiastes Apollonij. A' Suida & Plinio arrogantiæ notatur: Quippe qui annis quibusq́ forte Reges singulos è subiectis iungere ad currum, sicq́ triumphare, solitus sit. De qua eadem re in hanc sententiam Tzetzes scribit:

Assyriorum rex Sesostris ille,
Iuxta Diodorum uero Sesoosis nomine,
Assyriorum monarcha, dominatus est terræ omni,
Iungens in curru huius reges,
Et ab ipsis tractus, quemadmodum ab equis alij:
Et mundi imperator, & Deus uocabatur suæ ætatis hominibus.
Huius aliquando quidam rex compreßit superbiam.
Fortunæ inconstantiam penigmata cùm ostendisset.
Trahens enim currum ipse, rotas contemplabatur:
Tardam autem uectionem, sic contemplans faciebat.
Vt autem ad hunc dixit Sesostris ille,

Cur ocioris ad uiam bomo factutum d c.
Ille autem rotarum uersiones uidens, inquit, non curro,
Cognoscens igitur Sesostris id quid ipse declarabat.
Contraxit fastum, disiunxitq; bos,
Et deinceps uniuersis erat mitis, & modestè sapiens.

Et iterum:

Medicus Diodorus, missus à Mauricio,
Chaganum amicum fecit generi Romanorum,
Cùm enarrasset Sesostridis, quam dixi historiam,
Et per eam incertitudinem & uolubilitatem fortunæ
Sapientissimè innuens. atq; huic cùm persuasisset,
Et ad amicitiam, & fœdera statim conuertit.

In quibus tamen erratum hoc occurrit, quod Assyriorum Rex & monarcha appellatur: nec habent Sesoosidis nomen Diodori libri, qui iam extant. Alibi Suidas Parthorum è Scythis coloniam ad auctorem Sesostrin refert: de quo quid admitti possit, suo loco edocuimus. Et Orosius è Iustino uictum à Scythis, atque in ipsam Ægyptum reiectum, ait. Inter leges eius illa in primis memorabilis est, qua uetuit, ne quis paternam artem desereret, cùm nempè πλωνεξία occurrere uellet. Isthmi inter Pelusiacum & Erythræum mare effossionem post iterum Darium Hystaspis & Ptolemæum tentasse, apud Plinium legimus. Auctor est Tacitus, sub Sesostri primum Phœnicen auem conspectam.

IV. TIMAVS.

V. ALISPHRAGMATHOSIS. } Memorantur à Iosepho ex Manethone. Qui quæ de Pastoribus, hoc est, Israëlitis affinxit, qui alteri regnum eripuerint, ab altero uerò uicti ipsi sint, ceu fabulosa cum eodem Iosepho reijcimus. Timaus Diodoro & Zetzæ Osymandyas esse uidetur, de quo apud eundem plura libro primo, capite primo. Vbi quæ præcipuè obseruetur, de iudicis Officio pictura est, & nominatur ibidem in monumentis eius bibliothecæ inscriptio eiusmodi: Animi medicamentum. Intelligo etiam de hoc rege nomen Thamus apud Platonem in Phædro.

VI. AMOSIS, regnauit ann. 25. Nobilitatus fuit nominis illustris gloria ex alumno IOSEPHO Patriarcha & Ecclesiæ Israëliticæ hospitio. Cùm enim è somnio gemino (immissum autem utrunque diuinitùs fuerat) solicitudine anxius, frustra hariolos consuluisset, à Pincernarum magistro, qui in carceris calamitate, socium

Iosephum coniectorem expertus fuerat uerum, de homine monetur: Quem mox adduci iussum cum attentione pia audit, explicantem futura, quidqúe de repub. facto opus esset, miratur, atque ipsius precipuè prudentia malis imminentibus occurri posse ratus, ueste, annulo, torque ornatum, regnum dignitate à se secunda administrare iubet, & uxore è nobilissimis honorat. Post IACOBVM cum omni familia euocat, salutantem ac fausta precantem habet benignè, & cum de rebus necessarijs ei prolixè prospexisset, habitare in terra Gosene permittit. Nec spe sua de Iosepho fallitur: Quippe per quem & annona abundârit, & fiscum annuis reditibus locupletârit. Quare mox de doctrina cœlesti doctorem eum admittit, idqúe exemplum dum imitantur proceres, imitantur sacerdotes & plebs, incrementa Ecclesia per regnum eius magna accipit. Genes. 40. 41. 45. 46. 50. Iosephus, Orosius, Zonaras, Cedrenus. Variat Clemens ex Ptolemæo Mendesio, & Mosis σύγχρονον facit: nec consentit Manetho apud Iosephum libro primo, contra Apionem, ubi Themosin uocat, & pulsos ab eo Pastores, hoc est, Israëlitas, ait. Clementiam eius etiam in Ethnica religione de humano Iunonis sacrificio abolito apud Eusebium arguit historia: tantum enim cereas offerri imagunculas iussit.

VII. CHEBRON, regnauit ann. 13. Conseruat patris erga Iosephum & Ecclesiam Israëliticam beneuolentiam. Quod idem de posteris credere ætas Iosephi cogit, cogit Mosis expositi periculum. Fuit enim cum dignitate Iosephus ann. 80. & ab eius obitu anno sexagesimoquinto nascitur Moses. De imperij annis consentit cum Eusebio Manetho apud Iosephum. Cuius nomen usque ad fragmenti ipsius initium deinceps solum ponemus.

IIX. AMENOPHIS I. ann. 21. ut Manetho ann. 20. mens. 7.

AMESSES, filia ann. 21. menses tres, ut est auctor Manetho. Nam ab Eusebio planè omittitur.

IX. MEPHRES, ann. 12. ut Manetho ann. 12. mens. 9. A Plinio Mitrem nominari crediderim, qui idem regiam eius facit Heliopolin. Significat autem nomen id Persis Solem: cui Obeliscum ab hoc rege conditum, idem Plinius tradidit.

X. MI-

X. MISPHARMVTHOSIS, ann. 16. ut Manetho ann. 25. mens. 10. Ad hunc itidem è Plinio transfero nomen Mesphres, de quo idem plura lib. 36. cap. 9.

XI. TVTHEMOSIS, ann. 9. ut Manetho ann. nouem mens. 8.

XII. AMENOPHIS II. ann. 31. ut Manetho 30. mens. 10. Eusebius alterum ei nomen Amenoptes fecit, & creditum à quibusdam MEMNONEM, seu lapidem loquentem, ait. Quippe cuius statua usque ad aduentum Christi, Sole oriente, uocem edere diceretur.

II.
FAMILIA
ORI.

I. ORVS, alio nomine BVSIRIS, capessit regnum post AMENOPHIN II. Ac potentiæ suæ ab Israelitarum metuens incrementis, diuersis gentem premere uexareque laboribus occipit. Nam Nili eis deriuationes atque aggeres imperauit: condit urbem Busirin, reliquisque regni urbibus mœnia adijcit, & usque ad uesanas Pyramidum extructiones prouehitur. Dumque ne sic quidem quicquam proficit, ad stirpis masculæ cædem miseros cogit. Cui sæuitię diuinitus subtractū Moysem adoptari à filia permittit, & quamuis omen in puero impendentium ab eo regno cladium non dubium perspexisset, occidere tamen ipsum haud sustinet, ac tandem contra Æthiopas belli imperatorem legit. Ab hoc tempore reum cordis factum, auersari & ipse incipit, & odium in Israelitas infestius concipit. Regnauit ann. 38. ut Manetho 36. mens. 5. Exod. 1. 2. Berosus, Diod. Iosephus, Zonaras. A' crudelitatis fama, quam in Ebræos infantes exercuit, Græcorum extitit figmentum de mactatis à Busiride hospitibus. Nam ita cum Philippo Mel. sentire malim: à qua sententia expositio Diodori discrepans, causam huius allegat sacrificium, quod ueterrimi reges ad sepulcrum Osiridis peregerint, & ita peregerint, ut ob Typhonis memoriam homines rufos ad id deligerent: cumque propterea Ægyptij rufi pauci essent, in externos sæuirent. Nec audiendus Strabo, qui uel regem uel Tyrannum Busiridem fuisse

fuiſſe negat: Cùm Diodorus ipſas adeò Thebas primam regum ſe- dem,ab eo conditas uelit: quod ego de inſtauratione harum, & no- uis extructionibus,quibus eam fortè exornauit, accipio. Habet en- comium Buſiridis Iſocrates. Orat. 6. ubi inter cætera, quæ ad com- mendandum ipſum colligit, etiam Poëtarum arguit uanitatem, qui Herculis σύγχρονον fecerint. Euſebius libro 9. de præparat. Euange- lic. cap. 4. Chenephrin nominat: nec diſcerno ab eo Tarachum, quem Suidas retulit, πρεσβύτερον. Retinet etiam Chenephris nomen Cedrenus, ſed quod tamen de Chencre intelligere uideatur: uti de Oro Petiſſonij: Etſi utriuſque regis hiſtoriam planè confun- dit.

ORO Manetho apud Ioſephum liberos attribuit, ACENCHEREN fœminam & RATHORIN marem. Quibus ex Euſebio addimus Telegonum. Etſi auctor is de hoc ſecum ipſe pugnans, alibi ab Io & Inacho octauum uocat.

ACENCHERE, enituit ſumma patris gratia. Qua freta, Moyſen in Nili fluentis expoſitum extrahit per pediſſequas, & edu- cari ab ipſis parentibus curat, iamq; grandiuſculum ad ſe reductum, pro filio habet. Ab hoc tempore etſi uarias ei fieri inſidias intellige- ret, tamen conſtanter illum uſque ad bellum Æthiopicum tueri per- git. Tum enim reum cædis factum, odiſſe ipſa quoque incipit: & à patre ſucceſſione honorata, odium in Ebræos ſimile ſuſcipit. Fuit cum poteſtate ann. 12. Exod. 2. Beroſus, Ioſephus, Euſebius: è qui- bus Ioſephus à ſe ipſo diſſentiens, nunc Acenchrem nunc Thermu- tin nominat, habetq; poſterius Zonaras, Cedrenus, & Suidas Θερμοῦ- θις. Nam Euſebius noua denominatione uarians, ex Artabani hi- ſtoria Merin nominat. Quo alludere crediderim nomen Nitocris apud Herodotum, de cuius hiſtoria idem plura libro 2. item Nothe- ridis apud Plinium lib. 39. cap. 13. Meminit eiuſdem Nitocris Dion in Nerone.

II. RATHORIS, Beroſo & Euſebio Achoris, regnat à ſororis obitu ann. 9.

TELEGONVS, refertur nomine tenus in Euſebij Chro- nologia. Etſi imperij ipſum haud planè expertem uixiſſe, poſterita- tis oſtendit claritas: Qua poſteritate regum Argiuorum progenies hac ſerie editur.

EPAPHVS.

LIBYA.

AGE-

AGENOR. BELVS. BVSIRIS.

ÆGYPTVS. DANAVS, inuadit regnũ Argiuorum contra Gelanora.

LYNCEVS, tenuit regnum Argiuorum post DANAVM, & stirpem usq; ad CYLARABIN propagat.

Hypermestra.

RATHORI genitum opinor CHENCREM.

III. CHENCRES, regnauit ann. 16. Accumulat ex odio auitò in Israëlitas iniurias. Cuius sceleris admonitus à MOYSE, & de mari dato diuino dimittere gentem iussus, contumaci animo seruitutem adauget, & miracula ab eo edita incantatorum suorum præstigijs eludit. Quare àquarum fluxu sanguineo, ranis, pediculis, insectis, lue pecorum, pustulis, grandine, locustis & tenebris uexatur. Vnde flexus interdum, non autem mutatus, tandem filij primogeniti necem subitam spectare cogitur. Hoc casu cùm planè consternatus ultrò iam profectionem urgeret, haud multò pòst iterum mutatur, & fugientes cum copijs armatis consectatur. Dumq; nec numinis cœlestis præsentiam manifestam agnoscit, & Israëlitarum legere uestigia in maris Erythræi transitu audet, undis refluentibus cum exercitu omni submergitur, & læsæ maiestatis diuinæ pœnas dignas luit. Exod. 2. 5. usq; ad 14. Eusebius, Zonaras. Apud Iosephum Manetho nomen eius præterijt, & res gestas falsò Amosi asscribit. Orosius è Tacito Bocchorin nominat, memoratq; idem nomen è Lysimacho quodam Iosephus lib. 1. contra Apionem. Interitum in mari Erythræo Berosus tam falsò q̃ impiè ad Ebræorũ artes magicas retulit.

IV. ACHERRES, erigitur in regni spem à fratris natu maximi interitu, idq; post patrem tenet ann. 8. Berosus, Eusebius, Diodoro Vchoreus esse uidetur, qui idem Memphin ab eo cõditam autumat. Quod sanè cum primis uerisimile fit, cùm scilicet Thebas ob paternas clades horreret. Enimuerò ex hac causa etiam regnum habuisse ipsum aliquandiu perturbatius, dubium nullum est, hærente nimirũ

pœnarum

pœnarum parte etiam in posteritate CHENCRIS. Ferè enim euenire id cernimus, quod diuinæ comminationes additæ Decalogo ad docent. Quibuscum congruunt hí ueteres uersus:

ἀλλ' αὐτῶν κεφαλῇσι καὶ ἐν σφετέροισι τέκεσσι
εἰλῦται, καὶ πῆμα δόμοις ἐπὶ πήματι βαίνει.

V. CHERRES, ann. 15. Manethoni Acencheres dicitur, & regni eius ann. 12. mens. 3. nominantur. Berosus Armei fratrem facit.

GENITI sunt Cherre ARMEVS & REMESSES.

VI. ARMEVS ann. 5. Hic iterum planè ab Eusebio discedit Manetho apud Iosephum, & nomen regi huic Armais, imperij annos quatuor, mens. unum facit. Nec sanè assensio in eo debetur Eusebio, quòd Danaum credidit ut Remessem Ægyptum. Etsi fratres eas fuisse, non nego. Herodotus & Diodorus quadam literarum μεταθέσει Meridem & Myridem nominârunt, & inter eius res gestas lacum ὁμώνυμον effossum retulêre. Fuisse autem lacus huius usum eum accepimus, ut aqua restagnantis Nili & recepta & prohibita agricolis fertilitatem præberet: Quando in alterum horum impensa quotannis Sotalent: fieret. Nec minus tamē à piscium celebratur copia: quippe qui uectigal inde diurnum pependerit talentum, quod totū ARMEVS uxori concessit: cùm alioqui etiam Pyramides, quæ utriq; sepulcra præberent, in eo duas ædificasset.

VII. REMESSES, ann. 68. In hoc rege initium facit Manethonis fragmentum, quod hodie circumfertur. Id quod γνήσιον ne sit, haud immeritò dubitatur. Certè anni illi, quos ex historia eius retulit Iosephus lib. 1. contra Apionem, planè discrepant: Quæ discrepantia ut de sequentibus facilius intelligi posset, Iosephi eam nomine referemus. Is ergo loco, quo diximus, annum ei unum attribuit, & Armesen uocat. Quæ de annis sententia cùm & ipsa ab Eusebiana discedat Chronologia, Armesesmiami nominatos annos Ramessi adijcio, & utrunq; hunc regem unum duco.

IIX. AMENOPHIS I. ann. 40. ut Iosephus ann. 19 mens. 6. Cæterum pertexo hic familiam ex eodem Iosepho, qui filios Amenophis facit Armain & SETHOSIN.

ARMAIS, memoratur à Iosepho libro primo contra Apionem.

IX. SETHOSIS, regnat iuxta Iosephum ann. quinquaginta nona, iuxta Manethonem & Eusebium ann. 55. Ac retulit posteremus Eusebius de eo Zethi nomē cum Iartis dignitate. Qua quid uelit, incertum est. Etsi & Hetruscorum Reges eam usurpasse, constas

ſtat. Quod coniecturam confirmat, de gentis ab Lydis, quib. ÆGYPTIA aſtruitur proſapia, origine. Manetho ÆGYPTVM credidit, & belligeraſſe in Aſia, ait, regni adminiſtratione fratri relicta: qui cùm munus id gereret impotentius, ita regno omni pulſum aſtruit: Sed his fidem derogamus: eſtq; Ægypti & Danai fratrum hiſtoria tempore paulò antiquior. Accedit tertia Herodoti & Diodori aſſertio, qui SESOSTRIS nomine hanc eius hiſtoriam tradidêre: Educatum cum pueris coæuis, quos pater ex oraculo quodam ad hoc ſingulari ſtudio conquiſiuiſſet, ſpe & expectatione uirtutis eximiæ. Hos poſtmodo fidos, & ad imperia obſequentes expertum, in Arabiam & Libyam adoleſcentem inuaſiſſe, indeq; tum regni paterni ſucceſsionem promeritum tum amplificandi eius cupitate inflammatum. Quam ad rem cùm lectiſsimis copijs conſcriptis, etiam regno, ne quibus motibus turbaretur, optimè proſpexiſſet, per mare rubrum in Indiam tranſcendiſſe: peruaſtaſſe Aſiam uſq; ad Colchos & Tanaim terruiſſe Europam & Cycladas inſulas, & poſt ampliſsimas uictorias cum ſpolijs etiam ampliſsimis anno expeditionis huius octauo domum reuertiſſe. Ibi regno iterum exornando ac muniendo incubuiſſe, benemeritos honore & præmijs affeciſſe, procuraſſe religionem: prouincijs ſubactis tributa imperaſſe, & ſuorum exinde gratia, exterorum uerò formidine ingenti regnaſſe: cum nimirum ipſos reges ſubditos currui, quo ueheretur, trahendo iungeret. Mortuum deniq; ſenecta extrema, & iam uiſu etiã orbatum, anno regni triceſimotertio. Atque hactenus Herodoti & Diodori hiſtoriæ. In quibus ut pleraq; admiſerim, pleraq; etiam conficta crediderim, ita cætera inter res geſtas Seſoſtris I. relata iſthic retineri rectè poſſunt. Et fabula de Colchorum condita à Seſoſtri colonia planè ratione caret, & quid de uſurpata ab his circunciſione credi poſsit, alibi expoſuimus. Tacitus hiſtoriam eius ad filium Rampſaceni tranſtulit libro 2. Annal. A Plinio Soches nominari uidetur.

RELIQVIT SETHOSIS liberos RAMPSEN & Athyrtiam.

X. RAMPSES, regnauit ann. 66. Ioſephus, Euſebius, ab Herodoto & Diodoro, quorum ille alio nomine Pheronem, hic SESOSTRIN. III. appellârunt, ignauię notatur, & paternę cæcitatis particeps aſſeritur. Quã ab Heliopolitano de aſtro curari ita poſſe perſuaſus, ſi mulieris lotio, quæ coniugij fidem ſeruaſſet, oculos lauaret, primum uxorem propriam impudicam cognoſcit, deinde ſceleris eiuſdem matronas princeps reas facit: dumq; ad plebẽ pergit, ab hortulam coniuge reſtituitur. Hac in matrimonium ducta, reliquas uiuas cremat, & inde aſtri honorẽ obeliſcos duos erigit. Plinius tertium

ei nomen Nunchoreus posuit libro 36. cap. 11. ibiq; & ipse obeliscum eius nominat. Nam Ramisem (ita enim scribit.) cum regem, quo regnante Ilium captum est, hoc est, Protea, intelligit. Etsi in eo nos fidem illi derogamus, & utrumq; nomen huic regi asserimus.

ATHYRTIA, refertur à Diodoro libro primo.

RAMPSE filius editur AMENOPHIS III.

XI. AMENOPHIS III. regnauit ann. 40. Hunc è Diodoro Amasin astruo. Qui cum moribus asperis esset, multorum sibi conflauit odium. Quod antè occultatum, Actisanis bello erupit. Etenim desertus ab omnibus, uiuus in hostis potestatẽ peruenit. Celebratur etiam alijs è Manethone fabulis apud Iosephum: Vbi liberi eius adduntur SETHON & MESSENES.

XII. SETHON, cognominatus à Diodoro ACTISANES Æthiops, fecit bellum contra patrem AMENOPHIN, eoq; in potestatem redacto, regnum sibi usurpat. Hac in potestate instituti parricidialis conatus eluere infamiam, gerit se laudabiliter, populum habet benignè, & latrocinia ita punit, ut sontes uita donatos naso truncârit, & in ultima deserti ire compulerit. Vbi ciuitas ab eis condita, ab eo euentu Rhinocuræ nomen inuenit.

XIII. MESSENES, Eusebio Ammenemes, Manethoni Ammenephus, Diodoro Menides & Mendetes, regnauit ann. 26. A bellis perpetuò abstinuit, non tam pacis amore, quàm animi abiecti timiditate, & uoluptatum studio. Nobilitauit tamen famam eius labyrinthus in sepulcri usum ab ipso constructus, monumentum opere & arte incredibili. Quare DÆDALVS Atheniensis isthuc profectus similem exædificasse in Creta fertur: Quem cùm uetustas paulatim cõsumsisset, Ægyptius adhuc Romani imperij tempore superfuit, ut sunt auctores Diodorus & Plinius.

XIV. THVORIS, à suis nominatus Cetes, à Græcis Thonis & PRVTEVS (non Polybus, ut alicubi corrupta Eusebij habent exemplaria.) regnauit annos septem. Dedit diligẽtem operam astrologis & magicis sacerdotum artibus. Quò quę aliqui de transformationibus eius fabulosis retulere, equidem cum Diodoro de regijs insignibus accipere malim. Etsi neq; hoc negârim, quod est apud Polyænum, notare Homerum dolos eius, quibus superasse quosuis potuerit, uoluisse. Appulit temporibus eius ad Ægyptũ MENELAVS. Cui quæ alia de Alexandro Paride, & HELENA in Ægypto asseruata præmittit attexendo Herodotus, repudiamus. Et cernere in hoc scriptore paris erroris incogitantia est, de Thonis nomine: Quippe

quod

quod ad præfectum Protei transtulerit. Habent fabulam eius Euripides in Helena, Seruius in 4. Georgic. & 11. Æneid. Ouid. 8. Metam. Hyginus fab. 118. Meminit Homer. Odyss. 4. quem locum Strabo repetit lib. 17. & urbem de nomine eius Thonin appellat.

CONIVGEM Ælianus & Zetzes PROTEO ex Homero attribuere Polydamnā, qua genitū reor RAMPSINITVM. De Polydamna plura Zetzes Chil. sexta.

XV. RAMPSINITVS, regnat post patrem: neq; gloriæ prædicationem à uirtute & rebus præclarè gestis, sed insectationes ab auaritia meruit. Quando adeo pecuniæ colligendæ studuisse dicatur, ut ad 40000. talentorum confecerit. Huic metuens (habent enim multos insidiatores opes.) ædificio eam peculiari condit, eaq; re & furto mirifico & stupro filiæ turpissimo occasionem præbet, hac demum furi alteri collocata. Herod. Diod.

¶ POST RAMPSINITVM regnū ad alienos, & tam gēte quàm familijs discretos deuoluit. A quibus hac serie regnatum.

BANCHYRIS, prædicatur ab eximia iusticia encomio Suidæ, & ita prædicatur, ut idem auctor locutione prouerbiali nomē eius de hominibus uictis usurpârit.

THVLES, traditur regni fines usq; ad Oceanū protulisse, & insulam Thulen suo de nomine nuncupasse. Hoc tanto successu elatus, stolido conatu oraculum Serapidis adit, & re diuina facta ita quærit:

Dic nobis ignipotens uere,
Beate, qui æthereum commutas cursum.
Quis ante meum regnum potuit tantum?
Aut quis erit post me?

Accipit autem eiusmodi responsum:

πρῶτα θεός, μετέπειτα λόγος καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς.
σύμφυτα δὲ πάντα καὶ εἰς ἓν ἰόντα. οὗ κράτος
αἰώνιον. ὠκέσι ποσὶ βάδιζε θνητέ, ἄδηλον διανύων
βίον.

Templo egressus à suis est occisus, in Afrorum regione. Suidas qui cum etsi de rebus gestis eius conuenit Cedrenus, tamen de tempore, quo uixerit ita uariat, ut Sesostri ueteriorem faciat. Nomen Thules facio Ebræum Thola, quod inter principes Israëliticos numero & ordine octauus habuit. Atq; ut potentiam regis huius illustrē fuisse concesserim, ita plagam illam, ab eo aditam, nego. Nec denominatio Thulæ insulæ externa, sed indigena est è lingua Germanica, hoc est, Saxonicum Tel, quo limes exprimitur. Est enim occidentis & Septentrionis terminus, nota hodie Islandiæ nomine, quod ad ueterum Oceani glacialis appellationem alludit.

NEOCHABES, memoratur ab Athenæo ex Alexide, & proponitur cum filio temperantiæ & frugalitatis exemplum. Narratur

eadem historia plenus à Diodoro libro primo, capite secũdo. Plinius libro 36. capite 13. Nectabin uocare uidetur.

POCCHORIS, constituit nouis Ægyptũ legibus: correxit iudicia, & cõmercia cum externis fecit frequentiora. Fuit enim ex auaritia ingenita pecuniæ & lucri auidior: Quod uitiũ cùm præclaræ uirtutes aliæ obtegerent, in gloria apud gentẽ suam diuturna floruit. Dio. dor. A Plutarcho sæuitiæ notatur: qui alibi atlarum ab eo in iuditijs sententiarum hoc exemplum recitat: Quidam, in quit, in Ægypto meretricem Thonidem deperibat, magnam auri summam exigentem. Is cùm in somnis imaginatus se cum ea rem habere, concupiscer et eã desijsset, Thonis eum mercedem apud iudices poposcit. Bocchoris causa cognita, eum iusit quantum postulabatur auri numeratum in uase hinc inde agitare, & eam umbram à scorto appræhendi indicans imaginationem ueritatis umbrã esse. Hactenus Plutarch. Meminit Ælianus libro 12. de animalibus capite 3.

SENYES, meruit famam à συγχέειν Iachene, de quo multa Suidas Ἰαχὴν. Macrobius libro primo, Saturnalium capite 24. Senemirem nominare uidetur, Suidas alibi, Euenem.

TONEPHERSOBIS, refertur nomine tenus à Suida.

FAMILIA VAPHRIS.

I. VAPHRES, belligerauit cum Palæstinis, & cum Dauide Rege amicitiam fœdere coniunxit. Hanc etsi renouatam cum SOLOmone etiam filiæ connubio confirmauit, & ad templi ædificationem hominũ ei 80000. misit, tamen postmodo deserit turpiter, & ADADVM Idumæum apud se educatum, & affinitate honoratum, ad turbarum nouarum conciendos motus in patriã ablegat. Auctores sunt Clemens ex Alexandro Polyhistore & Eusebius ex Eupolemo libro nono, de præparat. Euang. cap. 4. ubi & ipsius & Solomonis literarum exempla recitantur.

VAPHRI ex literis sacris coniugem attribuo TAPHNIN, quæ liberos edidit SESACVM & filiam ἀνώνυμον. Iosephus eandem Nicaulen nominauit, & Æthiopissam illam accipit, quæ ad Solomonem Hierosolymã adijt. Sed hoc ἱστόρως multas habet. Etsi fieri potuit, ut partem Ægypti, quàm fortè à maioribus accepisset, sub ditã habuerit. Ac Herodoti de Nitocri historiam & Thermutin transferre malim.

II. SESACVS, alio nomine SMENDES, excipit cum regni successione paternã erga SOLOMONEM regẽ alienationẽ, & pulsum

pulsum ab eo IEROBOAMVM hospitio liberali fouet, tãdemq́ ad regnum Israëliticum turbandum dimittit. Hæc res cùm ex sententia cessisset, pro regno homini nouo confirmando in ROBOAMVM arma capit, Hierosolymam dedẽti fidem frãgit, & fani regiśq́ thesauros direptos in Ægyptũ trãsportat. Regnauitq́ anos 26. 3. Reg. 11. & 14. 2. Paral. 12. Zonaras, Cedrenus. Iosephus alibi Sesacum & Sesostrin, alibi Asochæum uocat: è quibus primum & postremũ tantum enuntiatione discerno: medium Sesostris, fortè cognomentũ credi potest. Nam quas Iosephus nominat præterea eius res gestas, Sesostri ti, affero. Habet etiam Sesaci nomen Ieremias cap. 25. sed id regis alterius est, & coniectura interpretum de Babylonio intelligitur.

FILIA ἀνώνυμος, collocatur à patre SOLOMONI, & interea dum domum ille suam ædificat, in urbem Dauidis inducitur. 3. Reg. 3. Clemens, Eusebius, Zonaras.

EDITVR SESACO filius CHEMMIS. Cedrenus pag. 54. etiam filiam ἀνώνυμον nominauit, quæ nupserit IEROBOAMO. Quam narrationem relinquimus in medio.

III. CHEMMIS, regnauit ann. 50. Cõdidit Pyramidẽ inter tres maximã, atq́ adeò inter septem orbis spectacula adnumeratã. Herod.

PROCREAVIT CHEMMIS liberos: CHEOPEM & CEPHRENEM.

IV. CHEOPS, regnauit ann. 56. Vixit multorum flagitiorũ infamia: Quippe qui & religionis & sacrorũ inhibere usurpationem, ausus sit. Inde durissimis lapidicinarũ laboribus, & Pyramidis nouæ extructione populũ exhaurit: cúmq́ demũ sumptus defecissent, filiam legitimam facere, quęstum corpore cogit. Herodot. A' Diodoro Cephus nominatũ, & Chẽmis frater astruitur, ac imperio eius sexenniũ adijcit.

V. CEPHRENES, regnauit ann. 50. Expressit imitando fraternorum morum uesaniã fanis recludi uetitis, & pyramide altera extructa. Herodot. Variat iterum Diodorus & Chabreum uocat.

RELIQVIT Cheops filium MYCERINVM.

VI. MYCERINVS, regnauit ann. 50: Fecit rursum genti suę liberum religionis usum, & iustitiæ ea cura studet, ut quendã de sententia iniustè lata cõsquerentem pecunia platârit, & iudices, quas dixisse ius gnauiter cõperisset, præmijs & honore affecerit. Ea ex re cùm summam populi gratiam collegisset, domesticum filiæ obitu uulnus graue accipit, & mutatur deniq́ nonnihil oraculorum uanitate. Hęc enim elusurus, compotationibus se dedit, & de paterno exemplo Pyramidem construit. Herodotus, Diodorus, Aelianus.

VII. ASYCHIS, excipit successione patris imperium. Quod

cùm à bellis uacuum haberet ad extructionum studium animum appellit, Vulcani porticu & pyramide lateritia conditis. Vt mutuãdi frenaret leuitatem, in parentum cadauera pignus sancit, & sepulchrę potestatem in creditorem confert. Herod.

IIX. ANYSIS, imperat fama nominis obscura: & primum luminibus orbatus, deinde oppugnatus à SABACHO Æthiope, in Elbo insulam se abdit. Vbi cùm toto æmuli imperio clàm latuisset ab abitu eius dominatum recipit, nec multò pòst uita excedit. Colligitur autem tam ipsius quàm paterni regni tempus ann. 6.

¶ Hic iterum familiarũ successio, & indigenarũ imperium desinit: Quod ante Psammitichũ tenent SABACHVS & SETHON.

SABACHVS, Æthiops, alio nomine SVA, Zonaræ Soba, inuadit regnum armis cõtra ANYSIN. Quo fuga elapso, Rex audit, & laudatissimarum uirtutum gloria annos 50. imperat. Nam clementiæ studio à corporum supplicijs perpetuò abstinuit, & noxios ad urbium aggeres exstruẽdos condemnauit. Vnde apud accolas & externos cæteros eam admirationem sui meruit, ut ab OSEA rege Israëlis, solicitatus ad fœdus fuerit. Ad extremum regno se ex uiso nocturno abdicat. Hoc enim Sacerdotes discindere medios iussus, quod nempe regnũ ita retinere stabile posset, ne cui se piaculo obstringeret, in Aethiopiã regreditur 4. Reg. 17. Herod. Diodor. Zonaras.

SETHON, munere Vulcani sacerdos, adipiscitur regnum per suffragia. Quod dum è uitæ religiosæ instituto administrare satagit, BELLATORVM ordinẽ facultatibus excutit, & ignominia afficit. Ideò cũ SENNACHERIBI Assyrij bello oppugnatus, ope eorum destitueretur, in periculum graue incidit, & ad externa Æthiopum auxilia confugere cogitur. Hæc prompta expertus, hostem non murium ostento, sed horum auxiliorum terrore à finibus auertit. Herodotus, Iosephus. A' Diodoro omittitur, & à muriũ fabula Herodotus statuam eius lapideam memorat cum hac inscriptione.

ἐς ἐμὲ τις ὁρέων εὐσεβὴς ἔστω.

FAMILIA PSAMMITICHI.

NECVS, patria Saites, claruit inter Duces ANYSIS: pro quo cùm opera & studio propagarit fideli, interficitur ab SABACHO. Herodotus.

I. PSAMMITICHVS, legĩt inter duces duodecim, qui post SETHONEM, pro regibus imperare iussi sunt, & sua quadã fortuna oram maritimam administrandam accipit. Etenim portorijs ditatus

tatus, etiam externos, qui commerciorum gratia in Ægyptũ appulissent, facilitate sibi conciliat, & per hosce porrò & gentibus & principibus se compluribus insinuat. Quare suspectus collegis esse incipit, & gliscente æmulatione in hostiles simultates, demum à suscepti muneris huius anno quinto & decimo, bello aperto oppugnat. Hoc defensurus, militẽ ex Caria, Ionia & Arabia peregrinũ cõscribit: aduersarios ad Memphin contendere prælio ausos, fundit fugatq́ᵹ, hisq́ᵹ partim in acie cæsis, partim exilio uertere solũ cõpulsis, regnũ deinde solus annis 54. tenet. Per quod tempus cùm primũ religione more patrio ritè procurata, etiã militẽ amplissimè donasset, & Iones & Cares regni incolas recepisset, in Azolios proficiscitur, & post diuturnã obsidionẽ urbe expugnata, ob egregiè nauatã operã ea iterũ in milites extraneos beneuolẽtia accendit, ut Phalangis partẽ dextrã, hoc est, honoratiorẽ his attribuerit, & populares improuidè in sinistram detruserit. Hos enim inde exacerbatos, & per seditionẽ sublatis signis in Æthiopiã nouas isthic quæsitũ sedes profectos, nec gratia nec precibus flectere ad reditum potuit. Iccirco ut contra uim se confirmaret, & similis audaciæ exempla caueret, cum Atheniensibus (quos cæteroquin haberi Saitæ cognatos suos uolebant.) & Græcis nõnullis alijs amicitiã coniungit, & pueros, qui linguam gentis addiscerent, deligit, tũ reliquas nationes ad importanda, quæ apud eas essent, allicit, securitate singulis adeũtibus præbita. Diod. Suidas. Variat de regni eius exordio aliquantum Herodotus, & nescio quam & ostenti & exilij fabulã cõmiscitur: Quæ ab Diodoro refutata, nos etiã reijcimus. Addidit Polyænus antecessorẽ Tementem, & aliã item de Caribus auxiliarijs fabulã. Cùm Principis adhuc fungeretur munere, nouũ cum collegis Labyrinthũ, qui cõmune omnib. sepulchrũ pberet, inchoauit: quòd opus excitatum pòst bellum ciuile interturbauit. Studiũ eius in gente antiquissima cognoscenda alibi ex Herodoto & Suida exposuimus, & habet aliud de Nili fontibus explorãdis adhibita diligentia exemplũ Athenæus lib 8. cap. 6. Eusebius regni eius temporis annos 10. detraxit, idq́ᵹ 44. annorum nominauit.

INTER cõiuges PSAMMITICHI Ælianus nominauit Rhodopidẽ meretricẽ, habetq́ᵹ eius cõiugij expositã occasionẽ fabulosam lib. 13. V. H. cap. 33. Ab hac sententia ita Herodotus discessit, ut Rhodopidẽ ad Amosis tẽpora referat, ac cæteroquin historiã huius describat diligentius. Quare Ælianus audiendus neutiquã est: & nos cum Herodoto filiũ Psammiticho ἑμίτοςα Nechaum attribuimus.

II. NECHAVS, seu NECVS, regnauit ann. 17. Deduxit mercimonium gratiæ fossam in mare rubrum, eoq́ᵹ opere uix ad medium hoc est, quatuor dierum longitudinẽ, latitudinem duarũ triremium,

ut ait Zetzes, perducto 120000. hominum amittit, & oraculū aduersum, nempe barbarorum id cedere cōmodo audit. Quod cum ad Babylonios, qui Asiæ imperium Assyrijs eripuerant, referret, militarem constituit disciplinam: classem construit: & contra hostem illum in bellum apertum descendit. Hunc conatum in Iudææ transitu importunè interpellantē IOSIAM regē, cùm placare per legatos frustrà intendisset, prælio ad Magedonē sternit: successorē IOACHAZVM filium regno, populū argēto mulctat, & Ioachazo in Ægyptū abducto, fratri Eliacimo, quē Ioachimum nominauit, regnum subtributo, quod æstimatione in singula capita facta, penderet, relinquit. Atq; fortunam hanc urgendā mox cōtra uicinos ratus, in Palæstinam irrumpit, eaq; peruastata, Gazam militum uirtute expugnat. Qua ex re Babylonijs deniq; ad arma excitis, Nabochodonosori ad Euphratē occurrit, & infeliciter præliatus cum clade in Ægyptū rejjcitur, & acquisitis in Asia prouincijs ad unum omnibus exuitur. 4. Reg. 23. 2. Paral. 35. & seq. Ieremias cap. 45. Herodotus. Diodorus, Iosephus, Clemēs, Zonaras. Eusebio Nechac & Nechepsos est, & nominauit, idē regni eius ann. 6. Videtur autem nomen posterius rex hic repetijsse à Nechepso, quem alibi Eusebius à magicæ artis peritia celebrat, eiusq; scripta medica memorat. Retulit eundem Ausonius epist. 4. & Cedrenus Narechonis nomine regibus accensuit, ac nomen ei aliud Pharao, à quo Pharaones appellati sint, posuit. Sed horum fides penes auctorem esto. Vt Africam mari ambiri per Phœnices primus deprehēderit, Herodotus tradidit libro 4.

III. PSAMMIS, regnauit ann. 6. Celebratur ab Eleorū in Ægyptum profectione. Quos ludorum suorum laudes prædicantes apud se impensius, neq; id adeò omittentes, quod descendere in hos ciues suos permitterent, retundi à sacerdotibus ut iniustos audit, propterea quòd fieri non posit, quin plus ciui quàm hospiti ciuis alius faueat. Herodotus. Nam Diodorus uariat & historiam hanc de Amasi retulit. Eusebius Psammitem uocat, & annos 12. ei attribuit. Crediderim de hoc rege loqui Iosephum Antiq. lib. 10. cap. 10. & seq. ubi cæsum à Nabochodonosore ait. Etsi Ieremiæ uaticinium, quo auctor is alludit, de ea historia nihil habet, & clades ab eo atq; Ezechiele Ægypto denunciatas, ad Nechai tempora refero: Quòd tum fortè Nebochodonosor fortunam urgendo etiam in Ægyptum inuaserit.

IV. APRYES, regnauit ann. 25. Belligerauit cum Tyrijs & Sidonijs, & illis prælio nauali uictis, hoc intra mœnia rejjcit, & urbē expugnatam

pugnatam excindit. Inde in Cyprios & Pœnos inuadit, & eodē impetu Cyrenęos per legatos oppugnat. Quib. infeliciter rē gerētibus, cladis ipse apud populū culpam sustinet, & mox tum tumultuātis huius, tum exercitus reducis bello oppugnatͣ. Quod dum per AMASIN cōpescere frustra satagit, defectione hūc hostem accipit, & legatum alterum captiuū adducere Amasin iussum, sed cōiuratorum fide repulsum, crudeliter naso & auribus truncat. Quare in odium omnium infestius uenit, & qui hactenus ex Ægyptijs in fide manserāt, ad hostem transeuntibus, quadam elati animi confidentia cum solis mercenarijs Ionibus & Caribus prælij subire aleam audet. Hoc post cruętum certamen uictus multitudine, & ab consectante hoste captus, Sain perducitur, & ab Amasi habetur honorificè. Id quòd cùm metu quodam rebellionis Principibus indignātibus, ad supplicium his deditus esset, strangulatur, & maigrum monumentis conditur. Herodotus, Diodorus. Ab Eusebio Vafres nominatur, & regnum eius quinquēnio propagatur: Ab Athenæo uerò nunc Apryes nunc Partamides. Fuit ea arrogantia, ut nullum neq; deorum neq; hominum regno se excutere posse, persuasum haberet. Cuius nō dissimile de DIONYSIO Tyranno proditum memoriæ exemplum est, quippe qui tyrannidem suam uinculis adamātinis munitam, diceret. Prædixit infortunij clades eius, & captiuitatem probrosam, Ieremias uates cap. 44. ubi Haphrā nominat. Nam temporibus eius Iudæorum reliquiæ, quas sub præfecto Godolia persistere in Iudęa Nabochodonosor permiserat, ob nouas per Ismaëlem turbas datas in Ægyptum migrarūt, ibiq; ipsum Ieremiam obruisse lapidibus ad Taphnas, creduntur.

NITETIS, unica patri genita proles, educatur ab obitu eius benignitate Amasis liberaliter. À quo iam nubilis pro filia Cambysi cōiux missa, ideoq; filia eius credita, indicio se & Amasis in patrem facinus prodit. Herodotus libro 3. ubi alias quoq; de ea attexit opiniones quas ex diuersis auctoribus repetiuit Athenęus libro 13. capite 4. & habet unam Polyænus libro 8.

FAMILIA AMASIS.

AMASIS, classis Saitanę è Siupli urbe, enituit ab illustri uirtutis cōmendatione inter duces APRYIS. Cui inde apprimè probatus, cōpescendę populari seditioni legatus deligiͣ, eaq; ex re in spem regni erigiͣ. Nam mandatorū oblitus, & accusare Apryem aggressus rex à multitudine ipse audit: legatum alterū eam ob causam captiuitatem intentantē, cum hostili ad regem denūciatione dimittit, huncq; paulò pòst uictum atq; in potestatē redactū seditiosis ad supplicium dedit.

Ab isto

Ab isto tempore regnum iam securus retinet: Nobilitatem eius nouitatem despicantem festiuè retundit: conuiuia animi remittendi causa adit frequens: auersatur oraculorũ mẽdacia, & regnum ita ornat, ut nunquam fuerit florẽtius, utpote quod urbes 20000. habuerit. Addidit his leges in primis utilissimas, in quibus legibus ea omnium ætatum admirationem meruit, quæ singulos quotannos apud prouinciarum præsides unde uiuerent profiteri iubebat, qui secus facerent, aut non legitimè se uiuere demonstrarent, capite plectebat. Psammitichi familiæ amicitiam cum Græcis ita confirmauit, ut Naucratem his coloniam attribuerit, & negociari tantummodo contentis, templi communiter condendi potestatem fecerit, & ipse templi Delphici instaurationem summa ope adiuuerit, & alia pleraque diuersis in locis donarijs locupletârit. Cumque regni confines Cyrenæos haberet, & illustri potentiæ fama floreret POLYCRATES, Sami tyrãnus, illos cõiugio, hunc necessitudine & hospitio sibi adiũgit. Nec minus tamẽ armorũ studijs incubuit. Etenim Arabes prælio cecidit felici, & iterata in Cyprũ expeditione, reges edomitos facere imperata cogit. Inde CAMBYSEM, regẽ Persarum, ex filiæ denegato cõiugio hostem accipit atque in auxiliarijs ducib. præcipuũ PHANEM Halicarnasseum leuiter alienatũ trãsfugio amittit. Qua ex re uehementer perturbatus, & proditionẽ ueritus, diem terrore claudit extremum, cùm regnasset ann. 44. Herodotus, Diod. Polygnus, Strabo, Athenæus, Suidas. Eusebius corrupte Anamasin uocat & regnũ eius tantũ 43. annorum facit. Atque intelligo de hoc rege Semnesertei nomen apud Pliniũ. Nam quod ibi adijcit, uenisse temporibus huius in Aegyptũ Pythagorã, id alij de Amasi prodidere, ut à Polycrate per literas hũc illi commendatum affirment. Vsus est toto imperij tẽpore fortuna æqualiter ferè benigna. Quod cùm suspectũ ipse in POLYCRATE Samio haberet, ideoque iussum spontaneã accersere sibi calamitatẽ, casu mirifico ea quasi eluctatũ intellexisset, & hospitẽ & amicũ renuit, hac memorabili sentẽtia literis, ad eum perscriptis: Malle se tum suas ipsius, tũ eorũque ipsi curæ essent, res nũc prosperè cadere, nunc offendere, & per uarias fortunæ uices æuũ traducere, quàm in omnibus sibi prosperè cedere. In uita priuata & heluationũ & dicacitatis mordacis studiosiorẽ fuisse accepimus. Quos mores cũ neque in regia dignitate omitteret, ideoque obiurgaretur à purpuratis: Arcus, inquit, ab his quorum sunt, cũ est opus, intẽdi, eos si semper intẽti sint, ruptũ iri, nec posse eis illos cũ indigeãt uti: ita & hominis institutũ, si assiduo laborare studio, nec ullã partẽ ad lusum sibi indulgere uelit, fore ut pedetentim aut mẽte captus sit aut mẽbris. In generis sui humilitatẽ (plebeium em̃ fuisse phibẽt.) illudẽtes hoc cõmento cõpescuit: Cũ auro abũdaret pelui ad pedum

lotiones

lotiones ſordesq́ corporis alias excipiẽdas uſus aurea eſt. Hãc doſtea in ſtatuã conflatã diuinis coli honoribus præcipit. Quod ſtudioſè fieri animaduertens, proceres conuocat, & ſuam fortunã ſimulacro illi comparando, ſe quoq; cum ex plebeio Rex factus ſit, coli ad eundem modum deberi edocet. Enimuero ingenij ſolertia eius eximia prædicatur. Quare & legib. ipſis multa addidit, & in primis quæ ad regnũ pertinerent, optimè conſtituit. Vt credibile ſit, hac fama prĕter Pythagoram etiam SOLONEM excitum, Ægyptum petijſſe. Nam hũc leges ſuas inde tranſtuliſſe, & in cæteris eam maximè, quam ſupra ex Amaſianis retulimus, certum eſt. Fortè etiam inde Græcis amicitiam Amaſis promeruit. Meminit Tacitus Phœnicem auem iterum ſub eo conſpectam.

PSAMMENITVS, ſuccedit hæreditate in regnum & bellum patris, à CAMBYSE illatum, & de imminentibus cladibus pluuiarum ad Thebas oſtento edocetur. Tamẽ animo in hoſtem intrepido pergit, ac prælio ingenti ſuperatus, Memphin profugit, ibiq́ ad obſidionem tolerandam ſe parat. Per quod tempus dum contra ius belli uiolari caduceatorem miſſum de deditione, permittit, hoſtem ad audendum acrius inflammat, nec multò pòſt urbe expugnata, uiuus in Perſarum poteſtatem peruenit. In hac calamitate primùm filiæ ſeruitium turpe, deinde filij necem uidere cogitur. Cõtra quæ animum obfirmatum gerens, ex amicis ſenem quendam facultatibus amiſsis ſtipẽ rogantem lamẽtis & ploratu proſequitur. Cumq́ iuſſu Cambyſis de eo facto rogatus, hoc tam pium quàm prudens dediſſet reſponſum: Domeſtica mala maiora eſſe, quàm ut deflere ea potuiſſet: at amici lamentationem, qui ex ampliſsimis opibus in extremo ſenectutis limine ad inopiam recidiſſet, dignã lachrymis fuiſſe: tum Crœſi tum aliorum ducum commiſeratione ueniam à rege impetrat, & habitus benignè, Ægypto Satrapa deſtinatur. Eam fortunã dum ferre neſcit, & iterum rebus nouis ſtudet, in uincula conijcitur, & ab ipſo Cambyſe ſceleris conuictus, metu ſupplicij potu cruoris taurini uitam abrumpit. Herodotus, Diodorus. Polyænus Pſammitichum nominat.

REGNVM

REGNVM AEGYPTIVM ALTERVM, QVOD IN SECVNDAM MONARCHIAM INCIDIT.

QVA BELLORVM MOTVVMQVE OCCASIONE ITERVM AEGYPTVS REGNVM SE se cœperit, & quæ hoc familiæ tenuerint.

AEGYPTVS à CAMBYSE in prouinciam redacta, & insolentia huius afflicta diriter paruit, deinde Persis usque ad cladem Marathoniam. Hac ad rebellionem gens, rerum nouarum cupidissima, inuitata, compescitur iterum à Xerxe, & Satrapæ nouo Achęmeni fratri subditur. Is regem in Græciam consectatus, cùm rebus eius perditis fuga Ægyptum repetijsset, despecta inde auctoritate regnat, & tandem procerum conspiratione per insidias opprimitur. Quod facinus cum bella noua allaturum uideretur, INARVS rex, salutatur, nec multo pòst seu collega seu æmulus ei adiungitur Amyrtæus. Hoc secundi regni huius, quod totum ad monarchiā secundam pertinet, principium, hoc origo extitit. Reperitur tamen aliquanto post graui Ægyptus ducū Artaxerxis Longimani bello & ipse Inarus rex proditione captus in crucem agitur. Quare iterum Persici regni prouincia fit, & administratur Satraparum imperio usque ad ciuilia fratrum Sogdiani & Darij Nothi bella. In hoc tempore cum Persarū rebus grauiter afflictis, nonnihil etiam uicina filiorum Inari & Amyrtæi regna spei facerent, Amyrtæus quidem Saites magno animo dominatum inuadit, seque Regem aptè gerit, ac felicitate eadē dignitatem illam familiæ conseruat. Nam sequimur hic planè Eusebium: à quo discrepantes nonnihil Diodori expositiones cōciliare ita licet, ut Psammitichū Eusebio Psammiten, Nephren, Nephritē dici intelligamus, & posterius nomē regi uni attribuamus. Etenim ut regni nulla fides, ita forte Nephi.id Acoris eripuit, & hunc rursus excussit, Psamn.itichus, à quo tādem ad Nephrē redijt. Cæteroquin reges hosce fratres, & Amyrtæi filios facto, & credi Nephris filius rectè Nectanabis 1. potest. Floruerunt ergo in regno hoc familię reges tres, Inari, Amyrtæi, & alterius Amyrtęi Saitæ. Priores duas quæ eodem tempore regnarunt, filij finiuerunt. Tertia fama & potentia illustrior, per Nactanabes, usque ad Sobolem quartam propagatur. Nam posteriore ex his pulso ab Ocho, Ægyptus ad Persas redijt.

FAMILIA

FAMILIA REGVM ÆGYPTI.

FAMILIA INARI.

PSAMMITICHVS, regnauit in Mariatia Libyæ, Ægypto confini. Meminit Herodotus Polymnia, Thucydides libro primo.

INARVS, adiungit se Ægyptijs post cædem Xerxis libertati iterum inhiantibus: Achæmenem Satrapam cæde crudeli tollit, & ciuitatibus, aliquot ad defectionem pertractis, Rex audit. Quã ex re ab ARTAXERXE Longimano sibi metuens, Athenienses euocat, & regnum commune policetur: cumq; ab Megabazo & Artabazo bello oppugnatus, per proditionem in hostis potestatẽ peruenisset, in crucem agitur. Herodotus Thucydides, Diodorus. Scholiastes Thucyd. Inachum uocat.

THANNYRA, recipit à Persis patris regnũ, neq; quod posteritatis famam meruerit, facinus aliud edit. Herodotus.

PSAMMITICHVS, successit in regno fratri. Quod cupiditatibus suis angustius ratus, in Ægyptum inuadit, & ab hac audacia eam apud exteros de se uirtutis famam concitat, ut

TAMVS, Ioniæ Satrapa, ultro amicitiam eius appetierit. Hũc cùm inanium promissorum spebus compleuisset, metu Tissaphernis ad se profectum exulem crudeliter perimit, & pecunias eius atque classem sibi uendicat. Pòst in Acoridem arma capit, uictumq; fugat, & regnum eius in se translatum, tenet annum unum. Eusebius; Diodorus.

FAMILIA AMYRTÆI.

AMYRTÆVS incumbit cum INARO socio in rerum nouarum studium,& regnum in locis palustribus retinet. Ideò cum Inaro capto,& ipse bello urgeretur,loci munitionibus & uirtute militis, quem è tota gēte pugnacissimum haberet, facilè id defendit, & hostis conatus securus eludit. Herodotus, Thucydides, Diodorus.

PAVSIRIS, excipit successione patris regnum,& Persis uirtute conciliatur Herodotus.

FAMILIA AMYRTÆI SAITÆ.

AMYRTÆVS,Saites, rebellat contra DARIVM Nothum, & Persarum præsidijs partim cæsis,partim pulsis,regnum sibi uendicat,idq́ eximiæ fortitudinis fama retinet ann. 6. & porrò ad posteros propagat feliciter. Eusebius.

RELIQVIT Amyrtæus, quæ nostra sententia est, filios Nephrem & Acoridem:

NEPHRES, surrogatur in regno patri: cum Gręcis metu & externi & domestici periculi amicitiam colit,& Lacedęmonios bello nauali à ducibus Pharnabazo & Conone oppugnatos, classe triremium 100. & sex millibus modium frumenti iuuat. Nec tamen cōseruare imperium saluum potuit: atq́ ab Acoride fratre pulsus, tandem post Psammitichum regnum recuperat: Diodorus, Orosius, Eusebius regnum eius duplicis temporis nominauit, & primum annorū sex, posterius unius fecit. Variant etiā nomen eius Iustinus & Orosius, & ille Hercymonem, hic Hercynionem nominat.

ACORIS, obtinet regnum uiolētia & fratris expulsione. Quod dum præsidijs externis munire satagit, Euagoram Cyprium frumento,pecunijs & classe iuuat,& cum Gao,qui ob Teribazi Soceri captiuitatem rebellârat, fœdus init. Quare iam infensissimos Persas habet: quorum bellum ueritus, Græcorum cum duce CHABRIA Atheniensi copias mercenarias conducit. Has dum temerè iterum dilabi patitur,& subito PSAMMITICHI bello opprimitur, & cōmissum in fratrem scelus talione luit.

NEPHRE, fortè geniti sunt Nectanabis & Tachus.

NECTA-

NECTANABIS I. suscipit paterni imperij habenas hæreditate, & Persarum bello, quod cogitatum primum in Acoridem nunc Pharnabazus & Iphicrates Atheniensis persequendum ab ARTAXERXE Mnemone accepissent, infestatus, tantum aduersariorum mora & discordia conseruatur: cumq; Memphi præsidio firmata, Nilus flatu Etesiarum exundare cœpisset, hostem abscedere cum clade & dedecore cogit. Diodorus, Eusebius regni eius ann. 18. nominat. A' Laërtio traditur, temporibus eius Ægyptũ adijsse Eudoxũ. Qui ipsi ab Agesilao cõmendatus, faciliorem inde ad sacerdotes aditum impetrat.

TACHVS, Eusebio Theo, capessit regnum post Nectanabin. Cui à Persis illatas belli iniurias uindicaturus, instructissimas copias cogit, & præter Chabriam Atheniẽsem etiam AGESILAVM regem mercede euocat. Hunc dum habet contemptius, neq; suadentem optima admittit, aliquantò pòst cum NECTANABI hostẽ accipit: & placare hominẽ frustra aggressus, fuga salutẽ quærit, cũ regnasset annos 6. Plutarch. Eusebius. Variat de tota eius historia Diodorus, nempe fugisse per desperationẽ in Persidem: ibiq; uenia à rege donatum, iterum cum Agesilao se coniunxisse, & obsessum à Nectanabi, felici eruptione hostem profligasse, & regnum recuperasse. Sed horum fides penes auctorem esto, & satius fuerit sequi nos Plutarchum. Quo commento Ægyptios sacerdotes argento emunxerit, & à reliqua plebe decimas impetrârit, Aristoteles narrat Oecon. lib. 2. & meminit Polygnus lib. 3. ubi Thamum uocat.

TACHO Diodorus filiũ NECTANABIN attribuit. Sed credi fortè is rectius Nectanabi genitus patre poterit. Nam & Plutarchus cognatum uocat, & uerisimilius de Agesilao est, hunc in patruũ non in patrem cum Nectanabi conspirasse.

NECTANABIS II. præfuit ducis dignitate copiarum parti in patrui contra Persas bello, & ad Syriam occupandam præmittitur. Huc dum expeditione infesta tendit, ad regnum à præfecto Ægypti defectore reuocatur: Quod demandari sibi passus, AGESILAVM in partes trahit, patruum ad fugam compellit, æmulum Mẽdesium noua conspiratione regem salutatum, prælio sternit, eaq; uictoria rebus suis firmatis, Agesilao etiam & honorem & gratiam debitã habet, & reditum in Græciam urgentem cùm alijs donis amplissimis tum talentis 230. hoc est 138000. coronatorũ donat. Inde nouo bello Persas lacessit, & uictorijs quibusdam minutionibus elatus, contra Ochum capessere ipse rerum summam audet, & duces Græcos, quæ in rem forent prouide monentes, iuueniliter fastidit. Quare Pelusium

mox deditione amittit: & Mentoris artib. regni urbibus præcipuis ad defectionē pertractis, in eam desperationē uenit, ut cum thesauris in Æthiopiam profugerit, ibiq; exul uitam finierit. Fuit cum potestate ann. 18. Diodorus, Polyænus, Plutarchus, Eusebius. Variat de historia eius aliquantum Diodorus, uariat item Athenæus lib. 4. capite quinto, & captum ab Ocho, habitumq; benignè ait.

NOBILISS. ADOLESCENTI, INGENII VIRTVTISQVE INDOLE ORNATISS. CASPARO A BERNSTEIN, IOANNIS F. PETRI LL. D. VTRIVSQVE VERÒ Saxonici Consiliarij, &c.N. discipulo S. clariss. S. D.

REINERVS REINECCIVS Steinhemius.

CELEBRIS apud scriptores Grecos est & regni & regum Cyrenarum historia, Quam cùm in uaria monumenta dispersam collegissemus, & è regia familia, quæ Battiadarū est, personis natales suos ceu restituissemus addere commentationem eam tanquam appēdicem regibus Aegyptijs uisum fuit. Quando nimirùm regna ambo una Africa finitima habuit, & Batti III. uictoriæ eam mutationem regno Ægyptio attulere, qua Psammitichi familia dignitatis fastigio illo excidit, & rex à populo audijt AMASIS. Est & hoc minimè obscurū, Ægypto Cyrenen à Ptolemæo Lagi coniunctam: & licet Ophellas & Magas regnum ibi peculiare condiderunt, redijt tamē id aliquanto pòst ad Ptolemęum Euergeten, & retinent deinde posteri usq; ad Ptolemęum Apionem.

Cùm autem & hic ceu Patrocinij nomen aliquod adijciendū esset tuum præcipuè, Caspare occurrebat, quem in tertium iam annum apud me uiuentem, & cognitum cùm ab eximia modestia & diligentia, tum ab ingenij dotibus præclarissimis beneuolentia nostra non complecti, & qualicunq; hoc testimonio non ornare nequibam. Ac tu quidem laude hac tui similis esse perseuerabis, & generis splendorem, quem maiorum tibi uirtus acquisiuit, dignis uirtutibus ornabis. Enimuerò quæ exempla tibi proposita sint domestica, uides. Nam ut ueteres nobiliss. domus uestræ imagines prætercam, nec uiuentibus reliquis mentione nostra inuidiam faciam, qua consiliorū & eruditionis præstantia auus floruit? quis tam in Saxonia uel potius Germania hospes, cui patris ijsdem parta uirtutibus, obscura dignitas? In quæ exprimenda tu ita incubes, ut quod fortuna dedit, commeruisse uirtus uideatur, & patriæ ac familiæ tuę nouum à te ornamentum accedat.

cedat. Hoc expectare à te parentes censebis, expectare me, expectare bonos omnes. Sanè institutionis nostræ fidelis uelut subsidia tibi deerunt nunquam: Quam cum cursu isto tuo regat ὁδηγὸς Deus Opt. Max. feliciter, utriq; precor etiam atque etiam. Vale. E museo nostro Lipsię. Mense Decemb. D.

XV. CIↃ IↃ LXXIII.

REGNVM CYRENAI-
CVM BATTIADARVM.

DE CYRENÆORVM ORIGINE, RE-GNO ET FAMILIA BATTIADARVM REGIA, quæq; huius propagatio, quis interitus extiterit.

DE CYRENE, quę Cyrenęis & terrę Cyrenaicæ nomē dedit, è Gręcis diuersi fabellas diuersas prodidêre. A quib. discedētes nouis opinionū cōmentis Stephanus, & Eustathius, Cyrenē à fonte Cyre denominant. Variat etiā de tempore cōditę Cyrenes ita Eusebius, ut alibi hoc nominet annum uicesimumquartū ERICHTHONII, qui quartus fuit Rex Atheniensium, alibi annum duodecimum CECROPIS, alibi etiam 17. Quod impugnans Solinus Olymp. 45. rege Martio Romanorum res tenente, anno post Troiam captā quingentesimo octuagesimo sexto, ædificatam scribit.

Verùm hæc fabulosè tradita, nostra sigillatim sententia discutienda non sunt. Et amplectimur ipsi, quæ ex sacrarum literarum auctoritate de Cyrene, huiusq; incolis, pleriq; monumentis suis commendârunt: Nimirum primū omnium hāc occupatā tenuisse ENAMIM, filiū Cham. Neq; enim procul inde abfuit Ammonis oraculū, quem Ammonem in literis sacris Cham esse prorsus dubiū nullū est. Tametsi Iosephus Enamim res & nomen in obscuro extitisse, dicat. Nomen Enamim significatione exprimit fontem aquarum. Nobilitauit enim Cyrenen fons Solis, qui meridie frigebat, cùm nocte media caleret. Et Cyrene respōdet Latino Puteoli *Brunst ad*, à Kariath urbs, & Ena fons. Quapropter primi Cyrenæ coloni insedere posteri Enamim. His deinde nouam imaginatione successere MINVÆ Græci, progenies uidelicet Argonauticum: Quibus Strabo nomen hoc inditū ait, quòd Minyę Orchomenij (erant enim alij in Arcadia gentis nempe diuersæ: ac Minyæ quidem Orchomenij cùm à Thebanis pulsi essent post pugnam Leuctricam, reducti tandem sunt à PHILIPPO Amyntæ.) coloniam Iolcon & Minyam Thessaliæ, quam à Stephano appellatam denominationem gentis conseruasse, credibile est, deduxissent, uel, ut Apollonius ait, quòd de filiabus Minyæ Regis plurimi & optimi Argonautarum geniti essent. Ac de progenie quidem ista Argonautarum tradidêre hoc Græci appulisse, scilicet illos dum Colchidem peterent in Lemnum, & à Lemnijs mulieribus, quæ suos ipsæ maritos insano conatu peremerant, ita susce-

ptos,ut & in maritales toros ſuccederẽt,inde genitis liberis idem Minyarum nomẽ reliquiſſe.Hi eiecti deniq; à Pelaſgis,nauigarunt in Peloponneſum,& ad Taygetum conſedere,patriam ſe repetere prætendentes.Vnde in urbem traducti à Spartanis,& ciuitate donati, tandẽ regnum affectare occipiunt. Ideò in cuſtodiam conditi,& uxorũ pietate liberati,cum Lacedęmonem ad ſuppliciũ reducẽdi eſſent,THERÆ precibus conſeruantur.Is enim conſcriptã è tribubus multitudinem minus adhuc ad coloniã deducendã ualidam ratus, partem Minyarum maximã (nam reliqui partim apud Cauconas, partim apud Parocratas remãſere.) ſibi adiũgit,& in Therã inſulã,cui id de ſe nominis reliquit,abducit. THERÆ è Samo F. ἀπόγονος, ut loquitũ Scholiaſtes Pindari, BATTVS,in Libyam migrare cum colonis iuſſus, & cùm præſtari id à ſe poſſe diffideret,tandẽ ad hoc cladib. grauibus cõpulſus,alterã Minyis ſedẽ in Cyrene quæſiuit.Eſtq; inde,quod Grę ci etiã conditã ab eo urbẽ Cyrenen putãt:quod relinquo iã in medio.

HABVIT ergo alteros Cyrene colonos Gręcę ſtirpes:ptinetq; huc,quod Ioſephus Cyrenæos Lacedęmone oriundus aſſerit, & Ammianus Battum Spartanũ facit.Hi regnum exinde peculiare retinuerunt,idq; Batti poſteris (Græci Battiadas appellant) humaniter conſeruarunt.De quo Batto omitto fabulas Iuſtini,qui patrem eius Cyrenum regẽ nominauit. Nec dilucidę ſatis Herodoti de ortu eius ſunt expoſitiones.Solus Pindari Scholiaſtes Theræ è Samo F. ἀπόγονον facit: Quod & nos amplectimur.Etſi πρόγονοι intermedij interuallo circiter annorum 400. ignorantur. Reliqua deinde propago ex Herodoto certa eſt.Qui oraculum de Battiadarum imperio eiuſmodi retulit:
„ Ad quatuor Battos,ac totidem Arceſilaos,octo hominum ętates,dat
„ nobis Apollo Cyrene regnare,ulterius uos conari dehortatũ, &c. Ac
„ conuenit Pindarus qui Arceſilanm IV. à Batto octauum nominat.
Quod ipſum Scholiaſtes explicans: πῶς, inquit, πρὸ πατρὸς τὴν δυναστείαν παρέλαβε καὶ τέσσαρες μὲν Βάττοι τέσσαρες δὲ ἀρκεσίλαοι ἐγένοντο. Sed tamen de Arceſilao III. & hiſtoria eius reliqua ſequi Plutarchum malim: Quippe qui cum & Polyænus conueniat,& ſuffragatur adeò de oppugnatis ab Arceſilao fratrib. hiſtoria apud Herodotũ.Huius è filio nepos Arceſilaus IV. (non quintus,ut perperam retulit Pindari Scholiaſtes.) cum imperaret uiolentius,idq; exemplum imitaretur mater Pheretima,regni tędium apud ciues parit, cum ſtetiſſet annos ducentos, ut eſt auctor Scholiaſtes Pindari, Nam ab hoc tempore Cyrene rempubl. habuit. Quæ quomodo in regnum iterum commutata ſit, ſuo loco docebimus. Neque audiendus hic Polyęnus, qui à Pheretima Battiadis regnum conſeruatum,ait. Etſi hos ſuperſtites manſiſſe,ex Herodoto planum fit: & capta Barca id ſategit Pheretima. Quare facilè ijs aſſenſerim, qui poëtam Callimachum inde

ortum

ortum opinantur, suffragante huic assertioni testimonio huius apud Strabonem. Estque credibile, ob regni memoriam & maiorum merita, etiam honores Battiadis aliquos concessos, neque à magistratibus exclusos. Qua in re cum metu Tyrannidis ciues forte modici essent, factum inde est, ut Battiadæ iam obscuriores essent, neque aliæ eorum res gestæ in scripta auctorum peruenerint.

DE consuetudinibus regum Cyrenæorum memorabile nihil proditum est. Sepulcrum Battus 1. in foro Cyrenarum promeruit. Qui honor cum heroicus haberetur, successores ante urbem condi uoluêre, ut est apud Pindarum.

FAMILIA BATTIADARVM, QVI REgnârunt annos CC.

POLYMNESTVS, oriūdus à regia Theræ prosapia, floruit eximia probitatis, & integritatis fama sub GRINO rege. Ideò cùm Phronimam Cressam, quam nouercæ iniuria domo eiectam, & morti destinatam, conseruârat humaniter Etearchus negociator, toro digna tus impregnasset, Battum filium ex ea procreat. Herodotus, Scholiastes Pindari.

I. ARISTÆVS, seu ut alij, Aristoteles, accipit Batti cognomentum seu ab oris titubantis uitio, seu ab euentu, hoc est, dignitate regia in Libya acquisita. Etenim Delphos profectus, coloniam isthuc deducere iubetur. Quod dum periculorum multiplicium formidine tergiuersatur, ob clades eam moram secutas à suis extruditur. Neque ab iterato reditu persistere in patria permissus, primum in insula Libyæ uicina considet, & urbem ibi Platæam condit, deinde in ipsam Libyam migrat, & post septennium tandem ductu & hortatu Pœnorum Cyrene, quod uolunt Græci, condita, Regem (is Afris patria lingua Battus est.) se gerit, ac imperium totos annos 40. continuat. Herodotus, Pindarus, Scholiastas, Strabo, Pausanias, Eusebius, Tzetzes, Marcellinus. À Suida celebratur prouerbio: Batti Silphium, de ijs quibus rari honores deferuntur. Nam ciues animi grati erga ipsum testificaturi studium, annulum fecere, quo urbes eorum Batto Silphium offerret, propterea quod & foliū & fructus, & ramus, & succus huius magni essent precij. Siluius de Batto sic canit.

Battus Cyrenen mollitum fortè fouebat
Imperio, mitis Battus, lacrymasque dedisse
Casibus humanis facilis, &c.

II. ARCESILAVS I. regnat iuxta Herodotum ann. 16.

impune Learchum passus, demum & ipse insidiatorem hunc experitur, & potione eius uenenata de uita tollitur. Plutarchus, Scholiastes Pindari. Variat nonnihil de historia eius Herodotus, & cęsum ab Ali archo fratre, ait:

FILII ἀνώνυμοι infestantur per summam iniuriam Arcesilai fratris bello. Quod defensuri, Barcam oppidum condunt, & Pœnos ad societatem pellectos, hostes Tyranno opponunt. Herodotus.

NASCITVR Arcesilao ex Eryxo filius BATTVS.

VII. BATTVS IV. amittit patrem puer, & à ciuibus propter corporis uitium (claudicabat enim crure altero.) Despectui habitus, etiam Learchi insidias uix effugit, & regnū sola matris uirtute retinet. Hoc ut constitueret, Demonacem Arcadem euocat, ac per hūc popu lo in classes distributo, ipse peculiaribus sacerdotijs augetur. Herodo tus, Polyænus, Plutarchus.

FVIT cum Batto cōnupta PHERETIMA, qua filius ei geni tus est ARCESILAVS. Reperimus autē PHERETIMÆ hu ius fortunā, nomē & res gestas illustres. Quę regno cū Arcesilao filio pulsa, in Cyprū ad Euelthonē, regem Salaminis, ꝓfugit. Vbi cū & haberetur honorificè, & munerib. crebris afficeretē, etsi grata sibi ea esse affirmaret, gratiorem tamen exercitū, quod in regnum reduceretē, fore ostendit, deq; eo instare importunius pergit. Ea ambitione ingenioso fusi aurei & coli penso circūdatæ, à rege retusa cōmento, dū inde iam offensam eius aliquā metuit, post filij reditū Cyrenen se deportat, rem pub. prudenter capessit: pręsidet Senatui: atq; eodē filio aliquāto post Barcę ex insidijs obtrūcato, eo iam iracundiæ furore exardescit, ut in eius facinoris ultionē Persas cū ducibus Amasi & Maraphio ex Ægy pto attraxerit. Horū opera Barca subacta, tum in ciues reliquos sæuit, tum cædis auctores palo suffigit, & cōiuges eorum mamillis truncat, easq; per murorū ambitum suspendit, & urbē uniuersam Barbaris diripiendā cōcedit. Quare in odiū ingens omniū uenit, nec multò pòst Nemesis diuinę uindicationē iustā subit. Etenim morbo oppressa, uiuens uermibus cōputrescit. Auctores sunt Herodotus li. 4. Polyęnus lib. 8. Suidas ἐν λαί. In quib. de eius morte Herodotus hoc memorabile subijcit ἐπίφθονα ἀνθρώποισι αἱ λίην ἰσχυραὶ τιμωρίαι πρὸς θεῶν ἐπίφθονοι γίνονται.

IIX. ARCESILAVS IV. adit regnum post patrem: latus à Demonace Arcade leges abrogat, & potestatem sibi tyrannicā uendi cat. Qua uiolentia cùm uehemēter ciues offendisset, haud multo pòst CAMBYSI etiam tributarius fit. Quare, ut seruitutis auctor tumul tu populari pellitur: cumq; in Samū insulam exul profugisset, militū mercenariorū manū cogit, & cōfirmatus ambiguo oraculi Delphici responso, Cyrenen mirabūdus repetit: Vbi etsi absq; armis reciperetē, tamen

tamen exilij auctores dicere se iudice causam iubet, ac condemnatos partim supplicijs partim exilio mulctat, & quosdam qui in turrim quandam refugisset circundata materia, igni cremat. Ex eo facinore, cùm oraculi, quod eiusmodi quid cùm secuturo mox exitio prędixerat, recordatio animũ subisset, spõtaneo exilio Barcam migrat: dumq; temerè isthic per forum cum socero Alazari uagał, ab exulibus, quib. ciues aliquot conscij essent, iugulatur. Herodotus, Polyęnus: Celebratur Pindari carmine in Pythijs, ubi oda prior hanc memorabilẽ habet

» γνώμην: Facile est ciuitatem concutere, etiam imbecillibus: sed rursus

» collocare in suã sedẽ, difficilè est subitò, nisi Deus sit gubernator Principum. In alterius explicatione Scholiastes coniugem Alexibij filiam nominat, fratrem huius Carrhotum facit.

¶ BATTIDARVM prosapia editus Battus quidam de cõiuge & liberis à Suida celebratur: Qui illam Mesatmen hoc CALLIMACHVM & Magathymam nominauit.

CALLIMACHVS dedit bonis literis operam sub pręceptore Hermocrate Iasęnsi, & tantum diligentia profecit atq; industria, ut quouis carminum genere poëmata scriberet, & in soluta oratione elegantiæ & suauitatis laudem haberet. Ideo cùm aliquandiu Alexãdrię docuisset, Ptolemæo Philadelpho innotescit, à quo regificè muneratus, totum se ad scribendum conuertit: ac nominantur in librorũ monumẽtis eius Ibis (fuit id poëma de industria obscuratum, insectationen continens Ibis inimici cuiusdam sui, qui fuit Apollonius, Argonauticorum scriptor.) Tabulæ eorum, qui in quauis disciplina floruerunt: origines insularũ & urbium, mutataq; nomina &c. Attigit Ptolemæi Euergetæ tempora, hoc est Olympiad. 127. Suidas. Ad imitationem inuectiuę in Apollonium de Ibis auis nomine, Ouidius suum carmen, quo ex æmulis quendam proscindit, Ibin inscripsit. Sic enim habet ibidem:

Nunc quo Battiades inimicum deuouet Ibin,
Hoc ego deuoueo teq; tuosq; modo.

Idem alibi cùm artem Callimacho attribuat ingenium detrahit.

Battiades toto semper cantabitur orbe,
Quamuis ingenio non ualet, arte ualet.

MEGATHYMA, nupsit Stasenori cuidam, è quo filium edidit Callimachum.

CALLIMACHVS, æmulatur auunculi studia, & laudẽ è carmine heroico acquirit. Memoratur autẽ unum eius de insulis poëma.

NOBI-

NOBILITATE GENERIS, PRVDENTIA, DOCTRINA ET VIRTVTE AMPLISS. VIRO, D. CAESARI PFLVGIO, IN EITRA, PATRONO SVO omni obseruantia Colendo.

S. D.

REINERVS REINECCIVS STEINHEMIVS.

ISRAELITICÆ gentis, quæ eadem appellatione ueteriore, Ebræa, recentiore, Iudæa, nominatur, expositam in litterarum sacrarum monumentis historiam partim repetendo, partim explanando multi tradidere, nec omnino prætererierunt scriptores profani. Nominat enim Hecatæi Milesij de rebus Iudaicis commentarios Iosephus: & attingit memorando Mosis ex Ægypto egressum illum mirificum Berosus. Addo his Strabonis, Plutarchi, Dionis, Taciti, Iustini, Flori &c. expositiones. Tametsi eæ ferè eiusmodi sint, ut Iudæis detrahant, adeoq; de origine gentis atq; religione fabulas nugacissimas infarciant. De qua re cùm alibi explicatum à nobis sit uberius, non adijcio hîc plura. Quando nimirùm & maliciam perspicere hinc scriptorum posteriorum manifestam liceat, quòd Biblia sacra haud amplius tunc ignota essent. Etenim transferri hæc munifica impensa in linguam Græcam curârat PTOLEMÆVS Philadelphus, & adiungi nobili illi Alexandrinæ Bibliothecæ iusserat. Vt capere uel ab hoc exemplo documentum liceat, quantopere obesse præiudicia soleant, & quid tempora possint. Cùm enim Græci & Romani (nam in his gentibus ijdem scriptores uixerunt) à Iudæis initiò haud alieni essent, adeoq; Spartani se fratres horum prædicarent, pòst utriq; odium in eos acerbissimum susceperunt. Quod ut in Græcis fortè commouerunt clades ASMONÆORVM bellis regno SELEVCIDARVM illatæ, ita Romanos exacerbasse uidentur gentis seditiones multiplices, & bella sub NERONE & ADRIANO mota periculosissima. Accessit his religionis æmulatio, qua concedere neutri Iudæis uellent. Estq; credibile, disseminatum inde à Græcis primùm commentum nefarium de culto à Iudæis asini capite aureo, cuius meminere Iosephus con

tra Apionem, Suidas ex Democrito historico. Vt ne iam referam, eam postremis illis temporibus, hoc est, à reditu ex Babylone, Iudæorum fortunam extitisse, quæ despectum gentis parere aliquem posset. Postquam enim nonnihil iam respirârat, mox domi turbas graues Pontifices dedêre. Quibus ubi externa Persarum & Macedonicorum regum bella accessere, OCHVS magnam gentis partem in Hyrcaniam transtulit, & aliquantò pòst ad multa millia in seruitutem abduxit PTOLEMÆVS Lagi. Successit demum effera illa ANTIOCHI Epiphanis tyrannis, qui pręter horrendas lanienas, quibus gentem afflictissimam exhausit, etiam religionis interitum molitus est. Cęteroqui inde à IEROBOAMI defectione coniungi Israëlitarum uires nunquam potuerunt: & decem tribus CYRI Magni de reditu beneficium aspernatę ita sunt, ut sedes assuetas patrię prętulerint, cùm fortè tum etiam Dauidicæ familiæ imperium, in qua Princeps florebat ZOROBABEL, dedignarentur.

Quare quòd hallucinando atque ambigendo hîc laboremus nihil est: & quia ipsi Israëlis fontes limpidissimi sunt, ad hos potius quàm ad riuulos commentitiarum opinionum tanquam cæno turbidiores, nos referamus, par fuerit.

Reperimus autem in argumenti huius tractatione, diuersorum explicandi rationes diuersas. Nam alij historias transcripsere integras, hasq; ijs circumstantijs & orationis ornamentis uestierunt, quibus illustrari narrationes consueuere. Alij in partibus certis operam posuerunt, & uel uiros illustres excerpserunt, uel Chronologias dedere, aut etiam familias collegerunt, hoc nimirum fine, ut historiæ integræ redderentur planiores: Cùm fieri hoc in omnibus disciplinis uideamus, ut certis quasi adminiculis tum innitantur tum illustrentur, & in alias partes aliorum sint obseruationes, quæ indicationibus coniunctæ, rem dilucidiorem faciunt. Postremam de familijs uiam ingredi nobis etiam placuit, & ita placuit, ut quæ de origine gentis & imperijs dicenda essent, his repetendo prӕmitteremus. Nec tamen quasuis sine discrimine familias congessimus, sed eas tantummodo dedimus, quæ in imperijs cum potestate floruissent. Quæ ordine & dignitate triplices extitere, IVDICVM seu Dynastarum, REGVM & DVCVM seu Principum. Iudicum stirps certa nulla fuit, quòd munus horum uel ab auctoritate diuina, uel à populi suffragijs, penderet. Regum familias, quæ genti toti imperassent, duas reperimus, SAVLI & DAVIDIS. Ille filium solum successorem habuit: ab huius nepote ROBOAMO cùm seditiosa alienatione defecisset IEROBOAMVS, regno in Ephraimitis, quod & Israëlitarum & decem tribuum tum à sede Samaria Samaritanum appellatum fuit, principium dedit.

Et

Et paruere exinde Dauididis, qui & ipsi ab sede regia Hierosolyma, regis Hierosolymitani dicerentur, Iudæi Beniamitæ. Cùm quidem ab hoc tempóre inde usque ad regni excidium alia familiæ mutatio nulla obuenerit, quam quæ ab ATHALIÆ extitit tyrannide. Israëlitarum reges diuersis procreati fuère familijs; quibus hoc quasi solenne extitisse uidemus, ut si quæ noua regno potiretur, antecedentem deleret stirpitus. Duces ex uno Dauididarum satu genus duxere. A' quibus uti deniq; summam rerum cum regio nomine occupârint ASMONÆI & Antipatri posteritas, suo loco plenius tradidimus. Quæ autem in familiarum illarum propaginibus dubia occurrant, quodq; in his enodandis à nobis operæprecium factum sit, alij iudicent, malo. Sanè de Dauididis nõ semel hæsimus, & multùm nos exercuit IOÆ & ZOROBABELIS historia: Quippe de quo utroque, sententiæ pugnantis assertione, mirifica ueterum consensio sit, nec facilè, qui è recentioribus ab ijs discedat, inueniatur. Veruntamen potior nobis sacrorum Bibliorum debet esse auctoritas, quibus quas addidimus rationes nostras, eiusmodi fore confidimus, quibus opinio contraria facilè euertatur. Nec tamen hæc sic accipi debent, quasi sapere plus ueteribus, quibus merito tribuitur plurimum, uoluerimus, sed ut sententiam nostram proferremus, & dissentire etiam ab ueterum placitis licere ostenderemus, cùm certiora id argumenta cogunt.

De utilitate historiæ huius, quandoquidem ea obscura esse nemini potest, uel etiam in Christiano nomine esse debet, nos in præsenti uerba multa facere desinimus. Ac uti alij instituto & fine alio de ea explicârunt, ita noster is extitit scopus, ut de Iudicum, Regum & Ducum rebus gestis quandam ueluti epitomen daremus, ut maiori fructu legi & cognosci fontes possent. Omnino hîc multiplicium & illustrium uirtutum, quibus pius animus informetur, documenta uaria proponuntur, atq; item exempla punitorum scelerum occurrunt. Tulit enim bonis intermixtos etiam malos Principes Israëlitarum Respub. & hos ferè plures, quòd malignus ille Spiritus Ecclesiæ præcipuè insidiari soleat. Iccirco & summorum uirorum Lapsus horrendos legimus. Quos intuentes, ut ne securi cupiditatibus prauis indulgeamus, monemur. Accedit huc obseruatio necessaria de religionis optimè constitutæ tam deprauatione quàm instauratione. Quę utraq; cùm in populo Dei tam crebra extiterit, minus iam aliarum ætatum exempla mirari nos conuenit. Neq; nihil hinc confirmatur de imperiorum periodis fortalibus tradita à sapientibus doctrina. Nam & Iudicum, & Regum & Ducum imperia singulos ferè annos 500. compleuère.

Porrò autem instituenti mihi commentarij huius editionem, nobiliss. & ampliss. uir, Patrone obseruande, de Amplitudine T. potissimum

mum uidebantur polliceri patrocinium, & in humanioribus literis eruditio eximia, & in hoc maximè studiorum genere tractando assiduitas: quæ utraque ceu condecoraret etiam beneuolentiæ erga litteratos propensio prolixa. Cùm enim uirtus omnis uestrum ordinem deceat, tum hæc ornamenta, quibus generis nobilitas emicet, facilè præcipua censentur. Atque habet hac parte, ea domus uestra exempla, quæ famæ prædicationem perpetuam mereantur. In quibus nominasse sufficiat illustris memoriæ Princip. D. IVLIVM, antistitē Numburgicum, cuius eruditionem & eloquentiam tum Italia suspexit, tum magnificit Germania nostra, & beneficentiam in litterarum studijs iuuandis grata recordatione adhuc multi prædicant. Neq; nihil ad A. T. pertingere laudis uidetur à nobiliss. præstantissimiq; uiri D. HENRICI Einsidelij affinitate: cùm dignitates non inferiores uirtutum tanquam concursus non inferior expectare nos ab A. T. iubeat. Ergo studij cum obseruantia debita propensi significationem hanc nostram in partem bonam A. T. accipiat, nobis patrocinij tutelam benignam præstet, oro. Enimuero satis constat, & docuit longo usu experientia, historiarum cognitionem ordine uestro, cui Reipub. negotia tractanda sint, & dignissimam & maximè necessariam esse: neque aliud doctrinæ genus reperire est, unde utiliora peti documenta possint. Sed tamen solet hæc difficilior esse, nisi cùm alijs, tum inprimis explicationum de familijs illustrioribus quasi χειραγωγίαις adiuuetur. Vt ne hoc iam adijciam, & delectationem & utilitatem multiplicem afferre, è magno ueluti aceruo excerptas narrationes & exempla selecta ceu in tabella intueri. Quod cùm de Biblicis historijs præstare opera hac studuerimus, erit fortè quod labori nostro debeatur. Isq; neq; A. T. ingratus sit, & alij hoc fruantur feliciter, precor & opto. A. T. bene & feliciter ualeat. Lipsiæ M. Martij. D. XVII.

CIƆ.IƆ.LXXIV.

NOBI-

DE IVDAEORVM TRADITA ETHNICORVM MONVMENTIS ORIGINE, QVAEQ'VE HAEC VERIOR TAM ILLORVM QVAM CONDITORVM ISRAELITARVM LITERIS SACRIS monſtretur: De Imperijs, quæ in Iſraëlitis floruerunt: Vt regnum bipartitè in Hieroſolymitanum Iudæorum & Samaritanum Iſraëlitarum ſeu Ephraimitarum diſcerptum: & quæ utrunq; tenuerint Familiæ.

CERTA eſt Iſraëliticæ gentis origo, certæ item tres geſtæ è ſacrarum literarum monumentis. In qua cùm Iudæorum nomen poſterioribus temporibus cœperit celebrius eſſe, ita ut totam gẽtem occupârit, uiſum fuit breuiter hîc præmittere, quæ in Græcis & Romanis ſcriptoribus prodita de primordijs eorum reperiſſemus: ut nimirum & hinc planum fiat, quantum ea parte Eccleſiæ doctrinæ debeatur, & quæ Ethnicorum ſimul uanitas ſimul mentiendi licentia cognoſcatur. Principiò autem Dion ſolus dubitare ſe ait, quod nominis Iudæorum fuerit initium: Cùm quidem hoc addat, poſtea temporis alios quoq;, qui ſecundum ſtatuta eorum uiuerent, hoc geſsiſſe; etſi alienigenæ eſſent. Quintilianus infamiæ labem aſpergere Iudæorum origini uidetur: Et parentes, inquit, malorum odimus, & eſt conditoribus urbium infame, contraxiſſe aliquam pernicioſam cæteris gentem, qualis eſt primus Iudaicæ ſuperſtitionis autor &c. Reliqui, qui in argumento hoc explicando operam poſuerunt, tribus potiſsimum diſcrepare opinionibus inueniuntur: Nam alij, Ægyptios Iudæos faciunt, alij Cretenſes, alij Damaſcenos. Primam tuentur præcipuè Diodorus & Strabo, & ille quidem breuiter, hic uerboſius; ita ut exemplis ſimilibus facere ſibi fidem conetur: Fama, inquit, quæ plurimum obtinet de rebus creditis circa Hieroſolymorum templum, afferit Ægyptios fuiſſe eorum progenitores, qui nunc Iudæi appellantur. Nam MOSES, unus ex Ægyptijs ſacerdotibus, cum partem quandam regionis haberet, ac moleſtè ferret eorum inſtituta, hinc eò commigrauit. Diſceſſere cum eo multi, quibus diuina curæ erant. Docebat enim ille, quomodo Ægyptij non rectè ſentirent, qui ferarum ac pecorum imagines Deo tribuerent, nec Libyes nec Græci, qui Deos ho-

minum figuris insignirent. Et quòd id solū Deus esset, quod nos contineret, terram ac mare, quod cœlum & mundum, & rerum omnium naturam appellamus, cuius profectò imaginem nemo sanę mentis, nostræ similem audeat effingere. Oportere itaq; relicta omni simulacrorum effigie, & digno ei fano ac templo constituto, sine forma colere &c. Et paulò pòst: Diuinatores in precio erant, ut etiam imperio digni iudicarentur, ut qui nobis præcepta ac documenta ederent & uiui, & mortui, quemadmodum Tiresias;

Cui dederat uita functo Proserpina mentem
Vt saperet, pariterq; homines leuis umbra iuuaret.

Talis fuit Amphiaraus & Trophonius, & Orpheus, & Musæus, & Getarum Deus, Zamolxis Pythagoreus, ætate nostra Decineus, qui Byrebistæ respondit, & apud Bosporanos Achaicarus, apud Indos Gymnosophistæ, apud Persas Magi, & qui Necyomantici & Lecanomantici & Hydromantici appellantur, apud Assyrios Chaldæi, apud Romanos Hetruriæ aruspices. Talis erat Moses, & successores eius: qui cùm initia non mala habuissent, postea in deterius delapsi sunt. Hactenus Strabo. Altera apud Tacitum extat annal. lib. 21. tametsi plures aliæ ibi miscentur: ideo & hunc locum subijcio: Iudæos, inquit, Creta insula profugos, nouissima Libyæ insedisse memorant, qua tempestate Saturnus, ui Iouis pulsus, cesserit regnis. Argumentum è nomine petitur. Inclytum in Creta Idam montem, accolas Idæos, aucto in barbarum cognomento, Iudæos uocitari, quasi Idæos. Quidam regnante Iside, exundantem per Ægyptum multitudinem, ducibus Hierosolymo ac Iuda proximas in terras exoneratam. Plerique Æthiopum prolem, quos rege Cepheo metus atque odium mutare sedes perpulerit. Sunt qui tradant Assyrios conuenas, indigum agrorum populum, parte Ægypti potitos, ac mox proprias urbes Ebræasq; terras, & propiora Syriæ coluisse. Clara alij Iudæorum initia. Solymos, carminibus Homeri celebratam gentem, conditæ urbi Hierosolymam nomen è suo fecisse. Plurimi autores consentiunt, orta per Ægyptum tabe, quæ corpora fœdaret, regem Bocchorim adito Ammonis oraculo, remedium petentem purgare regnum, & id genus hominum ut inuisum Deis, alias in terras auehere iussum. Sic, conquisitum collectumq; uulgus, postquam uastis locis relictum sit, cæteris per lacrymas torpentibus, Mosen unum exulum, monuisse, ne quam Deorum hominumúe opem expectarent, ab utrisque deserti, sed sibimet duci cœlesti crederent, primo cuius auxilio credentes, præsentes miserias pepulissent. Assensere, atq; omnium ignari fortuitum iter incipiunt. Sed nihil æquè quàm inopia aquæ fatigabat. Iamq; haud procul exitio totis campis procubuerant, cùm grex asinorum

agrestium

agreſtium è paſtu in rupem nemore opacam conceſsit. Secutus Moſes, coniectura herbidi ſoli largas aquarum uenas aperit. Id leuamen, & continuum ſex dierum iter emenſi, ſeptimo pulſis cultoribus, obtinuere terras, in quibus urbs & templum dicata ſunt &c. Tertia eſt Iuſtini, qui Damaſcum regem facit. Ei ſucceſſores ſubiungit Iudam & Ioſeph, filios, & ab illo, ante patrem defuncto, nomen Iudæorum profectum, opinatur. Nam Ioſeph uenditum in Ægyptum, & regi artium Magicarum ſcientia percarum factum, ait: quas cùm deinde & Moſes F. coleret, ab Ægyptijs, qui ſcabiem & pruriginem paterentur, cum ægris oraculi monitu eiectum, Damaſcenam patriam antiquam repetiuiſſe, & gentem ſacraꝙ Iudæorum condidiſſe, aſſerit. Ac uidetur ad hanc Iuſtini ſententiam alluſiſſe Alexander Polyhiſtor apud Stephanum, qui Iudæorum conditores nominat Iudam & Idumæam, filios Semiramidis. Etſi ibidem alia quoꝙ è Claudio Iolao nominis huius notio attexitur à Iudæo, Spartonis & Thebes filio. Quæ fabula, haud ſcio, an non originem dederit commento, quod Spartani pro fratribus haberi à Iudæis uoluere, atque Abrahami & ipſi genus iactârunt, ut meminit Ioſephus. Etenim inter reginas ciuitatis huius Euſebius Sparten nominat, & urbis Spartæ denominationem inde deducit.

Sed hæc neque inter ſe conſentientia, & alieniſsima ab ea ueritatis certitudine, quam tradidere ſacrarum literarum monumenta, ut uanitatem ſtultam ita malitiam quoque atque odium Ethnicorum in Iudæos ingens teſtificantur. Nec opus eſt, pluribus ut refutentur: & quæ ſingulariter figmento de origine Ægyptia opponi poſsint, legantur expoſita prolixius apud Ioſephum contra Apionem Grammaticum. Cùm quidem ueriſimile in primis ſit, ab Ægyptijs potiſsimum talia profecta: de quorum cum Iudæis æmulatione alibi plura diximus. Et tendunt iſthuc omnia, ut Iudæorum infametur, atque in dubium uocetur, religio. Vnde eſt, quod de Moſe, quo adminiſtro gẽtis illius politiam Deus Opt. Max. conſtituerat, tã nugatoria, quàm impia, Ethnicorum petulantia ſparſerit. Quæ breuiter perſtringendo hîc monuiſſe, ſufficiat.

Ergo ut iam certius aliquid de Iudæorum origine è certioribus itidem & liquidioribus ſanctę ſcripturæ fontibus afferamus, docent hę, gentem illam propaginem Chaldæorum eſſe. Nam Arphaxado (is Chaldæos condidit) genitus auo EBER, Ebræis ortum dedit. Tametſi de nomine hoc neque illud prætereundum, quod aliqui ſcripſerunt, tributum nimirum fuiſſe in extraneis ijs etiam, qui ab Eber traditam cœleſtem doctrinam amplecterentur, & Eccleſiæ eius ſe adiungerent. Neꝙ audiendus hîc Stephanus, qui Charace hiſtorico, Ebræos

ad Abrabonem quendam conditorem refert. Nam ABRAHAMVS, ad cuius nomen alluditur, Ebræus ipse, progenie ab Eber sextus fuit. Huius ex Isaaco filio nepotes Esaus, cognomento EDOM, & Iacobus cognomento ISRAEL, iterum nominum & gentium nouarum, quibus de cognominibus appellationes mansere, auctores extiterunt. Nam ab Esauo sunt IDVMÆI, à Iacobo ISRAELITÆ. Sed de Idumæis expositionem hîc nostram abrumpimus, suo loco pleniùs de ijs explicaturi. In Israëlitis iterum conditores diuersi nominum etiam atque tribuum diuersarum discrimina inuexere. Facilè tamen loco principe floruere. IVDÆI & EPHRAIMITÆ, nempe ex regnis, quæ utrique possedere, Illis Iudas Iacobi, his Ephraimus Iosephi F. nomen posuêre. Et quamuis Ephraimitarum potentia clarior atque illustrior esset, ideoque Israëlitarum appellationem ἰδικῶς illi retinuere: tamen cùm postmodo è CYRI edicto reditum è Perside & Media, quo Samaria destructa collocârat eos SALMANASSAR Assyrius, tædio migrationum & periculorum nouorum detrectarent, ut meminit Iosephus, idque beneficium soli Iudæi amplecterentur, præualuit celebritate & amplitudine horũ nomen, ita ut iam communiter de Israëlitis omnibus usurparetur. Estque inde, quòd cum Israëlitas Græcorum scripta ignorent, Iudæos nunquam non inculcent. Nec prętereuntur Ebræi, & lingua Ebræa, hoc est, Iudaica, quam & sanctum appellamus. De qua denominatione quoniam extat ratio exposita illustris apud Cedrenum, locum cum adijcio: Aiunt, inquit, solum Eberum; Phaleci patrem, in substructionem turris non consensisse, itaque etiam reliquorum linguis confusis, Eberi sermo integer permansit. Ea est lingua, qua Adamus usus fuit: & ab hoc posteri se gentilitio nomine Ebræos, ac linguam Ebræam nominauerunt.

IMPERIA ISRAELITARVM, repetendo ea à conditoribus Ebræis & ABRAHAMO, gentis principe, initiò paterna fuisse reperimus, regentibus scilicet suas parentibus familias. Quæ libertas etiam in Chananæis conseruata, primùm Iacobi in Ægyptum migratione cessat. Nam Ægyptij immemores beneficiorum, quę accepissent planè diuina à IOSEPHO, seruitute Israëlitas acerba oppresserunt, conati etiam cęde masculorum nefaria gentem totam exscindere. Cumque tanta rerum indignitate EPHRAIMITÆ exciti, Chananæam repetijssent, cum clade repelluntur, & pari cum reliquis uiuere conditione usque ad tempora MOSIS, coguntur. Is auctoritate diuina dux miserè afflictis præpositus, Ægyptijs dimissionem ostẽtis multis extorquet, & politiam ac religionis ritus, itidem acceptos diuinitus, nouam condit. Sub Mosis successore IOSVA Israëlitæ demum in Chananæam progressi cùm hanc totam edomitam inter se dispertiti fuissent,

fuissent, parent deinde in Reip. statu Aristocratico IVDICIBVS. Hoc extitit imperij genus in gente illa alterum, & nos de eo Dynastiæ nomine hîc explicabimus. Nam Iudices Ebræa phrasi dynastæ sunt uel principes. Qui cùm imperarent uel ex auctoritate diuina uel popu li suffragijs, succeßionis ius familijs nullum fuit. Quare has numero plures extitisse reperimus: de quibus nos ea afferemus, quæ instituto nostro seruient. Necꝙ omnino de numero horum atꝙ principio inter auctores conuenit. Nam Eusebius & Augustinus Mosen & Iosuam duces nominant, & Iudicem primum Othonielem faciunt. Quę ἀκριβο-λογία hîc opus non est: & cùm de re concordetur, de nomine laborare nõ debemus. Postremo in Iudicibus SAMSONE capto & exocu lato à Palæstinis, hostibus Israëliticæ gentis ἀσπόνδοις, ceu per interreg num fuit cũ summa potestate ELIS, Pontifex Max. oriundus ab Itha maro, filio Aaronis natu minimo. Huius successor Samuel propheta ob filiorum flagitia à populo exauctoratus, de mandato diuino REGEM creat SAVLVM. Quod facimus in Israëlitis genus imperij tertium. Fuitꝙ id deinde continuatum usꝙ ad gentis captiuitatem & deportationem in Persidem, Mediam & Chaldæam.

Nominârunt autem non ijsdem maiores SAVLI nominibus sacri de regibus & Paralip. libri. Quòd totum ad Theologorum interpretationes reijcimus, & retinemus nos, quæ in Regum libris prodita no mina sunt, deinde de posteritate regis illius subiecturi, quæ Paralip. libri habent. Cæterùm ob numinis cœlestis offensam, quam scele ribus multiplicibus ille in se concitasset, haud retinere saluam dignitatem hãc Saulus potuit, & quę ab obitu eius in filij Isbosethi fide manserant tribus, tandem Abnero auctore ad DAVIDEM deficiunt Re gnat ergò altera numero Dauidis familia. In qua cùm SOLOMON F. iam senex cultu Ethnicorum deastrorũ grauiter in Deum deliquisset, & nepos ROBOAMVS stolidè à se populum alienasset, ei dedêre ambo nouæ mutationi occasionem, qua tribus decem, hoc est, gentis pars potißima Regem salutauit IEROBOAMVM. Quare iam re gnum bipartitum esse cœpit, stirpi Dauidis solis Iudęis & Beniamitis adhærentibus: Vnde Iudaicum hoc denominatum fuit, & à regia sede Hierosolymitanum, uti alterum Israëliticum, & ab urbe Samaria, quam ab Ambri conditam successores domicilium retinuere, Samari tanum. Primùm autem de Iudæorum regibus, & familia Dauidis, expositionem pertexemus. In qua quidem plana ferè omnia sunt usꝙ ad IOAM, regem octauum. De hoc enim Philo contra sacrarum literarum auctoritatem discrepans, non Ochoziæ filium ipsum fecit, sed à Nathane propagauit. Eiusquè sententiæ hanc rationem adijcit, quòd cum Solomone ius regni Nathan commune habuerit,

idꝙ

idq́ꝫ ita familiæ conseruârit, ut hæc inde nomen Ebraicum Ahisarim, quod interpretatur fratres Principis, tulerit. Addit & alteram διωνυμίας assertionem, quæ cum Ioa simul cœperit. Ac sequuntur eam opinionem ita scriptores Ecclesiastici, ut quòd Ochoziæ filius Ioas astruitur, huic ex lege Moysis Deut. 25. hanc interpretationem addant, ut Ioam lege, hoc est, successione, filium fuisse dicant. Sed hæc, ut non absq; audacia & temeritate dicuntur, ita haud modicè sacrosanctam Bibliorum impugnant fidem: Quæ cùm ueritatis certitudine uti aliàs semper, ita hic quoque sui similis sit, cur non simplici assensione retinetur? & cur ad interpretationum commenta decurritur? Esto enim posteritatem Nathanis ius eiusmodi habuisse, num propterea etiam regnasse eam credemus? Nec lex Moysis hoc uult, ut fratris coniuge natus filius, patris filius naturalis, & ut I. C. addunt, legitimus esse desinat, sed ex eius potestate exeat, & in fratris defuncti bona hæres succedat. Hoc enim uel exemplo OBED ex historia Ruthæ Moabitidis euidens fit, ubi ille non Mahalonis sed Boosi filius nominatur. Atque uti de διωνυμία ista Philonis assertio meritò suspecta sit, propterea quòd literæ sacræ de ea nihil habent, cùm quidem ueterioribus aliquod uiris illustribus eam referant diligenter, neque adeò de posterioribus regibus omittant: ita quòd à Luca Euangelista exposita posteritatis Nathanis indè à Simeone usq; ad Salathielem nomina regibus accomodantur, hic'q; itidem familiæ Nathanis accensentur, planè repudiamus. Potiùs enim ijs assentior, qui peculiariter Mariæ uirginis maiores explanare Euangelistam uoluisse opinantur, ita ut series hæc ab altera, quã instituit Matthæus, diuersa sit. Nam huic sententiæ euidenter suffragantur quæ de Addi & Melchi attexuntur: Qui cùm Ioachasus & Ioachimus fratres habeantur, Lucas Addi patre natum Melchi, ait. Cæteroquin Athaliæ Tyrannæ sæuitia non in totam Dauidis domum, sed regum successorum satu editam prosapiam se extendisse uidetur: ut Nathanis posteritas, etsi neque ipsa periculi expers fuerit, tamen se conseruârit, & ita conseruârit, ut, quod infra ostendemus, summum tandem gentis dominatum obtinuerit. Quò accommodo Zachariæ uatis locum, capite duodecimo, distinguit Dauididas & Nathanidas, ut nempe illos Solomonis progeniem, huius ἐπώνυμον, intelligamus. Ergò genitore Ochozia rege IOAS nascitur, & retinet regnum posteritas huius usq; ad SEDECHIAM. Is cùm & in Deum impius esset, & contra NOBOCHODONOSOREM res nouas moliretur, bellum huius attrahit: Quod in eum desijt finem, ut post diuturnam obsidionem uiuus in hostis potestatem peruenerit, & urbs regia atq; regnum destructum, gens ipsa in seruitutem abducta fuerit. Neque ab hoc tempore Dauidis stirpi regia dignitas redijt:

dÿt:etsi cum popularibus è CYRI edicto ipsam post 70. annorum exilium rediisse,constat. Atque occurrunt hîc iterum intricatissimæ de Salathiele & Zorobabele,ob quos præcipuè confusam Nathanis familiam cum Solomonis posteritate apparet,opiniones. Etenim nomina horum de uno tantum accipiuntur,ita ut Salathiel Iechoniæ & Nerï idem astruatur,& ex Esdra ad hunc nomen Mesezebel transferatur: nec discernantur Zorobabel Salathielis & Phadaiæ,& de eodem nomen Barachias intelligatur. Sed ab his discedimus, & tres Salathieles, unum Neri è familia Nathanis, πρόγονον Mariæ, alterum Iechoniæ, tertium Asiris,filios,asserimus. Ac Zorobabelis nomen tribus participamus,ut primus filius Phadaiæ,alter Salathielis, quem nominauit Matthæus,tertius itidem Salathielis,quem retulit Lucas,accipiatur. Nec difficile iam fuerit quod de Mosolla tertium occurrit dubium dissoluere. Nam & huius nominis tres personas distinctas credimus,hoc est,Zorobabelis,Barachiæ & Besodiæ filios. Propagauit autem Salathiel Iechoniæ,stirpem duplicem:quarum alteram Matthæus retulit,alteram liber 1. Paralip. recensuit. Secundum,Neri filium,cum Philone eius propaginis auctorem sentimus, quæ principum dignitate, ut Eusebius,Ducum ut Hieronymus,post reditum è Babylone genti præfuit,& semper uirginem Mariam edidit. Enimuero Iechoniæ minatur Ieremias uates,neminem è stirpe ipsius felicitatem eam consecuturum,ut in solio Dauidis sedeat,aut deinceps Iudææ imperet. Cuius cum credere euentum licet,ut Iechoniæ liberis regiam dignitatem metu rebellionis & motuum nouorum denegatam opinemur:cùm econtra Zorobabel à Dario concessam potestatem deinde meritis ÿs,quæ in gentem suam contulit maxima, familiæ confirmârit. Ac Iechoniæ posteros Zorobabelis accipio cognatos apud Esdram cap. 3. hisque ex cap. 8. accenseo Hattum. Qui exinde aliam dignitatem nullam præter synedrÿ possedisse uidentur. Nam huius participes mansisse,rectè creditur. Et quia Herodes idem synedrion anno ante Christum natum proximo deleuit, uidetur tum uerè completum Iacobi uaticinium, haud ablatum à Iuda sceptrum iri, priusquam ueniret Silo, seu Messias. Sed de Salathielis familia ista, & Zorobabele, infrà plura dicemus.

REGNVM Israëliticū,seu Samaritanū,diuersæ tenuere familiæ. Primam IEROBOAMI, filius NADABVS, finÿt. Eandē fortunā altera BAASÆ subÿt,& quo peccârat scelere punitur. Tertia SIMRII, in auctore extincta fuit. Quarta AMBRIS, qui & Samariā urbē condiderat,in successores filiam & nepotes duos dominatū propagauit. Quinta IEHV,in abnepote concidit. Nec deinde uel regni dignitas stabilis,aut familiæ diuturnæ fuêre. Nam è sexta familia solus

SEL-

SELLVMVS regnat. Septima MENAHEMVM & Pecaiam reges dedit. A qua octaua & nona singulos procrearunt. Cumque postremus OSEAS temere Assyrijs fidem fregisset, & Ægyptios de fœdere sollicitasset, in uincula à SALMANASSARE conijcitur, & Samaria ui capta cum regno destruitur, gente tota in seruitutem abducta. Stetit autem regnum hoc an. 241. Cui quæ odiorum fuerint cum altero Iudaico contentiones, sanctorum uatum docent monumenta. Et extiterat quidem hoc semper potentius. Ideo Iudaici reges excidium haud inuiti conspexere, cùm quidem contra Phacam euocasset Tiglatphilassarem ACHAZVS. Constat & mutationes tantas & regni ipsius interitum correptæ religionis & multiplicis idolatriæ pœnam extitisse. Qua de re cùm ipsæ literę sacrę luculentiùs edisserant, eò lectorem remittimus, iàm ad familiarum historiam aggressuri.

DYNASTÆ, SEV IVDICES ISRAELITARVM.

¶ I. MOSES, tribu Leuita, è patre Amramo, auo Cahato, proàuo Leui, exponitur in Nilo infans de Pharaonis BVSIRIDIS edicto. Ac periculo puellæ regiæ humanitate liberatus, ab eadem parentibus educandus redditur, iamque grandiusculus aulæ sistitur. Quo tempore cùm mirificam ab ingenij eximij præstantia gratiam collegisset, ab altrice filius audit: regem ipsum humanius complectentem in metum cladium ab se Ægypto inferendarum non dubium conijcit: ad discit Ægyptiorum disciplinas: belligerat ducis dignitate in Æthiopia, & rerum feliciter gestarum successu Ægyptijs suspectus factus, regem etiam è cæde quadam infestum sentit. Quare exulatum in Madianitidem concedit: Iethronis sacerdotis affinitatem uirtute promeretur, & uitam aliquantisper ibi pastoritiam, non Philosophicam (ut Eusebius) sectatus, demum liberandorum ductu suo popularium mandatum à Deo accipit: dumque de tanta re dubitat, signis euidentibus confirmatur, & sperare optimè iubetur. Itaque cum uxore Ægyptum repetit: apud populares ostentis sibi fidem facit: CHENCREM Pharaonem edictum diuinum fastidientem, & prodigia à se edita eludere conantem impiè, cladibus horrificis afficit, ac flexum denique è filij primogeniti interitu, sed mox à profectione suscepta ad ingenium redeuntem, maris rubri, quod uis cœlestis ipsi aperuerat, refluxu obruit, & populum tum incolumem traducit, tum nouis hostium spolijs ditat. Iamque porrò in Chananæam perrecturus, à Deo detinetur, & populum deserti iter horrentem, minus gratum experitur. Placat tamen hunc rursus aqua dulci, & tum coturnicibus & manna pascit, tum de

Amalecius

Amalecitis uictoria animat. Pòst Iethronem socerum hospitem atque asseclam accipit: deq́ imperij administratione consulentem utiliter, audit: constituit auctore Deo Opt. Max. Rempub. & Ecclesiam legibus: religionis ritus docet: fratrem AARONEM, rex in Ægypto gestarum socium, Pontificem legit, dignitatemq́ eam familiæ confirmat: reprimit motum ab socijs Iosuæ & Calebi datum, atque à Chananæis cladem illatam gemit: plectit nouis seditionibus tumultuantes pœnarum etiam generibus nouis CORAM, Dathanem & Abiramum: debellat reges Amorrhæorum duos, Madianitarum quinque, & illorum sedes occupatas, Gaditis, Rubenitis & dimidiæ Manassensium tribui dispertitur. Cumq́ reliquo imperij tempore omnibus ueræ pietatis, moderationis, clementiæ officijs & Deo immortali & suis se probasset mirificè, in Sinis solitudine offensam cœlestis numinis tantam incurrit, ut in Chananæam, cui iam proximus esset, inuadere uetitus sit, & uitæ finem ex Deo audierit. Quod cùm populo denunciasset, huncq́ inde consternatum spe auxilij diuini confirmasset, & faustis omnibus prosecutus esset, IOSVAM iam antè successorem sibi assignatum, ad piè audendum accendit: & digressus in montem Nabonem, in Dei conspectu moritur, cùm implesset ætatis annos 120. imperij 40. Extat Mosis historia posita in ipsius commentarijs sacris: quibus adiungantur Siracides, Philo, Iosephus, Clemens, Eusebius, Zonaras, Cedrenus, Augustinus, Orosius. Nam Strabonis, Taciti, Iustini fabulas suprà refutauimus. Neque de scriptis eius, quibus Ecclesiæ doctrina, & mundi atque ipsius generis humani primordia continentur, plura addo: Cùm quidem certum sit, aliam gentem nullam uetustiora monumenta habere. Ferunt autem primum Platonem detrahere his fidem conatum, etsi de eo dubitare nos iustè cogit, quòd sub Ptolemæo Philadelpho translata primùm in Græcam linguam, constat. Atque inuenias in scriptoribus Ecclesiasticis, qui Platonem, Mosen Atticum nuncupent. Quæ à Galeno contra Mosen afferuntur, eiusmodi sunt, quibus in Ecclesiæ doctrina rectè eruditi, occurrere facilè possint. Nec quicquam auctoritati eius detrahunt Plinij & Poëtarum insectationes, cùm alter ab Epicurei dogmatis assertione satis seipsum depinxerit, alteri ad recentes Iudæorum spectent superstitiones. Et habet aliam Mosis defensionem contra Apollonium & Lysimachum Iosephus lib. 2. contra Apionem. Meminit Diodorus lib. 1. capite 5. & Iao cognominat, quòd κατ' ἀποκοπὴν mutilatum uidetur ab Ebræo Ioachim. Nam hoc parentes nomen posuerant, teste Clemente: ut alterum Moses cognomentum ab expositionis euentu intelligamus. Est enim Ægyptijs Moy aqua, & Moyses, qui ex aqua emersus respirauit, quomodo idem Clemens auctor est. Epistola ad Ebręos de

„ Mose hæc habet: Postquam fide adoleuit, filiæ Pharaonis filius dici
„ recusauit, maluitq́ cum diuino populo mala pati, quàm breuem ha-
„ bere peccati fruitionem: maiores diuitias esse ratus Christi probrum,
„ quàm Ægypti thesauros, &c.

Fuit cum Mose connupta Sephora, Iethronis Madianitæ filia, quæ liberos edidit, Gersomum & Eliazerem. Horum fortuna è Mosis patris commentarijs nota est, & repetitur à Iosepho lib. 2. In lib. Iudicum additur è Gersomo nepos Ionathas. 1. Paralip. 23. ex eodem Sabuel, ex Eleezere Rhohobias: quorum posteri multis seculorum ætatibus floruerunt. Nam Dauid rex custodiam ijs thesaurorum templi permisit: & nomine huius temporis in eis exprimitur Ialus.

¶ II. HOSEA, cognomento IOSVA, tribu Ephraimita, è ꝑgenitoribus Nune, Elisama, Ammiudo, Ladane, Thahane, Thela, Rapha & Ephraimo, emigrat cū MOSE ex Ægypto: Amalecitas ad Rhaphidimū contendere prælio ausos fundit fugatq́: Chananęā obit speculator, et cū CALEBO solus referre uera ausus, etiā promisso diuino de repetenda terra illa certò cōfirmatur, & MOSIS deniq́ successor designatur. Hoc munus ab obitu illius susceptum administrat ani mose: Chananęā iterū per homines fides explorat: Iordanē miraculosè, hoc est, sicco pede traijcit: urbes Hierichuntē murorū ruina, Haim militari stratagemate occupat: conseruat humaniter Gabaonitas: Reges quinq́ eam deditionē uindicaturos uno prelio debellat, & ad hāc uictoriam urgendā solem precibus sistit. Nec frustra deinde in hostē alium arma capit: & profligatis Iabinis regis copijs, & regia huius Ha sore euersa, Enaquinos Gigantes adoritur, Chananęaq́ omni eiectos in Palęstinā reijcit. Ab hoc tēpore populo satisfacturus, terras acquisitas huic dispertitur: Calebū remunerat ex meritis: cōstituit asyla, et tribus trans Iordaninas cū faustis ominibus domū discedere permittit. Cūq́ pacem exinde ob senectā traheret, iā morti ꝓpinquus senatores & magistratus reliquos euocat: quib. ad legum diuinarū obseruationē iuramēto adactis uitā exitu q̄ placidißimo claudit. Vixit ann. 110. imperauit 32. Retulit partem historiæ eius Moses: reliqua in libello de nomine eius inscripto pertexuntur. Quibus addimus Siracidem, Iosephum, Clementem, qui bellorum eius tempus nominat ann. 66. imperij nunc 25. nunc 27. item Zonaram, Cedrenum, Augustinum. Auctor est Suidas, pulsos à Iosua Chananæos in Africam transfretasse, & Numidas ibi condidisse. Destructa ab eo Hiericho instauratur Achabi temporibus ab Hiele Bethelensi, ut narratur 3. Reg. 16.

¶ III. OTHONIEL, dynasta tertius, gente & tribu Iudęus, propinquus CALEBI, cuius Calebi cū nobilitas in Iudæis secundum DAVIDIS familiam præcipua fuerit, breuiter hîc familiam ipsius intersero.

PHARES,

PHARES, filius IVDÆ è Thamare.

HESRON, alio nomine Iephunes, memoratur Gen. 46. 1. Paralip. 4. & 15. Iosuæ 15.

IERAMEEL, Huius posteritas recensetur 1. Paralip. 2.

CALEBVS, discedit emigrando cum Mose ex Ægypto: & speculatoris in Chananæam demandari sibi munus passus, cū IOSVA solus in officio manet. Quare ꝓmissi diuini de occupādā illa particeps fit: Quòd cùm pòst Iosuę subiecisset, pręmium operæ nauatæ Hebronē accipit. E Dabiris expugnati merito generum OTHONIELEM deligit, & filiā Axam commodè petentem agris irriguis donat. Num. 13. 14. 34. Iosuæ 13. 15. Iud. 1. Siracides 46. Zonaras. Progeniem Calebus amplissimā reliquit, de qua eruditè Ludouic. Lauaterus in cap. 2. li. 1. Paral. & nominatur in ἀπογόνοις eius NABALVS, σύγχρονος Dauidis. Nos hìc tātum filiam AXAM adijcimus.

*

CENEZVS, Iud. 1.

OTHONIEL, oppugnat ꝓ Calebo Dabir urbem, eaq; capta, filiā illius Axā coniugem impetrat. Post Iosuæ obitū seruitutem cum gente sua Chusanrasathamo regi annos octo seruit. Quā de instinctu diuino pertęsus, & pro libertate recuperanda audēdum aliquid ratus, arma capit', & hostes acie uicto, pacē imperio suo ad ann. 40. restituit. Iud. 1. 3. Euseb. Iosephus Cenizū nominat, Zonaras Gothonielē. A' Cedreno perperā antecessor ei attribuitur Iudas: sicuti idē auctor alibi dynastis hisce non rectè Calebum inseruit. Variat etiā Clemens, qui imperij eius ann. 50. numerauit, & fratrem Cheleu iuniorē appellat.

HATHATVS, 1. Paralip. 4.

SARAIAS. —— IOABVS.

*

AXA, proponitur à patre Dabiris expugnandæ præmium: & collocata Othonieli patrueli, eiq; agri à socero petendi auctor facta, ipsa aquationes uti adijcerentur, impetrat. Iud. 1.

¶ IV. AODVS, Geræ filius, Ieminis nepos, tribu Beniamita, non Ephraimita, ut Clemens, incidit in externum Eglonis Moabitæ dominatum. Ad quem cum muneribus ablegatus, rerum nouandarum occasionem eam arripit, sicam habilem occultè parat, & admissus atq; dimissus humaniter, reditum indicij causa simulat: eoq; prætextu solitudine impetrata, barbarum obtruncat, populum ad arma uocat, & occupatis Iordanis uadis, Moabitas præsidiarios internecione delet, & pacem suis ann. 80. præstat. Iud. 3. Iosephus, Clemens, Eusebius, Zonaras, Cedrenus.

¶ V. SAMGARVS, Anathi filius, uir genere & natalibus obscurus, meretur principatum à Palæstinorum incursione repressa. Etenim pecus in agro pascens, hostem hunc solus sustinet, & pedo pastorali, hoc est, armis pro tempore oblatis ad 600. cæsis, reliquos in fugam conijcit. Moritur susceptæ dignitatis huius anno primo. Iudic. 3. Iosephus. Eusebius nomen & imperium eius omittit. Zonaræ Megar & Dinachi filius. Cedreno Samegar, dicitur.

VI. BARACVS, Abinoami F. gente Nephthalensis, capeßit Debora prophetria auctore imperium contra IABINEM, regem Chananæorum. Cuius legato SISARÆ dum occurrere solus detrectat, & periculi sociam Deboram poscit, uictoriæ laudem haud integram reportat, hoste illo fugato tantum, & à Iaële muliere perempto. Inde in ipsum Iabinem tendit, prælio contendere ausum sternit, atque in acie obtruncat, & urbe regia Hasore expugnata, gentẽ ferro ita exhaurit, ut respirare deinceps ad potentiam nunquam potuerit. Durauit imperium eius ann. 40. annumerato nimirum externi Chananæorum dominatus tempore, quod idẽ de successoribus obseruabimus. Iud. 4. 5. Iosephus, Clemens, Eusebius, Zonaras, Cedrenus.

¶ VII. GEDEON, cognomento Ierobaal, Ioæ filius, è tribu Manassensi, uixit uitam rusticanam: Quę cùm sub Madianitarum dominatu (his enim Israëlitæ tum uectigales erant) non careret periculo, ideoq; frumentum clàm in torculari trituraret, ab Angelo contra barbaros populo ductor designatur, & mox ostento confirmatur. Quare ad munus hoc magno animo aggreditur: euertit idolatricam Baalis aram, indeq; cognomentum acquirit: Manassenses gentiles cum Asserianis, Zabulonijs & Nephthalẽsibus ad arma uocat: impetrat à Deo uictoriæ indubitatę signum prece, & cum solis 300. pergere in hostem ausus,

ausus, nouo stratagematis genere uincit, eamq́ uictoriam ita mox urget, ut OREBVM & ZEBVM reges per Ephraimitas in potestatem redegerit. His inde ad iurgia conuersis, facilitate eos prudenti placat: reges alteros duos ipse cōsectatur, uiuosq́ intercipit: plectit Phanuelensium & Sochotensium contumaciam: & ut fratrum uindicaret cædem, reges captiuos sua manu obtruncat. Ob quæ tā illustria facinora gentis consensu rex salutatus, dignitatem eam abnuit, & con ferri filijs uetat: sed nouo Ephodi cultu magnam offensionē dat, eaq́ re etiam familiæ suæ exitium attrahit. Moritur summa senectute, cùm imperasset ann. 40. Iudic. 6. 7. 8. Iosephus, Clemens, Eusebius, Suidas, Zonaras, Cedrenus.

Coniuges GEDEONI multæ fuēre, sed ἀνώνυμοι, è quibus filios sustulit septuaginta. Nominantur autem in his soli Iethres & Iothamus. Additur concubina Druma, ut memorat Iosephus, quæ filium enixa est, ABIMELECHVM.

IETHRES, militauit patri contra Madianitas: à quo reges captiuos conficere iussus, terrore tanto corripitur, ut stringere gladium nequiuerit. Ab obitu patris cum reliquis fratribus ἀνωνύμοις Abimelechi scelere perimitur. Iud. 8.

IOTHAMVS, declinauit matura fuga Abimelechi tyrānidem: quam cùm populo per allegoriam è Garisimo monte exprobrasset, Beram se confert, ibiq́ uitæ reliquum degit. Iud. 9. Iosephus, Suidas.

¶ IIX. ABIMELECHVS, ambit paterni imperij successionem per consanguineos, & pecunijs à Sichemitis adiutus, manū facit: fratres comprehensos saxo in uno perimit, & solenni populi acclamatione Rex audit. Hac dignitate triennium perfunctus, eosdē Sichemitas defectione hostes accipit, & contumelijs, quæ beneficijs maiores essent, proscinditur. Id uindicaturus, bellum parat: perduelles temerè ex urbe egressos prælio gemino sternit, hancq́ eodē impetu occupatam euertit, & sale cōspergit, ac mox ciuium reliquias ita prosequitur, ut castello inclusas ignibus circundatis cremârit. Pòst in Theben oppidulū mouet: quo expugnato, nimia uindictæ cupidine se & res suas euertit. Cùm enim & hîc turris, quo populus se recepisset, incendium moliretur, à muliere molæ fragmine lethaliter feritur: Id quod dedecus ratus, armigero se conficiendum præbet. Iud. 9. 2. Reg. 11. Iosephus, Clemens, Eusebius, Suidas, Zonaras, Cedrenus.

¶ IX. THOLA, Phuæ filius, Dodonis nepos, è tribu Issacharia na, imperat populi suffragijs post Abimelechum ann. 23. & ab obitu Samire cōditur. Iud. 10. Eusebius, Cedrenus. A' Iosepho & Zonara omittitur. Clemens perperā Boleā nominat, & tribu Ephraimitā facit.

¶ X. IAIRVS, Galaadita è tribu Manassensi, excipit successione Tholæ imperiū, & nominis famam à sobolis felicitate illustrē promeretur.

meretur. Nam filios 30. suscepit: qui oppidis totidẽ gubernandis præpositi nomen his ex se relinquunt. Moritur imperij ann. 20. & Camone humatur. Iudic. 10. Iosephus. Variant de imperij annis Eusebius & Zonaras, eosq́ 22. numerant. Clemens nec nomen, nec imperium attigit. Alij inter ipsum & Iephtham interregnum annorum 18. ponunt.

¶ XI. IEPHTHA, prognatus patre Galaado, genitrice scorto, è tribu Manassensi, pellitur domo paterna per iniuriam à fratribus legitimis, eaq́ re in extremas difficultates cõijcitur. Itaq́ quadam desperatione prædis agendis se dedit, & latronum manum facit. Per quod tempus cùm fortunæ ita succumberet, ut uirtutis tamen studium retineret, ac ab eximia fortitudine bellica, fama illustri prędicaretur, cõmuni popularium decreto reuocatur, & contra AMMONITAS, qui crudeliter Israëliticos fines uastarẽt, dux asciscitur. Id munus promptè susceptum non minus consilio quàm armis gerendum ratus, pactione componere cum barbaris studet, eoq́ conatu frustratus, prælio decernit, & uictoriam post homines natos præclarissimam reportat. Cuius fructum cùm temerarium sacrificij uotũ eripuisset, etiam Ephraimitarũ tumultu nouo uexatur. Quos frustra placare aggressus, prælio inuadit, & in fugam coniectos ita consectatur, ut è gente insolentissima 40000. desiderata fuerint. Præfuit eũ imperio ann. 6. & in oppidis Galaaditicis tumulatur. Iudi. 11. 12. Iosephus, Eusebius, Suidas, Zonaras.

¶ XII. ABESAN, Eusebio & Cedreno Hesbon, Clementi Abatthan, Zonaræ Amesas, tribu Iudæus, ex oppido Bethlehema, imperat post Iephtham ann. 7. Suscepit filios 30. totidẽq́ filias foràs collocauit, & totidem puellas filijs suis foris asciuit. Sepulturam Bethlehemæ apud ciues retinuit. Iud. 12. Iosephus, Eusebius.

¶ XIII. ELON, Clementi Ebron, gente Zabulonius, potitur principatu ab Abesanis obitu, nec alia re quàm ab imperij annis, qui decẽ ei attribuuntur, celebratur. Iud. 12. Iosephus, Cedrenus. Eusebius & Zonaras à Iudicum serie exclusere, secuti nimirum 70. interpretes.

¶ XIV. ABDON, Eusebio & Zonaræ Labdon, Clementi Æglon, Hellelis filius, tribu Ephraimita, dominatur ann. 8. Floruit felici liberorũ nepotumq́ progenie: quorũ illos numero 40. hos 30. habuit. Cõditur in patria Pharathone. Iud. 12. Ioseph. Euseb. Zon. Cedrenus.

¶ XV. SAMSON, tribu Danius è patre Manoa, prædicitur nascẽdus ab Angelo, & in aluo materno Nazaręus consecratur. Iam puber puellam Thamnatẽsem è Palæstinis, quibus Israëlitæ tum subiecti essent, deperit: Quam parentibus comitantibus comitantibus salutaturus, leonem è saltu irruentẽ discerpit, & aliquantò pòst inuentum in cadauere cum apũ examine mel, gustat: nuptias cum magna hilaritate peragit: cũ sodalibus ænigmate certat, atq́ in solutione eius sua aratũ uitula, hoc est, nouę nuptæ, cui hoc aperuisset, futilitate id enunciatum

intelligens

intelligens, præmium interpretibus è 30. Palæstinorum cæde exoluit, & bene iratus domum discedit. Hîc dum ex innata generositate quiescere nequit, uxoris diuortium magnarum & mirificarũ rerum, quas deinde gessit, initium capit. Id enim iniuriam ratus, segetum et uinetorum incendio, quod facibus ad uulpium caudas alligatis excitârat, in totam gentẽ uindicat, & irritatus noua in soceri familiam crudelitate, quam comprehensam Palæstini igni cremârant, noua itidẽ cæde grassatur. Quare hostis iudicatur, & bello ab Israëlitis repetitur: In quibus cùm constringendum se Iudæis præbuisset, uinculis, dum ad Palæstinos pergit, ruptis diuinitus, tabidã asini maxillam corripit, eaq; uiros mille prosternit, & ex lassitudine pene siti enectus, ex eadẽ maxilla potũ prece impetrat, & gentis suæ Princeps fit. Pôst in Gazensem meretricem commouetur, & fieri sibi insidias intelligens, portas cum repagulis auulsas, & humeris suis impositas, in montis cacumen exportat. Iterum in Delila insanit: cuius blanditijs dum nimium obsequitur, & roboris sui illi causam detegit, ceu sorex suo indicio perit. Nam proditus nefariè, in Palæstinorum uenit potestatẽ, & tum luminibus priuatur, tũ in ergastulum ad labores seruiles detruditur. In hac calamitate cùm tẽpus non modicum transegisset, ad sacrificij ludibriũ euocatur, & execrationes in Deum suum audire cogitur. Qua ex re uehementi indignatione accensus, iamq; cum cæsarie robur etiam se pristinũ recepisse sentiens, ductu pueri, columnas duas medianas, quibus ædes fulciebatur, corripit, & animæ salute Deo cõmendata, has ui tanta impellit, ut ædes collapsa & multitudinẽ & ipsum oppresserit. Imperij eius anni 20. numerantur. Iud. cap. 13. & seq. tribus, Iosephus, Clemens, Zonaras, Cedrenus, Zetzes. Cadauer eius à fratribus & patris domesticis sublatum inter Saraam & Estaol conditum fuit. Suidas historiam de Leuitæ coniugis stupro, & Beniamitarum bello, ad Samsonis tempora retulit. Sed hanc uetustiorem esse, constat. Eusebius in Chronologia hæc de Samsone retulit: Samson fortissimus omniũ fertur, ita ut à quibusdam gesta eius factis Herculis cõparentur. Quidam ad huius memoriam seruandam balneas Byzantiorum multò pôst tẽpore appellatas putant. Hactenus Eusebius. Quæ ab homine Ecclesiastico profanius dicta, mirari non immeritò possumus. Rectius enim Augustinus: Ebræorum iudex Samson, cùm mirabiliter fortis esset, putatus est Hercules.

¶ XVI. ELIS, Pontifex maximus, gentilitate Leuita, è posteritate Ithamari, potitur rerum post Samsonem. Reliquam eius historiam infrà dabimus.

¶ XVII. SAMVEL, & ipse tribu Leuita, præest summæ rerum post Elim, & regem primum SAVLVM inungit. De reliqua eius historia infrà explicabimus.

læſtinorum copias errore in ſe irruentes,internecione delet: reprimit Moabitas,Ammonitas,Idumæos & Sophenæ reges,& quacunq; arma mouet inde triumphos reportat. Quare & ſibi iam & populo indulgere pluſculum incipit:bellum in Amalecitas mandatū diuinitus, non plenè perſequitur,indeq; & cœleſtis numinis offenſam auget, & regni amiſsionem è Samuele nouam audit. Id quod dum tegere diſsimulanter ſatagit,haud multò pòſt DAVIDE inuncto, Dei ſpiritu deſtituitur,& à malo uexatus,eiuſdem Dauidis Muſica, medelam accipit. Cùm iterum nouo Palæſtinorum bello uexaretur,GOLIATHVM Gigantem toti exercitui formidabilem per Dauidem conficit:hoſtes inde territos in fugam conijcit:atq; tanto ex merito cætera in Dauidem gratus,muliebri pœane ita offenditur, ut affectati regni habere hominem ſuſpectū occeperit. Itaq; dehinc ui & fraude in eum ſæuit:frangit coniugij promiſsi fidem: Ionatham filium conciliationi ſtudentem contumelioſè habet: Nobanos ſacerdotes cum Achimelecho Pontifice ob commeatum Dauidi communicatum coniurationis inſimulatos, de uita tollit: & in exulem conſectationes hoſtiles,in quibus ipſe uitæ periculum bis adijt uſq; ad fugam eius in Palæſtinos, & bellum horum poſtremū,urget. Id defenſurus,hoſti in Gelboe occurrit,ſed aliquantò pòſt eo terrore corripitur, ut cùm reſponſum à Deo nullum referret,Pythiam conſuluerit,& à Ioue Elicio, quem Samuelis uideri animam uoluit,dandi ſibi belli euentū uoluerit. Quod tantū ſcelus Nemeſi diuina uindicante,infeliciter præliatur:filios tres ad militiam comitatos in acie amittit:& circumuentus à ſagittarijs, ne uiuus in eorum poteſtatem ueniret,ſuo ſe gladio iugulat. 1. Reg. 9. uſq; ad finem. 1. Para. 10. Ioſephus Antiq. lib. 6. Clemens, Euſebius, Suidas, Zonaras, Cedrenus. Fuit dignitate et proceritate corporis tanta,ut totum Iſraëliticum populum humeris ſuperem inuenit. In religionis & pietatis ſtudio diſsimilem reperimus: ſed qui utriq; ferè cupiditates & commoda ſua prætulerit,donec tandem planè in Tyrannum degenerauit. Qua de re ſæpe increpitus à Samuele,ſemper aliquid quo ſe defenſaret,contrà attulit. Ideo & pœnas ipſe graues luit,& ijſdem poſteritatem inuoluit. Caput cadaueri abſciſſum hoſtes ad ludibriū aſportârunt,truncum de muro Bethſanæ ſuſpenderunt,& arma Aſtarotho Deaſtro ἀνάθημα conſecrârunt. Recuperatur tamen truncus à Iabenſibus,eoq; honorificè cremato,oſſa ſub nemore Iabe ſepeliuntur. Extant Dauidis contra eum Pſalmi quatuor,nempe 7. 54. 57. 59. Imperauit cum Samuele annos 40.

NERE, Ciſi fratre,naſcitur ABNER.

ABNER, uixit coniunctiſsimè cum Saulo patrueIe: cui à Samuelis inunctione primus obuiam factus,cætera quæ expiſcaretur,audit, ſed

ſed de regno diſsimulanter celatur. Quod regnum cùm noua illi inauguratione collatum eſſet, exercitus imperio honoratur. Bello Palæſtino altero Dauidem à Goliathi cæde reuertentem primus excipit, & hoſtem deniq; iudicatum infeliciter cum rege conſectatur. Nam dum nimia ſecuritate ſe quieti tradit, uitæ periculum adit, & ſola hoſtis pietate conſeruatur. Ab interitu Sauli, filium huius ISBOSETHVM regem ſalutat: cum Ioabo, Dauidis duce, prælio infelici contendit, & fratrem eius Aſaëlem pertinacius conſectari in fuga auſum, telo traijcit. Qua ex re cùm graue ſibi Ioabi odium conflaſſet, Isboſethum etiam ob Reſpham concubinam minus gratum experitur. Itaque ad Dauidem, apertè deficit, dimiſſusq; honorificè, à Ioabo amici colloquij prætextu reuocatur, & in ultionem fratris hauſtis ilibus perimitur. 1. Reg. 14. 17. 26. 2. Reg. 2. 3. Ioſephus, Zonaras, Cedrenus. Indoluit de cæde eius uehementer Dauid, & cùm cadauer ſepeliri honorificè demandaſſet, de ea ſe apud populum purgauit, ac denique uindicari teſtamento iuſsit.

IASIEL, 1. Paral. 27.

Fuit cum SAVLO connupta Achinoama, Achimæ filia, è qua liberi generantur mares: IONATHAS, Ieſſuis, Malchiſua, Aminadabus & ISBOSETHVS: fœminæ, Meroba & Michol. Additur concubina Reſpha, qua procreantur Armonis & Mephiboſethus.

IONATHAS, cędit Gabaënſe Palæſtinorũ præſidium, & mox alterũ Machmante pellit, & ita pellit, ut cũ ſolo armigero id inuadere auſus fuerit, eaq; audacia nobiliſsimę uictoriæ initiũ fecerit. In eo tempore execratione patris temeraria in periculum uocatus, militum ſtudio conſeruatur. Bello Palæſtino altero in Dauidem, à Goliathi cæde reuerſum, beneuolentia tanta accenditur, ut & arma ei ſua impertiuerit, & perpetuò contra patrem ſtudio defenderit. Quare hunc tandem alieniorem experitur, & implacabilem conſpicatus, quod unum potuit ſolando amicum confirmat, & nouo fœdere ſibi adiunctum diſcedere permittit, iamq; profugo etiam regno cedere non dubitat. Occumbit in prælio contra Palæſtinos, & Dauidi luctum acerbum exprimit. 1. Reg. 13. 14. 18. 19. 20. 31. 1. Paral. 10. Ioſephus, Zonaras, Cedrenus.

AMINADABVS & MALCHISVA militant patri contra Palæſtinos, & cum Ionatha in prælio cadunt. 1. Regum 31. 1. Paral. 10. Ioſephus Antiquit. lib. 6. cap. ult. Zonaras.

II. ISBOSETHVS, Ioſepho IEBOSTVS, Zonaræ IEBOSTES, retinet regnum à patris interitu ſtudio & opera Abneris, & cum DAVIDE bello ciuili contendit. Id cùm minus feliciter gereretur, etiam Abnerem ob conſuetudinem cum Reſpha liberius

rius obiurgatum, hostem accipit, & mox à populo deseritur. A quo tempore cùm cæde Abneris cogitatione & spe imperij abiecta, priuatus uiueret, inter meridiandū à ducibus duobus suis, Rechabo & Baano, perimitur, & caput ad Dauidem allatum Abneris monumento infertur, cædis auctoribus supplicio affectis. 2. Regum 2.3.4. Iosephus, Zonaras.

IESSVIS, memoratur 1. Regum 14. Iosephus & Zonaras Iesum nominant, & obijsse ante patrem innuunt.

MEROBA, despondetur à patre Dauidi, cui per nuptias iungenda, Adrieli Molathitæ collocatur, ex eoq́ filios quinque procreat. Moritur florente ætate, & filij ab matertera Michole adoptantur. 1. Regum 18. Iosephus Antiquit. lib. 6. cap. 6. Zonaras.

MICHOL, Iosepho Melcha, Zonaræ Melchol, deperit in Dauidem. eiq́ post Merobam centum Palæstinorum præputijs desponsetur atque collocatur. Eundem propter nouas offensiones à rege ad cædem postulatum, astu & fide sua conseruat, deq́ hoc facto honestè se purgat. Nec multò pòst nubere Phaltieli cogitur: per quod tempus cùm liberis orba, nepotes è sorore adoptasset, tandem post Abneris defectionem per legatos à Dauide repetitur, nec sine lacrymis à marito dimittitur. Cumq́ inter reginas culta loco principe, factu eo insolesceret, ut Regem ante arcam oracularem saltantem despicaretur, idq́ ipsa ad amplexantem non dissimularet, cum stomacho retunditur, & sterilitate punita diuinitus, etiam nepotes adoptatos interimi piacula contuetur. 1. Regum 18.19.25. 2. Regum 3.6.21. 1. Paralip. 15. Iosephus, Zonaras, Cedrenus. Ebrei interpretes alio nomine Eglam dici uolunt, & matrem Ierimothi faciunt: ut nempe sterilitas ipsius de tempore, quo illusit in Dauidem, intelligatur.

ARMONIS & MEPHIBOSETHVS, spurij deduntur cum Micholis liberis ad supplicium Gabaonitis, & crucibus affixi, matris Resphæ pietate, quæ cadaueribus custos assideret, eaq́ à ferarū laniatu defenderet, sepulturā honorificam promerentur. 2. Reg. 21.

Reliquit IONATHAS filium Mephibosethum.

MEPHIBOSETHVS, Iosepho Memphibostus, Zonaræ Memphibostes, alio nomine Meribbaal, amittit patrem infans: & hostilis irruptionis formidine sublatus inter fugiendum à nutrice trepidantius, & casu afflictus, pede inde utroque claudicat. A Dauide propter patris memoriam inquiritur, habeturq́ humaniter, & cùm auitis honoratur possessionibus, tum mensæ assecla asciscitur. Bello Absolomi per calumniam à procuratore Siba accusatur, & immiti regis sententia bonis mulctatur: Cui etsi postmodo se purgauit, gratia tamen minore auditur, & participem facultatum admittere

admittere Sibam cogitur. Iterum propter Gabaonitas in periculum uocatus, sola regis clementia conseruatur. 2. Reg. 4. 9. 16. 21. Iosephus.

MICHA, refertur absque rebus gestis 2. Reg. 9. & 1. Paral. 8. hæc ei attribuitur posteritas.

PITHON. MELECHVS. THAREA. AHAZVS.

IOADA.

AZMOTVS. ZAMRIS. ALEMETHVS.

MOZA.

BANA.

RAPHA.

ELEASA.

ESECVS. ASEL.

VLAMVS, IEVSVS. ELIPHALEBVS.
reliquit filios alios, homines bellicosos et sagittarios, qui tot filias & nepotes habuerunt, ut essent centũ quinquaginta.

AZRICAMVS. BOCHRIS. ISMAEL. SAARIAS. ABDIAS. HANANAS.

II. FAMILIA

II.

FAMILIA DAVIDIS.

DAVIDIS familiam repeto à conditore Iuda, filio Iacobi, nepote Isaaci, pronepote Abrahami, ut & suo ueluti capiti membra cohæreant, & deducta in seruatorem, Christum, propago intelligatur rectius. Cæteroquin nobilitatem eius à clarissimorum uirorum progenie semper illustrem extitisse, constat. Itaq; ut complura historiæ sacræ loca explicatio ea explanabit: ita etiam Dauidem à nouitatis suspicione facilè uindicabit.

¶IVDAS, fit fratribus auctor Iosephi Ismaelitis mercatoribus uendendi. Vxorem ducit ex alienigenis: eoq; coniugio sobole infeliciore usus, deniq; Thamarem nurum inscius comprimit, & filios ex ea duos procreat. Tempore famis, qua in tota Chananæa laboraretur, cum fratribus ad frumenta coëmenda Ægyptum petit: pro Beniaminis salute patri se uadem dat, & adductum hunc in periculum simulatum tuetur studiosè, eaq; te Iosepho se ut cognoscendum daret, occasionem præbet. Quare de mandato huius cum patre familiaq; omni in Ægyptum migrat, & è morituro illo cùm alia audit felicitatis omina, tum hoc maximum: Non recessurum ab domo eius sceptrum, nec de interfemineo rectorem, donec ueniret SILO. Genes. 29. 35. 37. 38. 43. 44. 46. 49. Iosephus.

Geniti sunt Iudæ è coniuge Batsua, suæ F. Er, Onan & Sela: è Thamare nuru, Phares & Zara. Quibus adduntur alij quatuor 1. Paral. 4. & attexitur itidem posteritas ex his longa. Hanc petere inde satius fuerit, cùm quidem expositio ista minus diserta sit.

ER, honoratur à patre, Thamare coniuge: dumq; uiuit scelestius, à Deo perimitur. Gen. 38.

ONAN, iubetur in fratris succedere torum: qua in re cùm flagitiosè impium se gereret, & ipse à Deo necatur. Gen. ibidem.

SELA, destinatur Thamarę maritus tertius: nec aliam deinde, quam à sobole, quæ Selanam gentilitatem propagauit, famam nominis meruit.

PHARES & Zara nascuntur gemelli, & ille obstetricis testimonio primatum in aluo materna consequitur. Quem cùm postea fama uirtutis illustris ornaret, inualuit apud posteros consuetudo, ut nouis coniugibus gratulaturi, domus Pharis felicitatem precarentur. Gen. 38. Cæterùm propagatur fratribus hisce posteritas amplissima, quippe qua pars maxima tribus Iudaicæ censa fuerit. In familijs tamen Phare editis, præcipuè CALEBI & ARAMI, seu Dauidis floruêre. De illa explicatum suprà est, hanc iam porrò pertexemus, & à latere Achanis maiores è Zaræ stirpe apponemus, quando hæc ueluti particula

historiam reliquam explanare posse uidebatur. Cuius series istiusmodi est.

FRATRES, Iudæ FF.

PHARES — ZARA.

HESRON — ZABDIS. ETHAN.

CHARMIS. AZARIAS.

ARAMVS uel Ramus. — IACHOBEDA, Leuis F.

ACHAN, peruenit cum Iosua in Chananæam: in Hierichunte de rebus deuotis clepit impiè, & post cladem ad Haim sorte depræhensus, lapidibus obruitur. Iosuæ 7. Iosephus & Zonaras Achorem uocant.

AMINADABVS.

NAASSON, adiungitur Mosi collega in populo censendo, & mox gentilium copiarum ductor renunciatur. Id munus cum annos 40. administrasset, & ita administrasset, ut uehementer Ecclesiam iuuerit, & in dedicatione tabernaculi dona loco principe obtulerit, in Settimo suorum cum Moabiticis scortis consuetudini nefariè conniuet, & ipse culpam eandem contrahit: Qua ex re cum 11. principibus alijs condemnatus uoce & iudicio diuino, laqueo necatur. Num. 1, 2, 25.

ELIMELECHVS, celebratur historia Ruthæ Moabitidis. Quam assertionem traditam Ebræorum sententia nos etiam amplectimur. Filij eius Mahalon & Chelion cum ipso in agro Moabitico interierunt. Nurus Rutha Boozi coniugium meruit.

ELISEBA, fuit in matrimonio AARONIS, Pontificis Max.

SALMON, obit sub IOSVÆ speculatoris ad Hierichuntem munus. Vbi cum socijs tectus à Rachaba meretrice fideliter, urbe capta, hanc ei memoris studij gratiam refert, ut uxorem duxerit, in eoque coniugio & matrem familias diligentem, & sui cum primis obseruantem cognouerit. Matthæus cap. 1.

BOOZVS, claruit gloria fortitudinis bellicæ: Rutham Moabitidem in fundo suo spicas legentem tractat cumulatè, indeq; ad connubium aspirantem adeò non fastidit, ut propinquo alio ius ei suum ea in re concedente, ultrò assenserit. Habet historiam eius Ruthæ liber, & repetiere Iosephus lib. 5. Ant. cap. 11. Zonaras Tom. 1. Ebræi inter Iudices Abesanem astruunt: Sed eam opinionem temporum consideratio exquisita minimè admittere uidetur.

OBED.

ISÆVS, Euangelistis Iesse, tractauit rem pecuariam. Auctus felici filiorum progenie, minimum natu DAVIDEM inungi deniq; regem præsens à Samuele conspicatur, nihilóue honore eo inflatum, sed in officio permanentem, aliquantò pòst Saulo Musicum permittit: & remissum domum ob Palæstinorum bella, iterum pecori præficit, indeq; cum commeatu ad fratres in castra ablegatum, de GOLIATHO uictorem recipit. Ex eo tempore Saulo hoste usus, in Moabitas commigrat, & hospitium à rege Masphæ impetrat. 1. Reg. 16. 17. 1. Paral. 2. Iosephus. Zonaras, Cedrenus. 2. Reg. 17. Nahæ nomine à quibusdam intelligitur. Sed concinnius fortè fuerit, Abigailē sororē Dauidis ὁμομήτριον credere, ut Nahas ab Isæo diuersus fuerit. Aiunt, Christianos aliquandiu Iessæos ab Isæo nominatos.

IONATHAN, uir prudens & literatus, honoratur à Dauide consiliarij dignitate. 1. Paral. 27.

Liberi Isæi mares hi memorantur: Eliabus, Aminadabus, Semmaa, Nathanael, Raddais, Asomus, Dauid: & fœminæ, Saruia & Abigail.

ELIABVS, dedit operam militiæ: Quippe qui robore & proceritate corporis eximiâ esset. Ideo à Samuele etiam regno destinatus, diuino iudicio improbatur. Bello Palæstino cum fratribus alijs duobus Saulo militat, & cùm commeatum à Dauide accepisset, de Goliathò enixiùs percontanti, conuicium graue facit. 1. Reg. 16. 17. Iosephus.

ABICHAIL, promeruit connubium Roboami, filij Solomonis. 2. Paral. 11.

AMINADABVS, sistitur & ipse Samueli à patre: & repudiatus, pòst bello Palæstino nomen dat. 1. Reg. 16. & seq. Iosephus.

SEMMAA, adducitur ad Samuelem loco tertio, atq; à Deo improbatus, fratres ad bellum Palæstinum commilito consectatur. Eo tempore re præclarè gesta à Dauide, ut gloriæ eius ita & exilij particeps fit. In quo cùm & fidem & prudentiam suam regi probasset mirificè;

ficè, secundis iterum rebus honorum & dignitatum præmia digna re fert. 1. Reg. 16. 17. Iosephus.

IONADABVS, enituit prudentiæ ciuilis fama. Qua intimam Amnonis patruelis familiaritatem promeritus, scelerati consilij de Thamare sorore stupranda ei auctor fit, eaq; re horribilium cladium, quæ totam regiam domum peruasere, occasionem præbet. A' cæde Amnonis, regem aduersi nuncij fama territum tam prudenter, quàm piè confirmat. 2. Reg. 13. Crediderim 2. Reg. 21. Ionatham dici.

NATHANAEL, RADDAIS, ASOMVS, referuntur nominetenus. 1. Paral. 2. & à Iosepho.

I. DAVID, pascit patris pecus adolescentulus: Eademq; ætate à Samuele de mandato diuino Rex inunctus, nihil dignitate ea insolescit, sed ad caulas redit. SAVLO commendatione roboris & prudentiæ militaris innotuit, & primùm fidicen, deinde armiger asciscitur. Post tamen denuò ad patrem regreditur: à quo cum commeatu ad fratres in castra missus, & GOLIATHVM occasione ea duello conficit, & IONATHÆ amicitia intima coniungitur, & in reditu deniq; pæane muliebri decem milliùm uictor decantatur. Hac ex re cùm infensissimum SAVLVM accepisset, coniugij fraudatur promisso: obijcitur periculosis Palæstinorum certaminibus: à Ionatha conciliatur frustrà, & à rege per furorē bacchante iaculo petitus, domi etiam ad necem deposcitur. Quo periculo Micholis coniugis fide deuitato, fugæ se committit: Ionatham rebus aduersis constanter fidelem experitur: adit Samuelem Ramathæ, Achimelechum Pontificem Nobæ, cœsumq; hunc ob commeatum impertitum crudeliter, gemit. Ab ACHI Palæstino imminentem cædem, stultitiæ simulatione effugit: cumq; ab eo tempore manum fecisset, apud Ceilanos & in Maone solitudine periculum præsentissimum adit. Cum Ionatha fœdus studio utriusq; propensissimo renouauit: Saulo nihil de odij acerbitate remittenti, in saltu Engaddino, & iterum in Ziphæo parcit. Vindicaturus Nabalis contumelias, Abigailis comitate reuocatur: iamq; pertæsus assiduorum periculorū, iterum Achi se in clientelam tradit. Cuius benignitate Sicelegam urbem incolere iussus, contra Saulum prælio malignitate satraparū excluditur, & urbs Sicelega prędatorijs Amalecitarū copijs occupatur. His fusis, & prædā hosti extorquet, & urbem ipsam recuperat: cumq; interea cum Saulo depugnatum esset, indicem de morte huius mendacem morte plectit, & tam hunc quàm Ionatham nænia luget. Inde Iudæam repetit ex oraculo: à Iudæis gentilibus magna gratulatione Rex audit: Abnerem pro Isbosetho æmulo propugnantem per Ioabum profligat, nec multò pòst pacto sibi adiungit;

adiungit:uindicat Isbosethi cædem: proclamatur Rex noua tribuum inauguratione:expugnat Hierosolymam:Palæstinos gemino prælio fundit:arcam oracularem primùm Hierosolymæ,deinde Sioni infert: disponit sacerdotum munia:Deo ædem destinat,idq; prohibitus laudes eius prolixè decantat,& belligerat feliciter cum Moabitis,Sophenis,Syris,& Idumææ edomitæ præsidia imponit.Iamq; pace ubiq; firmata, præter expectationem Ammonitas pro officio hostes accipit. Quibus Ioabo legato debellendis traditis,ipse domi ocio lasciuire occipit:adulteratur cum Bethsaba,& marito eius Vria per insidias sublato,in arcem traductam coniugem atq; reginam nominat. Id tam indignum facinus acriter iussu cœlesti taxatum per Nathanem Vatem,maximarum etiam cladium fore initium & audit & sentit. Nam filium ex adulterio genitum morte amittit:in Thamare & Ammone incestum, in Absolomo parricidium gemit,& reconciliatum hunc,hostem denique & regni uitæq; insidiatorem cognoscit.Itaq; periculi formidine ex urbe profugit:proditur ab Achitophele:à Mephibosetho nimis temerè alienatur:incessitur probrosis Simeis maledictis: audit noua concubinarum incesta,& Absolomiorum hostilem consectationem sola Chusæi fide & Iordanis traiectu elabitur. Ibi cùm se iterum collegisset,atq; armasset,Absolomi copias per Ioabum prælio sternit,ipsumq; peremptum miserabiliter,luget:recipitur à Iudæis gentilibus,& confirmatur mox reliquarum tribuum suffragijs: ignoscit Amasæ, Simei & Sibæ:Berzellæo gratiam prolixam refert: Sebam Ieminiensem nouis motibus decem tribus turbantem Abelmaachæ opprimit: satis facit Gabaonitis,hominibus 7.è Sauli posteris ad necem traditis:& delectatus Resphæ pietate,tam horum quàm Sauli, Ionathæ & reliquorum Sauli filiorum ossa collecta honorificè humat. Postremum bellum in Palæstinos suscepit:quos cùm prælijs quatuor cecidisset, & ipse in periculum tum grauissimũ uenisset,castris se amplius committere à suis uetatur. Iccirco totum se ad pacem componit: beneficentiam & misericordiam in se diuinam magnificè prædicat,& cætera pius, populi censu Deum iterum offendit,& ita offendit.ut hominum millia septuaginta peste amiserit. Cumq; tot laboribus corporis uires sibi exhausisset,alsiosus efficitur,& complexu Abisagæ colligere calorem cogitur. Nec multò pòst ob successionem tumultuante Adonia,Solomonem REGEM creat,testamentoq; condito,uitam exitu placidissimo claudit.Regnauit annos 40.inq; his Hebrone 7. Hierosolymæ 33. Habent eius res gestas libri Regum tres priores,& Paralip. primus, Siracides,Iosephus,Clemens,Eusebius,Suidas,Zonaras. Quæ ipsius eruditio fuerit,quæ pietas, quæ in religionem merita, præter sacram de regibus & Paralipom.historiam, Psalmorum docent monumenta

eius. Enimuero de Mesia promisso luculentè & maximè perspicuè concionatur, & doctrinæ partes præcipuas illustrat. Ideo rectè Politiani culpatur censura profana, qui Psalterio lyram Pindari præferre ausus fuit. In scriptura sacra uir secundum cor Dei prædicatur, & successores ad ipsum ceu ad normam examinantur. Vtitur testimonijs Dauidis seruator Christus, utuntur Apostoli. Monumentum eius reclusum bis fuit, primùm à Ioanne Hyrcano, iterum ab Herode Magno: & ille quidem thesauros magnos, hoc est, 3000. talentorum asportauit hic pecuniæ nihil, sed aurea monilia multa reperit, & satellites duos longius progressos flamma, ex adytis erumpente, amisit. Thesauri ab eo relicti referuntur 1. Paral. 22. auri centum millia talentorum, argenti decies centena millia.

SARVIA, memoratur à filiorum fortuna, quæ cùm illustris fuerit, hîc historiam eorum subijcio.

IOABVS, adiungit se DAVIDI exuli: Quem pôst reducem in Iudæam secutus, summum copiarum imperium obtinet: Abnerem pro Sauli domo propugnantem prælio sternit, nec multò pôst prætextu uindicandæ fraternæ necis per insidias obtruncat: expugnat Idumæos & Ammonitas: Absalomum patri astu conciliat: & regnum sibi uēdicare ausum, fundit & in fuga perimit: regem id gementem metu defectionis ad officium reuocat: Amasam consobrinum ex imperij æmulatione iugulat: opprimit seditiosum Sebam: populum inuitus censet, & cætera fidus cognitus, cum Adonia ueterem Dauidis offensionem renouatam auget. Quare testamento puniendus Solomoni traditur: cumq;

ABISÆVS, Zonaræ Abesa, descendit cum Dauide in Sauli castra, eumq; trucidari securitatis omnium causa suadet: fratri cædis Abneris conscius fit: indignatur Semeis maledictis, & de uindicta iterum instat: persequitur Sebam: regem animosè in prælio contra Palæstinos propugnat, & Iesbibenobo Gigante sua manu obtruncato, Idumæos prælio uincit. Inter heroës Dauidis locum tertium promeruit. 1. Reg. 26. 2. Reg. 2. 3. 10. 16. 19. 20. 21. 1. Paral. 11. 18. Zonaras, Cedrenus.

ASAEL, oppugnat cum fratribus Abnerem: cui fugienti dum instat pertinacius, iaculo ab eo transuerberatur. 2. Reg. 2. 23. 1. Paral. 11. 27. Zonaras, Cedrenus.

cumq; ab Adonię cęde ad aram profugisset, seq; moriturum ibi ostenderet, Solomonis mandato ab Banaia perimitur, & domi suæ in saltu tumulatur. 2. Reg. 2. 3. 8. 10. 11. 12. 14. 18. 19. 20. 24. & 3. Reg. 1. & seq. Iosephus, Zonaras, Cedrenus.

ABIGAIL, Cedreno Abigæa, fuit in matrimonio Iethræ, qui alibi Israëlita, alibi Ismaëlita nominatur, & filium Amasam enititur.

AMASA, Zonaræ Abesa & Amesias, honoratur exercitus præfectura ab Absolomo: quo peremto, retinere idem munus ab Dauide permittitur. Itaq; infensissimum Ioabum accipit: cumq; ad Sebam persequendum cunctatus, Ioabo demum ad Gabaonem occurrisset, scelere eius perimitur. 2. Reg. 17. 19. 20. 3. Reg. 2. Iosephus, Zonaras, Cedrenus.

Coniuges Dauidis nominantur 1. Paral. 3. septem: prima Achinoama, Iezraëlitis, edidit Amnonem: altera Abigail, Carmelitis, Danielem seu Cheleabum: tertia Maacha, Tolmais, regis Gessuris F. ABSOLOMVM & Thamarem: quarta Hagitha, Adoniam: quinta Abital, Saphatiam: sexta Egla, Iethraamum: Septima Bethsaba, Semaam, Sobabum, Nathanem & SOLOMONEM. Adducitur tamen his ibidem filij alij nouem ἐκγόνοις: Iebaares, Elisama, Eliphaletus, Noga, Nephegus, Iaphias, Elisama, Eliadas, Eliphaletus: item geniti è concubinis aliquot ἀνώνυμοι: Quæ concubinæ decem numero, arcis custodiæ relictæ, inceſtantur publicè ab Absolomo, ideoque postmodo ab rege reuerso in custodiam dantur, & uiduæ uiuere iubentur. Variat filiorum nomina modicè Iosephus, nec planè de natalibus & numero conuenit.

AMNON, accenditur insano sororis Thamaris amore: E' quo animo æger, Ionadabi patruelis inflatu morbum simulat: patrem uisentem prætextu pulmenti cōficiendi, sororis accessum poscit, & admissam stuprat, moxq; cum contumelia à se expellit. Igitur capitalem Absolomum fratrem hostem accipit: A' quo ad conuiuium inuitatus, inter uina obtruncatur. 2. Reg. 13. Iosephus, Zonaras.

DANIEL, celebratur à rebus gestis nullis, & nomine tenus indicatur. Meminit Iosephus lib. 7. cap. 1.

ABSOLOMVS, solatur Thamarem sororem ad Amnone uitiatam, & probri tegendi gratia, commigrare domum suam iubet. Iamq; in fratrem inde odio capitali accensus, dum rex flagitij uindicationem negligit, ipse eam molitur, neque in regem amicè cogitat. Quem cùm ad insidiosum conuiuium frustra inuitasset, de fratribus instat, impe-

tratos magnificè excipit, & omnibus in hilaritatem solutis, Amnonis cædem parat peragitque, & ad Tolmaim auum Gessur profugit. Ibi aliquantisper commoratus, per Ioabum reditum impetrat, & post biennium demum in patris conspectum uenire permittitur. Per quod tempus cùm multitudini uarijs se technis insinuasset, stipatores legit & equitatum: proceres, inque his Achitophelem muneribus corrumpit: & sacrificio ad Hebronem simulato, per emissarios bellum mouet, seque Regem apertè gerit. Ad hanc famam, patre fugam ineunte, Hierosolymam petit: regias concubinas constuprat publicè: patrem periculo proximum suasu Chusæi elabi patitur, & coactis copijs ualidissimis, bello sibi maximè exitiali oppugnat. Etenim infeliciter præliatus, in fugà quercui cæsarie adhæret, proditusque Ioabo, hastis tribus transfigitur. 2. Reg. 13. 14. 15. 16. 17. 18. Iosephus, Suidas, Zonaras. Pulcritudinis laudem inter Israëlitas omnes primā tulit: & cæsaries eius semel quotannis detonsa siclos ducentos pependit. Nominantur in liberis eius.

FILII tres ἀνώνυμοι, neque nominis, neque rerum gestarum famam promeruere, indicanturque tantummodo in sacra Regum historia.

THAMAR, fuit eximia formæ pulchritudine. Versio Græca Roboami coniugem nominauit. Quam sententiam cùm sequatur Iosephus lib. 7. Ant. cap. 8. & seq. uariat ita lib. 8. cap. 3. ut Maacham, ac Thamaris filiam nuncupet.

THAMAR, amatur afflictim ab Amnone: Quem patris mandato & uisere & reficere pulmento iussa, dum hoc præparatum ante eum effundit, ad stuprum rapitur, & maiore mox odio, quàm extiterat antea amor, foras protruditur. Itaque cùm tam infandū facinus ijs signis, dolentium essent, hoc est, lamentis, laceratione uestis & cineris inspersione testificata fuisset, ab Absolomo fratre solatio leuatur, eiusque domi permanere deinde iubetur. 2. Reg. 13. 1. Paral. 3. Iosephus, Zonaras.

ADONIAS, iuuenis singulari pulcritudine, aspirat ad regnum extrema patris senecta: satellitium & currus more regio sibi parat: trahit in partes Ioabum & Abiatharem Pontificem: cœtus agitat seditiosos, & denique in sacrificio regem se proclamari patitur. Hoc conatu, Nathanis sagacitate, & Solomonis inauguratione, interturbato, ad aram cōfugit: & dimissus incolumis, dum Abisagæ coniugio iterum res nouas molitur, Solomonis iussu perimitur. 3. Reg. 1. & seq. Iosephus, Zonaras, Cedrenus.

SAPHA-

SAPHATIAS, Iethraamus, Semaas & Sobabus, rebus gestis nullis inclaruerunt, soloq́ nomine memorantur. Iethraamus tamen credi Ierimothus rectè posse uidetur 2. Paral. 11. Cuius filia,

MAHALATHA, promeruit coniugium Roboami.

NATHAN, accipit regni ius cum Solomone fratre commune, idq́ posteris cum appellatione Ahisarim relinquit. Auctor est Philo: & Lucas posteritatem eius usque ad Zorobabelem hac serie pertexuit.

MATHATHAN.

MENAMVS.

MELEA.

ELIACIMVS.

IONAMVS.

IOSEPHVS.

IVDAS.

SIMEON.

LEVIS.

MATTHA.

IOREMVS.

ELIEZER.

IESO.

HERVS.

ELMADAMVS.

COSAMVS.

ADDIS.

MEL.

MELCHIS.

NERIS.

SALATHIEL, quo genitus Zorobabel propagauit Dynastarum sub monarchia Persica familiam. De hac infrà.

II. SOLOMON, accipit nomen hoc Nathanis uatis monitu. Cui à puero informandus in pietatis & literarum studijs traditus, ob præclarissimi ingenij indolem nouo Ieddiæ cognomento honestatur, & matri denique regni successor promittitur. Id cùm occultè ureret Adoniam, ideoque conuiuio eius factioso excluderetur, matris instinctu regno inauguratur. Cuius administrandi præceptis diuersis à patre morituro instructus, ad omnia segnauum præstat: plectit seditiosum Adoniam, Ioabum, Abiatharem & Semeim: cum Ægyptijs affinitatem iungit: Deum, post Gabaonensem hecatomben, optionem ad res quas uellet impetrandas, facientem, sapientiam poscit: litem meretricum duarum dubiam prudenter dijudicat: & cum HIRAMO Tyrio fœdere & amicicia inita, & operas materiam ad templũ & arcẽ accipit, eaque utraque magnificentissimè construit, & denique in templi dedicatione Deum præsentem cõ tuetur. Pòst Hierosolymam mœnibus cingit: instaurat Hasor & Gazam: Bethoronem & Palmyram à fundamentis condidit: accipit propter sapientiæ famam, Sabæ reginam hospitem, muneribusque ab ea amplissimis colitur: classem cum Hiramo sociam in Ophirem emittit: & ex perpetua felicitate opes tantas congerit, ut & auri Hierosolymæ non minor foret copia, quàm lapidum, & cedrorum quàm sycomororum campestrium, tum militem ipse chrysaspidem legerit. Ad extremum tamen ex mulierum amoribus, quas diuersas è gentibus diuersis duxit, tum sapientiæ laudem amittit, tum in ipsa religione mutatur, & deastrorum Astorethi, Chamosi & Molochi cultum publicè permittit. Qua ex re Deo grauiter offenso, Razonem & Adadum Idumæum hostes, IEROBOAMVM regni æmulum accipit, & filio obuenturas calamitates uatum denunciatione audit. Moritur anno regni quadragesimo, ætatis quinquagesimo secundo 2. Reg. 1. usque ad 11. Siracides, Iosephus, Clemens, Eusebius, Zonaras, Cedrenus. Sapientiæ eius encomium extat 3. Reg. 4. & repetijt idem Siracides cap. 47. Sententiarum tria millia ei asscribuntur, carmina quinque supra mille memorantur. Disseruit de arboribus, quadrupedibus, uolucribus, serpentibus, piscibus. Hodie in operibus eius extant Prouerbia, Ecclesiastes & Canticum. Nam sapientia auctoris alterius creditur. Remediorum liber eius morbi cuiusuis, uestibulo templi incisus fuit. Quem pòst ideo reuellit Ezechias, quòd

populus neglecto Deo nec inuocato sanationem malorum inde peteret, testibus Suida & Cedreno. Iosephus & incantationes eius, quibus pellerentur morbi, & coniurationes in Dæmones retulit. Historiam de Sabæ reginæ accessu repetijt memorando Seruator Christus, qui idem alibi lilij pulchritudinem omni eius splendori præfert.

Coniuges Solomonis 700. concubinæ 300. memorantur: atque in illis unica Naama Ammonitis nomine exprimitur, quæ edidit ROBOAMVM. Reliqui filij καὶ ἀνώνυμοι καὶ ἀμήτορες sunt: & ignorantur itidem filiarum Taphatæ & Basemathæ matres. Habet autem de πολυγαμίας ista hoc memorabile ἐπιφώνημα Suidas: ἡ γὰρ πολυγαμία τὴν ἀτεκνίαν ποιεῖ.

REGES HIEROSOLYMITANI, SEV TRIBVS IVDAE ET BENiamitidis.

ROBOAMVS, I. capessit regnum hæreditate post patrem: Cui dum populi assensum in Sichemensi conuentu quærit, hunc iugi paterni petentem leuationem stulte alienat, nec multo post tribus decem defectione amittit. Id bello uindicaturus, a Semeia diuino prohibetur, & IEROBOAMI æmuli artibus hostem SESACVM, regem Ægypti accipit. Cui etsi se sub fide dederet, tamen & templi & regię thesauros, ipsosque adeo patris clypeos aureos direptione amittit, & potentia deinde atque auctoritate infirma regnat. Fuit cum potestate ann. 17. 2. Reg. 12. 14. 2. Paral. 10. 11. 13. Siracides, Iosephus, Clemens, Eusebius, Suidas, Zonaras, Cedrenus.

TAPHATA, nupsit Beniaminadabo, tractus Dorensis præfecto. 3. Reg. 4.

BASEMATHA, memoratur ab Achimaasi coniugio, ibidem.

Fuere ROBOAMO coniuges 18. concubinæ 60. e quibus filios sustulit 28. filias 60. Exprimuntur autem inter coniuges nominibus tres tantum, prima Mahalatha, Ieremothi F. Dauidis N. prole caruit: altera Abichail, Elisabi F. liberos edidit: Ieum, Samariam, & Zahamū: tertia Maacha, uiro maxime dilecta, liberos procreauit, ABIAM, Attaim, Zizam & Solomithum.

Ieus, Samarias & Zahamus referuntur nomine tenus. 2. Paral. 11.

II. ABIA, præfertur patris studio cæteris fratribus, & regno denique successor destinatur. Hoc ab obitu eius suscepto, contra IEROBOAMVM bellum facit: occurrentem cū duplicato copiarū numero primum oratione graui accusat, deinde tam a tergo quam a fronte urgentē animose sustinet, & prælio ingēti uictū urbibus aliquot exuit.

Regnauit

Regnauit ann.3. Reg.15.2.Paral.11.& 13. Iosephus, Clemens, Eusebius, Suidas, Zonaras, Cedrenus.

ATTAIS, Ziza & Solomithus, memorantur solis nominibus. 2. Paral. 11.

Duxit Abia uxores 14. è quibus filios procreauit 22. filias 16. Nominatur autem in uxoribus illis una Maacha, Abesolomi F. (etsi aliqui matrem credidere.) indeq; filius itidem unus, ASA.

III. ASA, potitur regno post patrem: Quod à pietatis muniis exorsus, tollit peregrinas aras & sacella: perfringit statuas: lucos succidit: simulacra ex oppidis aufert, & patrium Dei cultum edictis sancit. Mox eadem cura in Rempub. constituendam incumbit: regni urbes opere, turribus & propugnaculis munit, & otio ad annos decem propagato, ea potentia accrescit, ut exercitum è Iudæis 300000, è Beniamitis 280000. coëgerit. Quare ZARÆ Æthiopi cum Barbarorum copiis 1000000. bello lacessenti, intrepidè occurrit: prælium uotis piis init, & hoste uicto fugatoq;, uictoriam post homines natos amplissimam reportat, & spoliis ingentibus locupletatur. Inde urbem repetens, ab Azaria uate excipitur, & de ope cœlesti confirmatur prolixè. Itaq; denuò ad religionem animum adiicit: idola & è suis & Ephraimitarum subditorum (nam & in hos & Manassenses & Simeonios imperium propagârat) finibus exterminat: instaurat aram ad templi uestibulum: peragit hecatombē: matrem, Panos deastri cultum amplexantem, imperio abdicat, & ipsum Panem comminutum apud fl. Cedronem cremat. Postremis regni annis BAASAM regem Israëlitarum hostem accipit, & Rama ei arcendo munimentum opponitur. Quod prohibiturus, non Deum, ut antea, sed BENADADVM Syrum auxiliatorem, missis muneribus accersit: Baasæ ad eum nuncium fugato instat hastiliter, & Rama à fundamentis destructa, fossam ei aliam opponit. Cumq; è tantis successibus iam fastu turgesceret, Vatem fœdus externum taxantem liberius, carcere mulctat, & complures de populo trucidat. Ideo è uindicatione diuina graui pedum morbo conflictari occipit: Quo in morbo cùm iterum Deo neglecto, ad medicos solos respectum haberet, diem claudit extremum, & in sepulchro suo, quod in urbe Dauidis sibi exciderat, tumulatur, combusta in eius funere ui odorum ingenti. Regnauit ann. 41. 3. Reg. 15. 2. Paral. 14. 15. 16. Iosephus, Eusebius, Zonaras, Cedrenus. Fossæ ab Asa ductæ meminit Ieremias cap. 41. & in seditione Ismaëlis post captam à Nabochodonosore Hierosolymam, impletam cæsorum cadaueribus, ait. Clemens Athamanem uocat.

Fuit cum ASA connupta Azuba, quæ filium enixa est IOSAPHATVM.

IV. IO.

IV. IOSOPHATVS, successit in paterni regni solium: cum Israëlitis belligerat feliciter: religionis puritati, ut qui maximè studet: excindit sacella & lucos: populū è legis diuinę pręscripto doceri, fideliter curat: finitimos solo nominis terrore in officio continet: accipit uectigales Palæstinos & Arabas: de rebus ad bellum necessarijs diligenter prospicit, & asseruandis facultatibus & arces & oppida noua condit. Inde cum Achabo, rege Israëlitarum affinitatē contrahit, & ad bellum Syriacum hunc socius consectatur. In quo pressus sagittariorum incursu, ope diuina liberatur, & Hierosolymam incolumis reuertitur. Vbi occurrentem Iehum uatem, & cum Achabo iūctum fœdus culpantem audit benignè: Ecclesias denuò perlustrat: constituit iudicia, & nullum dehinc pij & diligentis principis officium omittit. Quare cùm Ammonitarum, Moabitarum & Idumæorum infestaretur bello, & hostes Syros accepisset, ieiunijs & precibus numen cœleste opē poscit, & mox successu, quem Iahaziel uates prędixerat, hoc est, prodigioso prorsus, uincit. Nam hostem sacro tubę cantu ad cędem mutuam cōpulit: & præda è cadaueribus amplissima lecta, cum triumpho Hierosolymā repetit, & Deo laudes prolixas agit. Post hoc tempus cum OCHOZIA, Achabi filio, societatē renouat: in qua classis in Ciliciā mittēdæ sumptum pactus cōmunem, increpatur grauiter ab Eliezere uate, & conatus eius euentum infelicem experitur. Iterum tamen cum IORAMO, fratre & successore Ochoziæ, fœdere & amicitia iungitur: in Moabitas bellum uiribus communibus urget: uictoriam audit ex Elisæo uate: & rebus ex sententia confectis, immanis spectaculi commiseratione domum reuertit. Regnauit ann. 25. 3. Reg. 22. 2. Paral. 17. 18. 19. 20. Iosephus, Clemens, Eusebius, Suidas Zonaras, Cedrenus. Vt de imperij annis discrepantia, quæ extat 4. Reg. 2. 3. 8. conciliari debeat, Funccius discutit in Chronol. Præcationis eius tanquam ἐπίφωνημα, quod extat 2. Paral. 20. his dulcissimis uersiculis reddidit Ioachimus Camerarius.

In tenebris nostræ & densa caligine mentis,
Cùm nihil est toto pectore consilij,
Turbati erigimus, Deus, ad te lumina cordis,
Nostra tuamq́; fides solius orat opem.
Tu rege consilijs actus, pater optime nostros,
Nostrum opus ut laudi seruiat omne tuæ.

RELIQVIT Iosaphatus liberos, IORAMVM, Azariam, Iehielem, Zachariam, Azariam, Michaëlem & Saphatiam.

V. IORAMVS, accipit regnum legato patris: Cui à fratrib. metuens, ad unum omnes iugulat, & pari immanitate in proceres grassatur. Mox ad Achabicę domus, cui affinitate iunctus esset, exemplū sese totum componit: instaurat sacella mōtana: Iudęos impudicū Deorū

HHh cultum

cultum adducit,& Eliȩ Comminationes eludit.Ideo ex numinis cœlestis offensa,Idumæos & Lebnã defectione amittit: uexatur à Palęstinis & Arabibus,& impresione horum tum liberis,tum cõiugib. spoliatur. Dum ne sic quidẽ ad frugẽ redit,intestinorũ morbo afficitur: quo totum biẽnium cruciatus, ipsa demũ intestina eijcit,& uitam inter immanes dolores cum morte cõmutat. Vixit ann. 40. regnauit 8. atq; uti mortuum nullus desiderauit,ita neq; in regum sepulcro cõditus fuit,4.Reg.8.2.Paral.21.Iosephus, Clemens, Eusebius, Zonaras, Cedrenus.

AZARIAS, Iehiel, Zacharias, Azarias, Michaël & Saphatias, donantur à patre auro,argento & rebus alijs preciosis, & munitis oppidis præfecti imponũtur.His accessionibus inhiante IORAMO fratre,scelere eius trucidantur.2.Paral.21.

IORAMI coniuges & liberi nominanť cõplures ἀνώνυμοι. Ex Athalia ꝓcreanť OCHOZIAS & Iosaba.Reliqui liberi cũ ipsis matrib. perimunť à prędonib.Arabibus.Memoranť aũt ex his nepotes, q̃s administros habuerit OCHOZIAS rex.2.Par.22. Ac intelligo de ijsdẽ cõsanguineorũ nomẽ.4.Reg.10.ubi numero 42. definiũtur.

VI. OCHOZIAS, alio nomine IOACHAZVS, fratrum natu minimus,euadit feliciter prædatoriã Arabũ manum, & patri in regno successor datur. In hac dignitate,cùm omnia ad matris ageret arbitrium,Achabicæ domus impietatẽ imitatur, & cõsulioribus improbis totũ se corrumpendũ præbet.Profectus cum Ioramo auunculo in Hazaẽlem,regem Syrię,Iezraële è uulnere decumbentẽ uisit,nec multò pòst ad Iehum hostem comitatur. A' quo Samarię comprehensus,capite plectitur,& ob Iosophati aui memoriã sepultura afficitur. uixit annos 23. regnauit 1.2.Paral.22 4.Reg.8.9. Clemens, Eusebius, Zonaras.Iosephus de morte & sepultura eius eam sequitur narrationem,quam habent libri Regum.

IOSABA, fuit cum IOIADA,Pont. Max.In quo matrimonio cùm aliarum uirtutum,tum regiæ stirpis cõseruatæ laudem tulit. Nã bacchante in hanc immanibus cædibus Athalia matre, regiam petit: Ioam inter cadauera latitantem cum nutrice surripit,& in templi conclaui abditũ in spem regni educit.4.Reg.11.2.Paral.22. Iosephus, Clemens,Eusebius,Zonaras, Cedrenus.

NASCVNTVR Ochoza filij plures, sed nominať solus IOAS successor,editus matre Sebia Bersabeensi.

VII. IOAS,destinať cum fratribus ad necem ab Athalia: Quo in periculo protectus diuinitus,cum nutrice è cubiculi cõclaui, à Iosaba amita surripitur,& in tẽplo per sexenniũ clàm educať. Huius rei IOIADA Pontifice,qui uxori conscius esset, indiciũ uerito, opera eius

Rex

Rex audit: instaurat religionem & templum, & quandiu doctorem retinet Ioiadam, in pietatis cultibus se gnauum & sincerũ prçstat. Nam mortuo illo, ita procerum adulationibus mutatur, ut & lucis & statuis seruiret, & tum uates cæteros id taxantes fastidierit, tum Zachariã, Ioiadæ F. pœnas cõminantem, interfici à populo permiserit. Quare ex ultione cœlesti aliquãto post Hazaëlis, regis Syriæ, bello uexatur: proceres id defensuros cum exercitu florentissimo internecione amittit, & Hierosolymç à Barbaris per obsidionem includitur. Ad quos auertendos cùm templum donarijs, fiscum thesauris exhausisset, in odium uenit, & conspiratione suorum trucidatus, in urbe Dauidis extra regum sepulcra inhumatur. Fuit in uita ann. 47. cum potestate 40. 4. Reg. 11. 2. Paral. 22. 23. Iosephus, Clemens, Eusebius, Zonaras. Cedrenus. A' Suida perperam Ioannes nominatur.

Duxit IOAS, auctore Ioiada, coniuges duas: è quibus sexus utriusque liberos sustulit. Refertur autẽ ex altera, Ioadane, filius AMASIAS, cui alij addidere ἐπώνυμον Amosum.

IIX. AMASIAS, surrogatur in regno patri. Huius cædem acerbè ultus, ad bellorum studium animum aduertit: delectus magna cura agit, & mercenarios ex Israëlitis conducit. Quod obiurgantem uatem audit, & in Amalecitas & Idumços, uno domestico milite pergit, hosteque profligato cum triumpho redit. Inde insolẽtior factus, contemtu patriæ religionis Deos captiuos colere audet: Israëliticorum mercenariorum proteruiam, qui dimissionem ignominiam rati, Iudaicos fines rapinis & cçdibus uastarent, de rege Ioas ulcisci instituit, eique bellum improuidè indicit. Etenim exercitu ante prçlium terrore Panico dilabente, in hostis potestatem uiuus peruenit. Cui Hierosolymam permittere iussus, per triumphi ludibrium eò reducitur: deijciuntur ad spacium 300. cubitorum muri: diripiuntur templi & regiæ thesauri: & ipse ueluti exanguis in regno relinquitur. Quare iam & in contemtu & in odio apud suos esse occipit, & insidijs denique manifestis appetitur. Quas fuga in Laches urbem declinare frustra aggressus, ab insequentibus perimitur, & cadauer Hierosolymam reportatum regia magnificentia tumulatur. 4. Reg. 12. 13. 14. 2. Paral. 25. Iosephus, Clemens, Eusebius, Zonaras, Cedrenus.

AMOSVS, nominatur inter uates à Cedreno: & acquisita inde ei æternitatis fama, & filio confirmatur. Is fuit.

|

ESAIAS, uates magnus, & in diuinatione fidelis, docuit annos circiter 80. Concionum initium fecit sub OZIA & Ioathamo, & illius historiam scripto cõplexus est. Ab Achazo reiectus, benignè ab

 Ezechia

Ezechia auditur, eiq; & defensionē contra Assyrios, & uitā lōgiorem impetrat. Quæ tanta beneficia dum contemnunt impiè à Manasse, & simul uera religio repudiatur, comprehenditur, & ceu lęsæ maiestatis reus, serra dissecatur. Eloquentia eius planè diuina fuit: & de Christo, quem cap. 5. patruelem suum nominat maximè perspicuè concionatur. Prædixit multorum regnorū mutationes, & Cyrum regem etiam nomine expresſit.

SARIASVBVS, nominatur ab Esaia cap. 7.

HABVIT Amasias in matrimonio Iecholiam, qua filius nascitur AZARIAS.

IX. AZARIAS, alio nomine Ozias, datˉ populi suffragijs successor patri: instaurat Elotha: cōseruat religionis puritatē, doctore usus Zacharia uate, ideoq; à Deo multipliciter felicitatˉ. Etenim ueteres illos Ebræorū hostes Palæstinos, Amonitas, Arabes, bello edomitos uectigales fecit. Adhęc Hierosolymę mœnia lōgo ambitu reficit: Solitudines aliquot habitabiles reddidit: tractauit agriculturā & pecuariam, & eas uires parauit, ut milites 307500. armârit, & fama eius etiā in exteris percelebris esset. Quare fastu exinde tanto insolescit, ut contra maiorum instituta sacrificare in templo aggressus sit. Id quod cùm impediturum Azariam Pōtificem cum conuiuio & indignatione excepisset, diuinitus lepra punitˉ, & extra regiā habitare in domo semota usq; ad uitę finem cogitur. 4. Reg. 14. & seq. 2. Par. 26. Iosephus, Hegesippus, Clemens, Eusebius, Suidas, Zonaras, Cedrenus. Meminit Zacharias uates cap. 14. & terrę motum ad tempora eius retulit.

FVIT Oziæ uxor Ierusa, è qua filium sustulit IOATHAMVM.

X. IOATHAMVS, administrat regnum pro patre leproso, & incolarum rationes dextrè procurat. Ideo defuncto surrogatus, etiam pietatem eius exprimit, portam templi superiorem magno sumtu instaurat, & eodem mox instituto reliquum regnum & ornare & munire aggreditur. Nam oppida in montanis, castella & turres in nemoribus cōstruxit. Bellū unum cum Amonitis gesſit, quos uictos tributum annuum argenti talenta cētum, tritici corororum 10000. & totidem hordei pendere coëgit. Regnauit ann. 16. 4. Reg. 15. 2. Paral. 27. Iosephus, Clemens, Eusebius, Zonaras, Cedrenus.

XI. ACHAZVS, adit regnum adolescentulus annorum 20. quod administratione infami tenet ann. 16. Nam à maiorum religione ita defecit, ut non solum Baales conflauerit, sed etiam in filij Hennoni ualle adoleuerit, & filios suos igni cremauerit, inq; sacellis & collibus,

libus,& passim sub frondosis arboribus sacra suffitúq; fecerit. Quare ex Dei uindicatione iusta ita plectitur, ut RAZINEM & Phacam, Syrorum & Israëlitarum reges, hostes acceperit, & bello horũ, quod pro reducendo Tebealis F. susceptum esset, populo partim cæso, partim in captiuitatem abducto, Hierosolymæ obsessus sit. Adhæc incursionibus Idumæorum & Palęstinorum atrocibus uexatur, & urbes non paucas amittit. Quibus tantis in difficultatibus Deum poscere opem iussus ab Esaia uate, contumaciter id detrectat, & Tiglatphilassarem Assyrium, muneribus promissisq; ingentibus oneratum, euocat. Ad hunc ab urbe capta Damascum profectus, arę maximæ exemplar ad Vriam Pontificem mittit, & conditam de mandato eius similem, sacrificio solenni consecrat, instituti huius eam ad populum protestatus causam, Deos Syrorum genti huic opitulari, ideoq; sibi etiam conciliandos. Neque dehinc adeo frugem redit, ut clausis templi ostijs, aras sibi in omnibus Hierosolymæ angulis extruxerit, & passim in Iudææ oppidis ad adolendum Dijs alienis sacella fecerit. Defunctus non in regum sepulcreto, sed in urbe conditur. 4.Reg.16. 2.Paral.25.10. Esaias cap.7. Iosephus, Clemens, Eusebius, Suidas, Zonaras, Cedrenus.

MEMORANTVR Achazi filij duo: primus Maasa ἐμίτωρ, alter EZECHIAS, genitus matre Abia, Zachariæ F.

MAASA, occumbit in prælio contra Zechrim, ducem Israëlitarum. 2.Par.28. Iosephus.

XII. EZECHIAS, retinet regnum hęreditatis successione: Quod à pietatis munijs auspicatus, fanum iterum aperit, apertum reficit lustratq; sacrificijs, & cultus diuinos solenniter obit atque instaurat. Cum ad Pascha Israëlitas frustra euocasset, magna id suorum festiuitate & apparatu celebrat: perfringit ęneum Mosis serpẽtem: tollit idolatricos lucos, status & sacella: sacerdotes in classes distinguit: sacrificia reditibus auget, & omni officio se Deo & subditis probat. Qua ex re auctus cœlestis numinis benignitate opib. mirifice, ab Assyrijs deficit, seq; in libertatem uendicat, & Palęstinos armis deuictos ad Gazã usq; infestat. Hoc bello uindicaturum SENNACHERIBVM, dum metu potẽtiæ eius placare muneribus frustra aggredir, etiam minas atroces reportat, & impia in Deũ Opt. Max. conuicia audit. Itaq; ad uota & preces confugit, hisq; uictoriam demũ prodigiosam impetrat. Nã cæsis à genio diuino & hostili exercitu 185000. hominum, obsidio à Barbaris sponte soluitur. Aliquãto post morbo afficitur lethali: & restitutus ab Esaia uate, ac de uita longiore confirmatus ostento, improuida erga Merodachi Babylonij legatos, qui quęsitum de eodem ostento aduenissent, beneuolẽtia grauiter Deum offendit:

 fendit:

fendit: Quippe quos tractatos cumulatißimè etiã thesauros suos inspicere passus sit. Quare in hostilem manum hos deuenturos ex Esaia audit, & filios Babyloniis spadones seruituros & cognoscit. Regnauit ann. 29. uixit 54.4. Regum 18.19.20.2. Paralipom. 29.30.31.32. Esaias cap. 38. & seq. 46. & seq. Siracides, Iosephus, Hegesippus, Clemens, Eusebius, Zonaras, Cedrenus. Tradidêre Suidas & Cedrenus, Solomonis remediorũ morbi cuius uis librũ, qui uestibulo tẽpli inclusus esset, ab Ezechia reuulsum, ꝓpterea nimirũ, quod populus neglecto Deo, nec inuocato, sanationem malorum inde peteret. Inter uates Ezechiæ. συγχρόνως nominat Ieremias Micheam cap. 26.

IN uxoribus Ezechiæ memoratur Haphsiba, quæ filium enixa est MANASSEM.

XIII. MANASSES, suscipit regnum annos natus 12. cui administrãdo pręfuit ann. 55. A paterna pietate atq; morib. ita degenerauit, ut sacella ab eo deleta instaurârit: altaria Baali extruxerit: lucũ fecerit: omnes cœli copias adorârit, iisq; in ambobus templi atriis aras extruxerit. Adhęc filios suos in ualle filii Hennonii per ignẽ traiecit: admisit hariolationes: uẽtriloquos & magos instituit: luci à se facti simulacrum in æde Dei collocauit, & sanguinis innocẽtis tantũ effudit, ut eo Hierosolymã paßim repleuerit. Hæc tanta flagitia taxantem Esaiam uatẽ serra dissecat, & fatidicos cæteros ex iussu cœlesti pœnas denunciantes contumaciter fastidit. Quare ex ultione diuina hostes Chaldęos accipit: à quibus in agro oppressus, Babylonẽ captiuus abducitur, & custodia arctißima asseruat. In ea acerbitate sui totq; scelerum suorũ pœnitens, misericordiã piis uotis Deũ poscit & impetrat: Etenim rege Babylonico prolixè benigno usus, in regnũ restituitur. Ad quod cum studiũ iam afferret sanctius, urbẽ reficit: delectus agit, & pręsidia oppidis imponit: exterminat peregrinorũ Deorum cultũ, & aram Dei instaurat, huncq; coli deinceps solum edicto imperat. 4. Reg. 21.2. Paral. 33. Iosephus, Clemens, Eusebius, Zonaras, Cedrenus. Suidas Chaldęorũ regem, Manaßis hostẽ, Merodachũ facit: à quo discedimus, & lectoris itidẽ iudicio permittimus, quæ de Manasse in æneo simulachro asseruato, & pacto pane furfuraceo & aquę potu, infarsit. Idẽ alibi adoratas à Manasse cœli copias Solẽ & Lunã & stellas accipit. Inter causas destructę Hierosolymę, & ipsius gentis abductæ, sancti Prophetæ, inq; his Ieremias, Manaßis scelera nominârunt.

MANASSIS coniugem reperimus Messalemetham, Harusi F. Iotebanam, qua nascitur AMON.

XIV. AMON, Zonaræ & Cedreno Amosus, excipit successor patris regnum: cuius facinora æmulatus, omnibus eius simulacris sacrificat, & maiorum Deum impiè relinquit. Addidit his crudelitatem

tem

tem in domesticos, à quibus per cõiurationem oppressus, perimitur, & in hortis Oziæ tumulatur. 4. Reg. 11. 2. Paralip. 33. Iosephus, Clemens, Eusebius.

FVIT cum Amone connupta Idida, qua editur IOSIAS.

XV. IOSIAS, surrogatur patri à populo: religionis puritati à puero studet, & eandem, ætatis anno duodecimo, apud regni ordines uniuersos urget. Quod ipsum ut facilius perficeret, Baalum aras euertit, excindit lucos, perfringit statuas, sacrificorum ossa in ipsorum cremat altaribus, & Iudæam atq; Ierosolymam expurgat. Mox idem in Israëlitarum finibus audet, & aris lucisq; euersis, signa minutatim contudit. Inde templo reficiendo incumbit: inuentum librum legis ab HELCIA Pontifice cum pia attentione audit, & consulta de eo Holda uate, populo proponit, huncq; decretis eius seruandis secum obligat. Pascha tanta magnificentia egit, ut apparatu omnes Israëlitarum reges superaret, & occasione ista etiam sacerdotum ordines instaurârit. Cumq; iam & religioni & Reipub. optimè prospexisset, temerè in NECHAONEM, per fines ipsius in Babylonios profecturum, bellum suscipit. Quem dum per legatos id deprecantem fastidit, & nimis cupidè in prælium ruit, à sagittarijs transfigitur, & mortuus Hierosolymam deuectus, in patrio sepulchro conditur. 4. Regum 11. 12. 13. 2. Paral. 34. 35. 3. Esdræ 1. Iosephus, Clemens, Eusebius, Suidas, Zonaras, Cedrenus. Meruit ab illustribus beneficijs totius populi luctum, & præterquam quod Ieremiæ nænia celebratus fuit, etiam in consuetudinem uenit, ut cantores & cantrices in suis nænijs eius mentionem facerent. Meminit luctus Magedonij Zacharias cap. 12. Regnum & nomen Iosiæ prædixit Ieroboami temporibus Iadon uates. ut narratur 3. Reg. 13. Ab Siracide hoc elogio ornatur: Iosiæ memoria quasi quædam suffiminis compositio confecti arte unguentarij in omnium ore dulcis est ut mel, aut ut Musica in uinoso cõuiuio. In emendando populo dexteritate usus, sustulit nefaria flagitia: animo fuit bene erga Dominum composito, & sceleratorum tempore pietatem composuit. Hactenus Siracides.

IOSIÆ Coniuges duæ memorantur: Prima Hamutal filios edidit IOACHAZVM & Sedechiã: altera Zebuda Ioachimũ & Sellumum. Etsi lib. 2. Par. Sedechiã Ioachimo natũ tradidit. Et Ieremias cap. 22. Sellumi nomẽ de Ioachimo intelligit. Habetq; in hãc gentilitatem explicationes alias per eruditas Lauaterus in cap 3. lib. 1. Paral.

XVI. IOACHAZVS, alio nomine Iohannes legitur à patris interitu Rex populi suffragijs: Qua in dignitate dũ scelesto instituto idolatricos instaurat cultus, exauctoraẽ à Nechaone, & cũ regni primatibus captiuus in Ægyptũ deportatus, exul ibi uitam finit. Regna-

uit tantum mēses tres. 4.Reg.13.2.Paral.36. Esdræ 1. Iosephus, Eusebius, Zonaras, Cedrenus. Clemens antecessorem huius & parentem Iechoniam facere uidetur.

XVII. ELIACIMVS, accipit cum IOACHIMI nomine regnū à Nechaone, & ita accipit, ut tributum, æstimatione in singula capita facta, penderet. Ex tam tristi seruitute dum nihil emendatur, & Deorum peregrinorum studet cultui, etiam NABOCHODONOSOREM Babylonicū hostē accipit. A quo captus, & rursus tributi pactione à uinculis dimissus, fidem ei turpiter frangit: Vriā uatem in impietatem eius inuehentem, de uita tollit, & Ieremiæ necē molitur. Quare iterum à Chaldæis insectatur, & finitimorum Ammonitarum, Syrorum, Moabitarū incursionibus crudelib. uexatur. Cumq; tandem spe ueniæ Nabochonodosorē in urbem admisisset, in uincula conijcitur, & damnatus regij consilij sententia, supplicio afficit, & extra mœnia proijcitur. 4. Reg. 24. 2. Paral. 36. 3. Esdræ 1. Iosephus, Clemens, Eusebius, Zonaras, Cedrinus. Ieremias de interitu eius in hanc sentētiam uaticinatur: Non plangetur, heu frater, heu soror: non plangetur, heu domine, heu maiestas. Asini sepultura sepeliē, raptatus & proiectus extra portas Hierosolymę.

XIIX. IOACHIN, Iosepho & Zonaræ Ioachimus, alio nomine Chonias & IECHONIAS, genitus matre Nehosta, Elnathanis F. obtinet regnum post patrem. Cuius mores imitatus, etiam fortunam eandem subit. Nam Hierosolymę per obsidionem à Nabochodonosore inclusus, cùm periculorum metu ei se permisisset, & templum & regia direptionibus exhauriuntur, & ipse cum matre, clientibus, ducibus & populi parte florentissima Babylonē abducitur, ibiq; usq; ad Euilmerodachi regnū, id est, annos 37. captiuus asseruat. Huius benignitate è carcere dimissus, & regijs honorib. affectus, etiā con uictor eius fit, & quotidiano demenso è regio penu, quàm diu uiuit, alitur. 4. Reg. 24. & seq. 3. Esdrę 1. Baruchus cap. 1. Iosephus, Eusebius, Zonaras, Cedrenus. In Paralip. libris historia eius omittitur. Prædixit captiuitatem & exilium eius Ieremias cap. 22.

XIX. MATTANIAS, surrogaē Ioachini cū SEDECHIÆ cognomento à Nabochodonosore. Cui obsequiū & tributū iuramēto pollicitus, cum pietate erga Deū utrunq; negligit, & Ægyptijs fœdere sibi adiūctis, reb. nouis studet. Quapropter obsidione intra urbem Hierosolymā ab Nabochodonosore infecta premiē: Ieremiā de deditione instantē habet cōtumeliosè: & cùm alimentis deniq; deficientibus fugā iniuisset, ab hoste intercipiē, & è felicissimo mortalium omnium fit miserrimus. Nam filij & proceres uita, ipse luminibus

priuatur.

priuatur: absumitur urbs & fanum flammis: populus migrare Babylonem iubetur: & captiuus ipse ad triũ phi ludibria abductus, in uinculis usq; ad uitæ finem asseruatur. 4. Reg. 25. 2. Paral. 26. 3. Esdræ 1. Iosephus, Clemens, Eusebius, Suidas, Zonaras, Cedrenus. Exitium ei ita denunciârũt Ieremias & Ezechiel, ut alter Babylonem uisurum negaret, alter uero id affirmaret. Euenit autem cæcitate eius utrũque: cùm peruenerit quidem isthuc, non autem uiderit. Cęterum regnũ scelere & infelicitate ipsius amissum, ad Dauidis familiam redijt nunquam. Nam qui post reditum è Babylone imperârunt, Principum dignitate contenti, regio nomine abstinuerunt: de quibus suo loco plenius agemus.

SELLVMVS, nominatur 1. Paral. 3.

SEDECHIA geniti filij capto eo à Chaldæis, ferro trucidantur: filiæ relinquuntur in Iudæa cum Godolia, & post cædem huius primùm in Ammonitas destinantur ab Ismaële, deinde in Ægyptum cum populi reliquijs abducuntur à Iohanne, Careæ F. Fuit autem & Ismaël iste à regia stirpe oriundus, homo audax & facinorosus. Nam Godoliã, quem Iudęæ Nabuchodonosor præfecerat, per insidias oppressit: reliquos ciues ad sacrificium profecturos immaniter iugulauit, & Asę fossam interfectorum cadaueribus repleuit. Qua ex re hoste usus Iohanne, Careæ F. cum desereretur ab omnibus, ad Ammonitas exul profugit. Extat historia exposita apud Ieremiam cap. 40. & seq. 4. Reg. 25. & Iosephum. Propagauit etiam è Sedechiæ genere Iosephus DANIELEM, Ananiam, Mizaëlem & Asariam, quorum historia ex eiusdem Antiq. & Daniele repetatur.

A' Iechonia gemine stirpis extitit propago: quam ita libri Paral. & Matthæus pertexuêre.

IECHO-

IECHONIAS

ASIR. MELchiramus. PHAdaias, memoratur lib. 1. Par. cap. 3. cũ posteritate eiusmodi. SALAthiel, nominatur cum hac posteritate à Matthæo. SENEser. IEREmias. HOsama. NAdabias.

SALAthiel (filius Asir)

Phadaias:

Zorobabel. Simeis.

Zorobabel: Mosollamus. Ananias. Solomitha F.

Ananias: Phaltias. Esaias.

Raphaias

Arnan

Abdias

Sechenias

Semeias

Hattus. Iegaal. Barias. Naarias. Saphatus.

Eleonais. Ezechias. Azricamus.

Oduias & alij sex.

Salathiel (à Matthæo):

Zorobabel.

Abiud.

Eliacimus

Azor.

Sadocus

Achimus

Eliudus

Eleazarus

Matthan.

Iacobus, cui hæc attribuitur à quibusdam progenies.

Iosephus maritus MARIÆ uirginis. Salome—Zebedæus. Cleophas—Maria, soror Mariæ Virginis.

Salome—Zebedæus: Iacobus. Ioannes Euangelista.

Cleophas—Maria: Simon, Episcopus Hierosolymę post Iacobum. Iudas Thadęus.

Vita horum tum Simeonis & Iudæ, repetatur ex historia Apostol. Camerarij.

REGES

REGES ISRAELITICI, SEV SAMARITANI.

I.

FAMILIA IEROBOAMI.

NABATHVS,—SERVA.
Ephrataeus.

I. IEROBOAMVS, praestat operam mercenariam SOLOMONI regi in Mellonis cōstructione, & ob industriā Iosephee tribui praefectus imponitur. Ex eo tempore in honore habitus, ab Ahia, symbolo discerpi in partes decem pallij, spe in totidē tribus regni impletur. Itaque hostē Solomonē indicio accipit, & metu periculi, ad SESACVM ꝓfugere exul in Ægyptum cogitur. Ibi bene sperare à Rege iussus, & tractatus cumulatè, demum ab obitu Solomonis procerum studio reuocatē, nec multò pòst à tribubus decē per defectionem Rex proclamatur. Quàm dignitatē tam cupidè quàm prudēter susceptam gerit animosè: instaurat Sichemam, regni ea sede cōstituta, & caetera regis boni perfunctus munere, uno mutatae religionis instituto omnium hominū reprehensionē promeruit. Cùm enim ex Hierosolymę aditu nouū populi motū metueret, aras in Bethele & Dane, quib. signa uituli aurei additi essent, exstruit: aedem in loco edito facit: sacerdotes legit è uulgo: uatē Iudaeū, sacrificium Bethelense taxantem comprehendi iubet, ideo tum punitus tum restitutus diuinitus, haud tamen emendatur. Quare iterum in grauem coelestis numinis indignationem incidit: domus interitū ex Ahia uate audit: Abiam filiū immatura morte amittit: cum ABIA, rege Iudaeę, pugnat infeliciter, eumque deinde usque ad uitae finem hostem grauē experitur. Moritur anno regni 22. 3. Reg. 11. 12. 13. 14. 15. 1. Paral. 13. 2. Paral. 9. 10. 11. 13. Siracides, Iosephus, Clemens, Eusebius, Suidas, Zonaras, Cedrenus.

NOMINANTVR in IEROBOAMI natis Abias & NADABVS.

ABIAS, floruit eximia patris & populi gratia, & in pietatis cultibus se sincerum prętat. Morbo affectus, parentibus ista de re solicitis, matri ab Ahia moriturus praedicitur. Id quod ita euenit, ut ea domus limen transgrediente, animam exhalârit, & à cuncto populo sepultus atque defletus sit. 3. Reg. 14. Iosephus, Suidas, Zonaras.

II. NADABVS, succedit in regno, & religionis corruptae studio, patri: belligerat cum Palęstinis, & Gabathonē urbē obsidione infesta urget. Quę cùm minus feliciter succederet, in odiū uenit, & per coniurationem è Baasa perimitur, familia ipsa à stirpe excisa. Regnauit ann,

uit ann.2.3.Reg.14.15.Iosephus, Eusebius, Zonaras.

II. FAMILIA BASÆ.

AHIAS, tribu Issacharianus.

I. BAASA, Inuadit regnum cæde Nadabi:Ieroboami domum delet stirpitus:regiã Thersam deligit:cũ ASA rege bello acri decertat,& ut aditum huic exitumq; intercluderet,Ramam munire aggreditur.Ab eo conatu Syrorum irruptione,quos fœdere sibi Asa adiunxisset,reuocatus,hostem utrunq; omittit, & dum formidine quadam Thersę substitit,in Nephtalensi tractu urbes quatuor amittit,& apparatus Ramẽsis Asæ cedit.Nec quicquã deinde præclari facinoris edidit:dumq; Ieroboami impietatem audet, minas etiam pœnarum in familiam similium ex Iehu uate audit. Fuit in regno ann.24.3.Reg.15.16.2.Paral.16.Iosephus,Eusebius,Zonaras.

II. ELA, capessit regnũ post patrem, quod cum ad mores huius administraret,& impietatem eius accumularet,pœnas à Iehu uate denunciatas subit.Nam Thersæ apud Arsen dispensatorem comessans, in uino à Zambri trucidatur,& familia omnis à stirpe excinditur. Regnauit ann.2.3.Reg.16. Iosephus, Eusebius, Zonaras.

¶ ZAMBRIS,tenuit prẹfecturam dimidiæ partis quadrigariorum apud Elam.Cuius mores perosus,cõspiratione hominem occulta tollit,& regno in se translato,in familiã ipsius cædibus crudelibus sæuit.Ea ex re cùm graue exercitus odiũ incurrisset, aduersarium Ambriũ accipit,& Thersæ per obsidionẽ includit. De cuius defensione desperãs,regiam incendit,seq; ipse in ignẽ prẹcipitat, cum imperasset dies septem.3.Reg.16. Iosephus,Zonaras.Ab Eusebio omittitur.

III. FAMILIA AMBRIS.

I. AMBRIS, declaratur belli Palẹstini Imperator ab ELA rege. Cuius percussori Zambri aduersarius oppositus, hunc Thersæ obsessum,ad mortem uoluntariam cogit.Eadem felicitate alterum æmulum Thebnin opprimit,& Thersam regiam dedignatus, hãc SAMARIAM, quam primùm ipse Condidisset, & de domino, cuius fuisset locus iste,denominasset,transfert.Cumq; ob tot successus nihil iam antecessorũ casibus moueret, totum se ad Ieroboami exemplum componit,& populi confirmatam impietatem auget. Fuit cum potestate ann.12.3.Reg.16.Iosephus,Eusebius,Zonaras.

Geniti

Geniti Ambri sunt ACHABVS & ATHALIA.

II. ACHABVS, regnauit ann. 22. Defendit mordicus corruptam Ieroboami religionem: & uxore ducta Iezabele Sidonia, eò uenit, ut Baalem coleret, & ei templum atque aram Samariæ conderet, & lucum consecraret. Ob ea scelera famem ex Elia audit: homines diuinos opprimi ab Iezabele patitur: & cum Abdia, domus procuratore, quæsitum iumentis pascua profectus, ex inopinato in Eliam incidit. Hunc dum inconsultè tanquam pacis publicæ perturbatorem obiurgat, eiusdem ipse criminis grauius accusatur, & populi conuentum & sacrificium indicere solenne iubetur. Neque refragari ausus, ignis cœlestis ostento Baalis religionem impiam cognoscit, ideoque tum Baalis uates trucidari permittit, tum de pluuia ab Elia confirmatur. Mox tamen Iezabeli se corrumpendum iterum præbet, & Eliam agi extorrem sinit. Quare ex diuina indignatione hostem BENADADVM, regem Syriæ accipit: à quo Samariæ obsessus, audaci eruptione barbarum in fugam conijcit, bellumque instaurantem prælio profligat, & ex desperatione dedentem sese spontè, nō solum uiuere permittit, sed & amicum & regem nominat. Ob eam intempestiuam clementiam grauiter reprehenditur à uate quodam, & dum Iezraële desidet, importunis cupiditatibus suis Nabotho, qui uineæ uenditionem denegasset, exitium conflat. Ideo acerbè obiurgatus ab Elia, etsi cum stomacho uatem exciperet, tamen territus pœnarum minis iussu cœlesti denunciatis, Deo se submittit, eaque re calamitatem domui suæ imminentem aliquantisper auertit. Nec multò pòst pro Ramothis recuperandis cum socio Iosaphato rege expeditionem in Syros parat: Qua ipsa in re dum nimium falsis uatibus auscultat, & Michæam rectè monentem temerè reijcit, paulò pòst periculum, quod is prædixisset, subit. Nam congressus cum Syris, iaculo inter commissuras & loricam uulneratur: cumque educi se ex acie imperasset, sub uesperam decedit è uita, & Samariæ regio apparatu tumulatur. 3. Reg. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. Iosephus, Suidas, Zonaras, Cedrenus.

ATHALIA, Iosepho & Zonaræ Gotholia, fuit in matrimonio IORAMI, regis Iudææ: è quo OCHOZIAM successorem enixa, inter reginas locum principem, & potentiam præcipuam, consequitur. Huic ab filij interitu metuens, nepotes eo genitos, uno excepto Ioa: cæde crudeli tollit, & Tyrannam sese ad annos septem gerit. Tum enim Ioa, quem conseruatum clàm in templo educasset Iosaba amita, inuncto à Ioiada Pontifice, dum temerè ad populū eius rei impediendæ gratia in templum progreditur, & uindictam minatur, septo templi educi, & confici à militibus iubetur. 4. Reg. 8. 11. 2. Paral. 22. & seq. Iosephus, Eusebius, Cedrenus.

Sustulit ACHABVS è Iezabele liberos: OCHOZIAM, IORAMVM & Ioam: quibus alij filij ἀνώνυμοι adduntur septuaginta, sed matribus geniti diuersis, & fortè numero pluribus.

III. OCHOZIAS, excipit cum religionis corruptæ studio patris regnum. Etenim ut à Ieroboami sceleribus nihil recessit, ita Baalē & ipse coluit atq; adorauit. Quare à Deo ita punitur, ut Moabitas defectione, classem in Ciliciam amandatam naufragio, amiserit, et è lapsu quodam morbo affectus sit lethali. De hoc Accaronense Beelsebubi Deastri oraculum per legatos consulturus, ex Elia uate, qui his occurrisset, & redire iussisset, interitum cognoscit. Quē cùm propterea per semicēturiones duos frustra euocasset (utrūq; enim Elias cœlesti igne confecerat) à tertio supplice adductum coràm audit, atq; in columem dimittit, nec multò pòst uitam cū morte commutat, anno regni secundo. 3. Regum ult. 4. Reg. 1. 2. Paral. 20. Ioseph. Euseb. Suidas, Zonaras, Cedrenus.

IV. IORAMVS, impetrat post fratrem ann. 12. In religione se medium gessit, fracta Baalis statua: uindicauit bello, cum socijs IOSAPHATO & rege Idumææ, Moabitarum defectionem: in eoq; bello in difficultates grauissimas ex aquę penuria coniectus, per Elisæum & de hac impetranda, & de uictoria felici, confirmatur, moxq; prædictionis utriusq; euentus prosperos experitur. Nam & aquæ magna copia ex Idumæa affluxerunt, & hostē adoriri castra ausum secundo prælio sternit, Eamq; fortunam uti urgeret, agrum omni maleficij genere exhaurit: Hasaretham regiam obsidione grauiss. infestat, & internecione huius sola hostis miseratione, qui filium natu maximum supra mœnia Dijs placandis immolasset, abstinet. Inde pacem aliquantisper trahens, NAAMANEM ad se à BENADADO Syro curandū missum, cùm falsò belli causam suspicatus esset, restitui prodigiosè ab Elisæo conspicit. Nec multò pòst & equites Syriacos ad comprehendendum Elisæum missos, sed precibus huius cæcitate percussos, itaq; Samariā profectos, incolumes dimittit. Quanquam neutrius beneficij à Benadado gratiam reportauit, bello nimirum ab eo sæuissimo oppugnatus, & in ipsa urbe Samaria obsessus. Qua in obsidione è commeatus inopia laboratum ita accepimus, ut asini caput argēteis 80. uenditum sit, & stercus columbinum in condimēti locum successerit, ac deniq; ad humanas carnes deuentū sit. Quare uehementi in Elisæum stomacho exardescit: à quo & liberationē & uilitatem annonæ sperare iussus, mirifica rerum cōmutatione utrunq; experitur. Etenim hoste tumultu Panico dilapso, populus præda locupletiss. augetur, & annona ita minuitur, ut similæ sata siclo uenderentur. Cumq; post id tempus iterum ocium sectaretur, ex Gihesi, famulo Elisæi, facta huius

diuina

diuina cum admiratione audit: & mulieri, quæ aliquandiu patria abfuisset, de commendatione eiusdem, bona amissa restituit. Postremum bellum de Ramothis gessit cum Hazaële, Benadadi successore. In quo cùm inter assiduas dimicationes uulneratus, Iezraël sui curandi gratia deflexisset, hoste absens, ex Elisæi inunctione, Iehum accipit. Huic irruenti obuiam in fundum usque Nabothi progressus, dum de pace quærit, primùm maledictis excipitur, deinde telo ea ui feritur, ut id à scapulis per pectus exiret, & exanimis in fundum abijcitur. 4. Reg. 2. usq; ad 9. Iosephus, Eusebius, Zonaras, Cedrenus. Suidas perperam Ochoziæ filium facit.

IOAS, accipit à patre asseruandum Michæam uatem, qui expeditionem in Syros dissuaderet. 3. Reg. 22. 2. Paral. 13.

FILII septuaginta ἀνώνυμοι, educantur apud optimates Samariæ: Qui post Iorami cædem à Iehu uirtute ex his præstantissimum regem creare iussi, cùm successu eius territi, in eius potestate se fore ostendissent, alumnos contrucidare & afferre capita Iezraël iubētur: quæ fiscellis isthuc missa in duos aceruos ante portam congeruntur. 4. Reg. 10.

IV.
FAMILIA IEHV.

NAMSES.

|

IOSAPHATVS.

|

I. IEHVS, claruit inter duces IORAMI. Quem Ramotha ad bellum contra Syros consectatus, eo Iezrael reuerso, ex inopinato à uate quodam, iussu Elisæi, Rex inungitur, & dum collegis ducibus ur gentibus rem gestam enunciat, mox solenni horū inauguratione confirmatur. Hoc ut clàm esset, exitus Ramothorum præcludit: Iezraël cum fidissimis petit, & regijs nuncijs, qui huius aduentus causam sciscitarentur, se qui se iussis, progressum cum socio OCHOZIA, rege Iudææ, IORAMVM, telo traijcit, & abijci in fundo Nabothi iubet, moxq; Ochoziam persecutus lethaliter uulnerat: Iezabelem, regiam matrem, rebellionis intentare crimen ausam, præcipitio tollit: filios Achabi septuaginta interfici Samariæ per altores curat, & cùm capitibus Iezraël allatis facti sui rationē ad populum reddidisset, in reliquam Achabi domum ita grassatur, ut neq; proceribus, neq; necessarijs, neq; sacerdotibus pepercerit, itaq; omnibus, à quibus motus noui timeri poterant, sublatis, ire deniq; Samariam intenderit. In hoc iti-

nere obuiam factos Ochoziæ regis cognatos, comprehendi, & iugulari ad unum omnes (erant autem numero 42.) imperat: Ionadabum, Rechabi filium, partium earundẽ propugnationẽ professum, ideoq; ad se in currum receptum, Samariam se comitari, & erga Deum studij sui spectatorẽ fieri iussit. Quod sanè studium mox tam religiosè quàm prudenter executus, firmam tum primum & religioni & reipub. pacem peperit. Cùm enim ex Achabi domo isthic superstites internecione deleuisset, Baalis deastri cultũ simulat: uates huius & cultores atq; sacerdotes ad sacrificium, quod ad fanum Baalis fieret, adesse frequentes edicit, itaq; maximo numero cõgregatos, iamq; sacrificare aggressos, per circumfusos satellites mactat: Baalis simulacrum cõfringit cremátq;, & templũ ipsum in latrinas publicas redigit. Quare huius pietatis ceu βραβεῖον de posteritatis imperio duraturo usq; ad abnepotẽ promissum diuinum accipit: sed dum non planè à Ieroboami sceleribus recedit, uexandus Hazaëli, regi Syriæ, addicitur, uastatis armis huius Galaaditarum, Gadinorum, Rubenitarum & Manassensium tractibus. Regnauit ann. 28. & defunctus Samariæ humatur. 4. Reg. 9. 10. 2. Paral. 22. Iosephus, Eusebius, Suidas, Zonaras, Cedrenus.

II. IOACHAZVS, retinuit successione patris regnum, potitus eo ann. 17. In religione Ieroboami se sectatorem præbuit. Ideo ex uindicatione diuina ita ab Hazaële & Benadado, regibus Syriæ, attenuatur, ut ex omni copiarum numero equites tantum 50. currus decẽ, decem millia peditum, reliqua habuerit. Qua tanta rerum acerbitate fractus, etsi ad Dei patrij cultum redijt, à Ieroboami tamen flagitijs abduci nequiuit, ita quidem ut & lucum apud Samariam relinqueret. 4. Reg. 13. Iosephus, Eusebius, Zonaras, Cedrenus.

III. IOAS, regnauit ann. 16. Perseuerauit in paterna auitaq; Ieroboami religione. Cùm Elisæum ægrotantem cum lamentis uisisset, uictoriarum ab eo trium promissum accipit, nec multò pòst gloriosè eas reportat. Mortuo enim Hazaële rege, ab successore Benadado, & Israëlitica oppida recuperat, & barbaros prælijs tribus cædit. Inde ab Amasia, rege Iudææ, temerario bello prouocatur: Quem consilij sui optimi monita fastidientem, & contendere prælio ausum, ingenti clade profligat, & apud Bethsamen uiuum capit: cumq; inde Hierosolymam perrexisset, muros huius ad 400. cubitos diruit, asportat templi & regiæ thesauros, obsides poscit, & Samariam cum triumpho redit. 4. Reg. 13. 14. 2. Paral. 25. Iosephus, Eusebius, Zonaras, Cedrenus.

IV. IEROBOAMVS, regnauit ann. 41. Tuetur & ipse mordicus corruptam maiorum religionem: bella cum finitimis gerit feliciter,

citer,& Iſraëlitarum fines abuſq; Hematha ad lacum Aſphaltitem recuperat. 4.Reg.14. Ioſephus, Euſebius, Suidas, Zonaras, Cedrenus. Meminit Amos uates cap.7.

V. ZACHARIAS, Zonaræ Azarias, obtinet regnum poſt patrem tantum menſes ſex. Cùm enim nihil à maiorum religione impia diſcederet, ex cœleſtis numinis ultione æmulum Sellumum accipit: A' quo dum minus ſibi cauet, per coniurationem de uita tollitur. 4.Reg.15. Ioſephus, Euſebius, Cedrenus.

¶ SELLVMVS, filius Iabis, affectat regnum contra Zachariam: idq; cæde acquiſitum cæde itidem amittit, interfectus nimirum ab Manahemo, cùm non niſi unius menſis ſpatio imperaſſet. 4.Reg. 15. Ioſephus, Zonaras, Cedrenus. Euſebius imperium eius dierum duorum facit.

V.
FAMILIA MANAHEMI.
GAD.

MANAHEMVS. I. Zonaræ Monaimus, accenditur hoſtili in Sellumum animo ex uſurpata in Zachariam regem perfidia, eoq; per inſidias obtruncato, regnum ſibi uendicat. Hoc uiolentia confirmaturus, Thapſenſes, claudere ſibi portas auſos, plectit crudeliter, & prꝑter exhauſti agri iniurias, etiam mulieres grauidas dilaniare audet. Inde ad corruptam Ieroboami religionem animum adijcit. Quod diuina uindicante iuſticia, bello Phulaſſaris Aſſyrij oppugnatur, & argenti talentis mille mulctatur, pecunia ea potentiſsimis quibuſq; imperata. Regnauit annos decem. 4. Regum 15. Ioſephus, Euſebius, Zonaras.

II. PHACEIA, Zonaræ Phaceſia, Cedreno Phalcias, excipit ſucceſsione patris regnum, nec aliam niſi à corrupta religione defenſa ſui memoriam reliquit: cuius eas pœnas dedit, ut poſt biennium interfectus ſit à Phaca. 4.Reg.15. Ioſephus, Euſebius, Zonaras.

¶ PHACA, Romeliæ filius, floruit triumuiri dignitate apud Phaceiam. In quem odio immani accenſus, per inſidias circumuentum iugulat, & regnum in ſe translatum tenet ann.20. In religionis cultibus, totus Ieroboami inſiſtit ueſtigijs: Quæ res cùm alienationem in Iudæos acuiſſet, Iudæam ſub Iothamo excurſionibus uexatam, poſt cum ſocio Razine, rege Syriæ, bello contra Achazum adoritur, cæſis uno

die 120000. Iudæorum, & ipſam Hieroſolymam obſidere aggreditur. Itaq; Achazo rege ad externa auxilia confugiente, grauius ab Tiglatphulaſſaris expeditione ſubit periculum, quam ipſe intulerat. Etenim Galilæam totam amittit, & tribus Nephtalenſis populariter in Aſſyriam migrare iubetur. Quare apud proceres in odium uenit, & Oſeæ oppreſſus conſpiratione, perimitur. 4. Reg. 15. & ſeq. 2. Paral. 28. Eſaiæ cap. 7. Ioſephus, Euſebius, Zonaras, Cedrenus.

¶ OSEA, Elæ filius, occupat regnum cæde Phacæ. Quod cùm potentia & auctoritate non magna adminiſtraret, Salmanaſſari Aſſyrio uectigalis fit. Hoc imperij externi iugum excuſſurus, Ægyptios fœdere ſibi adiungit, & de defectione conſilia agitat. Qua re prodito indicio, in uincula conijcitur: Samaria cum regno ipſo deſtruitur, & gens tota in perpetuum exilium deportatur. Regnauit ann. 9. 4. Regum 15. 17. Ioſephus, Euſebius, Zonaras, Cedrenus.

DYNASTIA
IVDÆORVM.

IVDÆI, deſtructis Hieroſolymis, in Chaldæam à Nabochodonoſore abducti, annos iſthic exulârunt 70. Cùm eius exilij tempus prædixiſſent definiendo Ieremiæ uaticinia. Ac quæ tum gentem ærumnæ exercuerint, quæ è diuerſo ex numinis cœleſtis clementis, protectione ſuſtentârint ac confirmârint feliciſſimorum euentorum caſus, è Daniele notum eſt. Capta uerò Babylone à DARIO & CYRO, utriuſq; edicto & reditus in patriam, & inſtauratio fani & urbis Hieroſolymitani, Iudæis permittitur. Quæ res cùm uicinorum inuidentia multipliciter impediretur, & deniq; CAMBYSES edictum id planè retractaſſet, tandem ZOROBABEL cum mandatis & poteſtate noua à DARIO Hyſtaſpis ablegatur, uſurpatamq; inde ſeu Principis ſeu Ducis dignitatem etiam ad poſteros propagat. Eſt ergo hoc Iudææ gentis ([illegible] ita nominatæ) & regiæ Dauididarum familiæ imperij genus alterum. Cui nos dynaſtiæ nomen tribuimus, quòd potentia in eo Dauididarum magna non fuerit, ſed res geſtæ præcipuæ de Pontificibus memorentur. Quò pertinet quod Ioſephus & Zonaras ſcripſere, inſtitutam tum Ariſtocratiam, & ſummam potentiam penes Pontifices fuiſſe. Ita enim hoc accipiamus neceſſe eſt, ut ſua Eſdræ, Philoni & Euſebio conſtet auctoritas. Cæterùm qua originis propagine deduxerit à Dauide per maiores Nathanis poſteros genus ZOROBABEL, ſuprà oſtendimus. Neq; enim audiendus Philo, qui Zorobabelem regis Iechoniæ

niæ nepotẽ fecit. Cui etsi etiã scriptores Ecclesiastici subscripsere, nos tamen sentire cum Ieremia(capite 22.)malumus, ubi imperium stirpi eius in Iudæos rediturum negat. Successorem Zorobabelis, & cæterorum posterorum seriem usq; ad deiparam Virginem Lucas Euangelista pertexuit, & conuenit item nonnihil Philo. Tantum enim nomina quædam enunciatione mutauit, & διωνυμίαν illam suam repetijt, de qua tamen suum cuiq; iudicium liberum esse uolumus. Neq; impugnat nos, quod de Iosepho scripsit Lucas ὁ τοῦ Ἡλί. Nam Attica ἐκθλίψει ista non filius, sed gener accipitur: Sicuti ibidem de Adamo dicitur ὁ τοῦ θεοῦ, nempe creatura uel imago: Et Act. 1. legimus ἰούδας ἰακώβου, id est, frater. Dominatus Principum horum concidit in Iohanne Hyrcano, cùm secundùm Philonem stetisset ann. 355. Nam ea quidem parte in hac historia auctori illi præcipuè debemus: Cùm Iosephus uti nomina pauca retulit, ita annos prorsus omittat. Sed tamen familia aliquot seculis diutiùs, hoc est, usq; ad Domitiani & Traiani tempora se conseruauit. Quorum ille cùm superstites è Dauididis studiosè perquiri iussisset, & Iudæ Thaddæi nepotes ad se adductos cum contemptu dimisisset, Traianus iterum accusatos supplicio affecit, & eandem mox sæuitiam cùm in Simonem Episcopum tum in domum regiam uniuersam conuertit, eamq; à stirpe excidit, ut retulit in Ecclesiastica historia ex Hegesippo Eusebius.

FAMILIA ZOROBABELIS, QVÆ POST REDITVM E Babylone, seu Ducum seu Principum dignitate Iudæis imperauit ann. 355.

ZOROBABEL. I. remittitur cum gente sua in Iudæam dignitate Principis à CYRO Magno, & ita remittitur, ut fanum & urbem Hierosolymitanam instauraret. Ea in re cùm sese cum socio Esdra cum primis gnauũ præstaret, impeditur accolarũ iniurijs, & edicto deniq; CAMBYSIS desistere incœpto iubetur. Ideo in summas difficultates coniectus, ex DARII Hystaspis imperio in spes iterũ nouas erigitur. Hunc enim cùm adhuc priuatum familiarem habuisset, regẽ creatum salutat, & amicitiæ pristinæ cõmonet, ob idq; officium exceptus benignè, satellitis dignitatẽ promeretur. Nec deinde uel diligẽtiæ fide, uel industriæ studio cõmendare se Regi desistit. A' quo ex insomniæ occasione propositã quæstionẽ cùm omniũ sapiẽtißimè soluisset, p præmijs, quæ certaminis huius uictori debebant amplißima, Hierosolymæ & tẽpli instaurationẽ & petit & impetrat,

& præterquam quod integritatis de se opinionem apud regem confirmat, etiam ueteres Iudææ limites à Syris & Idumæis recuperat. Cumq; ad templi ædificationem aggressus, ab extraneis finitimis de eo communicando solicitaretur, fortiter eos contemnit, neq; desistentes noua ad Darium legatione compescit. Esdras, Iosephus, Clemens, Eusebius, Zonaras, Cedrenus. Meminere Haggæus & Zacharias, & ille ex oraculo pro anulo, hoc est, carissimum & coniunctissimum à Deo habitum, ait. Quo alludens Siracides quasi quoddam sigillum in Israelis manu dextra fuisse, tradit. Philo principatus eius annos 58. nominat.

In ZOROBABELIS liberis Esdras, Lucas & Philo retulere MOSOLLAM & Ioacimum.

II. MOSOLLA, alio nomine Riesa, retinet successione patris principatum, cui præfuit annos 66.

IOACIMVS nominatur 3. Esdræ 5.

MOSOLLA genitus est IOHANNA.

III. IOHANNA, alio nomine Benresa, fuit cũ potestate ann. 53.

IV. IVDAS, cognomento Hyrcanus, ann. 14.

V. IOSEPHVS. I. ann. 7.

VI. SEMEIS, alio nomine Abner, ann. 11.

VII. MATATHIAS. I. alio nomine Eli, ann. 12.

IIX. MAATVS, alio nomine Asar, ann. 9.

IX. NANGES, Philoni Nagid Artaxat, ann. 10.

X. ESLIVS, Philoni Agai Hellus, ann. 8.

XI. NAVMVS, Philoni Maslot, ann. 7.

XII. AMOSVS, cognomento Sirachus, ann. 14.

XIII. MATA-

XIII. MATATHIAS. II. cognomento Siloa, Iosepho Tobias ann.10. Duxit in matrimonium filiam SIMONIS Iusti, Pontificis, è qua filios procreauit: IOSEPHVM, Solymium & Hyrcanum.

XIV. IOSEPHVS, II. cognomento Arses, ann.60. Prædicatur ab eximia prudentia, iustitia & erga patriam amore. Nam ONIA Pontifice, auunculo, consueta PTOLEMÆO Euergetæ tributa denegante, cùm periculum inde præsentissimum impendere cerneret, uerbis hominem acribus castigat, & ad regem placandum legationis suæ operam pollicitus, etiam populum spe prolixa complet. Quare studio huius eximio colitur, & legatum ipse Ægyptium, quem tractasset cumulatè, mox gratum experitur. Etenim regi ab hoc commendatus, habitusq; honorificè, ONIAM in gratiam reducit: redimit auctione noua Phœniciæ & Cœlesyriæ tributa, impetrato etiam satellitio: plectit Ascalonitarum & Scythopolitarum contumaciam, & aulæ beneuolentiam industria & munificentia retinet. Post id tempus nouo fratris filiæ coniugio irretitur: genitum inde filium cùm initio ob industriam complexus esset ut qui maximè, ob profusionem immodicam auersari occipit, & cædi deniq; destinatum à fratribus cæteris, exulare permittit. Vixit in publicani munere ann.22. Ioseph. Euseb. Zonaras.

SOLYMIVS, uixit cum Iosepho fratre coniunctissimè: Quem Alexandriam comitatus, amores eius importunos filiæ concubitu furtiuo subleuat, & deniq; re detecta hanc illi uxorē collocat. In IASONIS & MENELAI contentione de Pontificatu tyrannica, cum Hyrcano fratre pro Menelai partibus propugnat. Ideo pulsus urbe, ad ANTIOCHVM Epiphanē profugit, & relictis patrijs institutis religionem regis & Græcanicos ritus assumit. Iosephus, Zonaras.

HYRCANVS, memoratur ab opulentia & thesauris in fano Hierosolymitano depositis. 2. Maccab. 3.

IOSEPHO coniuges fuère duæ ἀνώνυμοι. Prima filios septem itidem ἀνωνύμους edidit, altera è fratre Solymio neptis, filium HYRCANVM.

FILII septem ἀνώνυμοι degenerant à patris uirtute, & ita degenerant, ut neq; adolescentuli in literarum studijs profectus fecerint, neq; tractandæ Reipub. ætate uirili se idoneos præstiterint. De quibus utrisq; præclarum ingenij specimen edentem HYRCANVM fratrem, primùm occultè odisse, deinde insidijs manifestis oppugnare, conscio patre, occipiunt: & cæsis duobus, quinque superstites odij acerbitatem ita accumulàrunt, uti exulem armis persecuti sint, eaq; re magnarum calamitatum, quæ gentem omnem peruasere, initium præbuerint. Iosephus, Eusebius.

XV. IOHAN-

XV. IOHANNES, cognomento HYRCANVS, adolescit cum magnarum uirtutum indole: quam patri in agricultura documento eximio probatam, mox rerum maiorum gerendarũ initium habet. Etenim legati pro eo ad PTOLEMÆVM subire munus iussus, cùm regi se comitate cõmendâsset mirificè, è profusione immodica (nam talenta 200. in donaria impenderat) & patrem alieniorẽ & fratres in reditu insidiatores experitur, & profligatis hisce fortiter, iam ciues etiam hostes accipit. Quare exul in Arabiam profugit: barbaros incursionibus uexat: fratrũ bellum Tyri castri, quod ipse à fundamentis construxerat, munitionibus defendit, & Principis dignitatem usq; ad ANTIOCHI Epiphanis regnum retinet. Nam huius ueritus potentiam, manus sibi infert, & possessiones ipsius Antiocho cedunt. Philo principatus eius ann. 16. Iosephus & Zonaras septem numerârunt, & ille quidem etiam familiæ principatum in eo finit. Nam exinde ASMONÆORVM præualuit potentia.

MELCHIS, amplexus est uitam priuatam: & posteritas ipsius facultatibus omnibus exuta, ea laborare cœpit egestate, ut ex opificijs & manum opere uictum quæsierit. Nascitur autem illa Seruator CHRISTVS hac serie.

LEVIS.

MATHATVS.

ANNA —— ELIS, alio nomine Ioachimus.

ALPHÆVS. — MARIA — CLEOPHAS, alter maritus. MARIA.

IACOBVS minor, Apostolus. Huius fratrumq; uita repetatur ex historia Apost. Camerarij.

SIMON, Apostolus. IVDAS THADÆVS: de cuius nepotibus Eusebius Eccles. hist. lib. 3. cap. 15. & 26.

IESVS CHRISTVS.

NOBI-

NOBILITATE GENERIS, INGENIO ET VIRTVTE ORNATISS. ADOLESCENTI, GOTHARDO, MAGNIFICI V. D. IOHANNIS SCHAFF. A GVTSCH, IN KINAST & Greiffenstein, &c. F. amico suo obseruando. S. D.

REINERVS REINECCIVS Steinhemius.

CVM Politicâ gentis Israëliticæ de Iudicibus, Regibus & Ducibus historia, coniungere de Pontificibus explicationem uisum fuit, tum quòd altera alteram explanat, & tanquã mutuis operis adiuuat, tum quòd de grauiss. rebus, quibus maximo cum fructu informari animus possit, documenta præbet. Instituerat id in sacro ordine munus Deus Opt. Max. & ideo instituerat, ut religio rectè procuraretur, & Sacerdotes ac Leuitę, hoc est, sacrorum munium ministri, ad unum aliquod caput respicerent. Hoc in eo principes, AARON, ELEAZARVS, PHINEES, de se ita præstitere, ut etiam postremus Phinees propter ardentiss. pietatis studium ex peculiari rogatione diuina Pontificatum uni familiæ suæ conciliârit, obseruante institutum hoc posteritate expresione religiosa usq; ad ELIM. Is enim seu ob merita in Rempub. seu fortè tutelæ nomine, ad dignitatem istam euectus, & Phineis posteros exclusit, & cum Ecclesiastica potestate Reip. administrationem coniunxit. Mansitq; exinde quadam ueluti præscriptione, familiæ ipsius Pontificatus usq; ad Solomonis tempora. Ab hoc cùm sibi uni (sub Dauide enim duo fuerant Pontifices) recuperasset SADOCVS, deinde eodem iure in posteros propagauit. Nisi quod iterum successionem eorum interrupit IOIADA, de quo suo loco pleniùs agemus. Cùm alioqui multum tum Pontificum autoritati detraxisset Regum potentia: qua eadem ex causa ipsos quoq; studijs & moribus dissimilibus uixisse reperimus. Ferè enim ad regũ ingenia se accommodârunt, nec defuêre, qui & religionem eandẽ sibi obtrudi paterẽtur. Quos inter celebratiss. VRIAS cùm Achazo regi in idolatricis cultibus iuuandis se administrũ præbuisset, pòst cũ rege nouo Ezechia animum quoq; nouum induit. Estq; adeò ab ista regũ ἀντικρισία, tota Pontificũ historia obscurior & perplexior, utpote qui obiter tantùm referantur. In quibus qui à reb. gestis nominis celebritatem promeruêre, facilè præcipui sunt AZARIAS seu AXIORAMVS, IOIADAS, HELCIAS & SARAIAS postremus.

Hoc enim à capta Hierosolyma de regij Nabochodonosoris consilij sententia cum optimatibus cæteris Reblatæ iugulato, & gens uniuersa in exilium deportatur, & regnum & Pontificatus cessat. Neq; regnũ Dauidis familiæ, quæ in Iudæis hoc ad id usq; tempus retinuerat, unquam rediijt: Pontificatum uerò Saraiæ nepos Iesua etiam cum potentia illustriore recepit. Etenim cum ZOROBABELE de Cyri M. edicto in Iudæam regressus, & in Hierosolyma & fano instaurando huic adiutor factus, eas posteris opes reliquit, ut etiam Reipub. negotia deinde soli ferè adminstrârint. Estq; inde, quod de Ducibus & Dauididis tam pauca, quæ famam & æternitatem mereantur, inuenias. Qua de re ulterius cogitantibus nobis, etiam id in mentem ueniebat, quòd cùm potentiæ neruos his incidissent Reges Persarum, & propter religionis tractationem apertiori studio Pontifices complecterentur, populus paulatim ab his solis pendere cœperit. Cæteroquin & merita ipsorum non obscura legimus. In quibus à IADDO instituta ad ALEXANDRVM M. supplicatio, gentem ab internecione conseruauit, & beneficijs compluribus cumulauit. Accessêre his postmodo cum regibus è Macedonica prosapia necessitudines, in quibus ea maximè illustris extitit, quam Bibliorum translatio in linguam Græcam ELEAZARO conciliauit cum PTOL. Philadelpho. Et meruit eandem deinde ab ANTIOCHO M. SIMON II. ab SELEVCO κεραυνῷ ONIAS III. Cuius fratres IASON & MENELAVS (nam ea nomina pro gentilitijs, Iesus & Onias, usurpârunt) dum insana ambitione summam aliquam in eo felicitatem ponunt, & Pontificatui contra fas inhiant, et patriam & religionẽ & libertatem ANTIOCHO Epiphani prodidere, & cùm genti uniuersæ clades horribiles, tum familiæ sibiq; ipsis interitum accersiuere. Nam ASMONÆI iniustam sæuitiam depulsuri, & præcipuè in religionem consulturi, & Antiochi exercitus profligârunt fortiter, & Pontificatum ultrò deferente ALEXANDRO Epiphane, Antiochi filio, ad se pertraxere, & deniq; cum hoc regium nomen coniunxere. Vt ad id tempus propriè pertineat, quod scripsit Dion: Regi nomen summi Pontificis apud Iudæos est. Exuuntur autem rursus Asmonæi dignitate utraq; ab Cn. Pompeio Magno & HERODE, quorum posterior etiam familiam ipsam à stirpe excidit. Cumq; iam, qui ad Pontificatum ius aliquod afferrent, nulli superessent, munus hoc beneficiarium & uenale esse cœpit. Etsi emptionibus familiæ sacerdotum aliquæ id sibi peculiare fecere. Quibus ipsis etiam prætermissis, designatur populi tumultuantis suffragijs Pontifex postremus PHINEES quidam, sub quo Hierosolyma capta, & dignitas ista abolita est.

Habet

Habet autem historia hæc, quæ lectorem passim remorentur, sanè plurima: ideoq; qui ad eam explicandam aggressi sint, quàm paucissimos reperias. Nos etsi & ingenij nostri tenuitatem perspiciebamus, & argumenti aliquantum deterreret difficultas, desiderari tamen operam nostram noluimus. Qua si qui satisfactum sibi putauerint, erit quod & nobis & studijs communibus, quibus iuuandis seruire eas cupimus, gratulemur. Nec repetere hîc necesse nobis esse duximus, quas secuti rationes simus, & obseruari ex legendo rectiùs poterunt Enimuerò ut inter tam asperrimas salebras pergeremus tamē libentiùs, cùm alia tum explicationis illius utilitas multiplex, nos impellebat Nam absq; hac tanquam εἰσαγωγῆ quoties in Bibliorum monumentis hærendum, & per quæ ueluti præcipitia ruendum fuerit?

Cæterùm ut nomini tuo, Gotharde Nobiliss. commentarium hunc nostrum dicarem, tum ingenij tui, ad uirtutem nati, indoles generosa, tum necessitudo quædam nostra, quam & conuictus, & beneuolentia erga me tua conciliasset, inuitabat. Etenim sicuti à me utriq; defertur meritò plurimum, ita neq; officio nostro nullo coli debuit. De quo neque animum meum tibi addictissimum, fastidias, & quam cœpisti, uoluntatem nauare pergas, oro. Nos quidem ab ingenio tuo non nisi summa expectare, par est: quod cùm generis tui nobilitate, teq; ipso, dignissimum sit, tum poscere exemplum domesticum uiri magnifici, parentis tui, censebis: Qui maiorum nulli uirtute inferior, & in primis GOTHARDI illius, cuius fortibus facinoribus possessiones ampliss. ad montes Boiemicos ceu βραβεῖον dedit Imp. Cæs. CAROLVS IV. sectatus uestigia, partam meritis in Remp. Equitis aurati dignitatem ita tuetur, ut familię suę ornamentum, patrię pręsidium sit. Quod reliquum est, te & in uirtutis ueluti stadio, & in cœpto studiorum cursu, pergere feliciter, opto etiam atq; etiam. Ad quod utrunque si quid his laborum nostrorum σχεδιάσματι, in quæ illustriss. familiarum historias breuiter digessimus, allatum opis intellexerimus, neq; operæ nos pœnitebit, & tibi fuerit, quod uehementer debeamus. Vale. E museo nostro Lipsiæ. M. April. D. XVI. CIↃ.IↃ. LXXIV.

DE PONTIFICVM ISRAELITICORVM SEV IVDAICORVM PRINCIPIO, MVNERE, FAMILIIS, QVABQVE HARVM SVCCESSIO, QVIS INTERITVS, QVAE consuetudines.

ISRAELITICÆ gentis, seu Iudæorum, Pontificatus, quemadmodum & politia ipsa, per MOSEN cœpit, cui à prodigioso illo ex Ægypto egressu præscripsisset ritum huius in Sina monte Deus Opt. Max. Eratq; dignitas illa principio sacrorum tantum, & rei Ecclesiasticæ, administratio: isthuc destinata præcipuè, ut in religionis consuleretur tranquillitatem, quando nimirum hæc ab uno ueluti capite gubernaretur. Legitur autem primus à Mose Pontifex AARON, frater, & ita legitur, ut functio ista, hæreditate ad filios & posteritatem reliquam transiret. Quippe quos itidem Moses SACERDOTES consecrasset, idq; nomen ac munus cum posteris gerere tantùm iussisset. Ac tametsi iam ab ambitus suspicione liberare Aaronem auctor beneficij illius Deus potuisset, idq; adeò ex meritis non obscuris ei deberetur, tamen tribuliũ effugere inuidiam nequiuit. Quos inter CORA patruelis cum gregalibus Dathane & Abiramo inuadere Pontificatum ausus, horribili exemplo à Deo plectitur, & documentum suo interitu cęteris præbet, ut in institutis diuinis acquiescerent, nec quid amplius mouere seditiosè auderent. Excipit ergo patris dignitatem cùm peculiari mandato diuino, tum hæreditatis nomine ac iure successor, filius ELEAZARVS. Quo genitus PHINEES, cùm pia excandescentia Zambris libidines ultus esset, noua Dei rogatione in Pontificatum surrogatur, et propagare eundem in stirpem iubetur. Id quod quidem ad OZIN usque per sobolis gradus quatuor obseruatum ita fuit, ut semper parenti hæres succederet filius. Facimus enim hîc cum Iosepho, à quo Nicephorus dissentiens, & Abisuam & Buquin, & Ozin in Pontificum serie omisit. Cæterum post OZIN familia aliquandiu priuata manet, & cedit Pontificatus ELI, oriundo ab ITHAMARO, altero Aaronis F. Quæ tanta mutatio unde & quibus ex causis extiterit, traditum in sacrarum literarum monumentis nusquam est: etsi haud susceptam temerè fuisse, suspicari piè possumus. Maiores ELIS, seu generis gradus ab Ithamaro intermedios, non memorantur. Nec disertæ satis sunt de posteris eius explicationes: de quibus cùm alię aliorũ sint assertiones, nos Ludouic. Lauaterum sequi maluimus. Qui Elis pronepotẽ ACHIMELECHVM ex Theophylacto

binominem facit, & ex Marco Euangelista etiam Abiatharem appellat, tum cōtra Iosephum (is enim hoc unum è posteris Elis accipit) tertium ipse ex lib. 1. Reg. cap. 14. ei nomen Ahias apponit. Adhæc ex 1. Reg. 8. & 1. Paral. 18. & 24. per Achimelechum Abiatharē, filium Achimelechi, intelligit: Vt sic nempe Pontificum emergat numerus, quem ab Aarone usq; ad SADOCVM definiuit Procopius Gazeus, hoc est, undecim. Neq; enim audiendi Iosephus & Hegesippus, qui tredecim numerârunt. Cùm quidem de Boceia seu Buqui ita secum Iosephus pugnet, ut alibi Pontificibus hunc accenseat, alibi uerò serie horum excludat. Cessat autem iterum familiæ huius Pontificatus in ABIATHARE, & ceu postliminio per SADOCVM ad Phineis redit progeniem. De cuius Sadoci progenitoribus quæ habet Iosephus Ant. lib. 8. cap. 1. Vt ab ijs discrepant, quæ retulit lib. 5. cap. ult. ita neq; cum libris Paralipom. conueniunt. Nam & nomina uariant, ac sobolis gradus unus deficit. Estq; errata eadem obseruare apud Clementem, qui Ozi patrem Rhiesum attribuit, & Sadocum ab Aarone octauum facit. Ac repetijt posterius hoc etiam Eusebius in Chronol. Quapropter meritò hîc literarum sacrarum præfertur auctoritas indubitata & certa. Quæ cùm Abiatharis collegam nominet SADOCVM, credi de hoc ex Iosepho (nam is cùm Hebronem ad Dauidem perueniret, iam Pontificem fuisse, astruit) rectè posse uidetur, Pontificē eum primùm à SAVLO post cædem Achimelechi creatum, & uirtutis cōmendatione, dignitatē eandem Dauidis beneficio retinuisse. Etsi Sauli tempore ætate ipsum nō magna fuisse, ex lib. 1. Paral. euidens fit: pertinetq; eodem, quòd usq; ad SOLOMONIS regnum uitam produxerit, & ita produxerit, ut opera huius Pontificatum solus obtinuerit. Qua de re obseruatam deinceps consuetudinem, ut etiam uiuentibus alij surrogarentur, ab Sadoci exemplo profectum, autumo. Quanquam successio ista principiò ut neque ad omnes Sadoco progenitos (nam amplam satu eius propagatam posteritatem, ex Ezechiele uate planum fit) ita neq; ad alios Sacerdotes pertinebat, sed tantùm filijs à parentibus relinquebatur. Hoc enim diserta Iosephi mentione confirmatur Ant. lib. 10. cap. 11. Vt mirari hinc discrepantiam libeat, quæ de Sadoci successoribus in sacris Biblijs & Nicephoro occurrit. Qua de re cùm uaria in mentē uenirēt, primùm de Biblicis monumentis sequi id cōmodissimum uisum est, ut, quandoquidem in libris Regum non instituitur series Pontificū continua, eos credamus hîc tantum nominari, quorum res gestæ ad regū historiam pertinerent, neq; semper nomē id de Pontifice Max. sed etiā de secundario & classium Principe, intelligamus. Nam ea loquendi consuetudo etiam ex locis alijs probari potest. At in Paralipomenis, & Esdræ historia, aliquos omissos, inde

quoq; patet, quòd alibi plura alibi pauciora nomina referantur, quascunq; sanè huius opinari causas uoluerimus. Neq; enim id ueritatē historię istius cōuellit: Cùm neq; hoc obscurū sit, phrasi Ebræa sæpe liberorū appellatione posteros intelligi. Iam de Nicephoro, nihil est quod laboremus: Quippe qui & de superioribus Pōtificibus lapsus crassissimè sit, & hanc expositionem eo suspectam ipse faciat, quod ACHIMAM Sadoci fuisse filium neget, eiq; mox Azariam, qui Zacharias est, IOIADÆ F. subiungat. Iccirco rectè hîc Iosephū sequi possumus: siquidem Pontificum numerum istum etiam Hegesippus retinuit. Et quod de IOIADA dubiū relinquitur, facilè ex ijs explicari poterit rationibus, quas de libris regum attulimus. Nam uel secundarium Pontificem, uel classis sacerdotum Principem aliquem, accipimus. Cùm & hoc fieri potuerit, ut tutelæ nomine dignitas ei ista obuenerit: sicuti eadem ratione hanc postmodo ELEAZARVM gessisse, constat. Quò pertinet, quòd Zacharias filius in eam non successit: neq; enim usquam ille Pontifex, sed tātum sacerdos nominatur. Et notum est de secundario Pontifice exemplum simile de SOPHONIA, quem Ieremias uates σύγκλητον habuit. Quod ad reliqua nomina attinet, nihil repugnârim, si cui cum Iosephi nominibus ea componere accommodādo libet. Quando de monumentis huius neq; hoc credere quicquā uetat, uel potius plurima cogunt, hæc alicubi deprauata esse, ut ita & nomina hæc uicij aliquid fecerint. Quanquam sic etiam aqua, quod dicitur, hæret. Nec aliud quod hîc afferam habeo, quàm ut binomines fuisse aliquos credamus. Quę consuetudo non primùm IOÆ regis tempore introducta, ut sentit Philo, sed inde ab Isaaci filiorum ætate usurpata, multis durauit seculis. Sit ergo Ioramus Iohanna, ut nepos Axioramus rectè Amarias seu Azarias (idem enim nomen astruimus, cùm non nisi unum elementum discrimen faciat) qui in IOSAPHATI nominatur historia, creditur. Post quem tres denuò scriptura sacra omisit. Nam qui hos sequuntur Iothamus, Vrias, Nerias, Odeas, Azariam, Amariam, Achitobum & Sadocum accipimus. Etsi de Vria mirum uideri alicui possit, quod scripsit Nicephorus, fuisse fidelem Esaiæ uati. Nā historia sacra impietatis, & immodici erga ACHAZVM regem obsequij, accusat. Vt opinari libeat, cū rege deniq; nouo EZECHIA, ipsum etiam animum nouum induisse, cùm doctore fortè Esaia uteretur, indeq; hanc illorum familiaritatem cœpisse. Cæteroquin haud diu superstitem fuisse, itidē Nicephorus inde planū facit, quòd ad Ezechiæ tempora Sammam referat, qui ACHITOBVS esse uidetur, ut trinominem hūc intelligamus, sicuti SADOCVS absq; dubio Eliacimus est, non filius, sed pater Sellumi. Potior enim hîc nobis Iosephi debet esse auctoritas, qui Sellumum Pontificibus annumerat.

Quan-

Quanquam idem auctor mox de HELCIÆ sobole, à sacra scriptura recessit longius. Nam filium & successorem Saraiam facit. Quæ sententia rectè repudiatur, & filius Helciæ Azarias, pater Saraiæ retinetur. Neq; enim aliter Pontificum series, quam à Sadoco usq; ad Iosedechum Iosephus instituit, constare potest. Nisi forte id, quòd de regum tempore scripsit, etiam ad Saulum & Dauidem extendere uelimus. Est autem iam deinceps tanquam post asperrimas salebras expositionis uia iterum plana & perspicua. Nam de IOSEDECHO uno omnes & perpetuò consensu conueniunt. Cuius filius IESVA de Cyri Magni edicto cum ZOROBABELE in Iudæam regressus, præter Pontificatum etiam amplam in Repub. potestatem posteris reliquit. Etenim auctoritatem exinde peues Pontifices præcipuam fuisse, Iosephus & Zonaras scripsere. Atq; omnino multum hìc Iosepho debemus, ut de annorum obseruatione, quibus singuli sederunt, inde usq; ad MANASSEM, operæ precium Philo fecit. Nam huius successorem ONIAM non rectè omisit, sicuti neq; de Simonum cognomentis conuenit. Estq; uti haud minus, ita paulò superius de Iesu, Ioiadæ F. (is enim accipiendus tantum uidetur) in historia Nehemiæ dubium, ubi ob Sanabelletæ filiam in matrimonium ductam, pulsus ab eodem Nehemia dicitur: Cùm Iosephus hoc nomine eum retulerit, quem Manasses, frater Iaddi, socerum habuit. Quare duos credamus Sanaballetas oportet: & uerisimile est, Iesum iunctam cum Sanaballete priore amicitiam etiam cum successore eius Bagose continuasse. Nec fides iterum in eo Philoni debetur, quòd mox ONIÆ III. Iudam Maccabæum surrogat. Quod sanè tam crassum erratum, dissimulatum ab Aunio interprete, mirari ideo iustiùs possumus, quòd in fabulosis illis explanandis ferè ad nauseam uerbosus esse soleat. Estq; hac parte etiam, quod in Iosephi narrationibus & lib. 2. Maccab. de ONIÆ III. filiorum historia desideres. Quanquam Iosephus in libello de imperio rationis, quæ de ONIA & IASONE prætermisit in Antiquitatibus, ceu retexere uoluisse uidetur. De quibus ipsis etsi præclaræ sunt lib. Maccabæorum expositiones, tamen ab eo rectè disceditur, quòd MENELAVS Simoni proditori filius attribuitur, cùm huius credi frater ὁμώνυμος non incommodè Lysimachus possit. Et hallucinatur haud modicè de Onia, Oniæ III. filio, Hegesippus: Nam & nomen ei aliud Ananias fecit, & Menelai fratrem uocat. Concidit autem Sadoci & Iosedechi posteritas in MENELAO & ONIÆ III. nepotibus. Neutrorum enim soboles memoratur. Etsi Oniæ satu editam progeniem ætatibus multis floruisse, Iosephi docet historia. Et cœperat iam Pontificatus dignitas regum Syriæ beneficium esse: Quos cùm Menelai scelera à familia alienassent, ANTIOCHVS Eupator suasu

Lysię Pontificatum in ALCIMVM transfert. Neq; enim aliud huius uel meritum uel generis ius, reperimus. Tametsi Aaronis posteris, qui à Pontificum tamen stirpe diuersi essent, editum constat. Estq; adeò de reliqua eius historia aliquam obseruare discrepantiam. Ac sicuti ad ministratio eius, ipseq; uitæ exitus, funestus extitit, ita & liberi successione exciderunt. Qua de re quod attexuit Iosephus Ant. lib. 12. ca. 17. traditum mox Pontificatum Iudæ Maccabæo, ab eo rursus ipse discedit lib. 20. cap. 8. & uacasse hunc septennium integrum, hoc est, usq; ad ALEXANDRI Epiphanis regnum, affirmat. Ab hoc IONATHÆ, Iudæ fratri, collatus, ita deinceps familiæ eius mansit. De qua familia cùm alibi à nobis explicatum luculentè sit, hîc eam omittimus. Quando etiam exemplo illa nouo regiam tandem dignitatem cùm Pontificatu coniunxit. Qua postquam rursus HYRCANI ignauia excidit, neq; Pontificatum diu conseruare potuit, cœpitq; hic denuò familię Herodis & Romanorum præsidum beneficium esse, ita quidem ut deniq; annuus fieret, & precio locaretur: Cùm Herodes occasionẽ eius rei primam prætendisset, Hyrcani mutilationem, ideoq; Pontificem creasset ANAELVM sacerdotem. Cui etsi non multò pòst dignitatem illam ademit, & ARISTOBVLO affini attribuit, tamen hoc necato restituit, exindeq; pro libidine sacerdotibus quibusuis contulit. Hæc enim sola ueluti nota deducti ab Aarone generis tum ad Pontificatum sufficiebat, ut est, auctor Iosephus. Etenim Hegesippus discrepans tum hoc negat, tum apud plærosq; Pontificum, dignitatis solam functionem, penes paucos uerò ius potestatis fuisse, ait. Cumq; inde iam familijs successionis ius pręceptum fuerit, nos de huius temporis Pontificibus ita explicabimus, ut familiarum inuestigationem operosam omittamus, & successionis seriem pertexamus. Etsi Iosephus & Hegesippus tradidere, certas fuisse familias, quibus Pontificatus conferri soleret. Et nominantur in Actis è Pontificum prosapia Alexander & Iohannes. Nec planè successionis series sibi constat, sed aliquoties uehementer hæret. Cuius rei cùm alias causas, tum hanc non minimam suspicari possumus, quod Reip. status perturbatissimus esset. Ac magnam prorsus tum Herodis familia tum Romani præsides in dignitate illa conferenda licentia usurpârunt: Cùm hac in potestate hi ita sibi succederent, ut mox post ARCHELAI exilium Romani eam sibi uendicarent. A' quibus cùm recuperasset AGRIPPA prior, eoq; mortuo iterum inuasissent Romani, HERODES, rex Chalcidis, postremò repetit, & familiæ hęreditarium usq; ad Hierosolymæ excidium relinquit. Affert & hoc obscuritatis nonnihil, quòd ij etiam Pontifices nominantur, qui tamen non amplius munus id gererent. Qua de re cùm ex Euangelistis exempla notissima sint, plura hîc addamus, opus

non

non est. Cæterùm ad familias illas Pontificum redeamus, habet de prima Boëthi diuersas Iosephus expositiones. Nam alibi genitum hoc Simonem, patrem Mariammes asseuerat, & eiusdem Mariammes fratres facit Ioazarum & Eleazarum, alibi uerò hos Simoni fratres, Mariammen sororem, adiungit. De quibus quid admitti, quid repudiari conueniat, non facilè dictu est. Attamen haud planè improbaretur mihi coniectura, Simonem & Ioazarum, & Eleazarum fratres à Boëtho patre credi, & Simoni filiam attribui Mariammē. Enimuero Ioazarus & Eleazarus perpetuò Boëthi filij appellantur. Vt Iosephi locum Ant. lib.19.cap.5. quo de familia hac explicatio repetita tractatur fusius, modica nominum permutatione deprauatum appareat. Ab Boëthi familia, altera ANANI, & ipsa etiā sæpe hæret, & dubium ingens nomina eadem, quæ diuersorum fuêre, pariunt. Etenim ANANVS II. quandoq; Ananias uocatur: & quædam de hoc ita referuntur, ut etiam de patre accipi pôsse, uideātur. Sicuti Eleazarus, Ananię eius frater, apud quem PAVLVS Apôstolus causam dixit, etiam Anani II. frater haberi posset. In cæteris quæ lectorē remorentur de Simone, Ismaëlo & Iosepho Canei expositiones sunt, estq; quod in ipsa successione apud Iosephum haud immeritò desideres. De quibus si cui nostræ rationes minus satisfecerint, facilè meliora afferentibus cedemus: Neq; enim nos præterit, in coniecturis alios alijs feliciores esse. Et cùm hoc saltē, quod præstari à nobis potuit, pręstare etiam opera diligenti studuerimus, ita scilicet conatus noster haud improbabitur. Porrò autem exuuntur & familiæ illæ Pontificatu deniq; populi tumultuantis uesania in bello Iudaico, & transfertur is in PHINEEM postremū. Nam Hierosolymis aliquantò pôst expugnatis à T. VESPASIANO, gens cū ornamētis alijs spoliatur, tum seruitute perpetua mulctatur: Postquā iam dignitas hæc pôst AARONIS sacerdotium durasset annos 1581. Nā ea Chronologia multis probari argumētis potest: Cùm ipsos Pōtifices alio numero Iosephus & Zonaras, hoc est, 83. alio Nicephorus, nempe 62. definiant. Quorū tamē neutrū nos probamus: etsi plus errores habet Nicephorianus, Ac sicuti à Iosepho instituta series prima usq; ad SADOCVM duobus redundat: ita altera quā exilio Babylonico terminat, uno deficitur. Cui deniq; ab eo subiuncta tertia, in qua ipse Pōtificatus cōcidit, cuiusmodi sit, expositione nostra sequēti ostēdemus. Cùm quidē auctor hic eo etiam caliginis nonnihil offundat, quòd Pontifices à munere numerat, & nouū Pontificem nominat, ad quem fortè Pōtificatus redijsset. Sint ergo hi in uniuersum LXXVI. ut Iosephi numero detrahantur septem, & Nicephori 14. adijciantur.

Consuetudines & instituta Pontificum, pręscripta tam his quam reliquo sacerdotum ac Leuitarū ordini cœlitus, diligenter exposita sunt

in literis sacris, unde repeti omnia, quàm commemoratione nostra noua inculcari, satius fuerit. Prætermittendum tamen hoc de Pontificibus minimè erat, hos numero duos præsedisse: quorum primus, cuius auctoritas pręcipua esset, Maximus cognominabatur, alter Minor seu secundarius. Et distinctè ab his Sacerdotes erant, non origine, sed munere & dignitate: Vtriꝙ enim generis auctorem AARONEM habebant. Etsi Pontificum munus peculiari quodā beneficio ad PHINEEM & posteros huius sanctio diuina transtulerat, ualuitꝙ sanè eadem sanctio usꝙ ad ELIM. Qui cùm suæ familiæ Pontificatum uendicasset, deniꝙ per SADOCVM ad Phineis progeniem redijt, & ita redijt, ut hæc etiam inter pericula & mutationes multiplices inde usque ad ASMONÆOS retinuerit. Tum enim SADOCI posteritate exclusa, illi sibi eam usurpare cœperunt. Tractumꝙ id postmodo est ita in exemplum ab Herode & Romanis, ut è sacerdotibus quosuis Pontifices legerent. Distinxerat autem sacerdotes DAVID Rex in classes 24. & ELEAZARI posteris sedecim. ITHAMARI octo attribuerat. Ad Eleazarianas princeps IOARIBIANA pertinet, quæ edidit ASMONÆOS, item ABIANA octaua, unde Lucas Euangelista Zachariam, patrē Iohannis Baptistę, propagauit. Et qui his classibus præerant, & ipsi ἀρχιερεῖς seu Pontifices appellati sunt. Quod quidem certè obscuritatis in Pontificū historia non minimū parit. Ac facilè iam hinc dissolui quæstio poterit, quę relinquitur ex Act. cap. 19. ubi Sceua quidā Pontifex nominatur: Cùm in Pontificū catalogo, quē habent Iosephus & Nicephorus nomē eius nō reperiatur. Reliqui ex Leuitis, hoc est, qui ab Aarone orti non essent, ac nomine conditoris appellarētur, & ipsi in classes 24. distributi, ministerijs sacerdotum uacârunt, ut essent inter hos & θυρωροὶ & ἀναγνωσταὶ & ψαλταί. Ac quæ priora gesserint munia familiæ, è sacrarū literarū expositionib. repeti malumus. Postremum ψαλτῶν peculiariter Dauid Rex transtulit in ASAPHVM, HEMANEM & IDITHVNEM, & ita transtulit, ut etiam posteris manere uoluerit. Vt credibile sit, ab eo instituto prætextum seditionis speciosum quæsiuisse CORAM: cùm nempe genus suum conditione & loco deteriore esse dedignaretur. Quanquā nō humana hîc auctoritas, sed sanctio diuina ualebat. Cui cùm impiè derogare Cora conaretur pœnas sceleris sui iustas luit. Inter ornamēta Pontificū Iosephus nominauit pileum consutilem ex hyacintho uariatum, quem corona ordine triplice circundaret. Quod nescio an exprimere imitando Pontifices Romani uoluerint: Quippe qui munus idem æmularentur. Cùm inter tot Reges unus omnino reperiatur ARTABANVS Parthus, eius nominis quartus & ultimus, qui gemino diademate usus sit.

PON-

PONTIFICES IVDAEORVM, SEV FAMILIA AARONIS, E LEVITIS CAHATINIS, QVAE VSQVE AD HIEROSOLYMAE EXCIDIVM FLORVIT dignitate illa annos M.D. LXXXI.

PONtificum Iudæorum prosapiam deduco repetendo à conditore LEVI, ut nempe ea etiam includantur familiæ, quæ reliqua sacra munia præcipua obierunt. Enimuero CORA, Aaronis patruelis, quodam insolentis animi fastu dignitatem illam inuadere apertè ausus est. Cuius sceleris etsi pœnas iustas luit, tamen posteritatis eius nobilitas illustris extitit: Quippe in qua cùm alij claruerint, tum inprimis magnus ille SAMVEL, qui primùm regnum Israëliticum constituit. Cœteroquin tota hec historia ui debatur fieri posse planior, si membrorum ueluti compage continua cohæreret. Cùm quidem inde usq; à Leui documenta & clementiæ & bonitatis diuinæ, à respectu suo excludentis neminem, suppeditet eximia. Etenim uti Leuis, hominis sanguinarij, posteri cæteri ministerijs diuinis destinati fuêre, ita & Corani tum auitæ culpæ ueniam meruerunt, tum propagatione generis felice aucti fuerunt.

LEVIS, Iacobi F. è Lea coniuge tertius, Isaaci N. Abrahami Prô Nep. aduersatur cũ Simeone patri obstinatissimè: sororis DINÆ stuprum tam perfidè quàm crudeliter uindicat: in Iosepho opprimendo partes sibi primas sumit: cumq; idem ingenium pòst in Ægyptum attulisset, diras è patre etiam in posteritatem graues audit, eaq; ab hæreditate exclusa, in locum ipsius Manasses, filius Iosephi, adoptatur. Vixit ann. 137. Gen. 35. 36. 49. Iosephus.

Editi LEVI liberi suut, Gerson, Cahatus, Meraris & Iochabeda.

GERSON condidit familiam Gersoniam, è qua nascitur hac serie ASAPHVS.

LEBNIS.

IAHATVS.

ZIMMA.

IOAS.

IDDO.

IDDO.

ZERA.

IEATHRAIS.

MALCHIAS.

BAASEIAS.

MICHAEL.

SAMMAA.

BARACHIAS.

ASAPHVS, præfuit cum fatidici regij dignitate cantionibus sacris sub DAVIDE, idq; munus, quod in choro dextro obiret, deinde ad posteros propagat. 1. Paral. 25. Extant psalmi eius aliquot inter Dauidicos. Et meruit eam eximiæ pietatis laudem, ut EZECHIAS rex religionem instauraturus, Dauidis & Asaphi uerbis uti in precibus solennibus Leuitas iusserit. Filij Asapho hi attribuuntur.

ZACCVR. IOSEPHVS. NATHANIAS. ASARELA.

De quibus plura eodem Paralip. loco. Posteri horum multis seculorum ætatibus floruerunt, nominanturq; disertè Iosiæ Regis historia 2. Paral. 25.

CAHATVS, claruit maximè à posteriorum nobilitate. Extat nomen eius Gen. 46. Vbi & uitæ anni 133. nominantur. Num. 3. 4. 26.

MERARIS, propagauit Merarensium familiam, qua editur his sce maioribus IDITHVN.

MVSIS.

MOHOLIS.

SAMERIS. 1. Paral. 6.

BANIS.

AMZIS.

AMZIS.

HELCIAS.

AMASIAS.

HASABIAS.

MALLVCHVS.

ABDIS.

CISIS.

ETHAN, alio nomine IDITHVN, accipit magistri cantorum munus à DAVIDE, eiq; muneri in choro sinistro præsidet, cum uaticinando in cithara Deum celebraret, atq; laudaret. 1. Paral. 25. Vbi hi filij eius adduntur.

GODOLIAS. SERIS. ESAIAS. HASABIAS. MATATHIAS.

IOCHABEDA, nascitur à patris in Ægyptum migratione. Ætate nubili, collocatur AMRAMO, & liberos utriusq; sexus tres procreat. In quibus cum minimum natu MOSEN exposuisset, mox à Pharaonis F. educandum recipit, & deniq; in aula florentem conspicit. Exod. 2. 6. Num. 26. Cedrenus.

CAHATO filij procreantur, AMRAMVS, Isaar, Hebron & Oziel.

AMRAMVS, prædicatur ab eximio pietatis studio & liberorum claritate. Quos cùm ex Ichobeda amita utriusq; sexus duos sustulisset, genitum inde tertio loco MOSEN etsi aliquandiu occultasset, exponere tamen deniq; metu regiorum edictorum cogitur. Cumq; de tam immanis seruitutis acerbitate dolore iusto augeretur, et uotis pijs pro filij salute Deo supplicaret, & incolumem hunc atq; inter liberos educandum recipit, & aulæ benignitatem illustrem experitur. Exod. 2. 6. Iosephus, Zonaras.

ISAAR, alio nomine Aminadabus, tulit inter fratres proximam ab Amramo de posterorum claritate laudem, cętera obscurus. Habet nomen prius Moses. Exod. 6. Num. 3. 16. posterius lib. 1. Paral. cap. 6.

HE-

HEBRON, memoratur à Mose Exod. 6. & lib. 1. Paral. cap. 23.

OZIEL, celebratur à Mose ibidem filiorum trium progenie, quorum nomina.

MISAEL. ELISAPHAN. SETHRIS.

In quibus Misael & Elisaphan Nadabum & Abium, Aaronis Pontificis filios, cœlesti igne ob alienum ignem confectos, è conspectu sanctuarij auferre, & exportare è castris iubentur. Leuit. 10.

Ab AMRAMO & ISAARE deducta posterorum propago uti in Leuitis nobilissima extitit, ita floruit diutissimè. Quare separatim de singulis explicabimus, subijciendo primùm Isaaridas, ut Pontificum series, quæ fuit ex Amramidis, cohæreat rectiùs.

POSTERITAS ISAARIS.

Suscepti sunt ab Isaare liberi, CORA, Nephegus & Zechris.

CORA, emigrat cum Mose ex Ægypto, & facinora huius miranda, quæ præsentiam Dei manifestam testificarentur, præsens contuetur. His non ad uenerationem hominis diuini, sed ad potentiæ æmulationem accenditur, & pertractis in partes Dathane, Abiramo, One, cum alijs ducentis quinquaginta, tam Mosen quàm Aaronem tyrannidis, & raptæ per uim potentiæ, accusare audet. Cumꝙ ab hac uesania uti desisteret, nec precibus, nec minis flecti posset, & disceptatione ad Deum reiecta, cum Aarone Sacerdotis munus obiret, tellus ei subiecta ita desedit, ut & ipsum & gregales unà cum domibus & facultatibus uiuos absorpserit. Exod. 6. Num. 16. 26. 1. Paral. 6. Iosephus, Zonaras.

NEPHEGVS & Zechris facinoris cuiuspiam de se memoriam nullam reliquerunt & nomine tenùs referuntur à Mose. Exod. 6.

CORA liberos procreauit: Asirem, Elcanem, & Abiasaphum. Qui patri superstites, clementiæ diuinæ exemplum memorabile præbuerunt, nimirum quòd hæc clausa ijs nunquam sit, qui parentum improborum uestigijs haud insistendum existimauerint. Habet nomina Moses Exod. 6. conseruationis mentionem Num. 26.

ASSIRIS natu maximi progenie hæc fata posteritas est.

ASSIR, Coræ F.

ELCANA.

ABIA-

ABIASAPHVS, 1. Paral. 6.

ASSIR.

TAHATVS.

VSIEL, alio nomine Sophonias.

OZIAS.

SAVLVS, alio nomine Ioël.

ELCANA.

AMASIAS.

ACHIMOTHVS, alio nomine Mahatus.

ELCANA.

SAPHAIS, alio nomine Suphus.

NAHATVS, alio nomine Toas.

ELIABVS, alio nomine Eliel & Elius.

IORAMVS.

ELCANA, collocat fortunarum sedem Ramathæ: pietatis cultus obit iuuatq; sedulò, & exemplum idem familiæ exprimit. Cumq; facultates possideret amplissimas, patrio more uxores duas ducit: quas animi & corporis dotibus dissimilimas ita tolerat, ut alterius morositati ignoscendo, alterius sterilitatem benignè subleuando,

utranque in officio contineret, & ex altera denique sobole felici augeretur, prophetæ nimirum maximè parens factus. 1. Reg. 1. & 1. Paralip. 6. Iosephus, Zonaras, Cedrenus.

Habuit autem Elcana coniuges, Phenennam & ANNAM. Illa suscepti liberi nominibus carent: hæc SAMVELEM procreauit cum filijs alijs tribus & filiabus duabus. De Annæ pietate plura 1. Reg. 1. & 2.

SAMVEL, impetratur à Deo uotis maternis, & Nazaræus adhuc in utero consecratur. Ideo uix deliculus ad ELIM Pontificem adductus, diuinis ministerijs à puero assuescit: cœlestem doctrinam tam attentè quàm piè addiscit: ostiarij munus industria promeretur, & uitæ religiosæ studium etiam continentia eximia ornat. Qua ex re cùm & Eli altori & toti populo probaretur mirificè, ab illius latere nunquam dimittitur: ad uatis munus, & Eli, domui eius imminentes clades, denunciandas, à Deo nominatim uocatur, indeque cōcionibus ea auctoritate præest, ut nullum eius dictum irritum haberetur. Itaque ab Israëlitarum in Palęstinis clade, Eli è fractę ceruicis lapsu defuncto, summam rerum administrandam ipse populi scito accipit: exterminat Baalum & Astarothi cultum: de Palæstinis uictoriam & finium usque ad Getham amplificationem prece impetrat: ius dicit laboriosissimè, & religione præclarè constituta, Ecclesias quotannis inspicit. Cumque his institutis iam consenuisset, à filiorum, quos pro se rectores constituisset, moribus improbis in odium uenit, & populi rogatione creare REGEM iubetur. Ea re offensus grauiter, etiam Dei incandescentiam audit: & quanquam de regij dominatus seruitute præmoneret incautos prolixè, nihil tamen proficit, & cedere peruicaciæ obstinatæ cogitur. Itaque re tum dilata, aliquantò pòst SAVLVM, de asinabus inquirendis ad se profectum, Regē inungit, dissimulatēmque dignitatem illam modestè, sorte in Masphensi conuentu indicat, & iterum in Galgalis confirmat. Nec suę amplius innocentiæ ratus differendam testificationē, de ea ita perorat, ut de repetundis accusare ausus nemo fuerit, potiusque ab impetratarum pluuiarum ostento uenerationem sui omnibus maiorem iniecerit. Pòst ita otio consulit, ut ne tamen deesse Reip. operam suam pateretur: quippe qui Saulo consultor in primis fidus adesset. Quē iniussu Dei sacrificare ausum, spe regni simul diuturni simul in posteros propagandi priuat. Eandem comminationem ob Amalechiticū bellum administratū segnius repetit, & tum AGAGVM captiuum sua manu conficit, tum regem nouum DAVIDEM inungit. Id quod cùm deinde contentiones grauissimas pepe risset, Dauidem exulem Ramathæ hospitem accipit: conspicit gemebundus uaria Sauli scelera: cumque in hoc tempore ab omni admini-

stratione

ſtratione excluſus, tantum pietatis ſtudijs occuparetur, uitam exitu placidiſsimo claudit, poſtquam cum Saulo in imperio fuerat ann. 40. 1. Reg. 1. uſq; ad 16. & 19. 27. 1. Paral. 6. Ioſephus, Clemens, Euſebius, Zonaras, Cedrenus. A' Samuele ſumit Prophetarum initium Petrus Apoſtolus Act. 3. Siracides etiam ab obitu prædixiſſe futura, ait: de quo loco quid credere nos atq; ſentire conueniat, ab alijs expoſitum diligentius hîc ut repetatur, opus non eſt. Tradidit Clemens, biennio ante Saulum obijſſe, quod ipſum etiam relinquo in medio. De nomine eius priores libri duo de regum Iſraeliticorum hiſtoria nominari ſolent: Cùm dubium nullum ſit, à Samuele eos inchoatos.

Geniti SAMVELE liberi ſunt, Ioel & Abias.

IOEL, alio nomine Vaſuis, præficitur à patre ſeneſcente Reip. administrandæ. Quò in munere cùm ab integritate eius deflectendo totus auaritia arderet, & in iudicando non tam ad iuſticiam, quàm ad quæſtum attenderet, regis efflagitandi populo occaſionem præbet, et adminiſtratione ipſe omni excidit. 1. Reg. 8. 1. Paral. 25. Ioſep. Cedren.

HEMAN, floruit apud DAVIDEM fatidici in dictis diuinis ad euehendum cornu dignitate, & progenie filiorum felice augetur. Procreauit enim numero quatuordecim: quorum nomina.

- MAHAZIOTHVS.
- HOTHIR.
- MALLOTHIS.
- IOSBECASSA.
- ROMAMTHIEZER.
- GIDDALTHIS.
- ELIATHA.
- HANANIS.
- ANANIAS.
- IEREMOTHVS.
- SABVEL.
- OZIEL.
- MATHANIAS.
- BOCCIAS.

Habuere in miniſterijs diuinis functionem canendi cymbalis, nablis, & citharis ad templi diuini munus. 1. Paralip. 25.

ABIAS, fit fraterni imperij conſors: quod dum ipſe etiam malis artibus adminiſtrat, infamiam denique abdicandi huius cum eo communem ſubit. 1. Regum 8. Ioſephus, Cedrenus.

POSTERITAS AMRAMI.

FVit in AMRAMO Iochabeda amita, quæ liberos enixa est: AARONEM, Mariam & MOSEN.

I. AARON, claruit inter populares eloquentiæ fama. MOSEN fratrem ab exilio Madianitico reuersum primus excēpit, indeq; cùm cæterorum mirificorum operum eius, tum eductionis ex Ægypto particeps fit. Quæ merita mox in Sinis deserto uulgo posthabente, coturnicum & mannæ prodigio furorem huius sedat: Victoriam de Amalecitis adiuuat prece: Pontificatum ad Sinam montē sanctione diuina accipit, & Mose isthic apud Deum commorante diutius, populo inde de salute ipsius desperanti, & Deos tutelares efflagitanti, ita obsequitur, ut aureos ei uitulos conflauerit, hosq; honoribus coli diuinis permiserit. Id tantum nefas acriter Mose taxante, culpam, ut erat, in populum reijcit, nec multò pòst cum eodem censum obit: Mariæ sororis æmulationi nimis temerè assentitur: resistit multitudinis è speculatorum inflatu Ægyptum repetituræ, uesaniæ: contra CORAM dignitatem ex auctoritate diuina retinet, & uirga ipsius fruticans seditiosis exemplo datur. Cumq; iterum ad aquam iurgij Deum offendisset, adeundæ Chananææ spe prorsus excidit, & deniq; in Idumæorum finibus & Pontificatus ornamenta & uitam exuere cœlitus iubetur. Habet historiam eius sparsim traditam Moses in Exod. Leuit. & Num. Cui adiungantur expositiones Iosephi, Siracidæ, Eusebij, Zonaræ, Cedreni.

MARIA, intendit Mosis fratris saluti, in Nilo expositi, eumq; à Pharaonis filia inuentum reddi educandum atq; enutriendum matri curat. Vbi uiro maturuit, collocatur Vri, è tribu Iudæa, in eoq; coniugio & felicitatis à prole, & pietatis laudem promeruit. Edidit enim nobilis. artificem BESELELEM, & superato mari rubro, mulieribus ad canendas Deo laudes, exemplo præit. Pòst tamen ex ambitione muliebri cum Aarone æmulatione cōtra Mosen accenditur: quòd cùm hic dissimularet, à Deo uindice septem dierum lepra plectitur, ijsq; diebus degere extra castra cogitur, populo interea à profectione quiescente. Moritur in deserto Cade, & publico sumptu humatur. Exod. 2. 15. Num. 12. 20. 1. Paral. 6. Iosephus, Zonaras, Cedrenus.

MOSIS historiam suprà inter Iudices seu dynastas dedimus, unde & posteritas eius repeti poterit.

AARON in matrimonio habuit Elisebam, filiam Aminadabi, sororem NAASONIS Principis, è qua liberos suscepit: Nadabum, Abium, ELEAZARVM & Ithamarum.

NADABVS & ABIVS, deducunt Mosen comites in Sinæ montis

montis ascensu, ibiq; & ipsi claritatem Dei cõspiciunt. Pòst ab eodem cum patre & fratribus sacerdotio inunguntur. Qua inflati dignitate, cùm ignem coram Deo libarent alienum, hoc est, non sumtum ex ara, in qua ignis ab ipso Deo accẽsus seruaretur, flamma cœlesti cõficiuntur. Exod.6.24.28. Leuit.10. Num.3.26.1. Paral.6. Iosephus, Zonaras.

II. ELEAZARVS, augetur & ipse sacerdotij dignitate à Mose: fratrum Nadabi & Abij interitu miserabili officium sanctius exequendi documentum capit, conseruat acerras sacras in Corana clade, & patre in Hore monte mandato cœlesti mori iusso, & ornamenta & munus eius successor excipit. Ab hoc tempore uel pietate erga Deum, uel in munijs sacris obeundis diligentia, nusquam sui dissimilis, cum Mose censum agit: populum à Madianitico bello reuersum expiationis ritum docet, & à Mose inter principes, qui Chananæam populo dispertirentur allectus, postmodo cum collegis silunte id exequitur. Moritur modico post IOSVAM interuallo, & in colle Phineis F. sepelitur. Historia eius sparsim exponitur in Exod. Leuit. Num. & Iosuæ libro, unde repetijt Iosephus, & attigere Eusebius, Nicephorus, Zonaras, Cedrenus.

ITHAMARVS, fit fraternæ dignitatis consors, & ab Nadabi & Abij interitu, & cauere sibi exẽplo iubetur, & de munere isto rectè gerendo pręceptis uarijs informatur. Exod.6.28. Leuit.10. Num.26.1. Paral.6. Iosephus, Nicephorus.

In fratribus hisce Nadabus & Abius absq; sobole moriuntur. Cum ELEAZARO connupta fuit N. Phutielis F. qua nascitur PHINEES. Ithamari liberorum nomina ignorantur: quibus edita progenies, per ELIN deniq; Pontificatum adepta est. Hanc Phineis posteritati, ubi ipsa dignitate illa excidit, hoc est, post OZIN, inseremus, ut nimirum Pontificum series cohæreat concinniùs.

III. PHINEES, floruit eximio castitatis & pudoris ingenui studio. Itaq; populares suos cum Moabiticis fœminis turpiter consuescere indignatus, Simeonium quendam, scortum adducere in ipsos Mosis oculos & reliquæ multitudinis ausum, in præstibulum ilico consequitur, ibiq; telo ambos transuerberat. Huius rei tum comprobationem diuinam audit, tum ueluti βραβεῖον Pontificatum, qui propagandus etiam in posteros esset, accipit. Bello Madianitico sacra tela & tubas ferre ad clangendum iubetur: quod munus tam piè, quàm grauiter executus, ea deinde auctoritate crescit, ut Transiordaninas tribus, de ara in Iordanis ripa constructa, legatus missus est. A' patris obitu Pontificatum hæreditate adit, eumq; annis benè multis, hoc est, usque ad ciuile Beniamitarum bellum administrat. Hoc in tempore post iteratam cladẽ, de tertij prælij euentu oraculum consulere iussus, omnia

 secunda,

secunda,& uictoriam certam renunciat.Num.25.31. Iosuæ 22. 24. Iud. 20.1.Paral.6.Psal. 106. Siracides cap. 40. Iosephus, Suidas, Zonaras, Cedrenus.

IV. ABISVA, Iosepho Abiezeres, Nicephoro Abiu, tenuit Pontificatum post patrem.1. Paral.6. Iosephus Ant. lib. 5.cap.12. Nicephorus.

V. BVQVIS, Iosepho Boccias, Nicephoro Bechi, excipit successione patris Pontificatum,& hæreditate eadem in filium propagat.

VI. OZIS, Clementi Ozius,attigit BARACI & Deboræ principatum,& nominis memoriam ab utraque fortuna relinquit. Nam Pontificatus dignitatem, acceptam à maioribus, conseruare ipse filio nequiuit,obtinuitque illam ex Ithamari familia ELIS. Quocirca familiam iam illius hîc intersero.

¶ FAMILIA ELIS, EX POSTERITATE ITHAMARI.

VII. ELIS, potitur Pontificatu post OZIN, & Rempub.administrandam populi scito accipit. Hoc utrunque munus cùm ita gereret, ut officium suum deesse nemini pateretur,ANNAM, Elcanæ coniugem,numini cœlesti de filio supplicantem, etsi à tumulentiæ suspicione habitam principiò durius,pòst tamen tractat cumulatè,& bene sperare iussam faustis ominibus prosequitur. Cumque his ita respondisset euentus,ut filium illa SAMVELEM enixa sit,deliculum ad se adductum,erudit in pietatis studijs diligenter, & quòd malè cesserat in filijs,parte ista ueluti compensat. Nam hos planè perditos habebat, cumque eo nomine crebræ ad ipsum querelæ deferrentur, tantum obiurgasse eos contentus fuit. Quare pœnarum grauium comminationes è uate quodam audit, easque denique à Samuele iussu cœlesti repetitas,aliquantò pòst cum totius gētis clade ueras experitur. Cùm enim bello Palæstino,proceribus efflagitantibus arcam diuinam cum filijs ambobus permisisset, & his cæsis, illa in hostis potestatem peruenisset,consternatione ad eum nuncium tanta percellitur,ut de sella in dorsum delapsus,fracta ceruice expirârit,cum in imperio fuisset annos 40. 1.Reg.1.usque ad 4. Iosephus,Clemens, Eusebius,Suidas, Nicephorus, Zonaras,Cedrenus.

Generantur ELI liberi,Hophnis & Phinees.

HOPHNIS, adhibetur cum fratre quadam patris indulgentia ad

ad sacerdotale munus. Quod cùm totum ex libidine gereret, & sacrificia in rapinam uertit, & mulieres, quæ pro oraculi tabernaculo excubarent, nefariè construpat. Hæc taxantem patrem ridet, & pœnas iussu cœlesti denunciantes tum alios uates, tum SAMVELEM, fastidit. Itaque ultionem denique diuinam quanto tardiorem tantò grauiorem experitur. Etenim à patre in castra cum arca ablegatus, in prælio contra Palęstinos occumbit, & arca ipsa in hostis potestatem peruenit. 1. Reg. 1.3.4. Iosephus, Suidas, Zonaras, Cedrenus.

PHINEES, æmulatur fraternos mores atque impietatem, ideoque pœnas ex uindicatione cœlesti cum illo easdem luit. 1. Reg. 1.3.4. Zonaras, Cedrenus.

Stirpem in fratribus hisce solus Phinees reliquit, cùm in eo tempore, quo interijt, uxor adhuc grauida esset. Nominantur autem filij eius Achitobus & Ichabodus.

IIX. ACHITOBVS, surrogatur in Pontificatus dignitate ELI auo, nec aliud quicquam præclari facinoris edidit. Meminit lib. 1. Reg. cap. 14. Zonaras Achiam uocat.

ICHABODVS, nascitur patre in Palæstinis peremto posthumus, &, ut Iosephus addidit, septimestris. Cumque mater animi consternatione & partus doloribus confecta, bono animo ob marem editum esse iuberetur, ad hoc quidem animum planè non aduertit, sed puero Ichabodi nomen ab euentu posuit, propterea quòd arca diuina capta Israëlitæ gloria priuati essent. 1. Reg. 4. & 14. Iosephus.

ACHITOBO filius procreatur. ACHIMELECHVS.

IX. ACHIMELECHVS, succedit in Pontificatu patri, & domicilium Nobam transfert. Vbi hospite DAVIDE exule usus, dissimulanti casum illum panes apposititios impertit, & gladium Goliathi permittit. Itaque læsæ maiestatis à Doëgo Idumæo SAVLO accusatur: à quo ad causam dicendam cum familia euocatus, cùm rex excusationem eius iustam non admitteret, capite mulctatur, atque tum in familiam reliquam sæuitur crudeliter, tum ipsum Nobense collegium deletur, & urbs sexus omnis ætatisque exhausta cædibus, solo ęquatur. 1. Reg. 21.22. Clemens, Suidas, Zonaras. Sunt qui 1. Reg. 14. Ahiam dici uelint, & Marcus Euangelista tertio nomine Abiatharem uocat. Cui Suidas addidit: ὁ καὶ Ἀμώνυμος· λέγεται γὰρ καὶ Ἀβιμέλεχ. A' Nicephoro planè omittitur.

X. ABIATHAR, euadit ex paternæ domus clade, & ad DAVIDEM sospes peruenit. Ab hoc cùm exceptus benignè, tũ manere iussus, post captã denique & deuastatã Sicelegã Pontificis munus pro eo suscepit, reducẽ ab diuturno exilio in Iudęã dignitate eadẽ cõsectatur,

indeq; in omni officio & studium, & fidem de se eximiam præstat. Nam ABSOLOMI bello ad exilij noui societatem se sponte offert, ac in urbem remissus, regem de hostium consilijs edocet diligenter, belloq; unius prælij uictoria confecto, legati munus ad tribum Iudæam obit. Postremis Dauidis annis adhęrere ADONIÆ occipit, & conuiuia huius factiosa assecla sectatur. Quare & Dauidis gratiam effundit, & SOLOMONEM hostem accipit. A' quo post Adoniæ cædem molitionum seditiosarum acerbè increpitus, & Pontificatu se abdicare, & in prædio Anathotensi se continere priuatus & exul cogitur. 1. Reg. 22. 30. 2. Reg. 15. 17. 19. 30. 3. Reg. 1. 2. Iosephus, Clemens, Eusebius, Nicephorus, Zonaras. 2. Reg. 8. & 1. Paral. 24. Achimelechus dici uidetur.

IONATHAS, destinatur à DAVIDE communicandorum à patre, consiliorum ABSOLOMI internuncius. Quod munus dum obit gnauiter, grauissimum salutis discrimen adit, & ab inquisitoribus persequentibus uno mulieris receptatricis commento defenditur. Itaq; ad regem elapsus, tum ab Absolomi oppresione hunc saluum præstat, tum uictoriæ felicis initium præbet. Pòst in Adoniæ seditione nimium patri obsequitur: cumq; malè sibi ominans ad concursum inaugurationis Solomonis conuiuio egressus esset, rei huius nuncium primus refert. 1. Reg. 15. 17. 2. Reg. 1.

¶POSTERITAS OZIS, EX PROSAPIA ELEAZARI.

OZI Pontifici hæc attribuitur posteritas 1. Paral. 6.

RAHIAS.

MERAIOTVS.

AMARIAS.

ACHITOBVS.

XI. SADOCVS I. recuperat familię, ab ACHIMELECHI cæde, Pontificatus dignitatem, indeq; ea integritatis, & fortitudinis bellicæ uiuit existimatiōe, ut mox ad Hebronē accessu inter familiares DAVI-

DAVIDIS locum promeruerit,& de uoluntate huius Pontificatum cum Abiathare administrare per uices iussus sit. Bello ABSOLOMI sequi Dauidem in exilium uetitus, de hostis consilijs edocet illum per Achimaam filium fideliter, & apud Iudæam tribum iterum in gratiam ponit. Neq; hoc erga regem opt. propensissimæ beneuolentiæ studium deinde unquam immutat: & auersatus temerariam ADONIÆ audaciam, ideoq; seditioso huius conuiuio exclusus, SOLOMONEM inungere, & proclamare ad populum Regem iubetur. Quo merito cùm gratiam à Solomone mirificam inijsset, etiam Pontificatum per eundem solus obtinet. 2. Reg. 8. 15. 19. 17. 3. Reg. 1. Iosephus, Nicephorus, Zonaras. Tradidit Clemens, Stromat. libro 1. Sacra in Solomonis templo Sadocum primum fecisse. Et Eusebius ad undecimum Solomonis annum hæc apponit: Sadocus Ebræorum sacerdos, habetur illustris.

Procreantur Sadoco filij, ACHIMAAS & Azarias.

XII. ACHIMAAS, reuertit cum patre in urbem iussu DAVIDIS, & enunciandis hostium consilijs explorator destinatur. Id munus mox tum industriè quàm fideliter exequitur, et elapsus Absolomi speculatoribus, regem opportuno consilio adiuuat, & Ioabum ad prælium assecla cōsectatur. Quo feliciter depugnato, cùm cursoris ad Dauidem operā Imperatori suo deferret, etsi quadam beneuolentiæ propensione nonnihil detineretur, tandem tamen dimittitur: dumq; inter eundum, quæ Ioabus præmonuisset, ad animum reuocat diligentius, neq; referre, ut gesta omnia fuerant, audet, uictoriam tantum nunciat, Absolomi uerò cædem prudenter dissimulat. A' patris obitu Pontificatum hæreditate adit, & in posteros etiam ita propagat, ut perpetuò patris successor filius fieret. 2. Reg. 15. 17. 18. Iosephus, Nicephorus. Clementi lib. 1. Stromat. Achimelechus dicitur, & Pontificatum usque ad ROBOAMI regnum, & decem tribuum defectionem gessisse, astruitur. Repetijt nomen idem Eusebius in Chronol. & Pontificatum eius usq; ad Abiæ regis annum secundum durasse, ait.

AZARIAS, floruit apud SOLOMONEM Principis dignitate. Memoratur 3. Reg. 4.

Nascitur Achimaa, filius AZARIAS.

XIII. AZARIAS. I. refertur absq; rerum gestarum mentione 1. Paral. 6. Nos ex Iosepho Pontificem, & patris successorē, credimus.

XIV. IORAMVS, fortè in lib. Paral. Ioanna, rerum gestarum memoria nulla celebratur. Credi tamen & hic Pontifex rectè potest, asserimusq; eandem nos dignitatem etiam filio Iso.

XV. ISVS,

XV. ISVS, nominatur à solo Iosepho, nec adduntur res gestæ.

XVI. AXIORAMVS, alio nomine in lib. Paralip. appellatus Amarias, in regum historia Azarias, attigit IOSAPHATI regnum. Quo amicissimè usus, religionis puritati cum eo tam piè quàm gnauiter attendit.

¶ Hîc familiam interrumpo, & intersero breuiter IOIADÆ historiam. Qui fortè Pontificis secundarij potitus munere, eam integritatis atque sanctimoniæ promeruit existimationem, ut Iosabam, IORAMI regis filiam, uxorē acceperit. Hoc coniugio felicissimo usus, etiam regiæ stirpis conseruatæ laudem communem tulit. Cùm enim IOAM ex medijs ATHALIÆ cædibus ereptum clàm ad septennium in fano eduxisset, cum centurionibus denicꝫ re communicata, hiscꝫ auxilium beneuolentia prompta deferentibus, puerum, redimitum corona & oraculo, apertè producit, & REGEM de more inungit: Athaliam ipsam, fama ea ad spectandum excitam, & uindictam parantem, trucidari ferro imperat: instaurat religionem, ad eamcꝫ & rege & populo solenniter obligato, fanum Baalis à fundamentis diruit. Cumcꝫ & Leuitis munia sua restituisset, & ad motus cauēdos, qui adhuc à Tyrannæ studiosis metuebantur, stationes per urbem frequentes collocasset, populo regem sistit, atcꝫ in arcem deductum, noua inauguratione in regium solium collocat. Pòst & doctoris & consiliarij apud regem munus retinet. Cui cùm coniuges duas collocasset, ad fani instaurationem animum adijcientem adiuuat studiosè, & quamdiu in uita manet, tum Regem in officio continet, tum religionem incorruptam præstat. Moritur autem senex decrepitus annorum 130. & in urbe Dauidis apud reges tumulatur. 4. Reg. 11. 12. 2. Paral. 22. 23. 24. Iosephus, Eusebius. A' Zonara Iodae nominatur.

ZACHARIAS, persequitur imitando paternarum uirtutum uestigia, & gentilitium sacerdotis munus tam grauiter quàm piè gerit. Quapropter cùm religionem, patris opera instauratam, mox ab obitu huius deseri, & seruiri iterū lucis & statuis conspiceret, tum IOAM regem, hac in re aulicis obsequentem, tum reliquam multitudinem, ad regis exemplum se componentem, nefariæ impietatis incusat, & ni ad frugem redirent, pœnas graues comminatur. Hunc zelum obtrectatoribus impijs sceleratè calumniantibus, & læsę maiestatis crimen inde intentantibus, regis mandato lapidibus in atrio templi obruitur. 2. Paral. 24. Zonaras, Cedrenus. Exprobrat cędem eius Iudęis Seruator Christus, Lucæ 8. quam uindicatione cœlesti punitam ita accepimus, ut anni non planè exacti interuallo, auctores illius interierint omnes:

omnes: cùm ipse iam moriturus hæc uatidica uerba prolocutus esset, Animaduertet Deus & ulciscetur. A' Nicephoro Azarias appellatur, & Pontificibus accensetur: à qua sententia discedimus.

¶AXIORAMO hanc posteritatem Iosephus attribuit.

XVII. PHIDEAS, Axiorami filius.

XIIX. SVDEAS.

XIX. IVLVS.

XX. IOTHAMVS, fortè 2.Paral.26. Azarias, habuit OZIAM regem σύγχρονον. Quem fastu quodam usurpare inter sacrificandum sacerdotis munus ausum, increpat acriter, dumque nihil proficit, lepra punitū cœlitus tēplo deturbat. Lyranus etiam cū eo Azaria, qui in Ezechiæ historia nominatur, eundem fecit. Sed is rectius Amarias filius creditur, ut nempe mutatum uno elemento nomē intelligamus.

XXI. VRIAS, alio nomine Amarias & Azarias, floruit maximè ACHAZI regis temporibus. Quem dum nimio obsequio colit, etiam impietatis eius consors fit. Nam missum ab eo Damascenæ aræ exemplum effingit ilico, & ad præscriptum regis sacrificium in eo peragit. Post sub Ezechia rectiorem mentem sumit, indeque etiam ESAIÆ uati familiaris fit. Cumque regem nouis contributionibus, sacerdotum reditus augentem de populi alacritate mirifica edocuisset, ceu flabello quodam etiam huius munificentiam adauget. 2.Paral.31. Nicephorus. Posteritas eius libro 1.Paralip. capite 9. & ab Esdra hæc recensetur.

XXII. ACHITOBVS, Iosepho Nerias, Nicephoro Sommas.

XXIII. SADOCVS. II. Iosepho Odeas, Nicephoro, ut uidetur, Eliacimus.

XXIV. SELLVMVS, alio nomine Mosollamus, Iosepho Soldumus.

Funguntur Pontificatu sub regibus EZECHIA, MANASSE & AMONE. Qui cùm institutis &

tis & moribus dissimilimis uixerint, credibile est ipsis etiam, ceu ex contagione, labis aliquid adhæsisse. Ratum enim omnium gratum exempla fecere, quod scripsit Claudianus:

——Componitur orbis
Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edicta ualent, quàm Vita regentis.
Mobile mutatur semper cum principe uulgus.

Adhæc primi Achitobi ingenium prauissimum inde cognoscitur, quòd etiam sub rege optimo Ezechia cùm in aliis sceleribus, tum in libidinibus turpibus uolutatus sit, ut scripsit Nicephorus.

SELLVMO filius nascitur HELCIAS.

XXV. HELCIAS, Iosepho Eliacias, gessit Pontificatum sub IOSIA, eaque re una & patre & auo felicior extitit. Præfectus cum collegis Asaia & Saphane scriba instaurando templo, munus id fide optima administrat, & dum aurum, quod hanc in rem impensum non esset, de regis mandato ad usus alios promit, in sacros Mosis libros, qui sub MANASSE amissi essent, incidit, eosque prolatos Saphani ad regem deferendos tradit. Hoc uehementer inde perturbato, ac quantopere à maioribus peccatum esset cum summo animi dolore gemente ac deplorante, Oldam prophetriam, quid facto opus esset, consulere iubetur. A' qua cùm responsum benignum retulisset, uasa simulacris consecrata templo exterminat, & cremari igne curat. 4.Reg.22.23. 2.Paral.34. Iosephus, Nicephorus, Zonaras, Cedrenus. Variat de historia eius Clemens, & patrem Ieremiæ uatis facit, cumque in librum legis incidisset in templo reconditum, lecto eo, uitam finisse, ait.

XXVI. AZARIAS. II. creditur patri successor datus, nec ab alio facinore famam meruit. Cùm forte ipsa ἰλιὰς κακῶν, quæ mox gentem totam oppressit, administrationem eius obscuriorem reddidisset. Habet nomen eius lib.1.Paralip.cap. 6.& 9. Baruchus cap.1. Ioachimum uocat, & cum IECHONIA rege abductum Babylonem captiuum innuit.

GAMARIAS, mittitur ab SEDECHIA legatus ad Nabochodonosorem. Ieremias cap.29.

*

XXVII. SA-

XXVII. SARAIAS, præsidet pōtificatui sub SEDECHIA, hoc est, tēpore calamitosissimo. Nam & Hierosolyma, ab Nabochodonosore fame expugnata, cū fano sacratissimo solo æquatur, & ipse captiuus à Nabuzardane imperatore Reblatam ad regem mittitur. Vbi cum cæteris optimatibus de regij consilij sententia rebellionis damnatus, capite plectitur. 4. Reg. ult. Iosephus, Nicephorus.

¶ APPONO SOPHONIAM, secūdarum partium, seu minorem Pontificem, ut nimirum dignitas illa ab exēplo hoc altero intelligatur rectiùs. Qui cùm multum posset apud SEDECHIAM regem, legatus ab eo de Babilonici belli euentu sciscitando ad Ieremiam mittitur, dum confidentia secura hominem diuinum fastidit, aliquantò pōst prædictiones eius uatidicas malo suo ueras experitur. Nam capta urbe comprehensus, & in uinculis ad Nabochodonosorē missus, supplicio afficitur. 4. Reg. 25. Ieremias cap. 21. 29. 37. Iosephus.

EDITI SARAIA liberi sunt, IOSEDECHVS & ESDRAS.

XXIIX. IOSEDECHVS, abducitur Babylonem à Nabochodonosore captiuus, & in custodia isthic aliquandiu asseruatur. Hanc calamitatē cum excelso animo pertulisset, iamq; uictoris iracundia nonnihil deferbuisset, clementi huius benignitate tum dimittitur incolumis, tum Pontificatus dignitate augetur. Iosephus Ant. lib. 10. cap. 11. Nicephorus, Zonaras, Cedrenus. Tradit Hegesippus, fuisse eum in uita usq; ad CYRI Magni imperiū, ideoq; edicto huius cum popularibus dimissum, ut ritus ueteris solēnitatis per assueti sacerdotis scientiam reformaretur.

ESDRAS, fit tam calamitatis quàm liberationis fraternæ consors: cumq; uirtute & patriarum legum eruditione eximia esset, ARTAXERXIS Longimani amicitiam intrat. A' quo cum amplissima potestate regredi Hierosolymā permissus, populares exules ea de re per literas edoctos ad Euphratem colligit: iter per infestas gentes absq; præsidio conficit: Satrapas finitimos literis regijs ab iniuria deterret: dissoluit Sacerdotum ac Leuitarum, tum cæterorum Israëlitarum, cum alienigenis coniugia: instaurat religionem, & dum sacerdotis religiosi munus nullum omittit, omnibus se uenerabilem facit, atq; ut reduces nōnihil respirare cœperint, sua opera præstat. Vixit uitam longissimam, & summa cum gloria defunctus, magnifico apparatu Hierosolymæ tumulatur. Historiam eius liber de nomine ipsius inscriptus complectitur: unde repetiere Iosephus Ant. lib. 11. capite 5. Clemens libro 1. Strom. Zonaras Tom. 1. Etsi Iosephus, & hunc secutus Zonaras, non rectè Xerxem pro Artaxerxe nominârunt. Cæterùm

terum Esdrę liber ille solus γνήσιος existimatur: Nam de reliquis duobus cur dubitare iure liceat, causæ multę sunt. Auctor est Eusebius, diuinas scripturas Esdrā memoriter condidisse, & ne Samaritanis miscerentur, literas iudaicas commutasse.

NASCVNTVR ex Iosedecho, IESVA, & filij alij tres ἀνώνυμοι.

XXIX. IESVA, remigrat in Iudæam de CYRI Magni edicto cum collega ZOROBABELE, & auditam pontificatus dignitatem hęreditate susceptam meritis erga totam gentem illustriorē reddit. Nam urbis & fani instaurationem adiuuit strenuè, & ut Haggeo uati satisfieret, urgendo fani operi ipse præfectus fit. Quo tempore finitimis communicationem huius poscentibus, tam piè quàm animosè restituit, dumq; nihil proficit, in Persidem legatus proficiscitur, ac detentus isthic octennium integrum, tandē ab ARTAXERXE Longimano nuncium exoptatum refert. Haggæus cap. 1. 1. Esdræ 2.3.4.5. Siracides, Iosephus, Clemens, Eusebius, Nicephorus, Zonaras, Cedrenus. Meminit Zacharias uates cap. 3. & 6. Philo ante profectionem in Persidem ann. 30. à reditu ann. 20. præsedisse ait, & historiam Iudithæ conscriptam ab eo censet.

Filij ἀνώνυμοι, adiungunt se fratri reditus in Iudæam comites, & urbis isthic atq; fani instaurationem ope & opera communi addiuuant. Esdras, Iosephus.

GENITI Iesua filij complures sunt, & nominantur item fratrum aliquot liberi. Ac Iesuæ quidem præter IOACHIMVM successorem etiam Masseias rectè credi posse filius, uidetur. Fratrum liberis ex Esdra accenseo: Eliezerem, Iaribum & Godoliam. Qui unà cum Masseia externis connubijs impliciti, Esdra eam patriarū legum uiolationem incusante acriter, ad dimittendas illas consentiunt, & arietem criminis sui piaculum dant. Esdras cap. 10.

XXX. IOACHIMVS, Cedreno Iacimus, accipit Pontificatum opera uicaria pro patre in Perside absente administrādum: quem cū reuerso reddidisset, demū ab obitu eius recipit, & annos totos 48. tenet. Scripsit historiā Estheræ, & memoriā Phurim instituit, hortāte, ad hoc illū MARDOCHÆO. Nehem. Philo, Iosephus, Niceph. Cedrenus ei Iacobū antecessorem pręmittit, de quo alij nihil habent.

XXXI. ELIASIBVS, Cedreno Iliasimus, excipit patris Pontificatum circa id tempus successor, quo Rempub. cōstituere cœpit Nehemias. Cuius impulsus hortatu, cum cognatis sacerdotibus balantū portam extruit, eamq; usq; ad turrim centenariā lustrat. Eundem concessam Tobiæ propinquo cellam, quæ antéa sacerdotū fuisset, reprehenden-

hendentem audit benignè,& cõfestim ad priores usus restituit. Sedit ann.20. Nehemias cap.3.12.13. Philo, Nizephorus.

XXXII. IOIADA, alio nomine Iudas, Nicephoro Iodae, sedit ann.23. cętera obscurus. Philo, Iosephus. Meminit Nehemias cap. 12. & 13. Cedrenus perperam Iosebi filium nominauit.

IOIADÆ filios Iosephus attribuit IOHANNEM & Iesum.

XXXIII. IOHANNES, Nehemiæ, Ionathan, Philoni Ioathamus, Nicephoro Ionas, sedit ann.24. Mansit religioso studio in patriorum institutorum obseruatione. Quæ negligentē impiè Iesum fratrem ceu pestem aliquam auersatur, & aduersari deniq; procacius ausum, nimiæ iracundiæ uehementia in ipso templo obtruncat. Quare hostem grauem BAGOSEM Satrapam accipit: quem tanquã alienigenã templi aditu prohibiturus, maioris ipse criminis de cæde perpetrata insimulatur, & Iudæa tota septennij tributo mulctatur. Nehemias, Philo, Iosephus, Zonaras, Cedrenus.

IESVS, uiolat connubio extraneo accepta cœlitus maiorum instituta, ducta in uxorem SANABALLETÆ Satrapæ F. Quare pellitur urbe & sacerdotio à Nehemia, & apud totam gētem malè audit. Cumq; exinde uagaretur extorris, cum Bagose, Sanaballetæ successore amicitiam coniungit, & de Pontificatu spe ampla completur. Qua dum effert se insolentius, & Hierosolyma repetita etiam Iohanni fratri se proteruius opponit, iracundia huius perimitur, Nehemias, Iosephus, Zonaras.

IOHANNIS filios Iosephus fecit, IADDVM & Manassem.

XXXIV. IADDVS, Nehemiæ & Philoni Iaddua, Clementi Iodeas, Zonaræ Ioad, sedit ann. 10. Afficitur grauissimorum incommodorum molestijs ex fratribus Manassis leuitate. Quem extraneo Sanaballetę Satrapæ filię coniugio implicitum, in eoq; instituto perseuerantem pertinaciter, tandem sacris arcet. Quare Sanaballete minus placato utitur, & alienatos ab sese, qui coniugijs similibus patrias leges uiolassent, fraternæ aduersationis adiutores experitur. Cumq; turbis hisce nõdum compositis, noua ex ALEXANDRI Magni ad Issum & Tyrum uictorijs accessissent pericula, & ideo accessissent, q Tyrum obsidenti, & commeatum atq; auxilia petenti, denegasset, miro euentu conseruatur. Etenim de humanis auxilijs desperans, cœlestia prece poscit. Itaque supplicare Alexandro iussus oraculo, iracundiam eius ita frangit, ut & odorationis honorem ab eo retulerit, & in ipsa urbe hospitem acceperit. Quo tempore cùm sacrificantem de DANIELIS uaticinio, quo Persarum ab homine Græco euersum iri imperium prædicitur, condocefecisset, & αὐτονομίαν, & tributorum

immunitatem sabbatario anno, impetrat. Nehemias, Philo, Iosephus, Eusebius, Nicephorus, Zonaras, Cedrenus. Alexandri clementiam istam erga Iudęos inopinatam, & inprimis adorationis honorem Pontifici impertitum, demirantibus plerisque omnibus, ita hunc Parmenioni id excusasse accepimus, ut, non Pōtificem, sed Deum, cui ille seruiret, se adorasse diceret, propterea quòd in Dio Macedonię, cùm de bello Persico deliberaret, quendam, qui pergere in Asiam iuberet, & successus secūdos polliceretur, hoc habitu per quietem uidisset, quem iam oblatum recognouisset.

MANASSES, iungit amicitiam & mox affinitatem cum Sanaballete, DARII ultimi Satrapa. Ideo sacerdotio prohibitus, ad socerum exul profugit: infortunium ei suum, & coniugij incōmoda, cum stomacho & lachrymis refert: & spe bona esse, ac pontificatus alterius honorem expectare, modo coniugem retineret, iussus, & persuaderi se patitur, & complices sibi ex gentibus adiungit, qui similib. de causis exularent, hisq; in Samaria agros impetrat. Nec ita multò pòst ALEXANDRO ab uictoria ad Issum in Phœnicen progresso, cū socer fortunā secutus prouinciā ei suā dedisset, & prętextu distrahendarum Iudaicarū opum potestatē extruendi genero templi impetrasset, reducem hunc perfectorem eiusdem templi, quod in monte Garicino, Hierosolymitano simile ędificaretur, gnauum experitur, & sacerdotio ipse præficitur. Itaque dum nihil iam fratri concedit, & ijs, qui flagitijs similibus obnoxij essent, aut quauis alia de causa ad ipsum se reciperent, protectionem præstat, turbas in Iudęis magnas dat, & æmulatione mutua itidem ad rapinas mutuas utrosq; accendit. Iosephus, Eusebius, Zonaras. Garizinum templum, Manasſi extructū, deleuit post annos 200. IOHANNES Hyrcanus, à quo tempore instauratum deinde nunquam fuit.

IADDI coniugem ignoratur Manasſi nupta fuit Nicasso, è qua proles eius nulla memoratur, uti neque de reliqua posteritate quicquam in auctorum scripta peruenit. Iaddua libros procreauit, ONIAM & Manassem.

XXXV. ONIAS I. cognomēto Priscus, sedit ann. 27. Habuit administrationē turbulentiorem à PTOLEMÆI Lagi scelere: Quem sacrificij prętextu in urbem admissum, hostem acerbum experitur, abductis ex Hierosolymę uicinia, & montano tractu, deniq; ipsa etiam Samaria, multis hominum millibus. Philo, Iosephus, Eusebius, Nizephorus, Zonaras. Citatur à Iosepho contra Appionem Ezechias Pontifex ex Hecatęo, qui Ptolemęi Lagi tempore uixerit. Is rectè Onias hic intelligitur, seu deprauatum nomen illud, seu cognomentum, accipere maluerimus. Cedrenus Ioniam uocat.

XXXIIX. MANASSES, potitur Pontificatu post ELEAZARVM, seditque ann. 27. Vsus est amicissimo SELEVCO Callynico, rege Syriæ, nec alio facinore posteritatis memoriam meruit. Philo, Iosephus, Nicephorus, Zonaras, Hieronymus in Eusebii Chronologia auunculum Eleazari credidit: quem errorem uox Græca θεῖος peperit, quippe qua & patruus & auunculus ueniat.

ONIA I. filij editi sunt, SIMON & ELEAZARVS.

XXXVI. SIMON I. cognomento Iustus, non Priscus, ut Philo, sedit annis 13. Floruit insigni pietatis & probitatis gloria, indeque consensu omnium cognomentum acquisiuit. Gubernatio eius turbis caruit, quòd ALEXANDRI M. successores ciuilium bellorum contentionibus inter se cõmissi essent. Philo, Iosephus, Eusebius, Nicephorus, Zonaras.

XXXVII. ELEAZARVS, surrogatur tutelæ nomine SIMONI fratri, seditque ann. 20. Inclaruit ad posteritatem à Iudæorum captiuorum (Abduxerat autem Ptolemæus Lagi) liberatione in Ægypto, & sacrorum Bibliorum uersione: quorũ illis à Ptolemæo Philadelpho ex Aristæi cuiusdam intercessione λύτρα in singulos 120. drachmarum ad 120000. redemptis: huic iuuanda legatione honorifica inuitatur, & munerib. tam ipse quàm fanum amplissimis honoratur. Itaque è tribubus singulis interpretes sex deligit: quos cum donis ablegatos, & tractatos regis benignitate toto uersionis tẽpore (id septuaginta tantum dierum fuisse accepimus) cumulatè, cum ἀντιδώροις recipit, & opera ista laudabili cognoscendæ scripturæ etiã alijs gentib. occasionem præbet. Iosephus, Eusebius, Zonaras, Cedrenus. Philo inimico ANTIOCHO θεῷ usum, ait: Quod si admittimus, à bello, quod regi huic aliquandiu cum Ptolemæo fuit, profectam simultatem eam, credibile est. Bibliorum translatio septuaginta interpretũ nomine etiam hodie in usu est: de qua cùm Theologorum iudicia in medio sint, addi à nobis quicquam opus non est.

SIMONE Iusto liberi procreantur, ONIAS II. & Filia ἀνώνυμος.

XXXIX. ONIAS II. amisit patrem infans, & Pontificatu primum ab ELEAZARO tutore, deinde à patruo Manasse excluditur. Huic denique iam senex surrogatus, ita præsidet, ut dignitas collata serius non fortunæ iniuria, sed animi parui pœna fuisse uideatur. Totus enim colligẽdæ pecuniæ incubuit, & ita incubuit, ut etiã PTOLEMÆO Euergetæ usitatum 20. talentorum argenti tributum annum denegare, ausus sit. Quæ res cùm ad gentis uniuersæ perniciem tenderet, eamque rex per legatum minaciter denũciaret, nihil tamẽ mouetur, & periculum omne in populum & legatum Iosephum, sororis filium, reijcit. Iosephus, Eusebius, Zonaras, Cedrenns.

N. Filia ἀνώνυμος, fuit in matrimonio Tobię, orti à regia Dauidis familia, eoq; matrimonio prole in primis felicissimo utitur. Iosephus.

ONIÆ è Iosepho & Eusebio filium astruo SIMONEM.

XL. SIMON II. à Philone cognominatus Iustus, sedit ann. 28. Meruit amicitiam ANTIOCHI Magni, eiusq; studio cultus fuit prolixo. Fanum Hierosolymitanum instauratum altitudine dupli ci & numine firmauit: cumq; gentis curam Principe dignã gereret, urbem contra casus subitos, & obsidionis pericula communiuit diligenter. Philo, Iosephus, Eusebius, Nicephorus. Habet elogium eius illustre Siracides cap. 50. Quippe qui περίβολον, suum, ut nominauit Eusebius, tum ediderit, cùm ab auo inchoatum ipse demum absoluisset.

SIMONIS II. filij à Iosepho memorantur: ONIAS, IASON & MENELAVS.

XLI. ONIAS III. sedit annos 39. Exercitatus à puero fuit in omnibus uirtutis rationibus: in quibus eos fecit profectus, ut in congressibus grauis esset, moribus comis, oratione facundus, & adijceret his deniq; mirificum pietatis & beneficentię studium. Quare ab AREO, Rege Spartano, de amicitia, cui generis & originis prætexebatur cognatio, ultrò solicitatẽ, & SELEVCI Σωτῆρος ueneratione tanta colitur, ut sumtus ad sacrificiorum procurationẽ necessarij è regio fisco penderentur. In ea felicitate annis bene multis peractis, ex leui de fori rationibus contentione Simonem æditimum hostem accipit, & cum alijs iniurijs uexatur, tum in inuidiam ipsius pecunia, quæ in templo asseruabatur (erat autem depositum uiduarum & pupillorũ, tum etiam Iohannis, Tobiæ F.) hominis perfidia Apollonio, Cœlesyriæ & Phœniciæ præsidi, indicatur. A' quo cùm porrò rex edoctus, & pensionem in sacrificia annuam denegasset, & per Heliodorũ quęstorem pecuniam illam depositam fisco adiudicasset, Onias, quod unum poterat, cum gente uniuersa ad uota & preces confugit, & hac tanquam πανοπλίᾳ ita contra regem uincit, ut Heliodorum, qui proteruè ad adyta pergeret, prodigio in uitæ periculum coniectũ iterum prece restituerit, indeq; ad regẽ reuerso, testimonij præclari de Iudęorum religione confessionem expresserit. Cumq; ne sic quidem Simonis, quem confirmaret instigando Apollonius, cessarent criminationes, & à necessarijs huius cædes fierent, controuersiæ cõponendę gratia ad regem iter suscipit. Quo interea defuncto, noua calũnia successori ANTIOCHO Epiphani ab IASONE fratre accusatur, & Pontificatu regia sententia abdicatur. Itaq; uim ueritus, in asylum ad Daphnen confugit. Vbi cùm aliquantisper extra periculũ delituisset, MENELAI denique rapinis ita incandescit, ut publicè eas argueret. Hoc dum homo facinorosus ulcisci satagit, occulta pactione eius

Andro-

Andronico purpurato conficiendus traditur. A' quo iuramenti religione euocatus, tam nefariè quàm crudeliter perimitur, & innocentia sua etiam Antiochi lachrymas & uindictam promeretur. Etenim Gręcis religionem loci uiolatam frementibus, rex etiam ira inflammatus, parricidam purpura continuò exutum, uestibus laceratis, per urbem ad illum locum, ubi facinus in Oniã perpetrauerat duci, & illic interfici impetrauit. 2. Maccab. 3. 4. Philo, Iosephus, Eusebius: à quibus Iosephus, & hunc secutus Zonaras, de morte planè uariant, nec quicquam de sacerdotij priuatione memorant.

ONIAS, orbatur patre infans deliculus, & periculis sub Iasone & Menelao, patruis, grauissimis defungitur. In his cũ posteriore supplicio affecto, Pontificatus cessisset ALCIMO, indignatus eam familię ignominiã, in Ægyptũ ad PTOLEMÆVM Philometora profugit, & inter duces eius primarios locum promeretur. Quam dignitatem dum uirtute eximia tuetur, indeque regis gratiam mirificã colligit, de fano Iudæis Ægyptijs in Heliopolitana pręfectura ad Bubastin agrestem extruenda consilia init, & instituto illi suo Esaiæ uaticinium prętexit. Cumque rex id totũ consilij ipsius esse uellet, in incœpto pergit, ac Sacerdotes & Leuitas sui similes legit. Iosephus Ant. lib. 12. cap. 6. & lib. 13. cap. 6. Eusebius, Zonaras. In quib. Iosephus de bello Iud. lib. 1. cap. 1. hanc historiã repetens, circumstãtijs quibusdã uariat, & li. 2. cõtra Apionem, defuncto Philometore etiã cõtra Physconem pro Cleopatra propugnasse, ait. Fanum Oniæ post annos 333. claudit iussu Imp. Cęs. VESPASIANI à Lupo præside. Qui cùm eã tum moderationem pręstitisset, ut donarijs etiã suis ornaret, Paulinus successor ut religionis causa adire amplius quenquam uetuit, ita quoque foribus oclusis tam inaccessum fecit, ut ne uestigiũ quidem cultus diuini in eo resideret. Quomodo de nomine & de stirpe ipsius Hegesippus uariet, suprà monuimus.

HELCIAS ANANIAS.

Succedunt in paternæ profecturę dignitatẽ: Quã apud CLEOPATRAM, matrẽ PTOL. Lathuri, ea fide & integritate administrant, ut regina de sententia ipsorum gereret omnia, & denique in bello contra eundem Ptolemæum, summum copiarum regimen permitteret. Quo tempore cùm Helcias nullũ strenui Imperatoris munus omitteret, & Ptolemæum in Cœlesyria urgeret acriter, morbo, quo ex laboribus continuis conflictari cœperat, extinguitur. Ioseph. Antiq. lib. 13. cap. 18. & 21. De posteritate ipsorum nihil in auctorum monumenta peruenit

XLII. IESVS, à se mutato aliquantum patrij nominis sono, appellatus IASON, insinuat se arte, & adulationum blāditijs, in ANTIOCHI Epiphanis familiaritatem, & Pontificatū largitione, hoc est, talentis 500. fratri ONIÆ præripit. Eo in munere dum totum se ad regis studia accommodat, Græcanicos mores inuehit: gymnasium sub ipsa arce condit: adiuuat Tyriorum quinquennales Herculis ludos pecunia: regem ab Ægyptia expeditione ad urbem deflectentem cum funalibus & faustis acclamationibus excipit, neque ullas uel obsequij uel munificentiæ desiderari in se partes passus, pro remuneratione, præsidij ueluti cōpedes recipit, & genti toti seruitutē acerbam attrahit. Quare exinde apud suos auctoritate deteriore esse occipit, & repetente ab eo pœnas in fratrem commissi sceleris ultrice Nemesi, ipse etiam à fratre MENELAO euertitur. Hunc enim ad Antiochum missum, ut pecuniam ei ferret, & de rebus necessarijs commentarios faceret, pro legato hostem experitur, & ne in manus eius perueniret, profugere exul ad Ammonitas cogitur. Ibi usque ad Antiochi alteram in Ægyptum expeditionem commoratus, cùm de interitu huius, rumor falsus increbuisset, manum facit: urbem de improuiso adoritur atque occupat: cædem ciuium ingentem facit, & arcis denique occupādæ spe frustratus, etiam Ammonitide redux excluditur, & atrociter ARETÆ, regi arabum, accusatur. Itaque dum consistere nusquam audet, & ceu execrandum ἀνάθεμα, & religionis patriæ, ciuium proditor atque carnifex in odio est omnibus, primùm in Ægyptum, deinde ad Lacedæmonios, tanquam præsidio propter cognitionem futuros profugit. Neque pro spe exceptus, denique ab omnibus rebus inops moritur: atque ut multos ipse insepultos abiecerat, ita ipse etiā defletus nulli est, sed omni funeris honore, patrioque sepulcro caruit. 2. Maccab. 4. 5. Iosephus, Eusebius, Nicephorus, Zonaras.

XLIII. ONIAS, itidem à se nominatus MENELAVS, fit fraternę in ONIAM III. conspirationis consors, & fidem sibi simulatione facit. Itaque ad ANTIOCHVM legatus missus, Pontificatum auctione, hoc est, additis tributo ab Iasone promisso talētis trecētis, emit, exindeque religionē Ethnicā apertè amplectit, & ciues tum ad eandem ui cogit, tum omni rapinarum genere exhaurit. Cumque sic etiam pecunia deficeretur, tam ipse quàm arcis præfectus Sostratus dignitate exuti, iterum in ordinem rediguntur. Nec multò pòst rege in Ciliciam ad componendas Tarsensium & Mallotarum cōtrouersias profecto, aurea uasa quędam è templo depeculatur, hisque Andronicū præfectū corruptum etiam ad ONIÆ fratris cædem impellit, & nouo scelere, Lysimachi, quem successorem acceperat, sacrilegia adiuuat.

Quà ex causa cùm illo populo tumultu oppresso, ipse apud regem di cere causam iussus esset, per Ptolemæum quendam & absolutionem & aduersariorum supplicium impetrat, aggressusq; mox largitionibus purpuratos cæteros, etiam Pontificatum recuperat. In hoc tempore dum securè otio indulget, subita Iasonis irruptione graue salutis discrimen adit: & elapsus in arcem, Antiochum ab Ægyptia expeditione altera reuersum fremebundum, in urbem recipit, & ad scelera eius immania ducem sese adiutorem præbet. Quæ res cùm iusta tandem arma ASMONÆÆ gentis principibus induisset, nihil tamen de impietate & sæuitia sua remittit, & denique cum ANTIOCHO Eupatore contra IVDAM Maccabæum se coniungit. Inter hos pace feliciter reconciliata, regem sequi Antiochiam iubebitur: Vbi à Lysia, tanq; turbarũ omnium concitator & fax accusatus, de regij cõsilij sententia ad cineres dãnatur, cùm sedisset annos 10.2. Maccab. 4.5.15. Iosephus, Hegesippus, Eusebius, Nicephorus, Zonaras.

¶ XLIV. IACIMVS, alio nomine ALCIMVS, demeruit officiorũ promtitudine & obsequij cultu amicitiã Lysiæ: cuius hortatu cùm MENELAO necato, etiam familiæ huius auita dignitas erepta esset, Pontifex ipse audit, sedet'que ann. 4. Religionis Ethnicæ studium non minore quàm Menelaus uesania amplexus palàm est, indeq; & hostilem huius animum in IVDAM Maccabæum & ASIDÆOS sumit. Quos cùm atrociter DEMETRIO Soteri accusasset, Bacchidi duci commendatur, & cum exercitu reduci Hierosolymam iubetur. Ibi insidiosarum in Iudam machinationum, ex crudelitate in Asidæos usurpata, frustratus successu, & à discedente Bacchide copiarum partem retinere præsidij causa permissus, ad fraudes se conuertit: clementiam erga omnes propensam simulat: in congressibus se comem prestat & facilẽ, itaq; iam confluentibus ad eum plurimis, ad ingenium redit, & Iude studiosos comprehensos immanibus supplicijs excarnificat. Nec tamen sic etiam in Ecclesia delenda quicquam proficit, & Iuda talionem in ipsius complices reddente, de nouis auxilijs solicitare Demetrium cogitur. A' quo missum Nicanorem ducem etsi felici prelio cecidit Iudas, tamen contra alterum Bacchidem, bellum cum firmioribus copijs instaurantem succumbit. Cumq; inde ALCIMI rebus confirmatis, ille ueterem adyti parietem, quod Sanctorum Vatum ædificium esset, demoliri instituerct, in morbum incidit repentinum, & obstructo ore sideratus neque loqui amplius, neque testamentum facere potuit, brutiq; instar maximo cum cruciatu uitam finit. 1. Maccab. 7.9. 2. Maccab. 14. Iosephus, Hegesippus, Eusebius, Zonaras: in quibus Iosephus & Eusebius de mortis eius tempore uariant, & de Iuda Maccabæo id erratum

tum subtexunt, quod Pontificatum tum de populi uoluntate adierit, possederitq́ trienniū. A' Nicephoro alienigena nominatur, quod externum intelligo: neque enim ἀλλόφυλος fuit, sed οὐκ ἐπιχώριος, ut addidit interpres Io. Camerarius.

AB ALCIMI morte uacauit Pontificatus septēnium. Et Asmonæa familia, cui tunc dignitas illa regum Syriæ beneficio cessit, ea minimè contenta, tandem etiam regiam adiunxit, Regesq́ in uniuersum quinque, Pontifices octo edidit. De ea nihil hoc in loco agemus, & dedimus de illa alibi explicationes pleniores. Qui autem sequuntur Pontifices, ut nouis, & tam ab Asmonęis quàm ueteriorum Pontificum satu destinctis, procreati fuêre familijs, eoq́ modo successionis ius nullum habuêre, ita neque ipsi posteris id reliquere, pependitq́ omne eorum munus à regibus Idumæis & Romanis prætoribus. Nèc aliter quàm uel fauore horum uel pecuniæ interuentu cōferebatur, & quidem definito annorum numero, qui ubi effluxissent, nouas interuenire licitationes oportebat. Sed iam ad Pontifices accedo, in quib. post ASMONÆOS primus memoratur ANAELVS.

¶LIII. ANÆLVS, Vixit auita Sacerdotis dignitate Babylone, & HERODIS regis amicitiam uirtute promeretur. A' quo ob HYRCANI mutilationē ad Pontificatū euocatus, & inauguratus solenniter, Alexādræ & MARIAMMÆ reginæ artibus ita abdicatur, ut dignitatē eam tunc in ARISTOBOLVM, ex Asmonæis ultimum, translatam, ab interitu huius non minori quàm antè regis beneuolentia receperit. Philo, Iosephus Ant. libro 15. cap. 2. & seq. Hegesippus, Nicephorus.

¶LIV. IESVS, Phabetis F. obtinuit pontificatū post ANAELVM, & eundum denique concedere SIMONI Antharę cogitur. Ioseph. lib. 15. cap. 12. Niceph.

BOETHVS, patria Alexandrinus, celebratur à rara filiorum felicitate: quippe quos loco priuato genitos, Pontifices omnes uiderit. Memorantur autem hi: SIMON, IOAZARVS & ELEAZARVS.

LV. SIMON, cognomento Cantharas, floruit auita sacerdotis dignitate, & in coniugio castissimo, filiæ itidem & castissimę & fortissimę parens fit. In hanc cum HERODE commoto, regię tamen affinitati impar censeretur, ut nuptiæ fierent honestiores, Pontifex legitur. Quam dignitatem etsi ita gereret, ut omnibus se uenerabilem præberet, pòst tamen propter filiam in odium uenit, & pontificatum concedere Matthiæ cogitur. Cumq́ exinde iterum uitam priuatam sectaretur, ab AGRIPPA tandem iam senex primum THEOPHILO Anani, deinde ÆLIONÆO surrogat. Iosephus, Ant. lib.

lib.15.cap.12.lib.17.cap.6.& lib.19.cap.5. Nicephorus, Zonaras.

MARIAMME, meruit totius gentis suæ admirationem ab eximia formæ pulchritudine: quippe qua facilè suæ tempestatis fœminas omnes antecelleret. Itaq; cùm HERODE primùm fama deinde ex aspectu in eam commoto, dispuderet tamen regium animũ uiolentia uti, & patri Pontificatum, & regium sibi connubium conciliat. Quo & regis amore & prole felicissimo usa, tandem communicatorum cum antipatro consiliorum suspecta fit: & cùm ipsa regio toro expellitur, tum filij nomen è testamento dispungitur. Iosephus Ant. lib. 15.cap.12. & lib.18.cap.6. Zonaras.

LVII. IOAZARVS, datur ab Herode successor Matthiæ, in eoq; munere tum alia ei ex sententia succedunt, tum hac singulari felicitate augetur, quòd genitus tum est è semper uirgine Maria Seruator CHRISTVS. Ab ARCELAO insimulatus, quod cum seditiosis fecisset, Pontificatu iterum exuitur, & uitam exinde priuatam usq; ad exilium illius, & Quirini proconsulatum uiuit. Tum enim dignitate recuperata, de censu parendum decreto docet, isq; uti tranquillè ageretur, præstat. Qua ex re cum multitudinis in se concitasset odium idq; demum in seditionem turbulentam erupisset, postremò pontificatu à Quirinio abdicatur. Iosephus, Nicephorus, Zonaras.

LIIX. ELEAZARVS, surrogatur fratri in Pontificatu ab ARCHELAO, eumq; mox æquè facilè atque acquisierat rursus amittit. Iosephus Antiquit. libro decimooctauo, capite 15. Nicephorus, Zonaras.

¶LVI. MATTHIAS, Theophili F. genere Hierosolymitanus, succedit in Pontificatu Simoni. Quem Pontificatũ cętera obscurum, casus de unius diei Pontificatu, ipsius quasi inserto, memorabilẽ fecit. Nam cùm nocte diem solennis sacrificij antecedente, uisus esset uidere in somnis, se muliere consuescere, fungi munere Pontificis postridie ei non licuit, mandatũq; id fuit cognato ipsius IOSEPHO, Ellemi F. Excidit deniq; dignitate hac ob suspicionem conspirationis cum Iuda & Matthia, quos clara luce aquilam templi auream deijcere ausos nõ prohibuisset. Iosephus lib.17. Ant. cap.6. 8. Nicephorus, Zonaras.

LIX. IESVS, Siæ F. præficitur Pontificatui post ELEAZARVM Boëthi, quem qua uel administrauerit uel amiserit fortuna, incertũ est. Nã relegato aliquãtò pòst ARCHELAO, redijt dignitas illa ad IOAZARVM. Ioseph. Ant. li. 18. cap. 15. Niceph.

LX. ANANVS I. Zethi F. consequitur Pontificatum à Quirino (Est autem hic Quirinus, quem Lucæ historia Euangelica Cyrenium

renium nominauit) quo ad satietatem, ut loquitur Iosephus, perfunctus, amouetur denique à Valerio Grato, raraque felicitate, filiorum in dignitate eadem successiones penè continuas conspicit. Iosephus, Nicephorus, Zonaras. A' Luca & Ioanne, Euãgelistis, Annas nominatur, & seruator CHRISTVS, proditione Iudę discipuli captus, primũ ad ipsum adductus scribit, & ita adductus, ut & de doctrina eius tùm primũ inquisitũ fuerit. Additur his in Actis cap. 3. cum CAIAPHA & Pontificibus cæteris etiam Apostolis restitisse, atque adeo silentium imperasse.

GENERANTVR ANANO liberi: ELEAZARVS, IONATHAS, THEOPHILVS, MATTHIAS, ANANVS & Filia ἀνώνυμος.

LXII. ELEAZARVS potitur Pontificatu, quem contulisset Valerius Gratus, post ISMAELVM, & tantum annum unum sedet. Iosephus, Nicephorus, Zonaras.

LXV. IONATHAS, datã Vitellio successor IOSEPHO, CAIAPHÆ. Quo in tempore eam integritatis promeretur opinionem, ut pòst ab AGRIPPA gerere munus id denuò iussus sit. Hoc cùm excusasset modestè, & regi fratrem MATTHIAM commendasset, & ueterem laudem suam hoc nouo ueluti cumulo adauget, & fratrem dignitatis illis compotem facit. Iamque ab ea fama etiam Imp. Cæs. NERONIS beneuolentiam ac gratiam consecutus, præsidẽ ab eo Cl. FELICEM impetrat. Quem tam auarè quàm improbè Rempub. gerentem cùm moneret liberius, odium eius acerbissimũ incurrit, & denique per submissos sicarios de uita tollitur. Iosephus, Hegesippus, Zonaras, Nicephorus etiam alterum Pontificatum ipsius nominauit: à qua sententia discedimus. Nati autem fortè hoc Ionatha fuêre.

SIMON. IVDAS.

Claruerunt eloquentiæ fama, ideoque ad IOSEPHVM (historicum) tyrannidis suspectum mittuntur. Iosephus de bello Iudaic. lib. 2. cap. 26.

LXVI. THEOPHILVS, excipit ex beneficio VITELLII, fratris Ionathę Pontificatum, huncque deinde usque ad AGRIPPÆ regnum administrat, Iosephus, Nicephorus, Zanaras.

LXXV. MATTHIAS, legitur ab AGRIPPA II. Pontifex post Iesum Gamalielis. Quo tempore cœptum bellum aduersus Romanos etiam ipsi exitium attulit. Etenim digladiantibus inter se

cædibus

cædibus intestinis Simone & Iohanne, à Simone, quem ciuitate donârat, perimitur. Iosephus, Nicephorus, Zonaras.

LXVII. MATTHIAS, accipit Pontificatum ab AGRIPPA ex commendatione Ionathæ fratris: nec multò pòst abdicatus rursus, denique bello Iudaico legatus ad Simonem, qui Zelotarum reprimeret tyrannidem, mittitur. Iosephus, Nicephorus, Zonaras.

LXXII. ANANVS II. alio nomine Ananias, honoratur Pontificatu post Iosephum ab AGRIPPA II. & uerè quidem honoratur: quandoquidem ad munus id Pontifice dignas uirtutes nullas afferret. Erat enim audacia & ferocia effreni, & uesana Sadduceorũ dogmata professus tutatusque palàm est. Itaque cùm FESTO in prouincia mortuo, successor huius Albinus aduentaret tardius, munus id sibi usurpat: iudicum consilium cogit frequens, & IACOBVM, Hierosolymæ Episcopum, cum alijs nonnullis impietatis falsò condemnatum, lapidandum multitudini obijcit. De hoc facinore accusatus Albino, cùm is acerbè rescripsisset, etiam in AGRIPPÆ offensionem cadit, & Pontificatu se abdicare cogitur. Quam ignominiam dum arte dissimulat, etiam Albini gratiam largitione recuperat, & tam Pontificem nouum quàm multitudinem liberalitate sibi deuincit. Tametsi interea longè atrocioribus sceleribus se obstringeret: Quippe qui seruos, qui areas obirent, & sacerdotum decimas raperent, palàm aleret. Quare ita ex numinis cœlestis uindicatione plectitur, ut filius in sicariorũ peruenerit potestatẽ, cumque hoc ea cõditione dimisso, ut & sicarij aliquot captiui dimitterẽtur, indeque iam cognati ipsius cõplures, de quibus idẽ obseruaretur, caperentur, isthuc denique audacia illa creuit, ut rapinæ per totã Iudæã fierẽt. In bello Iudaico cũ Iosepho Gerionis rerum summæ præficitur: & quia Romanis omnia feliciter succedebant, ad pacem animum adijcit, atque in Zelotas, populum oratione uehementi accendit. Vnde cùm prælio depugnatum esset cruento, iamque Zelotæ in templum reiecti, euocassent Idumæos, etsi in hoc periculo se ciuitatemque tueretur diligenter, tamen hoste illo clàm intromisso, & ciuium lanienam crudelem conspicere cogitur, & cum Pontificibus cæteris ad necem ipse etiam deposcitur, comprehensusque ilico iugulatur. Iosephus, Hegesippus, Nicephoras, Zonaras: è quibus Iosephus de historia eius minus disertè explicauit, & hærere lectorẽ sæpe cogit. Cumque idẽ alibi ab ijs, quæ retulimus suprà, eum uitijs notet, alibi & à iusticia & modestia & Reip. pacisque studio tũ & eloquẽtię præstantia prædicat, & mortẽ ipsius excidij Hierosolymæ initiũ nominat.

FILIA ἀνώνυμος fuit cum Iosepho CAIAPHA: ideo historiam hîc illius subijcio.

¶ LXIV. IOSEPHVS, cognomento CAIAPHAS, inse-

NNn ritur

ritur Pontificum familijs affinitate Anani, & deniq; Pontifex ipse post SIMONEM Camithi à Valerio Grato audit. In eo munere cum Seruatore CHRISTO actiones ingenium ipsius præclarè depinxerunt. Hunc enim ob auditorum frequentiam, & resuscitatum à morte LAZARVM, tum decantatos in Hierosolymę ingressu populares pęanas, à sacerdotum ordine in odium uocatum, opprimendum solum suadet: quòd auctore & duce è medio sublato, sectatores celeriter dilapsuri essent, præstareq; adeò, unum mori, ut uniuersi conseruentur. Ergo cùm itum in hanc sententiam esset, & CHRISTVS proditione Iudæ discipuli in factionis huius potestatem peruenisset, ipse domi suę acerbissimè in eum inquirit, & impietatis condemnatum, tractatumq; crudeliter, cum reliquo consilio ad PILATVM deniq; adducit, neq; antè desistit, quàm condemnationem extorsisset. Post Christi in cœlos ascensionem, Apostolis doctrinæ eius pręconium magna alacritate & libertate facientibus, cum Anna & reliquis Pontificibus his etiam se opponit, & interminationibus sæuissimis silentium imperat. Matth. 26. Luc. 3. Iohann. 11. 18. Act. 3. Iosephus, Nicephorus, Zonaras, in quibus Iohannes Euangelista consilio de solo Christo tollendo uaticinij uim attribuit, idque totum muneri sacerdotij asscribit: Quando nimirum mors Christi generi humano uniuerso salutaris extitit.

¶ LXI. ISMAEL, Fabi seu Fabei F. capessit pontificatum post ANANVM I. beneficio Valerij Grati, & deniq; ab AGRIPPA II. recipit. Quo in tempore cùm auctoritas eius nulla esset, eò potentiorum sacerdotum processit licentia, ut & conuicijs lapidationibusq; se mutuis impeterent, & seruos mittere in areas auderent, qui decimas ui raperent, itaque tenuiores fame enecarent. Pòst tamen cum illis utcunq; conciliatis AGRIPPÆ sese opponit, & extructioni cuiusdam huius, unde in ipsum templum prospectus pateret, aliam opponi permittit. De qua diruenda cùm uehementer apud Festum disceptatum esset, & quandoquidem conuenire non possent, is, disceptationem ad NERONEM deferri permisisset, legatus ipse cum Chelcia isthuc mittitur: & quanquam pro sacerdotibus uti pronunciaretur per POPPÆAM Augustam impetrasset, tamen obses Romæ detinetur. Iosephus Ant. lib. 18. cap. 3. & lib. 20. cap. 6. & seq. Nicephorus, Zonaras.

¶ LXIII. SIMON, Camithi F. surrogatur à Grato ELEAZARO, & munus hoc annū unū gerit. Iosephus, Nicephorus, Zonaras.

LXXI. IOSEPHVS, cognomento Cabus, succedit in Pontificatu ANANIÆ: nec ab alio facinore nominis famam meruit. Iosephus, Nicephorus à Nerone constitutum Pontificem, ait.

¶ LXIIX. ÆLIONÆVS, Cithæi F. sufficitur ab AGRIPPA I.

PA I. Pontifex in locum Matthię, filij Anani. Iosephus, Nicephorus, Zonaras.

¶ LXIX. IOSEPHVS, Canei seu Camydę F. honoratur Pontificatu ab HERODE, rege Chalcidis. Iosephus. Nicephorus cum Ælionæo eundem facit.

¶ NEBEDÆVS, sacerdos, memoriã nominis aliam nullã, nisi à filiorũ fortuna, meruit, in quib. nominãtur ANANIAS & Ezechias.

LXX. ANANIAS, impetrat Pontificatum ab HERODE, rege Chalcidis. Quo & propter populi seditionem aduersus Cumanũ, quã militis cuiusdã petulãtia impudẽs excitasset, & Samaritanorũ tumultu turbatissimo usus, cùm ipse etiam contra hos gentilibus auxilia misisset, à Quadrato, Syriæ præside, in uincula conijcitur, & ad causam dicendã Romã ad CLAVDIVM Cęsarẽ mittitur. Ibi cùm benigna AGRIPPINÆ Augustę intercessione, à qua precibus id obtinuisset AGRIPPA, Cæsare ceu pręmollito causa ab hoc legitimè cognosceretur, tum absolutionẽ impetrat, tũ aduersariorũ & Celeris Tribuni necẽ, deniq; & Cumani exiliũ, gratissimũ sibi spectaculũ utrunq;, conspicit, & munus suũ cũ dignitate recipit. Quod dũ nefario instituto ad opprimẽdos eos, qui CHRISTI nomẽ profiterentur, cõuertit, PAVLVM Apostolũ in sacerdotũ consiliũ ad doctrinæ suæ rationẽ explicandã adductũ, pugno feriri iubet. Quare cõuicio dealbati parietis acerbo excipitur, & defendentibus ipsum ex Põtificatus muneree astãtibus, ea iterũ audit, quib. leuitatẽ & improbitatẽ suã notari manifestè intelligeret. Cũq; idẽ consiliũ cõfessione Pharisaismi à PAVLO solutũ esset, hũc Cęsareã missum aliquãtò pòst cũ alijs senioribus cõsectatur, & per Tertullũ oratorẽ grauiter apud TELICEM accusat. Bello Iudaico pro optimatũ partib. propugnat: cũq; uictis AGRIPPÆ regis auxiliarib. copijs cũ Ezechia fratre in regiã profugisset, hac dedita circa Euripũ se abdit, cõpręhẽsusq; tandẽ à sicarijs, perimitũ. Act. 23. 24. Iosephus, Zonaras, Nicephorus cũ ANANO II. eundem astruit.

EZECHIAS, fit fraternæ calamitatis consors, & latibulis cum eo extractus, iugulatur. Iosephus de bello Iud. lib. 2. cap. 18. Videtur autem idem esse, quẽ auctor ille eodem loco Eleazarũ uocat, & cũ fratre in regiam fugisse, ait, nomine nimirũ librariorum incuria deprauato.

ANANIÆ filij nominantur: Eleazarus, Iohannes & Simon.

ELEAZARVS, consequitur ducis militum dignitatem sub belli Iudaici exordium, & incendium hoc sua audacia & peruersitate auget. Cùm enim etiam Ethnicorum hostias in sacrificijs admitti mos esset, ipse suadere instititit, ut tantum Iudæorum reciperentur. Quare seditionem grauem conflat: in qua cum suis superior, etiam patris uidere necem sustinet. Iosephus.

IOHANNES, accipit bello Iudaico Gophniticæ & Acrabatenæ administrationem. Iosephus lib.2. de bello Iud. cap.25.

SIMON, mittitur ad FLORVM legatus de seditione ab Eleazaro conflata, neq; ab homine insolente responsum impetrat. Iosephus de bello Iud. lib.2. cap.17.

¶ LXXIII. IESVS, Damnei F. surrogatur in Pontificatu ANANO II. Iosephus, Nicephoras, Zonarus.

¶ LXXIV. IESVS, Gamalielis F. excipit successione Pontificatum Iesu Damnei. Iosephus, Nicephorus, Zonaras.

¶ LXXVI. PHINEES, Iosepho Phanassus, Samuelis F. uixit uitam rusticanam, & in agris suis, unis item operis rusticanis studet. Iamq; in ea humilitate annis bene multis actis, ex inopinato Pontifex Max. fit. Cùm enim Hierosolymæ omnibus in peius ruentibus, plebs etiam Pontificis creandi sibi ius sumsisset, & abrogatis prioribus familijs, rem sorti commisisset, ipse casu dignitate illa potitur, ilicoq; in urbem pertractus, inauguratur. Tametsi ad munus id ita rudis esset, ut tum primùm rationem huius discere oportuerit. Quare lacrymas & sibi & bonis omnibus excutit, & dum inuitus retinetur, tandem Hierosolyma capta, in Romanorum potestatem peruenit. Iosephus, Nicephorus, Zonaras.

IN TETRABIBΛON

ΣΥΝΤΑΞΙΝ DOCTISS. VIRI, ET TOTIVS ERVDITAE ANTIQVITATIS STVDIOSISSIMI, DN. REINERI REINECCII STEINHEMII, CARMEN

M. Michaëlis Boëmi Pirnenſis.

ARbitrio ſi dura meo componere curas
Fata ſinant, nec acerba meis ſors rebus iniquè
Illudat, nec adhuc ſedem fortuna quietam
Sæua neget: uitæ quodcunꝗ accedet ad annos
Exactę tempus: Veterum monumenta recenſens,
Hiſtoriasꝗ legam, atꝗ immania diſcere facta
Sit mihi dulce ducum, priſco quæ uidit ab æuo
Sol ab utroꝗ geri ponto, qui lumine luſtrat
Omnia: ſiue olea pacem, plaudentibus alis,
Exornante ſuam: ſeu cùm tuba ad arma frequentes
Concitat, & cœdem populis, clademꝗ propinquam
Nunciat, & trepidus liquidum ferit æthera clangor.
Quicquid enim pulchrumúe putāt, uel turpe, colēdæ
Qui uitæ præcepta docent: id clarius ipſis,
Subijcit ante oculos, uiuisꝗ coloribus ornat
Hiſtoria: hæc ueri lux eſt, & temporis acti
Eſt teſtis, legumꝗ decus, rerumꝗ magiſtra:
Hanc quia ſi tollas, cœtuꝗ excedere noſtro
Præcipias, alto lucentia lumina ſolis
Ætheræ ſuſtuleris, atrasꝗ induxeris umbras.
Scilicet ut uarios habitus, geſtusꝗ theatris
Exprimit, & formam nunc hanc, nunc induit illam
Hiſtrio, nec mentem mutat, corpusúe, ſed idem eſt:
Sic etiam, formis mutatis, ſemper eædem
Res redeunt, quamuis fuerit perſona, modusꝗ,
Diuerſusꝗ locus: Maior prudentia rerum
Hiſtorijs igitur caſus tibi ſurget ad omnes,
Siue gubernator magni modereris habenas
Imperij, præſisꝗ urbi, ſceptrisꝗ tenendis:
Seu doceas templis, & ſacris ritè colendis
Præficiare: tuæúe domus examina paruæ,
Inſtituas natos uitæ melioris ad uſum:
Siue humili natus ſis ſanguine, ſiue parentes,
Vſque per innumeros & ſecula longa recenſens.

Forsan auos,iactes,auro regnoq́ superbos,
Egregijsq́ auctos titulis,& fortibus ausis.
Quò possis igitur uarias expendere uitæ
Mortalisq́ uices,fortisq́ instantis acerbos
Tollere,siue aliqua mutare ex parte, labores:
Prisca uide:feret hæc aliquam tibi cura salutem
Successumq́ dabit:si,qualis nam exitus acta
Consequitur,seu uirtuti seu congrua turpi,
Exemplis discas aliorum,& cautior esse
Admonitus nôris,dubios euadere casus.
Dij tibi,Dij Fabrici,grates,qui iusta rependunt
Facta,ferant dignas:nec enim me secula longa
Immemorem arguerint unquam,ingratumúe,nec ista
Pectore pulsa meo pietas tua cedet in auras.
Namq́ mihi,rapidis dum signat motibus annos
Cynthius,& certo metitur tempora cursu,
Lustra peracta ferè tria sunt,uoluentibus annis,
Cùm tibi præclaras puer erudiendus in artes
Traditus,Aonidum captus dulcedine,cœpi
Præceptis parére tuis,& ponere mores
Agrestes:&,quâ licuit,percurrere gesta
Magnorum heroum,duce te præunte fideli,
Tu quia,seu forsan latis decurrere campis
Historiæ,cœloq́ duces,celsisq́ locare
Saxonicos astris:seu carmen amabile uelles (bus
Ducere,promptus eras.At non tibi carmina Phœ-
Dictabat,sanctus sed dum super æthera pectus
Cœlestis ducit flatus,linguamq́ gubernat
Magna sonas,superantq́ tuū tua carmina longè
Ingenium:salue flos uatum,digna locute
Astris,digna Deo:Quem nunc in lumine aperto
Conspiciens,plectrumq́ moues,& laude perenni
Concelebras , sequiturq́ sonos uox æmula dulces.
Non fuit ulla mihi fortuna fauentior,orbe
Falcifer exacto cursum Saturnus ut egit,
Quàm tibi cùm iunctus,gratoq́ domesticus usu,
Colloquio fruerer,rerum nec nulla tuarum
Pars essem:facilè rursus noua cornua luna
Bis decies sumente,Dies mihi semper acerbus,
Semper honoratus fuerit,quo excedere uiuis
Te Deus,atq́ alto iussit succedere cœlo.

Tu

Tu quoq; nil mortale sapis, Reinere, nec ima
Serpis humo, sed de lætantibus inclita pennis
Gloria cœlo æquat, lauriq; è fronde coronam
Contexit Clio, doctæ bene debita fronti
Munera: Dīj cœptis placidè & conatibus istis
Eximijs faueant, & felix aura secundo
Proposito aspiret. Voluendis mensibus haud te
Arguet ulla dies, Musis nomenq; decusq;
Dummodo florebit: Tibi tota fatebitur ætas
Postera, se scriptisq; tuis debere, tuoq;
Ingenio: quod sunt annalibus eruta priscis
Plurima, & heroes stygijs quod rursus ab oris
Exempti tenebris, redeunt, hominumq; frequentant
Concilia, hinc uirtus, certa sub imagine, cernas
Præmia quæ referat, uicium uindicta sequatur
Quæ, statuente Deo dignas pro crimine pœnas:
Nunc ergo æthereas, fatis melioribus, auras
Luminis attingunt rursus, quos terra (triumphis,
Diuitijsq; potens & nobilis ubere glebę,
Nilus ubi fines, fœcundis imbribus auctus,
Irrigat, & cœlo, rutilum iubar exerit Argo,
Opposito) quondam regnis præfecerat amplis:
Quaq; olim Solis, media frigescere luce,
Fons solitus, caluit (dictu mirabile) rursus
Æquore sol mersus, terras cùm curreret infra:
Et quæ dulcisonas iactauit ad æthera uoces
Terra, sed immani miserè subiecta tyranno
Ingemit, & solito longi quâ lenior aluêo
Iordanis, obscuro tacitè latet abditus antro.
Hos reges fortesq; duces Reinerus ab umbris
Vendicat, & clara reduces in luce reponit.
Et ueluti primo genialis tempore ueris
Exurgunt flores, uarijsq; coloribus hortos
Delectant, pascuntq; oculos, lateq; remittunt
Ambrosiam & succi fundunt fragrantis odores,
Non decor unus inest, species non omnibus una:
Sic quoq; diuersis præclarum floribus ornans
Illud opus, lumen rebus, pulchriq; nitorem
Adijcit eloquij, & linguæ facundia gesta
Adiuuat, & cœptam uerborum gratia causam
Æquat: Namq; regens certo uestigia filo

Certa,

Certa, diu multis quod inextricabile uisum est,
Explicat, euoluens obscuris uera, refutans
Ficta, fidemque negans, si, ueri nescius, error
Ethnicus inuexit, cœlesti forte repugnans
Historiæ: aut longis mutarunt tempora seclis.
Perge age, Reinecci, pulchris insistere cœptis:
Nam tua sic memori transcribes nomina famæ:

EPIGRAMMA DE EADEM.

REINERI lipidissime libelli
Longùm uiuite: namque uos & Horæ
Et Musæ genuêre, Gratiæque.
Certè sidere uos ego beato
Natos crediderim, Deosque uobis
Certatim sua contulisse dona.
Si rectè auguror, addidit Leporem
Vobis Mercurius, Venusque blandas
Spirauit Charites, decusque Phœbus
Splendoremque, nec hinc abest uenustas.
Quo uos excipiam modo decore,
Iam crescentis adhuc opus politum
Musæ: postera nam reseruat ætas
His maiora: Nec improbus nocebit
Dente liuor inerte, nec iacebunt
Obtecti tenebris, situue turpi
Obducti, aut tineis libelli adesi.
Cœptis macte nouis, tuumque perge
Nomen ætherea sacrare in arce,
REINECCI, Aonidumque honor, soliique
Spes ingens patrij: nec aura desit
Vnquam proposito secunda toto.

FINIS.

INDEX COPIOSISSIMVS OMNIVM EORVM NOMINVM, QVAE IN HOC OPERE COMPREHENDVNTVR, TAM REGVM AC FAMILIARVM AEGYPTII REgni, quàm Dynastarum seu Iudicum Israëliticorum, & Pontificum Maximorum Iudæorum.

Prior numerus folium seu paginam, posterior Tabulam indicat.

A

I N D E X.

israe-

P

Q

R

S

T

V

Zabdis

FINIS HVIVS INDICIS.

ERRORES RELEGENDO PASSIM OBSERuatos, Lector sic emendabit.

Prior numerus paginam, posterior uersum, denotat.

Assyriam fol.1.uers.35. principibus tribus fol.2.uers.2. auctorum 6.323. desinit 11.21. Arbace 15.16. Zetzes. ibid.uers.23. aureum 20.24. munitionum 22.5. exquisitius 23.32. terribiles 24.15. Mogolenes 24.18. satellitium 35.4. Germania 36.17. Elami 41.28. passim reges 43.27. Persicas 46.33. Theaspi 63.38. Pherendatem 56.29. liberos 63.37. ACORIDE 72.26. simp. 79.40. XERXIS 86.40. progustum 97 32. [illegible] 106.4. contenderit 109.13. Philippum 114.16. de re 116.11. ARIDAEVS 120.6. capto 127.33. Athenæus 128.36. contra 129.15. ob uictoriam 161.31. Cicero 152.13. edicto 155.10. Mesech 169.9. erat 182.35. Nicomedis 193.32. oriundos 205.16. Pharnace III. 215.33. Atropati 218.26. infelicitas 221.3. Arsaces 250.34. origine 254.4. conquestus 283.31. tenuisses 286.36. abducitur 291.17. matris 295.4. præfecturam 297.11. Archelau 300.34. figmentu 332.17. principatus 349.24. etsi ter 351.26. Agelaus 375.14. Pisistratidas 418.38. ob 419.9. ab eo 420.22. coniunxisset 423.26. uel abundat 431.11. annus 432.22.

EX OFFICINA ~~HENRICPETRINA~~,
ANNO SALVTIS NOSTRAE RECVPERATAE, CIↃ IↃ LXXIV.
Mense Martio.

